www.e-rara.ch

Opera omnia Ioannis Pici, Mirandulae concordiaeque comitis, theologorum & philosophorum ... principis: viri, sive linguarum, sive rerum, & humanarum & divinarum, cognitionem spectes, doctrina & ...

Pico della Mirandola, Giovanni Francesco

Basileae, [1557]

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-7988

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library


vocatus atque non
C.G. Jung
vocatus deus aderit

CHG

OPERA OMNIA

IOANNIS PICI, MIRANDVlæ Concordiæque comitis, Theologorum & Philosophorum, sine controuersia, principis: Viri, siue linguarum, siue rerum, & humanarum & diuinarum, cognitionem spectes, doctrina & ingenio admirando.

SVNT AVTEM HAEC QVAE AB hoc autore felicissimè scripta sunt.

Heptaplus, de Dei creatoris sex dierum opere Geneseos.
Conclusiones nongentæ, Romæ publicè propositæ, præcipuos Theologiæ locos, & pleraq; in quibus philosophorum omnis labor & studium cernitur, continentes.
Apologia aduersus eos qui aliquot propositiones Theologicas carpebant.
De ente & uno opus, in quo plurimi loci, in Mose, in Platone & Aristotele, explicantur.
De hominis dignitate.
Ad Christianæ uitæ institutionem, regulæ siue præcepta, quibus adiutus homo possit uincere mundum & tentationes.
In psalmum, Conserua me Domine, qui est XV, commentarius.
De Christi regno & uanitate huius mundi.
Epistolarum Liber.
De Astrologia disputationum Lib. XII.
Elegiæ aliquot.
In Platonis Conuiuium Lib. III. Italicè scripti.
Item Cabala Ioannis Reuchlini, ad intelligenda loca quædam Pici, magno usui futura Lectori.



Cum Cæsareæ Maiestatis gratia & priuilegio.

BASILEÆ.

Censura Alexandri P.M. eius nominis VI. operumq; authoris à nonnullis, calumnijs impetitorum, defensio.

ALEXANDER SERVVS SERVORVM DEI DILECTO FILIO, NOBILI uiro, Ioanni pico, Comiti Mirandulæ.



DILECTE fili Salutem & apostolicam benedictionem. Omnium catholicorum quieti, & famæ, eorum præsertim quos generis nobilitas, litterarum disciplina, uitæ fideiq; orthodoxæ integritas commendat, quantum cum Deo licet, consulimus. Dudum siquidem, cum primum ad. Innocentium papam VIII. prædecessorem nostrum, & Romanam curiam te contulisses, & Nonningentas in theologia, & alijs facultatibus conclusiones, ex permissione præfati prædecessoris, publicè (ut moris est) disputandas affixisses, quas sub Apostolicæ sedis correctione, te sustentare offerebas, & dictus prædecessor, inter illas aliquas fidei & religioni nostræ contrarias, erroneas, scandalosas, & malè sonantes, ac de non sana doctrina suspectas, ab aliquibus intellexisset: tunc integritati fidei consulere uolens, ne fidelium mentes (& præsertim simplicium, qui ad huiusmodi publicas disputationes confluere solent, corrumperentur) nonnullis uenerabilibus fratribus, tunc suis, nunc nostris Episcopis, & alijs sacræ theologiæ ac utriusq; iuris professoribus per eum nominatis, per litteras suas, in forma breuis, commisit, & mandauit, ut contenta in dictis conclusionibus examinarent, an aliquæ ex illis, ex ui uerborum à fide catholica dissonarent, aut hæresim saperent: seu dubiæ & ancipites, ad erroneum sensum trahi possent: & ipsi prædecessori referrent, sicui plenius, in dicto breui, continetur: ut habita fideli relatione eorum, oportunè prouideret. Qui quidem episcopi & professores, eidem prædecessori retulerunt, quasdã sibi uideri conclusiones suspectas, & ut asserebant hæresim sapientes. quas tamen conclusiones, gratia tantum scholasticæ disputationis, ac sub apostolicæ sedis correctione disputandas publicaueras, & tales demum eas te habiturum professus es, quales per eundem prædecessorem nostrum iudicarentur: iureiurando promittens, cuicunq; declarationi, quam ipsum prædecessorem super hoc facere contingeret, assensurum. Deinde uerò per dictum prædecessorem, accepto te, quendam alium librum Apologeticum edidisse, in quo easdem conclusiones, in meliorem & catholicum sensum declarans, interpretabaris, & circa eas intellectum sinceræ fidei, explicabas, idem prædecessor, ne præmissæ propositiones, corda fidelium, quoquomodo corrumperent: interdixit lectionem libelli prædictarum Noningentarum conclusionum, te tamen, nulla ob premissa incurrisse existimationis notam, declarauit, ut in eisdem literis, quarum tenorem hic pro expresso haberi uolumus, latius continetur. Verum eidem prædecessori, postea aliquibus suggerentibus prætextu dicti apologeticæ, te præmisso iuramento tuo contraueniisse, te in Gallijs agentem, ad curiam citari mandauit, cuius mandatis reuerenter acceptis, ad Romanam curiam regressurus iter arripuisti, cumq; in Italiam peruenisses, ex beneplacito ipsius prædecessoris, in partibus Florentiæ substitisti. Interim uerò præmissis ad nostram notitiam deductis, inquisitaq; per nos totius negotij ueritate, compertoq;, & præsertim referentibus Venerabili fratre nostro Georgio Episcopo Albanensi, & Vlixbonensi, ac dilectis filijs Ioãne Baptista de Vrsinis, Tituli sanctorũ Ioãnis & Pauli presbytero, & Fãcisco, sancti Eustachij diacono, Sãctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quibus specialiter commiseramus, ut adhibito secum dilecto filio Paulo Genuensi theologiæ, ac ordinis sancti Dominici professore, & sacri palatij apostolici Magistro, se accuratè informarent & nobis referrent: nihil aliud postea contra te actum, processum, seu attentatum fuisse, quodq; in eodem Apologetico, quod in orthodoxam fidem, à cuiusuis suspitionis nota, mentem tuam apud omnes releuandam scripseras, iudicium, & determinationem ipsius prædecessoris, ac sedis apostolicæ, cui te humiliter submisisti, continuè expectare affirmabas, & in præmissa promissione, & iuramento tuo persisteris, prout etiam persistere intendis, & denuò etiam promittis: Ideò nos bonam & integram mentem, & sinceritatem fidei, ac in nos & sedem Apostolicam deuotionem & obedientiam tuam, paterno affectu complectentes, ac te, quem etiam diuina largitas, nobis uirtutibus illustrauit, pro potiori cautela tua, ab omni reatu periurij, si quem etiam forsan indirectè, dicto iuramento tuo, cuius formam hic haberi uolumus pro expresso, aliquo modo contraueniendo incurrisses, absoluentes, & absolutum fortè censentes causam commissionis huiusmodi aduersus te, & illius statum indiuidualem pro expresso etiam habentes, & quantus pendeat coram quibuscunq; iudicibus, etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, ad nos aduocantes, motu proprio, & ex certa scientia, extinguimus: teq; in eodem iuramento tuo persistentem, iuxta formam literarum ipsius prædecessoris, nullam omninò propter præmissa incurisse existimationis notam, & propter editionem declarationum & Apologetici huiusmodi, aut aliàs, nullam hæresis speciem uel suspitionem aut notam sinistram incurrisse, seu in crimen ueri uel ficti relapsi incidisse, aut pœnas uel censuras in iure uel alias, contra hæreticos uel de hæresi suspectos, contentas, siue latas, quomodolibet incurrisse. Similibus motu & scientia, auctoritate præfata per præsentes decernimus, & declaramus, inhibentes, districtiusq; in uim sanctæ obedientiæ mandantes, ordinarijs locorum, & commissarijs, ac officialibus quibuscunq;, etiam hæretico prauitatis inquisitoribus, ne te præmissorum occasione, quomodolibet molestare, seu inquirere præsumant, decernentes irritum & inane, si secus, super his à quoquam, quamuis autoritate scienter uel ignoranter contigerit attentari, præmissis necnon constitutionibus & ordinationibus apostolicis, cæterisq; in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunq;, de quibus etiam, hic expresse facienda esset mentio specialis. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris. die XVIII. Iunij. M.CCCCLXXXXIII. Pontificatus, anno primo.

L. podocatharus.

ANTONIO ARCHIEPISCOPO COLONIAE AGRIPPINAE, VII. VIRO PRINCIpi, Electori, Iohannes Herold. S.



VM hominum doctorum applausu magnõ, Opera quæ extant IOANNIS PICI, Mirandulani illius, ederentur, hęc tanta, atq; ingenij planè diuini monumenta, ANTONI VII. VIR Princeps, fausta nominis tui præfatione ut illustrarem rationis habebã perplurimum, non minus autem fiduciæ, hoc amplitudini tuæ alieniſsimi hominis factum, & de alieno labore meum munus, tibi, tuiq; simillimis uiris illustribus, cõprobare me facilè posse. quando quidem, in hac Reipublicæ Germanæ lætitia & alacritate, quã accessionæ summæ tuæ dignitatis commotam apertiſsimæq; ferre omnes uideo, gaudio nõ perfundi, non modò aliena gloria mœrentis, & honestate spoliati cuiusdã obtrectatoris peccatũ, uerùm etiam, prima quaq; occasione, gratulationi me non offerre, leuitatis & stultitiæ plenam quandam tergiuersationem existimem. Ad salutem etenim Reipub. efficacius esse nihil, quàm si uniuersitatis suffragio contributæ potestati, lectorum aliquod singulare sapientiæ studium accedat. imò & tritum illud est. Beatas esse Respublicas, quando qui summã tenent, in doctrinæ & uirtutis negotio omne suum tempus ponant: quod quidem nunc Germaniæ nostræ, duris profectò ac difficillimis hisce temporib. contigit, eamq; ingenti & propè explorata spe priſtinæ authoritatis & libertatis erexit, maxima ac nunquã intermoritura nominis tui ANTONI VII. uir Princeps, gloria. Vt enim de fortunæ donis nihil dicam, quæ omnia, ac quantum altiſsimus tuæ dignitatis gradus desiderare uidetur, expleta atq; cumulata habes, claritatẽ uidelicet SCHAVMBVRGIAE stirpis, facultatũ amplitudinem, formã heroicam, quibus multis ac maximis fortunæ impotentis perturbationibus, tuorũq; hominũ incõmodis mederi imò efficere põtes, ut sint sub tuo imperio quàm beatiſsimi, hoc delectari plurimũ uideo omnes, quod te ab initio ætatis, summè omnis pietatis, omnis philosophiæ studioſum intelligunt, ac natura talem esse, ut etiã sine præceptis sapientiſsimorũ hominũ, quæ boni uiri sint officia, summa cura didiceris. adhibita uerò synceriore pietatis doctrina, uirtutes omnes te excoluiſse, ita ut ceu de cœlis miſsus diuinus aliquis homo, interarbitros rerum Germanicarum, VII uiratus scilicet in collegiũ, receptus fratriq; suffectus sis: quo quidem extincto, quaſi lumen, reluceat sanctitas, & prudentia & grauitas tua, ut consulat humano generi, prouideat saluti omnium, immanibus ac barbaris nationibus terrorem incutiat. Sacroſancta enim illa Christianæ persuasionis doctrina, clamoſis altercationibus quantum nunc temporis conuellitur? quibus cõ certationibus ijsq; infinitis, non inuoluitur? certe cõtentionibus amariſsimis ijsdemq; æmulatione ardentibus, tandẽ fermè obruitur: dum omniũ ore celebratur, suscepta dignitate, tibi antiquiſsimã esse pietatẽ, ac ea ut purè & castè numini diuino tribuatur: ut religionis ratio Apostolorum patrumq; institutis tradita, incorrupta defendatur, redintegretur q; uerum te Pontificem & magiſtrum sacrorum unicè studere. Iam nonnullorum cupiditates quàm occulta odia atq; acerba inter Germanos concitarant? quæ diſsidijs crudeliſsimis, etiam inter coniunctiſsimos initium dederunt, quo ad diſcordijs potentium et clarorum uirorum, fortunæ optimi cuiusque consumerentur, ac ui multitudinis, plebis concitatione, seditionumq; omni genere, bellum tandem Patriæ, crudele, quidem ac exitioſum conflaretur, in quo perfidiæ, proditionis, scelerum & flagitiorum, calamitatis denicq; exemplum nullũ defuit, uniuersi uerò interitus, impotentisq; Tyrannidis barbarorum gentium comminatio præsentiſs. Tantorum autem ac fraternorum certaminum reliquiæ, quibus consilijs extinguantur, morsusq; intermiſsæ libertatis quibus artibus consolidandi, humanitate authorem, ingenio ducem, animi magnitudine constantiſsimum patriæ principem, in optimatum huius sacri Imperij comitijs, in priuatis conuentibus exhibere te, fama & auditione accipio. hanc ipsam quoq; hominũ de te opinionẽ collectam instaurare te, fundamẽto quodam perpetuæ commendationis, charitate nempè erga proximum, sine qua nihil laudabile, Christianũ nihil esse potest. Post etenim diuinorum negotiorum sollicitudinem, primam curarum tuarũ esse referunt, in rebus causis q; tuorum ut æqualitas conseruetur: quæ sequitur deinde, ordinum dignitas integra sit, studijs bonis, afflictis miſeris q; ut succurratur clementer atq; hilariter prospicit. Atqui exteriora cum semper domeſticis præferantur, immenſo uastoq; cõsentientis populi fremitu, in conciliũ cœleſtiũ collocare sentimus iam illam tuam animi benigni propensionem, qua subuenire gestis, pro sacris, pro pignoribus, pro focis pugnantibus fratribus, qui perpetua Turcarum uexatione direptioneq;, indigne expilantur, mactantur, inq; captiuitatẽ abducuntur præsertim cum ipse perspicias, unam, illam ad omnia pericula obfirmatam præsentis animi tolerantiã Cæsaris P.F. FERDINANDI Patris, eiusdemq; appellationis nobiliſsimi ipsius Filij fortitudinẽ, uix Germaniam Christiani orbis arcem, sustinere amplius posse. licet nuper tàm claro iuuentutis Principe illo, non offensionibus belli sed uictorijs instituto, tanto Imperatore militum, nullis stipendijs, sed diuinis trophæis erudito, fines Imperij huius æterni, ab excursione immaniſsimi tyranni, fœda perfidæ gentis clade securiores reddi ti sint, & propagati, Germanici nominis ampla, et auitæ uirtutis percelebri uindicatione. Quam diuinitus datam uictoriã, manu fortium uirorum partã, quem Martis arridentis belliq; euentum lætiorem, magno Reipublicæ bono atq; beneficio immortali persequi posse, niſsi detrimento uniuersitatis Christianæ negligere eam atq; prodere non posse, cum res ipsa declaret, te consilium opes ad sacrum hoc bellum, in

Christo uerum fratrem, pro patria, pro proximo denique omnia non mõdo ostendere sed etiam offerre, constans uiget rumor. Salue igitur ANTONI Princeps, Reipublicæ bono nate. Macte uirtute tua: cuius studio uti efferar, cui gratuler ipsa suadet ratio, honestasq; postulat. Igitur gratulationi omnium ordinum meus consensus, deq; tua immortalitate opinio, quàm libenter sese adiungat, ut approbem, diuinitus editionem hanc librorum Pici, mihi oblatam reputo ueluti certissimum huius meæ uoluntatis argumentum. Fuit siquidem, qui hæc scripsit, uir nobilissimus atq; honoratissimus, cui in omni doctrinarũ genere, opes, præsidium, industria, ornamentum maximũ attulere. Studiũ uerò pietatis & bonarũ literarũ in ipso tantũ, ut uix alterũ & trigesimũ uitæ annũ attingens, quæ Patres Ecclesiæ pluribus seculis acutissimè indagarunt: quæ Philosophi multis simulationũ inuolucris abdidere: quæ numerosarũ linguarũ diuersitas artiũq; infinita uarietas præceptis, mysterijs, reconditis denicq; quibusdã ac ambiguis oraculis cælabãt ipse patefecerit & illustrauerit, author certè luculẽtus & locuples, nam unico eo atq; modici corporis libro, quẽ Heptaplũ inscripsit de Deo, de Natura uniuersi, quicquid seculorũ omniũ sectie statuerunt, simplici maiestate dictionis resecauit, imò tanta tamq; præclara dixit, ut ij qui maximum grauissimũq; nomen inter doctores habuerunt nihil omninò dixisse uideantur. Denicq; nullo nõ præconio maiorẽ illũ quis neget, cũ D c c c c. eius Conclusiones legerit? quas ediderit, quotquot scientiatũ periti hactenus fuerũt, an tẽptassent nescio, ex ijs certè qui sunt, neminẽ tantũ oneris sustinere uelle credo: futurs aũt hominibus, procul dubiò studiũ captu ingenij, infinitæq; cõcertationis labor grauis uidebitur. Eas tamẽ omnes, nisi obtrectatũ fuisset disputator subtilis, ratiocinationibus enucleare certioribus uolebat, potuisset quidẽ, cũ Propositiones ponderosiores tàm dextrè in Apologia sua, libera illa, defendat, oratione tamen modesta, quæ illi semper blanda fuit conciliatricula & studiorũ & animorũ honestorũ, quibus lenocinijs etiã summorũ Philosophorũ, Platonis & Aristotelis, in libro de Ente & Vno, concordiã ostendit, cũ in Epistolis ipsius sententiarũ pondus, & sanctitatẽ excellentẽ quandã uidere liceat. Theologus quantus futurus erat, præter ponderosissimũ Comentariũ illud in XV. Psalmũ, Regulæ dirigentes ostendũt: ubi unica pagella, hominis Christiani institutũ omne expressit, quod multis & maximis uoluminib. nemo hactenus explicare aut præscribere potuit felicius. In homine exornãdo, nõ imitabili usus est eloquentia, quæ enim Periclis tonitrua nõ adæquat? quam Cæthegi suadã non exprimit? Maius Iliade certè præstitisset aliquid, si ut carmine ita uita ualuisset: quod ex ipsa Deprecatoria ad Deũ & illa in Beniueniũ scripta Elegia claret. Ad summã aũt hic noster, nullã fati uim, nullũ fortunæ munus, nullos astrorũ neq; exortus neq; occasus, ordini seriæq; ex æternitate profluentis prouidentiæ anteponi posse contendit, eoq; accurata quadã & disquisita disputatione, non tam uanã illã ex astris diuinationẽ impugnat, cẽq; cœli rationẽ, syderũq; cursus & motus certos docet. Reliqua uernaculæ linguæ eiusmodi sunt, ut Conuiuiũ Platonis illustrare atq; exornare multũ possint. His itaq; studijs quibus à primis tẽporibus adolescentiæ tuæ animũ tuũ addixisti, negotiorũ grauitate iãdiù abductus ad ea tranquilliorib. tẽporibus, flagrantior & amore boni ardens te referes atq; illis incũbes auidius scio: ad manũ igitur ut esset ANTONI Princeps, cuius præcepta iucundiora tibi forẽt author q; gratus, hũc Picũ tuo nomini inscribere uolui, donec tua amplitudine dignũ aliquid ipse exararẽ. Nã quæ inter manus habemus, ut negotij otijq; per magni sunt, sic peregrinationẽ, prouinciarũ quoq; Germaniæ nobiliorũ peruestigationẽ requirunt, nec non documenta antiquitatis postulant ea, quæ in Tabularijs & Bibliothecis optimatiũ asseruantur, quã quidẽ non postremã huius meæ ad te scriptionis causſam putes. Confisus nãq; clementia illa tua, ad exornãdos nostros illos Effloresc ẽtis Germaniæ Cõmẽtarios, pulcherrimarũ rerũ descriptiones, quas apud te extare nihil dubito, mihi te nõ denegaturum, persuasus sum: quando quidẽ DANIELIS VII uiri Moguntini, uiri quotquot fuerunt, uiuunt, aut pòst nos nascentur in humanitate Principis, fauor atq; in me summa beneuolẽtia, idẽq; largè mihi polliceatur in literas bonas literatosq; singulare illud studiũ, Collegæ uestri à LAYEN IOANNIS VII uiri Treuirensis, unici & innocentiæ & integritatis exẽpli. Præstitit id sanè mihi nuper imò Reipublicæ detulit, homo quo solẽ puto digniorem nõ uidisse, qualẽ unum in toto orbe, hoc rerum statu extitisse mirandum est, VVOLVFFGANGVS uidelicet, Fuldensis sodalitij instaurator & pater uerus. In hanc autẽ de te spẽ maximã ac uti cõfido certissimã adducor, uoluntate in me bona, grauissimi uiri GERLACHI ab ISENBVRG, qui quod nobili loco natus, amplissimisq; in sacris rebus, muneribus sit perfunctus, maximã authoritatẽ apud te habere debet, plurium tamẽ hanc meã causã ANTONI Princeps tibi probare potest, ob morum synceritatẽ, iuditij elegantiã, consiliorum fidem ac eam qua te colit obseruantiam. Restat de Cabala IO ANNIS REVCHLINI uiri doctissimi, cõsilium meum ut explicẽ, quod scriptum hic adiunximus operibus PICI, qui ut in cæteris ita hac in arte prorsus diuina, doctus & eruditus, principia quædam huius disciplinæ propòsuerat, progressiones autem ac extrema eius scientiæ morte præuentus, euoluere non potuit. Cæterum Rhabenorum superstitionibus, & Philosophorum portentis uitiatã miserq; corruptã, REVCHLINVS, ut erat excellentis ingenij homo, omnium iuditio restituit atq; correxit deprauatã. Ea itaq; præcepta omnibus seculis pientissimorum sanctorumq; hominum studijs exculta, tibi non ingrata fore existimaui, eoq; huic operi uti annecterentur, curaui. Pro tuo igitur ANTONI Princeps candore, qua librum hunc tibi offero, mentem uoluntatemq; meam, suscipe oro, atq; persuade tibi, obseruantiam illam in te meam, uirtutum tuarum certo iuditio susceptam, perpetuò me conseruare uelle. Magnus ille Deus noster, amplitudinem tuam, Reipublicæ diù seruet incolumem. Basileæ VIII. Cal. Aprilis. Anno à nato Christo M, D. LVII.

Ioannis Pici Mirandulæ & Concordiæ Principis V. C. uita, per Ioannem Franciscum illust. principem Pici filium conscripta.



IOANNIS Pici patrui mei uitam scribere orsus, præfandum lectoribus in primis duco, ne aut quod fratris filius, aut quod discipulus fuerim, me aliquid in gratiã blãdientiũ more, dicturũ suspicentur. Nihil hic amicitiæ datum, nihil familiæ, nihilq; beneficijs (quæ maxima profecto in me extiterunt) ficticia laude repensum. Tantum quippe ab adulatione seiuncta est narratio mea, quantum abfuit adulandi necessitas, tantumq; cauí, ne me, uel mentitum uel uehementem in laudibus legentes arbitrarentur, si quicquid de ipso conceperam, literis tradidissem, ut illud fuerit fortasse periculum, ne parum potuerint, uel ipsæmet uirtutes excelsæ uel earum assertores coarguere. quod uel hoc argumento uidere licet. Cum plurimæ doctorum nostræ ætatis hominum & ex primoribus quidem elucubratissimæ scriptiones non modo his quæ sumus dicturi, locupletissimum reddiderint testimonium, sed dum uteretur hac luce & postquam eam cum potiore commutauit, in eius me & morum & doctrinæ præconijs præcelluerint: quarum nonnullas in huius libri calce, post commentationes ipsius adscribi iussi ut firmior testibus, non gentilicijs fides adhiberetur Paternum genus (licet ab Constantino Cęsare per Picum pronepotem, à quo totius familiæ cognomentum memoriæ proditũ sit, traxisse primordia) missum facientes, ab ipso tempore natiuitatis sumemus initium tũ quod familiæ forsan non minus honoris ille contulerit q̃ acceperit, tum quod proprias animi dotes reliquaq; totius uitæ & obitus seriem præ se ferentia, quæ uel proprijs auribus aut oculis hausi, uel ab grauissimis excepi testibus, aperienda duxerim, posthabitisq; & stemmate & præclaris auorũ facinoribus recensenda. Anno à partu Virginis tertio et sexagesimo supra millesimum & quadringentesimum, Pio secundo Pont. Maximo ecclesiæ præside, & Federico tertio, habenas imperij Romani moderante, mater Iulia, ex nobili Boiardorum familia, Ioanni Francisco patri, ultimo eum partu peperit: iam enim Galeottum maiorem natu, ex quo sum genitus, & Antonium Mariam, sororesq; duas enixa fuerat, quarum altera, Leonello iam coniugi, Albertum Pium ex Carpi principibus unum edidit, nunc Rodulphi principis Gonzagæ consors: altera Pino Ordelapho Foroliuẽsi principe, cui iam pridem nupserat, uita functo, Montis agani Comiti secundas nuptias cõcessit. Prodigiũ haud paruum ante ipsius ortum apparuit, uisa enim circularis flamma est, supra parientis matris astare cubiculum, moxq; euanescere, fortasse nobis insinuans, orbicularis figuræ intellectus perfectione simillimum eum futurum, qui inter mortales eadem hora proderetur, uniuersoque terræ globo excellentia nominis, circunquaq; celebrãdum, cuius mens semper cœlestia ignis instar petitura esset cuiusq; ignita eloquia, flãmatæ mẽti cõsona, Deũ nostrũ (qui ignis cõburens est) totis uiribus quãdoq; celebratura, sed statim obtutibus hominiũ, ut illa euanuit, occulenda. Legimus quippe doctissimorum sanctissimorumque hominum ortus, insolita quandoq; signa aut præcessisse aut subsequuta fuisse, ueluti eorum incunabula infantium ab aliorum cœtu diuino nutu segregantia, summisq; rebus gerendis natos indicantia, sic ut omittam reliquos, examẽ apium Ambrosij magni ora lustrauit, in eaq; introgressum est, deinde exiens, altissimumq; uolãs, seq; inter nubila cõdens, paternos, aspectusq; aliorũ qui aderant uisus eluserit, quod presagium Paulinus plurifaciens, scriptorum eius fauos nobis indicasse disseruit, qui cœlestia dona enunciarent, & mentes hominum de terris ad cœlũ erigerẽt. Forma autem insigni fuit & liberali, procera & celsa statura, molli carne, uenusta facie, in uniuersum, albenti colore, decentiq; rubore interspersa, cæsijs et uigilibus oculis, flauo & inaffectato capillitio, dentibus quoq; candidis & æqualibus. Sub matris imperio, ad magistros disciplinasq; delatus, ita ardenti animo studia humanitatis excoluit, ut breui inter Poëtas & Oratores tempestatis illius præcipuos, nec iniuria collocandus esset. In discendo quidem celerrimus erat, prompto adeo ingenio præditus, ut audita semelà recitante carmina, & directu, & retrogrado ordine, mira omnium admiratione recenseret, tenacissimaq; retineret memoria, quod cæteris contra euenire solet: nam qui celeri sunt ingenio, natura fieri sæpe solet, ut non multum memoria ualeant, qui uerò cum labore percipiunt, tenaciores percepto rum euadant. Dum uerò quartum & decimum ætatis annum ageret, matris iussu, quæ sacris eum initiari uehementer optabat, discendi iuris põtificij gratia, Bononiam se transtulit quod cum biennium degustasset, meris id inniti traditionibus conspicatus, alio deflexit, nõ tamẽ absque bonę frugis fœtura, quando puer, & quidem tenellus, ex epistolis summorum pontificũ, quas Decretales uocant, epitomẽ quãdam seu breuiarium cõpilauerit, q̃ omes cõcisius, quam fieri potuit sanctionum illarum sententias, concluſit, consummatis professoribus, opus non tenue. Sed secretarum naturæ, rerum cupidus explorator tritas has semitas derelinquens, intellectus speculationi philosophiæq; cũ humanæ tum diuinæ, se penitus de-

didit cuius enanciscendæ gratia non tm Italiæ, sed & Galliarū literaria gymnasia perlustrās celebres doctores tempestatis illius, more Platonis & Apollonij scrupulosissimè perquirebat, operam adeò indefessam studijs illis impendens ut consumatus simul & Theologus simul & Phūs imberbis adhuc & esset & haberetur. Iāq; septennium apud illos uersatus erat quādo humanæ laudis & gloriæ cupidus (nondū enim diuino amore caluerat, ut palā fiet) Romā migrauit, inibíq; ostentare cupiens, quāta eū à summussoribus in posterū maneret inuidia, Nongentas de dialecticis, & mathematicis, de naturalibus diuinisq; rebus questiones proposuit: non modo ex latinorum petitas arculis, græcorumq; excerptas scrinijs, sed ex Hebræorum etiam mysterijs erutas, chaldeorūq; arcanis atque Arabum uestigatas. Multa itē de Pythagoræ, Trimegistiq;, & Orphei, prisca & subobscura philosphia, multa de Caballa, hoc est Secreta Hebræorū dogmatū receptione (cuius et Origenes et Hilarius ex nostris potissimum comminiscuntur) questionibus illis intexuit, multa etiam de naturali Magia, quam non paruo interstitio ab impia & sceleste separari edocuit, idq; multorum testimonio elegātissimè cōprobauit, nec nō duo & septuaginta noua dogmata Physica & Metaphysica propria inuenta & meditata, ad quascunq; philosophię questiones elucidandas accommodata, defuerunt, his nouam per numeros philosophandi institutionem adnexuit, cunctaq; simul publicis locis, quo facilius uulgarentur affixit, pollicitus se soluturū eis impensas qui ex remotis oris disceptādi gratia Romā se contulissent. Verū obtrectatorum simultate (quæ semper uelut ignis alta petit) nunquā efficere potuit, ut dies altercationis præstitueretur, ob hanc causam Romæ annū māsit, quo tēpore uitiligatores illi, palàm eum, & libero exanime non audebant aggredi, sed strophis potius & cuniculis fugillare, clāculariq; telis suffodere, pestifera corrupti inuidia (Ita em arbitrati sunt plurimi) conabantur. Liuorem hunc, uel hac ratione sibi maximà commouisse existimatū est, quod multi qui uel ambitione fortasis uel auaritia literario negocio diu incubuerant, notam sibi fore autumarent, si iuuenis ille, aggestis atauorum opibus, multaq; doctrina, quasi fertilis ager luxurians, in prima orbis urbe, de naturalibus diuinisq; rebus, deq; multis per plura secula nostris hominibus non accessis, periclitari doctrinam, & ingenium non uereretur, et cum nihil aduersus doctrinam ueris machinis moliri posse animaduerterent, attulisse eosdem in medium tormenta calumniæ tredecim'que ex nongentis quæstiones, rectę fidei suspectas acclamauisse, quibus fortè se iunxisse nonnullos, qui quæstiones illas, utpote insuetas eorum auribus, ut piè, ita fortasse parum eruditè, & zelo fidei & pretextu religionis incesserent, quas tamen quæstiones, non pauci, & quidem celebrati Theologiæ doctores ceu pias & mundas prius adprobauerant, eisdemq; subscripserant: quorum cœtu Bonfrancisus Regiensis episcopus annumeratus est, uir omnigena doctrina, acerrimo'que iudicio, & morum grauitate præclarus, qui Romæ ad Pontificem maximum ea tempestate, pro Ferrariensium duce agebat legatus, aduersus tamen eum blaterones illi, nihil attentarunt, cum fortè ab eis labefactari eius famam non posse uererentur, quando quicquid tractasset, correctioni matris Ecclesiæ, & Pontificis submisisset. At is, famæ istæ dispendia non perpessus, Apologiam edidit, uarium certè opus & elegans, mult.'que, rerum scitu dignarum cognitione refertum, Vigintique tantum noctibus elucubratum qua editione luce clarius conspici datum est, non ram conclusiones, catholicos potuisse sensus recipere, quàm illos, qui primus adlatrauerant insolentiæ & ruditatis coarguendos esse, librum'que ipsum, & quæ scripturus erat in posterum matris Ecclesiæ, eiusque præsidi sanctissimo iudicio Christianissimi hominis more commisit, id enim uel expresè uel tacitè fieri oportere, persuasissimum est: quasi illud Augustini proferret: Errare possum, hæreticus esse non possum, quando alterum sit hominis proprium, alterum peruersæ & obstinatæ uoluntatis. Sed ubi Innocentius octauus Pontifex Maximus accepit per editionem Apologiæ interpretatas conclusiones illas, quæ prius calumnijs infestatæ fuerant, in catholicum sensum & à nota criminis releuatas, referentibus'que nonnullis quibus conclusionum examen demandatum fuerat, decipulas opponi posse fidelibus, si nonnullæ questionum illarum (crudè quidem & inexplicitè disceptandarum more iacebāt) passim uacarentur, libelli lectione, quo continebantur interdixit, quæ omnia per Alexandri sexti pont. max. sub quo nunc uiuimus diploma, quod Breue nominant, liquidò uisuntur, quod cum Apologia ipsa impressoribus tradere exarandum duximus. Verum in ipso Apologiæ calce quod postea Pontifex auctoritate præstitit, quibus ille poterat rationibus antea factitauerat: obsecrauerat quippè amicos & inimicos, doctos & indoctos, ut apologiam legerent, libellum uerò ipsum conclusionum inexplicitarum præterirent illectum, quando in eo plurima continerentur, quæ non passim uulganda triuijs, sed secreto congressu inter doctos & paucos disputanda susceperat, scolasticāq; exercitationem, more academiarum meditatus, multa ueterum philosophorū Alexandri scilicet & Auerrois aliorumq; quàm plurimū impia dogmata proposuisset quæ semper publicè & priuatim asseruerat, professus fuerat, prædicauerat, nō minus à ueræ rectæq; Philosophiæ, q; à fidei semitis declinare: atq; in hunc modū de libello illo nōgentarū conclusionum uerba faciens, Apologeticū opus concluſit Qui ergo me oderūt, ideò illa nō legāt quia nostra sunt: qui me amant, ideò nō legāt, quia ex illis quæ mea sunt cogitare plurima possent, quæ non sunt nostra, cæterum immensa Dei bonitate, quæ ex ma-

lis

lis etiam bona elicit, effectū esse (quemadmodū mihi retulit) iudicabat, ut calūnia illa falso à maleuolis irrogata, ueros errores corrigeret, eiq́ue in tenebris aberranti (ut quantum exorbitasset à tramite ueritatis contueri posset) ceu splendidissimū iubar illucesceret. Prius ēm & gloriæ cupidus, & amore uano succensus, muliebribusq́ illecebris commotus fuerat, fœminarum quippè plurimæ, ob uenustatem corporis orisq́ gratiam, cui doctrina amplæq́ diuitiæ & generis nobilitas accedebant, in eius amorem exarserunt, ab quarum studio nō abhorrens, parūper uia uitæ posthabita, in delicias defluxerat, uerū simultate illa experrectus, diffluentem luxu animum retudit, & conuertit ad Christum, atq́ feminea blandimenta, in supernæ patriæ gaudia commutauit, neglectaq́ aura gloriæ, quam affectauerat, Dei gloriā & Ecclesiæ utilitatem, tota cepit mente perquirere, adeoq́ mores componere, ut posthac uel inimico iudice, comprobari posset. Cumq́ de ipso glorioſa statim fama, & per uicinas & per remotas oras uolitare occepisset, plures ex Philosophis, qui eruditissimi habebantur, ad eū tanquam ad mercaturam bonarum artium (ut inquit Cicero) confluebant, uel ob cōmouenda litteraria certamina, uel quibus inerat rectior mentis sententia, ad audienda tenendaq́ rectè uiuendi salubria dogmata, que tanto magis expetebantur, quanto ab homine doctissimo & pariter nobilissimo profluebant, qui quandoq́ deuios mollitudinis uoluptuariæ anfractus sectatus fuerat. Videntur enim ad disciplinam morū, auditorum mentibus inferendam, ea plurimum habere momenti, quæ & suapte natura sint bona, & à præceptore cōuerso ad iustitiæ semitas, ex distorto & obliquo libidinum calle, proficiscantur. Elegiaco carmine amores luserat, quos quinque exaratos libris, religionis causa, ignibus tradidit, multa item dem Rythmis lusit Hetruscis, quæ pari causa par ignis absumpsit. Sacras deinde litteras ardentissimo studio complexus, statim in templo Dei, ceu frugum primitias, octauum tuncet uigesimum annum agens, de operibus sex dierum Geneseos, & die quietis Heptaplum obtulit, opus quippè & perfectū ingenio, & elaboratū industria, cū sublimibus Philosophorū dogmatis, tum profundissimis nostræ christianæ Theologiæ mysteriis refertissimum, septēpliciq́ uaria enarratione connexum, septenario capitum numero cuilibet septenæ expositioni conferto libri nomini maximè quadrans. quod tamen ob erutas è naturæ gremio res & difficiles diuinarum quæstionū euolutiones, atque ob prophetæ reconditissima sensa seruare monisq́ue elegantiam non se passim Philosophiæ & eloquentiæ rudibus offert, sed precio sæ illius & raræ suppellectilis usus paucis paratur: quod & ipse animaduertens, in eiusdem procœmij calce, mentionem de hac re non illepidam fecit. Cum primum sacras degustauit literas, non tantum ueram sapientiam, sed & ueram eloquentiam, inuenisse lætabundus exultabat, multaque ut omittam, ab eo testamenti noui allata præconia, Pauli epistolas, oratorum omnium scriptionibus eloquentia præstare dicebat, Tullij etiam ipsius Demosthenisq́ue primarij (ut inquit ille) dicendi artificis, lucubrationes nominatim citans, non quod essent, ut illæ calamistris inustæ, & corrasis undiqne fucis, & cincinnis constipatæ, sed ut ueram, solidam, & redolerent & saperent eloquentiā, ueris sententijs, uera arte suffultam, essentq́ue ut dicam breuius, Aegyptiorum opibus non consulto suffarcinatæ. Omnia porrò ueteris Legis eloquia, consūmatissimæ scientiæ & sapientiæ plena prædicabat, quod & si cùm alij, tùm Augustinus in libro de Doctrina Christiana luculenter ostenderit, Septimiusq́ue Tertullianus, Eusebius Pamphili, & Cassiodorus affirment: grammaticos, rhetores: Oratores, Philosophosque omnes priscos eloquentiæ & doctrinæ suæ fluenta, ex diuinarum scriptuarum fontibus epotasse, ipse tamen alijs id muneris rationibus prosequebatur, quarum partem, in Heptapli celebratissimæ exordijs inq́ue ipso secundæ expositionis procœmio uidere operæprecium est. Inter tot iuges diuinæ legis euolutiones secundo anno ab Heptapli editione, opusculum etiam de Ente & uno decem capitibus distinctum, absoluit, breue quidem corpore, sed amplum uiribus, sed altissimis & Philosophorum dogmatis, & Theologicis sensibus undequaque respersum, quo superius Ente non esse unum sed sibi inuicem respondere, æqualiq́ue esse ambitu ostendit, controuersiamq́ue super ea reā Platonis Aristoteliq́ue sectatoribus habitam, recensuit, asseuerans Academicos illos qui contrarium contenderunt uerum Platonis dogma non assequutos, sensumq́ue prorsus commuem inter Aristotelem & Platonem de Vno & Ente, sicut & de reliquis in uniuersum, & si uerba dissiderent, demonstraturus erat non defuisse: ultimo quoque operis capite, totam disputationem, ad institutionem uitæ & morum emendationem, non minus ingeniosè quàm religiosè conuertit. Aduersum quod opus Antonius Fauentinus, egregius alioquin Philosophus nonnulla quatuor epistolis obiectamenta protulit, quarum tribus ipse respondit, quartæ uerò, uel quia fideliter delata non fuit, uel quia ex prescriptis responderi posse putauit, uel alia quapiam de causa, quæ iusta tamen credenda est, mentionem quod sciuerim non habuit, cui nos, postquàm decessit è uita, ne falsa uel latranti male uolis, uel ministri aliquid credendi rudibus præberetur occasio, respondendi munus obiuimus, Illudq́ue potissimum curauimus, ut ex præcedentibus ipsius sententijs, fuisse magna ex parte responsum monstraremus. Vidimus etiam nonnulla Platonicauernaculo sermone ab eo digesta, quibus multa ad priscorum Theologiam enodandam facientia, multa in ænigmatibus & scirpis abstrusa sapientum sensa referantia, deprehenduntur, quæ forsan, maius ocium nacti, latina reddere tentabimus, ne tāti hominis supereminens doctrina hisce

de rebus maximè peruia, quibuſque uulgi ante ora feratur. Hactenus de perfectis lucubrationibus, quas ante mortem emiſerat, ueluti nuncios & anteambulones præclarorum operum, quæ conceperat, & procudebat. Vetus enim teſtamentum, interpretamenti iam facibus illuminarat, id ipſum muneris, ut Nouo præſtaret accinctus, nec eos tantum, quos literæ ſeries ferre poterat ſenſus, protulerat, ſed in his locis, quæ treis alios diuinorū eloquiorum proprios latura fuerat, ſuperædificabat, Græciſque & Hebræis exemplaribus noſtrorum codicum, diſcordes ſententias conferebat, ſed hoc potiſsimum in eius mente conſitum fuit, hoc de uniuerſis propoſitis, quæ in commentandi genere conceperat, altius inſedit, ut aliorum dogmata non adduceret, utpote quæ iam haberentur, legerentur, noſcerentur, ſed ſua prorſus inuenta, & meditata diſſereret, ut proprijs, non alienis facultatibus, famelicas ueritatis animas, pro uirili ſaturaret, poſt hæc Hebraico idiomate pollens, de ueritate translationis Hieronymi aduerſus Hebræorum calumnias, libellum edidit, necnon, defenſionem pro ſeptuaginta Interpretibus quantum ad Pſalmos attinet aduerſus eoſdem, libellum item de Vera temporum ſupputatione conſcripſit. Poſtremo ad debellandos ſeptem hoſtes Eccleſiæ animum appulerat, qui enim nec Chriſto, nec illius paret Eccleſiæ, & quod eſt ſequens, eius eſt hoſtis, aut impius exiſtens, nullum recipit credendum dogma, ſiue falſis inſeruit idolis, ſubque hiſce ſimulacris dæmones adorat, ſeu Moſaicam perditiſsimorum Iudæorum ritu legem colit, nefandumúe Maomethem ſequitur, deteſtandis illius placitis mancipatus, aut Chriſtianam auditu tantum non operibus & mente ſincera uitam uiuens, Euangelica documenta peruertit, Catholicæque Eccleſiæ non conſentiens, obſtinato corde recalcitrat, uel non caſta fide, ſed uarijs adulterata prophanataque ſuperſtitionibus Euangelica ſuſcipit: aut licet ſolida nitidaque ac conſtanti fide receperit operibus aduerſatur. Hos itaque ſeptem, quaſi duces ſub quibus reliqui uelut gregarij continentur, proprijs eorum armis conflicturus, ad congreſſum citauerat. aduerſus impios philoſophos, qui nullæ religionis iugo colla depreſsi nullique addicti numini, naturales tantum rationes adorant, eiſdem rationibus dimicabat, Veteris teſtamenti ſententijs, proprijſque Iudaicæ ſcholæ auctoramentis. ualidiſsimè contra Hebræos præliabatur. cum Maumethanis Alcorano nixus pedem contulerat. Idolorum cultores, & multis uulneribus, & ui non multa proſtrauerat. ſuperſtitionibus uanis irretitos, eos præſertim qui diuinatricem colunt aſtrologiam, & ueræ philoſophiæ, & peculiaribus rationibus aſtrologorum acriter taxauerat: duodecimque iam libris, & quidem abſolutiſsimis, ex tredecim ad hoc deſtinatis, eorum deliria inſectatus fuerat. demum Hydromantiam, Geomantiam, Pyromantiam, Haruſpicinam, & cætera id genus inania, ſigillatim exploſerat, Sed in prophetantes Aſtrologos, cuneum ex profeſſo dixerat, totiſque uiribus arietem temperauerat, quando eorum dogmatis, futilibus quidem & nullius momenti, ſuperſtitiones cæteræ ſuis erroribus fulcimenta aucupentur, uel inſpectæ Geneſeos momenta trutinantes, uel in eligendis horis, aut hexagonos aut trigonos aſpectus (quos benignos uocant) conciliantes, & eiuſmodi reliqua quibus nec inſanus Oreſtes accederet. Nec contentus aſtrologiam omnem funditus euertiſſe, ut oſtenderet noſtri temporis Aſtrologis græcæ potiſsimum linguæ ignaris, Vaniſsimam omnium profeſsionum Aſtrologiam, peruerſis tranſlationibus uaniorem, (ſi dici poteſt) effectam. Prolomæi fructus, quos centiloquium uulgò nuncupant, inter ſcribendum aduerſus eoſdem, quaſi aliud agens è Græco in latinum ſermonem uertit, & elegantiſsima expoſitione honeſtauit, quo in libro plura, ut ita dixerim, errata, quàm uerba uulgata, illa tranſlatione contineri demonſtrat, quam tamen ſemper in arcanis ueluti precioſum theſaurum cuſtodierunt, eiuſdem cultores ignaui. De Chriſti fide perperam ſentientes, nec matris Eccleſiæ parentes imperio, quos uſitatiori uocabulo nominamus Hereticos, & Nouo inſtrumento, & rationibus egregia obiurgatione inceſsiuerat, nonaginta ferè hæreſes in propatulo habentur. uerùm ille cuncta rimatus, ducentas inuenit, quas ſigillatim non modo eliminare, & profligare propoſuerat, ſed & pariter docere, qua ex parte Philoſophiæ non ritè percepta, ſuos errores traxiſſent, aut furcilaſſent. In chriſtiano poſtremò, quorum fides ſine operibus uiſitur, uehementer inuectus fuerat, necnon diligenter explorauerat, qui fieri poſſet, ut ignem in meditullio terræ conſtitutum homines credant, quo perpetuo datura ſunt pœnas damnatorum corpora cætera que id genus tàm animæ quàm corporis inexcogitata ſupplicia, immenſa quoque Deitatis uiſæ gaudia, quibus animæ corporibus iunctæ beantur, atque dictis Eccleſiæ quæ ad credendum compellunt, obaudientes non ſint, & nihilominus paſsim debacchentur in uicia, diuitijſque incumbant cumulandis, nihilque minus formidetur ab eis, quàm pœnæ, aut affectetur quàm regnum Dei, pro morborum item qualitate idoneam opem admouere tentabat, tetros ſcilicet morbos, & ſuapte natura impuros, acribus acerbiſque medicaminibus inurere: ea uerò uulnera quæminori infecta malicia deprauataque forent cicatricem que obducere deſyderarent, lenibus placabilibuſque fouere, adeptis uerò ualitudinē & recidiua metuentibus, ſaluberrimas potiones, celebrata que antidota præparare. Multa alia opera fuerat exorſus, quibus ſperari poterat futurum, ut Philoſophiæ ſtudia in uniuerſum, eliminatis erroribus, exploſa que barbarie reflorerent. Inter hæc potiſsimum Platonis & Ariſtotelis numerabatur concordia, quam iam cœptam breui perfacturus erat, ſi uita

comes

tomes paucis adhucannis superfuisset,ita enim Philosophiam ab incunabulis lactando nutriuerat, & ad usque nostra tempora perduxerat adultam, ut nostræ tempestatis Philosopho nil amplius aut in Græcis,aut in Latinis, aut in barbaris codicibus desiderandum esset,citasset udum Thaletem,ignitum Heraclitum, circumfusumq; atomis Democritum Orpheus item, & Pythagoras, priscique alij,eius ope & gratia in Academiam conuenissent. Postremo philosophiæ principes Plato scilicet fabularum uelamentis, mathematicisque inuolucris constipatus, & Aristoteles uallatus motibus dextra data fidem futuræ amicitiæ sanxisset.Inter Auerroim quoque & Auicennam, inter Thomam & Scotum, qui iam diu conflictauerant, si non pacem in uniuersum, in multis tamen impetrasset inducias, quando in eorum pluribus controuersijs si quispiam dissidentia uerba rimetur attentius & exactius libret, scrupulosiusque uestigans, cutem deserens, introrsum ad imas latebras profundaq; penetralia mente peruadat, unionem sensuum indisseparatis pugnantibusq; uerbis citra ambiguitatem comperiet. Neotericorum turba, partim promeritis, partim pro culpis,& honorata fuisset & taxata. Totus igitur Deo dicatus, Ecclesiam quibus poterat armis defendebat,atq; latitantem (ut aiunt) è Democriti puteo ueritatem educebat, & ignorantiæ gramen inexpugnabile, quo multorum mentes præfocantur,subnascentesque pernicios as herbas abrumpebat penitus,& detruncabat. Sed mors adueniens, tot tantarumq; uigiliarum laborem,& excultæ lucubrationis partum inanem ferè reddidit,hocque potissimum fuit in causa, ut plurimas quanquam magna ex parte exasseatas,dedolatas, imperfectas commentationes dereliquerit, quod scilicet sibi ipsi tantū, non autem nobis scribebat. Nam sicut celeri in commentando ingenio,ita ueloci in scribendo manu fuit,& cum antea pulcherrimos literarum characteres delinearet, factum erat, ut ex usu nimiæ in commentando uelocitatis,uix eorum quæ exarabat capax existeret.huc etiam et illuc scribere solitus erat,uetusta interdum superueniētibus nouis obliterans, ea propter exoleta quædam & dispuncta repperit, quædam saltim & uellicatim exarata, omnia denique adeo confusa & inordinata, ut syluæ aut farragines putarentur. Ex libro septemplici quem Aduersus hostes ecclesiæ prætitulauerat, pars illa, quæ diuinaculos astrologos genethliacosque potissimum insectatur, ab incude (ut dici solet) ad limam perducta fuit,quam non paruo tamen labore,nec mediocri cura, ab exemplari liturato, & penè discerpto deprompsimus,quo in opere summum philosophum, summū theologum,summū oratorem, acerrimum Christi ecclesiæ propugnatorem, incomparabili præditum ingenio,quod in cunctis ipsius commentationibus cernitur,se demonstrat. Quædam item minutula non tornata adhuc apud me comperi, interpretationem duntaxat Dominicæ orationis,regulasq; bene uiuēdi circiter quinquaginta, breues perfectò nimis & inexplicitas, quas in multa capita,si uixisset,deducturus omnino fuerat.Duas quoq; ad Deū Deprecatorias, quarū unā rithmis Hetruscis,elegiaco metro alterā,qua grauioribus defatigatum quā docq; studijs animum cantando ad lyram mulcere posset,composuerat: primis enim adulescentiæ annis genus omne musicæ artis adeo excoluerat, ut excogitata per ipsum modulamina,notataq; debitis concentibus harmoniæ celebres haberentur. Plurima quoque in eius scrinijs quanquā inordinata peruidimus,ex quibus tamen utile aliquid præsertim psalmorū enarrationē cōpilari posse putauerim.Sed et epistolæ circiter quinquaginta diuersis editæ temporibus,tùm familiares,tùm doctrinales,tùm adhortatoriæ emerserē re unà cū oratione,quam Romæ, si disputare contigisset, habiturus fuerat,quæ non tàm iuuenis quartum & uigesimum annum nondum nati perspicacissimum ingenium,& doctrinam uberrimam redolet (quod & cunctæ ipsius scriptiones faciunt) quàm fertilissimæ ipsius eloquentiæ locupletissimum nobis testimonium præbet. Stilo quidem ualdè prohando usus est, semper non ascito, sed ingenuo, multiformi etiam, pro rerum uarietate, qui & si totum (ut aiunt) Isocratis myrothecion consumpserit, mundiciæ tamen & decore maiestatis ornamenta seruauit. Nam & celebrata illa dicendi genera, quorum tria Gellius, Macrobius quatuor enarrat, ex commentationibus ipsius, nec impendio colliguntur: ibi copiosum,in quo Cicero dominari fertur, breue quod Salustio asscribitur, siccum Frontoni datū, pingue & floridum in quo Plinium & Simachum lasciuisse prodiderunt. At forte copiam hanc Brutus non uocasset elumbem, nec Salustius immoderatam,siccitatem quoque Frontonis humectatam,Salustij breuitatem elongatam, floridam pinguedinem Plinij latiori in campo deportaram, non difficile recto iudicio orator deprehenderet. Adde his Liuij lacteum fontem, fortè sine Patauinitate (ut ille inquit) adiectis flosculis plurimis Apulei. Verum non hic in mutuata à Græcis philosophia se exercuit, non in Atticis noctibus, non in fictis Saturalibus ad laudandam prope Vergilij æneidem fabricatis: non in Romana historia,non in mera historia, naturæ altissimis difficilibusque speculatibus uacua, sed in admiranda illa mundi fabrica,in incessendis sacrosanctæ catholicæ Ecclesiæ hostibus desudauit, in eliminandis astrologis fatigatus est. In theologicis quæstionibus excutiendis in Aristotelis & Platonis concordia laborauit, in enarranda sacra eloquia incubuit, in commonendis & adhortandis amicis nauauit operam. Verum hanc (de qua agimus)eloquentiam tantùm aberat ut affectaret,ut eos potius damnaret, qui pigmentata lenocinia scrupulosius exquirentes,omnes ingenij uires in uestigandis uocabulorum originibus accommodabant. quæ omnia plurimos eò propensius in eius admirationē conuertēre,quod inter eo

rum litteras diu & propenſiſsime uerſatus eſſet, qui latinas literas eloquentię floribus refer tas non ſunt profeſsi. patiantur hæc æquo animo nimij antiquitatis amatores, nam hæc & ſi conciſius cōpendioſiuſque, tamē eò forte uerius, quò me doctiores, & Hermolaus Barba rus & Baptiſta Carmelita, & Marſilius Ficinus, & Matthæus Boſſus, & plerique alij doctiſ ſimi & eloquentiſsimi uiri prodidere, Bibliothecas amplas tàm Latinorum quàm Græcorū incredibili celeritate & perlegit & excerpſit, nullaſque (ſi modo facultas data) commenta tiones illectas prætерijt. De priſcis Eccleſiæ doctoribus tantum cognitionis adeptus fue rat, quantum credere difficile eſt, etiam in eo, qui in ipſis ſolum euoluendis totum uitæ tem pus conſumſiſset. de neotericis uerò Theologis qui eo ſtilo ſunt uſi, quem Pariſienſem uul go nuncupant, tantum iudicij apud eum reſidebat, ut ſi quis ex improuiſo abſtruſam illo rum cuiuſpiam maloque explicitam quæſtionē, enucleandam petijſſet, tanta ingenij fertili tate adaperiebat, tanta ſolertia referabat, ut diceres doctoris illius uniuerſa dicta, præ ocu lis & in numerato habuiſſe, cunctaſque pari modo familias agnouerat, cunctas ſchedas ex cuſſerat, nec uni illorum ſic addictum credas (qui noſtris hominibus mos eſt) ut cæteros aſ pernaretur. Ipſe enim à teneris ſic inſtitutus fuit, ſic animatus, ut in illis ueritatem quæreret, parique honore, quouſque illa eluceſceret inuenta, quoſcunque ueneraretur, priuata affe ctione nudatus. Quid tamen de ſingulis ſentiret, qui in uniuerſum famoſiores habentur, in Apologiæ procœmio, cum de barbaris, græcis, latiniſque philoſophis, proprietates, pecu liareſque laudes retulerit, uidere datur. Thomam uerò Aquinatem quando interloquen dum de his philoſophis Theologiſue, qui gallico more diſceptando ſcripſere, mentio fieret, præ omnibus laudare conſueuerat, utpote ſolidiori præ alijs ueritatis baſi nitentem: eum quoque in Heptaplo noſtræ Theologiæ ſplendorem nominat. de hoc percunctatus creber rimè & à me ipſo, idem reſpondit. nec oppoſitum ſuadere cuiquam debent, nonnulla quæ in eius Apologetico continentur diſputanda, alioquin Thomæ opinionibus exprofeſſo aduerſantia, cum iuuenis admodum eſſet, gloriæque tunc cupidus, in urbe celebratiſsima Gorgiæ Leontini more quaſcunque tutando partis famam aucuparetur, adde quod ex decē millibus propoſitionum, tribus tantum, aut quatuor non conſentire, ſed & aduerſari id non conuincunt. Diſceptandi porrò peritiſsimus fuit, frequentemque & impenſiſsimam operā literarijs agonibus, dum ferueret animus impendit. eo obiectante ſcilicet, Scoti acumen & uigilantiam, Franciſci acrimoniam, copiam & multitudinem Areoli deprehendere po tuiſſes nec deeſſe nodos illos multiplicibus flexionibus complicitos, nec tàm titillanti bus argutijs, quàm grauitate ſubnixos. Eo reſpondente, Thomæ fortitudinem & robur, Alberti amplitudinem conſpexiſſes. Verum his conflictibus nuncium pridem remiſerat, & magis atque magis id muneris indies peroſus fuerat adeoque detractabat, ut Herculi Eſtenſi Ferrarienſium duci, & internuncijs, & ſeipſo enixiſſimè poſtulanti, ut dum Generalis Prædicatorum fratrum ſynodus Ferrariæ celebraretur, diſceptare non ægreferret, diu obſequi reluctatus fuerit, multis tamen rogatibus, annuens principi illi, cuius amor in ipſum non mediocris extiterat, morem geſsit. unde datum eſt ambigi ſolertior ne an elo quentior, doctior an humanior appareret. ex ore quidem diſceptantis, talis ſemper animi patebat alacritas, ut de re comi, & placida potius, quàm ſubacida & difficili altercari ui deretur, quapropter qui ab ore pendebant audientes, in mirum eius amorem excitabantur. ſed frequens ei adagium inerat: Munus id eſſe dialectici, non philoſophi. Aiebat item eas diſputationes prodeſſe, quæ placido animo ad ueſtigandam perquirendamque ueritatem priuatis in locis, ſemotiſque arbitris, exercebantur, at illas obeſſe plurimùm, quæ in propatulo fiebant, ad oſtendendam doctrinam, uel ad captandam uulgi auram, atq; imperitorum applauſum, uixque poſſe fieri omnino cenſebat, ut honoris cupidini, qua frontiua gi illi diſputatores exagitantur, inſeparabili uinculo annexus non ſit, illius cum quo diſpu tatur deſiderium infamiæ confuſioniſque, letale uulnus animæ, uenenumque charitatis mortiferum. Latuit eum nihil omnino, quod pertineret ad captiunculas, cauillaſque ſophi ſtarum & luiſeticas quiſquilias, quæ calculationes uocātur: hæ mathematicæ commentatio nes ſunt, ſubtilioribus, ne dixerim, an moroſioribus excogitationibus naturalibus applica tæ. uerum & ſi in eis eſſet eruditus, ac eiuſmodi ſcriptiones legiſſet, quas fortè ad ple num non nouit Italia (nulla enim tam inuia & inacceſſa literarum reperiri poterant, quæ illius ueſtigio luſtrata, abundè explorata non eſſent) odiſſe tamen & deteſtari uidebatur. ualere meo iudicio, earum communem uſum animaduertens, ad ſociorum parandam in famiam labefactandamque in replicando memoriam, ueritati uerò inueniendæ, cui inde feſſam operam nauandam arbitrabatur, aut nihil, aut parum conducere, ſed ne plura con ſecter, lectoremque detineam, comprehendam breui. Enituit aliquis eloquentia, ſed in ſcitia rerum naturæ ſecretarum dehoneſtatus eſt: alius peregrinas linguas, ſed uniuerſa philoſophorum decreta non calluit: priſcorum alius inuenta perlegit, non noua dog mata concinnauit: ſcientiæ ab altero hominum tantum & humanæ gloriæ cauſa, non Chri ſtianæ Reipubl. emolumento, & diuinæ & humanæ quæſitæ ſunt: Ille uerò cuncta hæc pa ri ſtudio ita complexus fuerat, ut turmatim & coaceruatim in eum confluxiſſe uiderentur, nec ut multi, qui non aliquo uno excellentes, omnium participes ſunt, ſed in om nibus uſque adeò profecerat ſcientijs, ut quamlibet ex his in ipſo conſideraſſes, eam ſibi

propriam

propriam & peculiarem elegisse iudicauisses, hæc quoque eò admirabiliora erant, cum a' se ipso ui ingenij, & ueritatis amore, quasi absque præceptore assequutus esset, ut quasi de ipso, illud quod de se dicebat Epicurus, possimus proferre: Se sibi ipsum scilicet fuisse magistrum. Ad quos mirabiles effectus, tam paruo temporis spacio producendos, quinq; ego causas conuenisse repperi, incredibile ingenium, tenacissimam memoriam, facultates amplas, quibus ad coemendos tùm nostræ, tùm græcæ, tùm barbaræ linguæ libros adiutus est. (septem quippè aureorum nummu'm milia, retulisse mihi memoria repeto, in ascisendis sibi usque ad diem illam, omnisariæ litteraturæ uoluminibus, erogasse) iuge & infatigabile studium, contemptionem postremò terrenarum rerum. Hunc igitur si prisca illa ætas Laconum tempore protulisset, si Aristoteli credimus, diuinum illum uirum appellauisset. Sed uirtutes intellectus, iam (ut arbitror) reliquendæ uidentur, et nunc præclaræ eius animæ partes, quæ actiones spectant, prosequendæ, exactissimi'que mores in publicum educendi sunt, ut flammatus ipsius in Deum animus innotescat, ut erogatæ in egenos diuitiæ collaudentur, ut his, qui tandem diuinæ legi sunt addicti, referendi gratias, in bonorum omnium auctorem quàm cumulatissimè, paretur occasio. Triennio igitur priusquàm diem obiret, ut posthabitis dominandi curis, in alta pace degere posset, securus quo sceptra caderent, cuncta patrimonia, quæ Mirandulæ Concordiæ'que possidebat, hoc est, tertiam partem earum, mihi nescio an dono, an uenditione tradidit: quod factum, postea Maximilianus Augustus, qui nobis est rex & dominus, ut ita dixerim immediatus (neque enim alium tot seculis quot est exædificata Mirandula atque Concordia, nisi qui successiuè in regali imperiali ue Romanorum throno consideret, recognouimus) Cæsarea liberalitate firmauit, quicquid autem ex hoc negocio pecuniarum acceperat, partim pauperibus elargitus est, partim in emendis agris, unde & ipse, & eius familiares alerentur exposuit, nominatim'que Corbulas, in agro Ferrariensi, multis aureorum milibus nummu'm sibi comparauerat, multa itidem uasa argentea, preciosa'que suppellectilis partes in pauperum usus distribuit: mensa mediocri contentus fuit, retinente tamen nonnihil lautitiæ prioris, quantum ad fercula, & ad uasa argentea pertineret. Diebus singulis preces ad Deum suis horis effundebat, pauperibus semper si qui occurrerant pecunias tribuebat, nec eo contentus, Hieronymo Beniuenio ciui Florentino, literato homini, quem pro magna in ipsum charitate, proq; morum integritate dilexit plurimum, demandauerat, ut propris pecunijs, semper subueniret ægenis, nuptum quoque uirgines traderet, ei'que statim ut erogatos nummos, quàm primu'm restituere posset, renunciaret. Id enim muneris ei delegauerat, quò facilius, ueluti fido internuncio, pauperum ciuium calamitates & miserias, quæ ipsum latuissent releuare quiret, dedit & sæpius (quod silentio prætereundum non puto) de corpore proprio elemosynas, scimus plerosque (ut uerbis utar Hieronymi) porrexisse egentibus manum, sed carnis uoluptate, & illecebris superatos, at ipse propriam carnem diebus illis potissimum, qui Christi cruciatus & mortem nostræ salutis gratia representant, in summi illius beneficij memoriam, delictorum'que expiationem cædebat me isq; oculis sæpius (cuncta in Dei gloriam redeant) flagellum uidi. Vultu hilari semper erat & placido, adeoque miti natura, ut nunquàm se fuisse turbatum, multis etiam audientibus testatus sit. recolo mihi interloquendum dixisse, In nullum euentum (ut res pessimè cederent) ira commoueri posse credere: nisi scrinia quædam deperient, quibus elucubrationes eius & uigiliæ reconditæ stipabantur. Sed cum animaduerteret pro Deo Optimo maximo eiusque Ecclesia laborare, eisdem'que omnia opera, studia, actionesque dedicauisse, & id fieri minimè posse, nisi aut eo iubente, aut permittente, confidebat se nõ cõtristatum iri: ó felicem mentem, quę iam nullis posset aduersis deprimi, nullis quoque commodis (ut palam fiet) extolli. non illum certe uniuersæ philosophiæ peritia, non Hebreæ, non Chaldeæ, Arabicæq; linguæ, ultra Latinam & Græcam, cognitio tumidum reddiderant. non etiam amplæ diuitiæ, non generis nobilitas inflauerant, non corporis pulchritudo & elegantia, non magna peccandi licentia in mollem illam, & spatiosam multorum uiam reuocare poterant. quid igitur poterat esse tàm admirabile, quod illius quiret mentem peruertere? quid inquàm, supra illum esse poterat, qui (ut uerbis Senecæ utar) supra fortunam erat cum illam siue secundis flatibus tumidam, siue aduersis reflatibus humilem, aliquando contempserit, ut eius mens Christo & supernæ patriæ ciuibus spiritali glutino copularetur: quod uel hoc argumento liquido percipitur, quod dum Ecclesiæ officia & dignitates, à plerisque nostri temporis (proh dolor) licitatas actionata'q;, non paucos uideret expetere, flagitare, suspirare, enixissimè mercari, ipse à duobus regibus, per internuncios oblatas, testes adsunt grauissimi, testis ego, se sacris initiari nolle respondens, repudiauit. Alter uerò quidam, cum seculi dignitates & amplos reditus, se daturum spopondisset, si regem eius adiret, conspicatus angulum non relinqui in quem se conderet, adempta'que esse cuncta suffugia, tale illi dedit responsum, Vt intelligeret, se non dignitates aut diuitias expetere, sed potiùs, ut Deo & studijs uacare posset, illas neglexisse. Ferrariæ quoque cum ex amicis quidam, Pandulpho Collenutio Pisaurensi, iurisconsulto perspicacis ingenij uiro, & multifariæ lectionis, quo amico familiarissimè utebatur, suasissent, ut eum adduceret quibuscunque rationibus posset, ad Cardinalatus dignitatem petendam

tendam uel certè si eam Potifex offerret (quod multis futurum uidebatur) amplectendam, id'que Pandulphus subhæsitans pertentasset, quippè qui non ignarus esset, omnia illum malle, quàm huiusmodi honoribus commisceri, ipse qua erat animi magnitudine, responderi protinus propheticum illud, per epistolam iussit. Non sunt cogitationes meæ cogitationes uestræ, contemplans forte de bonis Ecclesiæ, quorum pars maxima pauperibus hæreditario iure debetur, magnificos ducere apparatus non oportere. Sanctissimorum item hominum exempla ante oculos posita, Ambrosij scilicet, Augustini, Martini, cæterorumq; qui Episcopatus dignitatem oblatam effugerunt, diu'que id muneris antequam obirent detractauerunt. quid quod et non modo ab Cardinalatu ipso, sed et ab suprema summi pontificij potestate sanctissimum Celestinum se abdicasse legerat, ipsumq; totius christianæ reipublicæ humeris onus excussisse (onus uerè, cum subeuntibus maximum paretur præmium, inuitis scilicet et parendi tantum iuuandique gratia illud amplectentibus) persuasissimum erat uiro philosopho, non esse laudis cumulasse diuitias, non quæsisse honores, sed renuisse: et umbratilem renuendo gloriam, ueram adipisci, quæ semper uirtutes, ceu comes indiuidua et assecla comitatur, humanam gloriam uel pro nihilo habebat, aiebat'que sæpius, famam uiuis non nihil, mortuis minimè profuturam, tantumque'e propriam æstimasse doctrinam agnouimus, quantum utilitati Ecclesiæ, et eliminandis explodendisque aduersis erroribus conduceret. Quinetiam ad eam perfectionis metam peruenisse percepimus, ut scilicet parum curaret, si eius commentationes, non sub proprio nomine publicitus ederentur, dum tamen, id ipsum quod sub Pici nomine facturæ fuerant, afferrent hominibus emolumenti, minimum'que alijs amplius affici libris, præterquam Veteri Nouóque testamento, ætatisque residuum in eis semper uoluendis, consumere statuisse: nisi publica eum stimularet utilitas, cum uideret tot, et tanta quæ conceperat, et parturierat passim ab omnibus non efflagitari modò, sed et immatura exigi: minutulumq; quantulumcunque deuoti, uel seniculi, uel aniculæ affectum in Deum pluris quàm omnem eius humanarum diuinarumque rerum noticiam faciebat. Admonebat sæpissime familiares inter loquendum, ut animaduerterent, quantum laborant nutentque'e mortalia, quàm'que caducum et fluxum quod uiuimus, quàm firmum et stabile quod sumus futuri, siue scilicet detrudamur ad inferos, siue subleuemur ad cœlos, hortabatur'que, ut ad Deum amandum conuerterent & incitarent mentes, quod opus præponderaret cuicunque, quam in hac uita habere possemus cognitioni, hoc etiam in libello ipso de Ente & uno luculentissimè est exequutus: quando ad Angelum Politianum, cui librum nuncupauit, in ipsa disputatione conuersus, hæc uerba effatus fuerit. Sed uide mi Angele, que nos insania teneat, amare Deum dum sumus in corpore, plus possumus quam uel eloqui, uel cognoscere, amando plus nobis proficimus, minus laboramus, illi magis obsequimur, malumus tamen semper per cognitionem nunquam inuenire quod quærimus, quam amando possidere id quod non amando frustra etiam inueniretur. Illud quoque diui Francisci: Tantum scit homo quantum operatur: illius in ore frequens fuerat. Cæterum liberalitas sola, in eo modum excesit, tantumque aberat, ut aliquid curæ terrenis rebus apponeret, ut etiam incuriositatis n æuo macularetur, ab amicis quoque sæpius admonitum comperimus, ut in totum diuitias non contemneret. Asseuerantibus id sibi probro dari, cum uulgatum foret, siue id uerum siue falsum, furti dispensatoribus prebuisse occasionem. Nihilo minus mens illa quæ semper contemplandis perscrutandisque totius naturæ consilijs inhærebat, demittere se facilè non poterat, ad hæc infima abiectaque pensiculanda. Memini dum Ferrariæ cum eo obuersarer, obsonatorem pagella quadam oblata expensarum approbationem expetere, quo uiso mirabundus extiti, percunctatusq; illum Mentem nead id quod retroactis temporibus neglexerat, apposuisset, respondit familiaris: Non modo ab eo efflagitasse, sed exegisse, ut id subiret officij, quibus ut morem gereret factitauerat: tantum uerò curæ, quantum prius habuisse. Quinetiam dum eius dispensator primarius eum interpellasset, ut eius pecuniarum, quas per multos annos contractauerat, dispunctionem fieri iuberet, quò securius menti suæ consuleret: atque eiusmodi libros, coràm attulisset, talia eidem uerba respondisse percepimus. Scio me quàm sæpissimè abs te & potuisse & posse fraudari, quapropter liberatione expensarum harum opus non est: si tibi debeo, quamprimùm nummos exoluam, si mihi debes uel in præsentia, si potes, uel inposterum, si non adest facultas, debita relue. Amicos uerò semper multa indulgentia tractauit, quibus cum hortatorijs ad bene uiuendum locutionibus uti solebat. Hominem uoui qui dum eius doctrina fretus & fama, secum loqueretur, & haberetur sermo de moribus, duobus tantum ipsius uerbis commotum, ut uita uitiorum deserta, mores reformauerit. Verba fuerunt eiusmodi. Si Christi mortem, nostri amore perpessam, præ oculis haberemus, propriam quoque, itentidem cogitando caueremus à uitijs modestiam et comitatem in eos admirabilem exhibuit, quos non à uiribus, aut fortuna probatos, sibi deuinciendos duxerat, sed à moribus et doctrina: eos tamen qui quantulumcunque pollerent literis, uel saltem bonarum artium studijs, nauos aptosque inspiceret, diligere consueuerat. Similitudo nanque amoris est causa. et erga sapientem uirum, ut teste Philostrato, Apollonius inquit, affinitas quædam est: scientiam quoque perficere hominem, qua homo est:

perfecta

perfecta uerò bonitatem consequi super alios que probos esse diligendos non ambigitur. Cæterùm nihil ei intolerabilius, quàm (ut uerbis Horatij utar) superba ciuium potentiorum limina, militiam quoque sæculi, & coniugale uinculum, perosus fuerat: interrogatusque interiocandum, Quid ei ad alterum subeundum onus, ferendum'que & necessitate cogente & optione data, leuius uideretur: hæsitabundus aliquantulum, nutabundul'que nec non pauxillum subridens: Coniugium, respondit, cui non tantum esset & seruitutis annexum, & periculi quantum militiæ: libertatem enim supra modum dilexerat, quam & natura sic affecta, & philosophiæ studia suggesserant, uagumque ob id plurimum extitisse illum autumo, nec propriam sibi unquàm sedem delegisse: licet Florentiæ sæpius, & Ferrariæ quã doque commoraretur, quarum alteram ciuitatem sibi quasi domicilium præstituisse putauerim, quòd scilicet in ea, post Bononiam primum literarum studia coluerat, illiusque princeps eum mirificè diligeret, quadamque ueluti affinitate coniunctus, utpote ex cuius ego sorore scilicet Blancha Maria Estensi natus sim, nec etiam longè nimis esset à patria, quando triginta tantum passuum milibus ab Mirandula orientem solem uersus Ferraria distet alteram siue aëris amœnitate, siue plurium amicorum suauitate, siue ingeniorum subtilitate dilexit plurimum, & incoluit, quos inter literario amore, duos sibi potissimum deuinxit, Angelum scilicet Politianum uirum Græcè latinè'que doctissimum, nec'non uariarum literarum florum refertum, ac prope uindicem Romanæ linguæ: alterum, Marsilium Ficinum Florentinum, hominem omnifaria literatura redolentem, sed maximum ex his qui nunc uiuunt, Platonicum: cuius opera in Academicis sibi uendicandis, usus fuerat. Exterioris latriæ cultus, non multum diligens fuerat, non de eo loquimur, quem obseruandum præcipit Ecclesia (gestasse hunc quippè præ oculis eum uidimus) sed de his cerimonijs mentionem facimus, quas nonnulli posthabito uerò cultu Dei, qui in spiritu & ueritate colendus est, prosequuntur, & prouehunt. at internis affectibus feruentissimo Deum amore prosequebatur, interdum etiam alacritas illa animi prope modum elanguescebat & decidebat, maiori quandoque nixu uires assumens, adeo'que in deum exarsisse illum memini, ut cum Ferrariæ in pomario quodam, de Christi amore colloquentes, longis spatiaremur ambulacris, in eiusmodi uerba proruperit. Tibi hæc dixerim, in arcanis recondito. Opes quæ mihi reliquæ sunt, absolutis, consummatisque elucubrationibus quibusdam, ægenis elargiar, & crucifixo munitus, exertis nudatisque pedibus, orbem peragrans, per castella, per urbes, Christum prædicabo: accepi postea illum mutauisse propositum, & Predicatorum ordini se addicere statuisse, interim eorum quæ cõceperat operum quæque inchoauerat maturabat editionem. Sed. M. cccclxxxxiij. anno redemptionis nostræ, dum ipse secundum & trigesimum ætatis annum impleret, Florentiæque moraretur, insidiosissima correptus est febre, quæ adeò in humores & uiscera grassata est, ut nullum non medicamentorum genus adhibitum contempserit, eum'que omnino naturę satisfacere, intra tertium decimum diem coëgerit. Sed quemadmodum in infirmitate se gesserit, licet eo tempore, ab eo procul essem, narrare tamen non desinã, quæ ab grauissimis testibus, qui aderant accepérim. Quale illud, cum post sumptum Eucharistię sacramentum, sigillum ei Crucifixi Christi offerretur, ut inde plenos amoris haustus, ob ineffabilis illius passionis nostræ salutis gratia memoriam, priusquàm exhalaret animam, sumere posset, fortissimum duntaxat, aduersus quæcunque aduersa munimen, ualidissimum'que contra iniquos dæmones propugnaculum. interroganti'que mox seniori. An sit miter crederet, ueram esse illam dei ueri, ueri'que hominis imaginem: qui qua deus est ante tempus, & æuum ab ipso patre Deo, cui æqualis in omnibus genitus esset, deque spiritu sancto, qui & deus est, ab ipso'que & patre, quæ tria unum sunt coæternæ manente in utero Marię semper uirginis conceptus esset in tempore: qui famem, qui sitim, qui labores. qui æstus, uigilias propessus esset, qui demum pro contractis ab Adę semine sordibus nostris abluendis, pro'que reseranda ianua cœli, maxima qua genus humanum charitate complectebatur, precio sissimum sanguinem, & sponte & libentissimè in ara crucis effudisset: cæteraqꝫ id genus recenseri quandoque solita: Non modo se credere, sed & certum esse, responderit Et item illud, cum Alberto Pio sororis filio, quem nominauimus inter huius uitæ initia, iuueni, & ingenio, & bonarum artium studijs & moribus conspicuo, eadem ratione, qua Alexander ex Aphrodisiade, & Themistius in auscultatoriorum librorum proœmio, fortitudinem è physicis contemplationibus sumi, contra mortis metum declarauit, quam mox sententiam usurpauit Auerrois, conanti inquàm Alberto mortis confinia reddere placabiliora, in hunc modum uerba reddiderit. Non illa duntaxat ratione pacari animum, non finẽ mortis cruciatibus poni, sed hac potissimum, quod Dei sui offensis, terminus iam poneretur quando breuiusculum uitæ eius tempus, crebriores in Deum offensas, non contenturũ arbitraretur. Et illud preterea, quando pluribus ex Predicatorũ collegio probatissimis testibus, & Alberto ipso, paulò ante citato, reuelauerit. Cœli reginam, ad se nocte aduentasse miro fragrantem odore, membraqꝫ omnia febre illa cõtusa, contractaqꝫ refouisse, seqꝫ morti omnino non concessurum promisisse, hilari placidoqꝫ ore, in strato, dum ægrotaret iacuisse, compertum est, atque inter mortis aculeos, quos sustinebat, quasi cœlos sibi patefactos cerneret loqui solitum, salutantesqꝫ omnes, & operam suam, ut moris est, pollicentes blandissimo

dissimo ab eo sermone & receptos & exosculatos. Ab seruis item omnibus, si cui molestus fortè fuisset, ignosci sibi postulasse, certiores facti sumus, quibus anteacto anno testamento cauerat, uictum alijs & tegumentum dum uiuerent, alijs pecunias pro meritis erogari. Hæredes Florentini xenodochei pauperes instituit, eorum dumtaxat, quæ moueri non poterant: mobilium uerò Antonium Mariam fratrem. Quanta uerò molestia eius obitus infimos, & summos omnium gradus affecerit, testes sunt Italiæ principes, urbes & populi, testes hi reges, quos supra citauimus, testis iterum Caroli Galliarum regis benignitas & gratia, silentio non prætereunda. Cui cum Florentiam aduentanti, ut inde Romam peteret, Neapolitanum regnum expugnaturus, grauí eum laborare ægritudine nunciatum fuisset, duos statim medicos ad eum, legatorum etiamnũ fungentes officio, uisitatum & opitulatum ipse transmiserit, literasque quas & uidimus & legimus, propria subscriptas manu dedit plenas & humanitatis & earum pollicitationum, quas & magnanimi regis beniuolentissimus animus, & præclarę uirtutes ægrotantis exigebant. Ei quippè tum fama notissimus erat, tum quadam familiaritate coniunctus, nam ab eo in Gallijs, dum Parisios inuiseret, honorificè exceptus fuerat, enimuero qui eum dum uixit toti orbi, & multis seculis admirandum præstitit, ita eius obitum non minus celebrem, & inauditum celebrari decreuit, quo circa ea in presentiarum referenda puto, quæ meis auribus hausi, dum Florentiæ, quò illius infirmitate percepta, licet non tempestiuè me contuleram, in æde sacra, quæ sanctæ Reperatæ dicitur, Hieronymum Sauonarolam Ferrariensem ex Prædicatorum ordine, uirum & theologiæ consultissimum, & præclarissimum, famatissimumque sanctimonia, sacras habentem ad Florentinum populum conciones, audirem. Sed prius sacrarum literarum ignaros, Apulei uerbis, admonere consilium est. ne crassis auribus, & obstinato corde, ea putent mendacia, quæ auditu noua, uel usu rudia, uel certè supra captum cogitationis ardua uideantur: quæ si paulò altius explorauerint non modo compertu euidentia, uerumetiam factu facillima sentirent. Is igitur è pulpito declamitans, quæ sum dicturus, cunctis qui aderant insinuauit. Arcanum tibi ô Florentia pandendum est, quod equidem ita uerum est, quàm prouerbium illud apud te frequens, Ioannis euangelium: subticuissem profectò, sed ad dicendum compellor, & qui mihi præcipere potest, ut hæc palam facerem, imperauit, Neminem porrò uestrum puto fuisse, qui Ioannem Picum Mirandulam non nouerit, magnis ille à Deo beneficijs, magnisque gratijs cumulatus, multifaria'que præditus disciplina fuerat, nulli forte mortalium tam celebre obtigit ingenium, magnam in eo iacturam fecit Ecclesia. Arbitrarer, si diutius ei uitæ spacium prorogatum fuisset, cunctos qui octingentis ab hinc annis decessere, ob scriptionum monumenta, quæ reliquisset excelluisse. Hic mecum obuersari solitus erat, secreta palàm facere, ex quibus noueram internis eum locutionibus à Deo ad religionem citari, unde afflatibus hisce obsequi cupiens, non semel obtemperare proposuerat, uerùm diuinis beneficijs malè gratus, uel ab sensibus uocatus, detractabat labores (delicatæ quippe temperaturæ fuerat) uel arbitratus, eius opera religionem indigere, differebat ad tempus, hoc tamen non ut uerum, sed utà me coniectatum, & præsumptum dixerim, ob id, duobus ei annis flagellum interminatus sum, si opus, quod ei Deus patrandum proposuerat, negligenter exequeretur. Rogabam fateor Deum identidem, ut cæsus aliquantulum, uiam quæ ex alto eidem offensa fuerat, tandem capesseret, non hoc quæsiui, quo perculsus est, non hoc putaueram, at id Deo decretum fuit, ut uiam hanc relinqueret, præclare que coronæ in cœlis præparatæ partem amitteret, famamque & nominis celebritatem, quæ ad summum cumulum, si uixisset, fuerat habiturus, ad plenum non assequeretur. Verùm benignissimus iudex, clementissimè erga ipsum se habuit, atque ob eleemosynas, larga & effusissima manu pauperibus elargitas, & orationes quæ ad Deum instantissimè effusæ sunt, effectum est, ut nec eius anima, in sinu patris adhuc super cœlos exultet, nec ad inferos deputata, perpetuis tormentis crucietur, sed purgatorio igni ad tempus mancipata temporarias pœnas luat: quod in hac parte libentissimè dixerim: ut qui eum nouerunt, & hi potissimum, qui eius beneficijs cumulati fuere, suffragijs adiuuent. Hæc & plura alia uir Dei clara uoce asseuerauit. Se, addens, non latuisse, ob mendacia eiusmodi, si qua miscerentur, uerbi Dei præcones dignos effici, de quibus æternum sumeretur supplicium, necnon adijciens diebus aliquot, hæc sibi in uniuersum fuisse comperta, sed propter uerba, quæ Virginem dixisse, sic ægrotus affirmauerat, nutabundus stetisse formidasseque diu, ne ille dæmonum opera sui esset illusus, quãdo ob eius mortem Virginis pollicitatio frustraretur: ueruntamen innotuisse sibi defunctũ, æquiuocatione mortis deceptũ, cũ illa de secũda & æterna locuta fuisset, hic de prima & tẽporaria credidisset. Quod si quis dixerit hominẽ hunc uel hypocrisi fuisse mentitum, uel fantasmatis ludificatum, uel dæmonum præstigijs circumuentum, is nisi aut malè de fide sentiens, aut mentis emotæ sit, fateatur necesse est, Deum multifariè felicitatẽ eorum miseriamque, qui animã effudissent, uidẽtibus & reuelasse iam, & reuelare posse. eodemq; temporis spacio, eos quibus hæc palàm fiunt certiores reddere, seà non uisis, aut spectris illudi, sed uera esse, quæ aut mente, aut oculis cernant & uideant. tantæ uerò & doctrinæ & auctoritatis uirum, tantæ probitatis & prudentiæ, quorũ in Aristotelis philosophiam, compendiaria theoremata, monitiones publicæ

publicæ,præclarissima interpretamenta,in sacra eloquia futurorum contingentium,prædictiones,quæ euenisse ad lineam,omnis fere nouit Italia, sanctissimaq; uitæ conuersatio,testatissimam pridem fecere fidem,in principe templo,tam celebratæ urbis,hæc ut uera,ut in concussa tenenda,tot millibus hominum ueritate non comperta pronunciasse, nemo nisi maleuolus inficiabitur.adde,quòd dum non nihil super id negocij scisciterer, uirum qui sermoni interfuerat,adijsse concionatorem audiui, ac eidem,ut ea plus haberent roboris,quæ uulgauerat rettulisse, defunctũ uallatum igne sibi apparuisse, & professum ingratitudinis adhuc pœnas dare. Quinetiam monacha quædam, multis præclara uaticinijs, quæq; ipsi dum uiueret multa futura prædixit,quæ adamussim euenere,inter reliqua,hoc unum protulit,biennio antequàm è uita migrasset:eum liliorũ tempore,opera & hortatu fratris Hieronymi (de quo mentionem fecimus) prædicatorum fratrum collegio se dicaturum. eodemq; tempore,Florentinam quandam familiam(quam Pactiam nuncupant) tunc exulantem,ad patriam redituram. Complures ad quos hæc fama peruenerat, super hac liliorum nomenclatura, demirabantur,loqui eam arbitrantes de uerno tempore,quo lilia floresc̃t, sed lilium hoc,Galliarum regem extitisse compertũ est,talibus utentem insignibus qui prædie quàm ille religionẽ uoueret:ita enim uouerat, antequàm moreretur, & quatriduo post quàm extorris illa familia se contulit in urbem patriã, magno comitatu, Florentiã ingressus est,iter per Hetruriam faciens,neapolitanũ regnum, ui & armis in ditionem uindicaturus. Verum antequàm finem faciam,præfari iterum paucula in calce operis,non inutile puto. uideor enim mihi uidere,ad reuelationes has,ueluti ad lunæ umbram baubantes molossos,quibus adhuc offula(prioribus fortasse non contentis)obijcienda est, ne frustra latratibus aëra uerberent:uideo item dementibus excuti rium, Video his,qui sciolos se arbitrentur, summoueri ludum, qui forte ob non posthabitum religionis ingrediendæ salubrem afflatum, igne torqueri animas non debere contendent, nec diuino afflatos spiritu tempestate nostra reperiri homines, qui Christi colloquijs perfruantur? At si peccata non morte, sed uenia digna purgatorio igni esse plectenda arbitrarentur, iustos etiam pœnas dare non mirarentur. Item si seruum qui uoluntatẽ domini sciens,non adimpleuit,teste ueritate,multis uapulaturum non ignorauerit, hunc qui Dei uoluntatem nouerat & implere distulit,& si à noxis quibusq; alijs fuisset immunis,supplicia luere non extalim pateretur. Alia ex parte rudem & insulsam eorũ astutiam mirari satis non possum,qui cum Christum pro hominibus mortuum credant, eosdem homines alloqui eundem facile posse non credant, uehementioriq; argumento Virginis matris,angelorumq; beatorúmue hominum spirituum affatibus participes,eosdem mortales homines non posse fieri. animaduertendum eis profectò foret,inferiora omnia,per superiora gubernari,Dionysio etiã areopagita teste in libro de Hierarchia cæleſti, separatisq; mentibus, inferioris gradus & naturæ, quibus hominum cura demandata est,per superiores mentes,quæ iterum uelà supremis,uel ab ipso deo diuina mysteria hauriunt, illuminari hominesq; diuino afflatos spiritu easdem reuelationes accipere, hominum multitudini cum expedit patefaciendas, sacrosancta hæc diuinitatis lex: quod ab eodem Dionysio libro cœlestis Hierarchiæ edocemur, ut per prima sequentia, ad augustissimam lucem subuehantur,ignari proculdubiò sunt diuinarum litterarum, insolentis quoq; & peruicacis ingenij,nam in illis conspici datur,diuina futura mysteria,non tantũ per bonos,sed per scelestos homines,& pseudoprophetas quandoq; patefacta. quid prohibet huic fidem habere,qui & doctrina,& tot uirtutibus pollet,multaq; iam futura,quæ nũc euenere prædixit. & hoc non somniculosè testatus sed asseueranter affirmans. Adde quòd Aristotelis philosophia,his non reclamet,& Platonica suffragentur,licet pro graui testimonio nisi scripturæ diuinæ auctoritatem nõ acceperim,sed extraria hæc, quandoq; citare non absurdum est,ut maleuolorum tela in auctores maiore ui,quàm uenerint, reuertantur. Verùm ad nosmetipsos iam redeundum est,quibus non tam mœrendum est,quòd talem amisimus,quàm quod habuimus,& habemus,gratias agendum regi,cui uiuunt omnia. quippe qui mortalis uitæ munere perfunctus,diuq; cum habitantibus Cedar,quos luce non pauca perfuderat,conuersatus,inaccessibile & infinitũ supernæ patriæ lumen iam iam ingrediens,ineffabili diuinitate,nobis etiam in dies laturus opem,sine fine fruetur.

Pauli Iouii de Ioanne Pico Mirandula Elogium.

IOannes Picus Mirandula merito cognomine phœnix appellatus est, quòd in eũ, Diĳ superi, supra familiæ claritatem, omnis corporis, ac animi uel rarissima dona cõtulerint: Mira enim altitudine subtilis ingenĳ, decora facie, lectissimisq; moribus, & incomparabili, quũ disputaret, aut scriberet, facũdia omnes eius seculi sapientes in admirationem sui facilè conuertit: Grauissimo autem opere, nec dum absoluto, tanta eruditione atque uehementia Astrologos, totius diuinationis uanitate confutata, persecutus est, ut subtilium disciplinarum professores a scribendo deterruisse uideatur. In Heptaplo autem dum sacrarum literarum mysteria, diuino ore nobis recludit, & in Apologetico grauissimis disciplinarum omnium rationibus proposita ad disputandum, ingenĳ sui decreta defendit, se ipsum doctrina atque memorię felicitate supergressus esse uidetur. Excesit è uita dignus Cœlo, trium & triginta annorum Iuuenis, eo die tàm celebri, quàm postea Italiæ maximè funesto, quo Carolus Galliæ Rex octauus Florentiam est ingressus, scilicet, ut tãti funeris luctus, quum sub signis ornatus in pompam externæ gentis exercitus urbem intraret, uel eo inusitato spectaculo, & in tanta receptæ libertatis lætitia, minimè uinceretur.

Rerum in opera Ioannis Pici Mirandulæ Index copioſiſsimus.

A

ABdales Sarracenus 313
abenragel q̃modo lapſus ſit 605
aboſar aſtrologus 423
aboaſar nugaciſsimus 616
aboaſar ſcriptor hiſtoriæ 729
aboaſaris error de locorũ proprietatibus refutatur 690
abraham Auenazra 602
abraã Auenazræ libri de aſtrologicis ratiõib. 564
abraham Iudæus 550
abraham Hiſpanus aſtrologus 17
abraham quæ uiderit 51
abrahami Iudæi deliramẽta tũ in Moſis coniunctione & Chriſti uaticinio 571
abrahami Iudęi de influẽtia opinio 20
abrahamo legis initiũ ſumendum 53
abrahamũ religionis primum fundatorem fuiſſe 50
abubacher 46
abubacher Arabs 31
abunaſar Alpharabius 31
abyſsi nomine quid intelligatur 24
abyſſus quid 35
abyſſus quid dicatur 18
abyſſus quid 12
abyſſus idem quod angelicus intellectus 25
abyſſus quomodo cõiunctionem cum tenebris efficiat 42
accidentia in Sacramento 229
actiões angelicas tres eſſe ſecundũ Dionyſiũ 27
adam ad diluuium quot ſint anni 52
adã lumine naturali motus dixit, Hoc nunc os ex oſsibus meis 747
adam alter de terra terrenus, & alter de cœlo cœleſtis 750
de adã q̃modo intelligendum ſit, quòd dicitur etiam dæmones genuiſſe 752
adam ad Chriſtum quot anni ſint iuxta Alliacẽſis 565
adamo ad Abrahã quot fuerint anni 54
ægyptij quales 714
ægyptij unde crediderint de cœleſtibus cauſis omnia prouenire 721
ægyptij quomodo ſigna in cœlo deprehenderint 21
aëris regiones tres 14
æſtus maris quæ ſit cauſa 488
ætatũ Domini qui, ſecundum Ptolemæum 635
æthiopes unde nomẽ ſint ſortiti 2
affectus qui pertineant ad corpus 33
affectus corporis quare nobis dati ſint à Deo 33. quatenus ipſis utendũ ibid.
agros iuxta Moyſen non fuiſſe omnino demetendos 3
albertus ib.
albumaſar philoſophus 423
albertus 12
albumaſaris error 500
albumaſaris error de aduentu Mahumetis 577
albumaſaris inuentum erroneũ de Saturnijs reuolutionibus 555
alexander Aphrodiſienſis 45
alexandri repentina felicitas 519
alexandrum Aphrodienſem planè reiecíſſe fati neceſsitatem & aſtrologiam 416
allegorici ſenſus diſciplina unde 7
alliacenſis de maximis cõiunctionibus 563
alliacenſem multis modis erraſſe 566
alpharabius 46
alphonſus & albumaſar quot annos à diluuio ad Chriſtum numerent 565
per Alphonſum aſtrologiã ad nos deueniſſe 729
ambroſius 3
amoris ſpiritum ſemper Deo adducere 25
anaxagoræ opinio de mũdis 6
angelicum mundum cœleſti ſanctiorem eſſe 6
angelicã poteſtatem omnibus rebus uiſibilibus præeſſe 26
angelica multitudo quomodo ab elementis dari dicatur 28
angelorũ reuelatione per lignum ſalutis reſtauratio, & ſaluatoris conditio 750
angeli q̃ uarie nobis appareant 850
angeli quomodo rerũ forſitarum cauſa 523
angelorũ hierarchias nouem eſſe 82
angelorum uarium apud homines miniſteriũ 527
angelorum ordines quomodo diſtinguantur 25
angelorũ cura quid apud nos efficiat 26
angelorũ imperfectio duplex 24

Index

angelorum naturã à Deo creatã & illustratã esse 23. 24. 25
angelorũ munus quale 26
angelorum exercitus ad unius hominis salutem congregatos esse 26
angelos esse homini seruire 39
angelos homines dici in scriptura 21
angelos ex actu & potentia constare 35
angelum esse numerũ 24
angelus qui peccauit ex quo ordine credat esse 26
angelus politianus 5
anima quid 74
animæ ascensus in Deum per tres regiones, & tot status abstractionis. 740
anima sensualis quotuplex 7
animæ motus in imaginẽ duplex 155
animæ substantia à quo principio formata & qd conferat 38
animæ patrum quomodo dicãtur ad lymbum descendisse 140
animal animali q̃modo cõueniat 43
animalia in quib. plantis feliciora sint 46
animalia calidioris naturę ubi & quare nascantur 483
animalium terrestriũ tria genera esse 38
animã præter seipsam nihil intelligere 235
animantium distinctio 15
animi & cœli collatio 29
animi nostri substãtia terra inuisibilis 27
animi uirtutẽ spiritu trãsfundi ad corpus 30
animorum cœlestiũ prærogatiua quanta 21
animus noster qualis substantia 29
animus rationalis, homo 21
animum rationalem cœlũ dici 29
anni inæqualitas 671
anni totius fata ex uno initio non posse pendere 629
anshelmus 148
antonius Cronicus 124
antonius Cronicus 124
antichristi uaticinio multos mendaces fuisse & futuros esse 577
antisciorum origo 604
antonij Citadini epistola ad Picum. 262. alia. 271. alia 285
antonij Fauẽtini obiectiones aduersus libellum de ente & uno 256
apollinarius 4. 37
apostoli piscatores dicti 58
aqua quare sensualem hominis partẽ significet 33
aqua cur uino misceat 51
aquarum appellatio q̃modo intellectuali & sensuali parti hominis congruat 31
per aquas designari gẽtes in scripturis 51
aquarum repagula quantum prosint 36
aquas sub cœlo uariè distinctas esse 26
aquas ante solis exortum steriles fuisse 56
aquæ super cœlum quę 7
aquæ sub cœlo quare collectæ 19
aquæ in media aëris regione quare coalescãt 14
aquæ dispositio quid nos doceat 44
aquæ cur duo animantiũ genera produxerint, terram unum tantum 56
aquæ superiores quare nõ coalescant 14
aquę quare in unum locũ congregare dicantur 26
aquę cor ante solem nihil produxerint, terra aliquid 56
aquis, quæ sub cœlo in unum locum colligi debent, quid significet 26
aquis formas intelligi 36
aquis quæ sub cœlo sunt quæ pars hominis intelligatur 31
aquilo magnus quid 81
arabes semper fabulosissimos esse 658
archangelorum officia 25
aries domus Martis 20
aries quare tonitrua dicatur facere 649
aristoteles ἀναγνώστης dictus à Platone 324
aristotelẽ minus expresse q̃ Moses, de rerũ natura scripsisse 8
arnaldus Hispanus 551
arrij error unde 148
artem astrologicam fallacem esse propter ipsos astrologos 439
artium omniũ cognitionem in libris Mosis occultatam includi 59
aruspicũ nomine qui designentur 427
aspectib. opiniones astrologorũ refutantur 591. 592. & seq.
aspectuum rationes unde ueteres attulerint 594. & seq.
astrologia quot possit rationibus probari 452
astrologia à quibus sit reiecta. 414. qui philosophi eam riserint ibidẽ. 415. 416. & seq.
astrologia q̃ noxia sit religioni Christianæ 436
astrologia diuinatrix incerta unde reddatur 645
astrologiæ quare reuelatę non esse adhibendam fidem 717
astrologia ex coniecturis certa quomodo creuerit. 727.

rit 127. quomodo eadē ad alios ab Aegytijs deuenerit. 729. & à Græcis ad Arabes descenderit ibid.
astrologia ex qb. & apud quos sit nata 719
astrologiam legibus Cæsarū prohibitā esse 428
astrologiam non esse utilem in decernēdo quid sit agendum aut fugiendum 433
astrologiam experimentis nō esse comprobatam 708. 710. & seq.
astrologiā à patrib. quoq; damnatam esse 426
astrologiam religioni inutilem esse 434
astrologiam incertam esse etiam principum iudicio 429
astrologiā à prudentibus uiris successu temporis explosam fuisse 730
astrologi unde Chaldęi dicti sint 423
astrologi in quibus signis pariter decepti sint 605
astrologi quare minus uera q̄ nautæ, medici, & agricolæ, prædicāt 502
astrologi quibus uijs de magnis mutationib. indicent 552. 551. & sequ.
astrologi quare non possunt prædicere regionū fatum 627
astrologi cur uera aliquādo prædicant 448
astrologorum leues probationes de sex religionibus 578
astrologorū sententiā de electionibus uanam esse 534
astrologorū rationes inanes esse 681
astrologorum fundamenta quo ordine reuellenda sint 580
astrologorum error in diluuij coniunctione 568
astrologorum error de hora genituræ 541
astrologorum fabulamētum de operib. solis 480
astrologorum prædictiones raro euenire quomodo probetur 446
astrologorum decreta uti liter confutari 550
astrologorum duplicē temeritatem ab Esaia damnari 424
astrologorum dogmata quomodo non possint defendi 466
astrologorum prædictiones non pendere ex primis qualitatibns 544
astrologorū error duplex 425
astrologorum dissidentes opiniones circa magnas coniunctiones 556
astrologorum de gradib. dissensiones 615
astrologorum iudiciū de aspectibus quid decepe rit 597
astrologorum nostræ ætatis ignorantia 441. eorūdem indiligētia quanta sit 445
astrologos mētem nostrā cœlo subijcere 535
astrologos præcipuos medijs coniūctionib. usos esse 561
astrologos multa necessaria omittere, & quantū errarint de stellis fixis 637
Atrati fratres qui dicūtur, & quibus coloribus uestiuntur 757
Auditus organum subiectum 63
auenazre laudes in astrologia 446
auerrois 11
auerrois 46
auerrois ubi astrologiam damnet 417
auerrois de influentia opinio 20
auerrois Arabs 35
aues quare aquis assēribātur 56
augustinus 3
augustinus ubi discordet à cæteris doctorib. 144
augustini de sidereo flatu sententia 478
auicenna 46
auicennæ sententia de influentia 20
auis aut aēreum aut terrestre animal 56
auspicationes quomodo sint inutiles 431

B

Babylonij quid senserint de influentia siderum 20
basilius 373
basilidis error 149
Beda 317
bedæ & Augustini dissensio 145
bella & externa mala à qualitatibus primis nō pendere 508
bernardus de Gānaco 128
berengarij opinio de sacramento 183
bestiæ, quæ 138
bestiarum duces, homines 29
Biblia, hoc est, Essrim Varba, & Thora, id est, lex Dei, Et uirtus sanctæ scripturæ 771
Bonum summum 64
bonum duplici modo posse assequi res creatas 46
bonum & unum unde nomen sortita sint 45
bouum, unum, uerum, ens quomodo insint omnib. 252
boream uersus habitantes homines quales sint 483
בסה 12
Bragmanes Indorum sine oratiōe nihil incepisse 43
brutorū uaria genera nos

domi habere 32
Byzantium Constantinopolis noua Roma, ciuitas una 735

C

CAbala quid 167
cabala unde dicta, & quid 123
cabalisticę artis tertia pars 880
artis Cabalisticæ in suas partes diuisio, & distinctorum explanatio 862
ad artem Cabalisticam introitus post illa quæ dicuntur atechna 864
cabalista ille stultus est, q miracula figuris solis, aut uocib attribuit 891
cabalista per Cabalā tenebras erupit, & uerum luminare apprehēdit 774
cabalista contrahit amicitiam cum angelis, & res mirandas facit 775
cabala quid esse intelligatur 835
cabalistica facultas & thalmudica cōmunicant uicissim doctrinas & studia 762
cabalistæ incumbunt contemplationi, uiri speculationum ex Magistris legis 763
cabalistę sunt altiore loco & digniore gradu quā Thalmudistæ 762
cabalistarum & Thalmudistarum expositio unius scripturæ diuersa 763
cabala nos humi degere nō sinit, & deraptu Cabalistarum 772
cabalæ nomen, quomodo interpretandum 745
cabalæ diffinitio. Qui Cabalici, Cabalæi, & Cabalistæ 746
in Cabalæ nomine imperiti errauerunt 746
cabala in tertia regione cognitionū fundatur, unde nec sensu nec syllogismo acquiritur 747
cabala prima, fuit post ruinam uniuersalis salutis diuina reuelatio 747
cabala prima hoc fuit, lā ne mittat manum, & sumat de ligno uitæ 749
cabala, quomodo de uno ad alium peruenerit, & ibi nomina Cabalistarum 758
cabalistæ quādoque inter Thalmudistas numerā tur & econuerso 758
cabalæ nomen & Cabalistarū quis prior ad Latinos transtulit 758
cabalistica sunt ut poma aurea in lectricis argenteis 761
cabala differt ab arte Cabalistica 761
cabala præcedit artem Cabalisticam 761
cabalistæ & Thalmudistæ conueniūt in hoc quòd duo sunt mundi 762
cabalistarum & Thalmudistarum duæ sunt facultates, ex uno fonte manantes 762
cabalista tendit superius. Thalmudista manet inferius 762
Cameracensis cardinalis quid neget 296
cancer dignitas Iouis 20
caput & cauda Draconis quales sint & quorū circulorū interfectiōes 602
carminum aureorum quis sit author 2
causa quæ affinitatis species & quomodo 43
causam primariam magis influere quàm secundariam 43
causæ efficiētis ui quomodo materia tractetur 11
causas naturales sine diuinis nihil agere 13
Causæ rerū quatuor 742
causas naturales agentes secundum Platonicos instrumenta esse diuinæ artis 11
causis naturalib. duas alias adiici à Platonicis 11
cerebrū fons cognitiōis 61
Charitas qualis habitus 66
charitatis ordo iuxta creaturam 41
chaldæi quales 719
chaldaicè qui scripserint in Genesin 4
cherubim 316
chihastæ hæretici 213
choros angelicos Deos uocari 18
christus finis legis nostrū sabbatum 10
christus quomodo ad inferos descenderit 134.135
christus unde incipiat in nobis formari 28
christus quādo aduenerit, & quid intra millenariū illud quartum factū fuerit 52
christi anima quomodo ad inferos descēderit 141
christi miraculis pisputatio 232
christi filij quomodo regeneremur 34
christi humanitas quomòdo adoretur 156
christo cum quare omnia consonare debeant 57
christum nō scripsisse sed prædicasse euāgelium 2
christū uictū triūphasse 55
christum pastorem nō piscatorem esse 58
christū per solem optime prefigurari posse 55
christum esse principium in q̄ oīnia creata sunt 22
christum hominū cōsummationem esse 15
christū post peractū in cruce sacrificium ad patres descendisse 49
christū secundū animā ad inferos descendisse 125

Index

à Christo homine bonitatis perfectionem in omnes homines deriuari 15
chrysostomus 4
chrystallinum cœlum ubi consistat 18
circea fabula 32
ciues cœlestes 37
cœlum quid 57.68
cœlum empyreum 7
cœlũ circulus & quare 25
cœlum medium unde nomen sortitum 36
cœlum unde dicatur apud Hebræos 5
cœlum quomodo cum terra coniungi dicatur 42
cœlum & terra unde quomodo quando citentur testes 40
cœlum per se ne an ex accidenti faciat frigiditatem 458
cœlum non posse eius rei signum esse cuius nõ sit causa 542
cœlũ super quas aquas feratur 31
cœlũ uniuersalem causam esse uiuentium 455.456. 457
cœlum decimum 17
cœlum causa agens etiam secundum Stoicos 12
cœlum quomodo causa rerum fortuitarum 523
cœlum animal dici 29
cœli & animi collatio 29
ad Cœlum quæ nostra facta non sint referenda 527
cœlo quid differamus 48
de colorũ diuersitate multiplici 887
cœlo malas leges nõ subijci 539
cœlo non nimiũ tribuendum 22
cœlorũ uirtutẽ luce ad terram transuehi 30
cœlestia quæ influant inferioribus 20
cœlestibus terrena nomina indi. 7
cœlestibus præter influentiã motq; & luminis nullam uim inesse 461
cœlestib. quæ uires insint quæ non 510
cognitio physica quomodo apprehendatur. 513. diuinã quomodo consequamur ibidem 514
ex Cõmentario solum sapere ingenerosum esse 119
cõbinatio solum transmutata in lib. Ietzira intenditur 884
communicatio nostra cũ angelis & beatis, qualis 30
conceptus melior quãdo fiat 477
cõceptui quàm genituræ plus tribui à Ptolemæo 624.625 & seq.
conciliorum & pontificũ quorundam decreta in astrologos 427
conditio nostra nõ de fragili corpore metiẽda 22
de Consecratione 241
de Coniugio quomodo prædicãt astrologi 586
concupiscentia & libidine corrũpunt desideria speculationum 742
contemplatio summarum & diuinarũ rerũ à quo & quousq; 856
cõtemplatio recta dependet à 24. lib. sacræ scripturæ 860
contradictoria cõcidere, idq; ens & non ens 774
coniunctio quintuplex apud Mosen quæ 41.42
coniunctionum magnarũ inuentum nouum esse 547.558. & seq.
cõiunctũ alteri quinq; modis aliquid dici 41
corpus terrenum homiuis quale sit 42
corpus quare terra dicat 30
corpus terrã intelligi 31
corpora singula proprios habent rectores angelicos 888
corpori unde proueniat uita & salus 31
corpora omnia unde regãtur 26
corpora alia in rectũ alia in orbem ferri 48
corporum superiorum numerum esse incertũ 642
corporũ nostrorũ damnan ex cœlo sint 505.506
cor motus uitæ fons 61
Creationem cœli & terræ eandem esse 24
creaturarum quænã sit suprema 46
credere articulum fidei uerum esse an sit in libera potestate hominis 224
creticos dies ad lunã non pertinere 492.494
crux Christi quot modis dicatur adorari 157
Cyprianus 213
cyrillus 37

D

DAuidis hymnis nulla tractatio magis necessaria 1
dæmones aeris incolas esse. 50. à gentibus adorari ibid.
dæmones per quæ animalia significentur in scriptura 57
dæmones quomodo patiantur ab igne 67
dæmones tenebrarũ principes 50
dæmonem ultorem dici apud Orpheum 40
dæmonum genus duplex esse 74
dæmonum officia in republica Dei 40
definire quid hæreticũ aut non hæreticum sit, difficilimum 126
deificatio quid sit 739
dei adeptio summa felicitas

Index

citas 46
democritus 1
deo nihil sublimius 526
deo omnia cõdita esse bona 33
deo esse plenitudinem totius esse 16
deo quomodo insint Ens, Vnum, Verum, Bonũ 254
deum nõ esse ens sed priorem ente 241
deum ens esse non censendum 256
deum nobis magis unum esse q̃ nosipsi sumus 41
deus prima unitas 7
deus quibus dicatur circulus 24
deus quid & qualis essentia 23.24
deus unitas, & quæ ab eo in angelos deriuant̃ 24
deus quomodo in se omnia comprehendat 39
deus omnium & principiũ & finis 45
deus q̃modo moueat 68
deus quot modis habeat esse in naturis 160
deus est principium unitatis, & supra unitatem, & supra omne ens 865
de Deo nosse id quod ipse nobis reuelauit, satis esse debet 856
deus Tetragrãmatus mortuus 881
deus nominatur etiã pluraliter, propter plures relationes 886
deus quomodo & quare unum dicatur 260
deus quare terminus sit dictus 309
deus quomodo causa rerũ fortuitarum 523.524
deus an intelligat 234
deus natura artifex 34
deus naturæ artifex 34
deus lux 35
diabolum hominem dici à scriptura 21
didymus 4
diem Solis, dominicã dictam & Dei cultib. iure addictam esse 55
dierum lunarium discrimen 486
diei secundi opera 58
dies quartus qd deferat 51
dies unus quare non primus 13
dies unus ex uespere & mane quomodo fiat 13
diluuio ad Abraham quot anni 52
diodorus 437
diodori sententia de sydribus 37
dionysij Areopagita Pauli discipulus 3
dionysius Areopagita 122
dionysij Areopagitę de Deo testimonium 248
directiones, per q̃ tẽpora fati prędicũtur nihil esse 632
de Directionibus q̃ multiplices astrologorũ sententiæ 678
discipuli quare lux mundi dicti 50
dispositiões corporeas nõ effici à cœlo 549
disputandi mos qui obseruetur à Pico 520
diuinandi per astra ars à q bus repudiata 37
diuinis cœlestia nomina indi 7
Dodecathemoriorũ sentẽtia quomodo cũ suis authoribus explodatur 620
dogmata mystica per ænigmata reuelata fuisse 112
domino cœli omnia bona quærenda esse 22
de dominis dierum & horarum annisq̃ Planetarum rationes ineffica ces dare 706
domorum proprietates à parabolica similitudine probatæ refellũtur 686
domorum diuisiones & ui res incertas esse apud astrologos 668
domos astrologorũ nullo nixas esse fundamẽto 583
dualitas prima multitudo 251
durandus 251. 139

E

Effectus quomodo ali quid alterius sit 42
egidius 3
electionib. quàm falsa sit astrologorũ sentẽtia 534
elementa nostra naturę adulterata 7
elementa qua ui indigeãt ad motum suũ perficiendum 48
elementaris mundus quot orbes habeat 7
elemẽti simplicis natura 14
elementis leges quasdam insitas esse unde liceat deprehendere 36
elementorum noxas à cœlo non esse 505
elementum sensibile purũ non est 14
empedocles 1
empyreum cœlum 17
Ens, Vnum, Verum & Bonum quomodo omnib. insint 352
ens dupliciter dici 273.272
ens quot modis possit accipi 243
ens omne in loco aliquo esse secundũ aliquos 133
ens enti quomodo opponatur 251
Epicurus 36
epilogus primi libri, & q̃d diuinæ res humana ratione nõ discernunt̃ 779
epilogus dictorum primi libri, & de uero Saluatore 792
epilogi breuis dictorũ, & insinuatio dicẽdorũ 857
epiphanius 126
Esaiæ graue testimonium in augures 423.424
esdrã arcana in 70. libros digesi

digeſsiſſe 123
eſſe quæ dicãtur principaliter 161
de Ethica, Oeconomica, & Politica Pythagoræ 823
Euchariſtiæ ſacramentum 181.182.& ſeq.
euſebius 4
euſebij de ſideribus opinio 37
Experientiam aſtrologiæ nondum eſſe habitam 713.714 & ſeq.
exitu ex ægypto ad tẽplũ Salomonis q̃t anni 52
experimentis quibus non ſit authoritas 619
extremorum copulam ſine media natura conſiſtere non poſſe 44

F

FAbrica quotuplex 77
facierum rationes & finium reprobari 696
faſciculus temporum 216
factionũ initia ignota eſſe 667
fatum quadruplex 528
fatum quanã orbis regione euenturum ſit, aſtrologos prædicere nõ poſſe 627
fata uniuerſalia quomodo ab Aſtrologis inueſtigentur 627
fati neceſsitatem nõ aſtris ſed Dei conſilio adſcribendam eſſe 528
Februarij dies qui ſint nauticis ſuſpecti 482
felicitas noſtra quæ 44
felicitas quid 45. quale ſummum bonum ibidem
felicitas noſtra q̃tuplex 45
felicitas ubi collocata ſit à philoſophis 46
felicitas uera quæ 48
felicitas noſtra ubi conficiatur 338
felicitas naturalis quomodo cognoſcatur 45
felicitatis ſupremæ duas naturas eſſe capaces 49
felicitatis ratio quomodo uarietur 46
felicitatem ad uerã angelos attolli non aſcendere poſſe. 47. ad eandem homines multi poſſe q̃ infra ipſum, nõ itẽ ibid.
felicitatẽ hominis in ueri inueſtigatione cõſiſtere, qui dixerint 46
felicitatẽ hominis maiorem eſſe q̃ aliorum 47
felicitatem naturalem umbram eſſe cœleſtis 47
felicitate utraque qui priuentur 49
Fides quid, ſecundum Auguſtinum 228
fides ſiue credulitas quotuplex 228
filius Dei qualis homo dicatur 27
filij Dei qui ſint 59
filij officium cuncta diſponere 41
finis ſecundarius affinitatis qui 43
firmamentũ cœlũ dici 19
firmamẽtum id eſt mediã aẽris regionẽ cœlo ſubeſſe 15
firmamento legem ſignificari 58
firmamento ſuperiora ab inferioribus elementis diſtingui 14
forma unde tertium principium ſtatuta ab Ariſtotele 11
formas materiales aquarũ nomine deſignari à Moſe 13
formã lucem uocaſſe Moſen 16
formæ natura quid 13
formæ à quib. imitatores dictæ 13
formarũ cõmemoratio 13
fortuna quomodo ſit cauſa rerũ fortuitarum 523
fortunæ partẽ diuerſimodè ſtatui ab aſtrologis 619
Franciſcus Petrarcha 348
frãciſcus de Mayronis 126
frãcofordiẽſe emporium Germanorum 736
Futura à præſenti conſtellatiõe effici nõ poſſe 533

G

GAleni ſententia de creticis diebus, refutatur 492
gallos olim amatores puerorum fuiſſe 484
genethliaci q̃ pertineãt 426
genethliaci unde diuinandi ſcientiam probẽt 37
genethliacorum ſcientia à quibus repudiata 37
generationes quare dictæ ſint formæ 13
in Geneſim q ſcripſerint 3
generalib. ad ſpecialia deſcendi recto ordine 13
gennadius 4
gẽtes quomodo aquæ ſub cœlo exiſtẽtes dici queant 50
gentes nullum uitæ ſpecimen ante Chriſtum habuiſſe 56
gẽtium impetus aquarum incurſionibus cõparatos fuiſſe 50
genus quid 70
gnoſtici hæretici 419
gotfredus de Fontib. 129
gradꝰ quales à Ptolemæo contempti ſint 615
gradꝰ unici error quid pariat 673
gratia quid dicatur 47
gratia ſcribẽte Moſe nondum fuiſſe 45
Græcos uſos eſſe Aegyptijs præceptoribus 1
gregorius Nizenus 127
gregorij & Dionyſij de angelis diſſenſio 145
gulielmus Epiſcopus Pariſienſis 168
guttarũ aquæ q̃ felicitas 44

H

HAdrianus cur ſit aſtrologorum præſtigijs delectatus 730
hæreſeos ſuſpicione nemi nem oportere patiẽtem eſſe 115
hebræi unde anni initium

ſumpſerint 631
hebræi quid in ſtellis inue nire contendant 655
hebræi perſecutionem pa tiuntur propter falſam interpretationē 748
hebræi magis quærunt ue ritatem loquendi, q̄ di cendi ornatum 746
hebræorum lex quomodo dicenda ſit 578
hebræorum dogma de ſi deribus 19
hebræorū iniuria in Meſ ſiam 54
hebræorum metamorpho ſes unde 315
heliodori quæſtio de Pla netis 601
heliæ de aduentu Chriſti oraculum 53
heliæ oracula Hebręis ma niſeſta qd prædicant 52
heluidij error 148
heraclitus 14
herueus Britonis 128
hierarchiæ angelicæ tres quæ 25 (27
hierarchiæ ultimæ cōditio
hieronymus ubi & in qui bus ab Auguſtino & a liis patrib. diſſentiat 146
hieronymus & Auguſti nus ubi diſcordent 145
hieronymi de bigamiſſen tentia 145
hipparchus 497
hireneus Lugdunēſis 213
homerica catena 34
homo pro omni creatura dictus 8. minor mūd9 ib.
homo animātiū princeps
homo quid 22.38 (15
homo quibus conſtet 29
homo qūo imago Dei 38
homo cœleſtium & terre ſtrium nodus 39
homo quomodo & p quē Deo coniungatur 44
homo quare ubiq; terrarū naſcatur, reliqua animalia non item 483
homo q; & quare maſcul9 & fœmina ſit creatus 21
homo angelici mundi fi nis 28
homo quomodo omnia in ſe contineat 39
homo qua felicitate p̄ſtet aliis rebus creatis 46
hominis dignitas 313. 314 & ſeq.
hominis iactura per quem reſtituenda fuerit 40
hominis uitam rectam om nibus creaturis gratam eſſe 40
hominis ſubſtantia quæ complectatur 38
hominis corpore quæ in ſint 39
homini unde imperium in bruta cōceſſum fuerit 33
homini quàm neceſſaria ſit ſui cognitio 29
homini nulla creatura cō munis 38
homini quomodo omnia fiāt infeſta & inimica 39
homini omnia ſeruire 34
homini precibus nihil ma gis neceſſarium 43
hominis ultima felicitas quæ 67
hominem inferiorum om niū cōſūmationē eſſe 15
homines nō per ſe ſed per motricem gratiam cir cumagi 48
hominem uolētem bonis Dei priuatum eſſe 49
hominem naturis meliori bus uniri debere 43
hominem ab humo dictū eſſe 30
hominem quarum rerum lectio interpretanda 29
hominem & angelum ſo los ad ueram factos eſ ſe felicitatem 47
homine quæ cōſpiciātur 8
homine nihil admirabi lius ſpectari 313
homines ſupra angelicam dignitatē euehi poſſe 28
homines pro libertate ſua moueri 48
hominum mores à cœlo non fieri 537
horā fatalem ambiguam eſſe 621. 622. 622. & ſeq.
horam certā genituræ nec ſciri nec explorari poſ ſe 660
horoſcopi partidis inue ſtigationē per cōceptū, irrationalem eſſe 663
de Humanæ ſalutis, & p ditionis uario ſtatu 797
humorū periodi quo refe rendæ 500

I

Iamblicus 43
iamblicus Chaldæus 124
iamblicus quid uocauerit materiam primam 251
idola dici infirmitates 336
Ieſu genituram q̄ uulgo fer tur non eſſe ueram 574
ieſus quoto millenario ap paruerit 52
ignis trium cœlorū quo modo differat 7
ignis quomodo Deū par ticipet 46
Ignorationem noſtri quæ pœna maneat 24
imagine Dei obliterata q̄ fuerit homini cōditio 33
imagines Chaldæorum fi gmenta eſſe 653
ad imaginationis ſenſū q̄ referātur affectiones 33 quouſque illis uti liceat ibid.
imagines quomodo à ſi gnes differant 647
imagines inuiſibiles quot modis nō ſint cognitę 656
imagini quomodo debea tur honor adoratiōis 156
impreſsiones ubi fiāt 14
impreſsiones imperfectè mixtas eſſe 7
impreſsiones, quæ uocen tur ſydera & aſtra 15
inane quid 53
indici maris mutatio ad ſo lis curſum 481
indos animalia id eſt, ſignæ cœli deprehendiſſe 21
infantum qui nondum ini tiati

tiati decedunt, sors q̃ 48
de inferiorum duplici tartaro 766
inferiora qualiter communicant cum superioribus & è conuerso 773
inferiora omnia tendũt ad pfectionẽ superiorẽ 738
infernũ dupliciter dici 141
influẽtia superiorũ corporũ in inferiora qualis 20
influxus siderũ per quas res uarietur secundum astrologos 582
ingeniorum uarietatẽ nõ à primis qualitatibus omnino pendere 508
initium unũ ex q̃ anni fata pẽdeãt cõstitui nõ posse 629
innocẽtius octauus. 5
innocẽtij nomẽ unde 114
innocẽtij iudicio se suaq̃ dogmata submittit author 125
intellectus q in nobis est unde illustretur 51
intellectus quibus reb. indigeat 35
intellectus agens quid 74
intellectus speculatiuus quid 75
intellectũ esse quasi oculum 35
ex intellectu intelligibili magis unũ fieri q̃ ex forma & materia 25
intentio secunda quid 84
ioannis Euangeliũ cõtra quos scriptum 2
ioannes Picus Mirãdula quid. 24. annos natus egerit 115
ioannes Parisienses 129
ioannes Saxonienſis irridetur 644
ioannis Pici Mirandulæ epistola ad Antonium Fauentinum 288
ioannis Pici Mirãdulæ epitaphium 387
ioannis Scoti stylus 357
iosephus 4 (472
iouis proportio ad terrã
iouis calor qualis 19
isaac Persa in quibus erra uerit 9
isaac ad secũdi templi ruinam quot anni 52
isaac ad exitum ex Aegypto quot anni 52
israẽlitas imperfectã uerã tamẽ coluisse religionẽ ante Christi aduentũ. 56
iudæi quare supcœlestes aquæ dicantur 50
iudæorũ orationes, quare non exaudiuntur 892
iudæos, non recepto Christo, eiectos in tenebras exteriores 54
iumentorũ natura & proprietas 38
iuppiter aëri comparatus legitur 18
iustinianus in quantũ abhorruerit astrologos 428

L

LAurẽtius medices 241
leo solare animal 55
leo Hebræus 644
lex cognomento fundamentum 50 (tur. 58
lex q̃modo nõ bona dicalegi parendum est 776
legis principiũ quare non à Mose accipiendum 53. ab Abrahã sumendũ ib.
legis interpretationem sacerdotibus tantum reuelatam fuisse 122
legis plenitudo quando successerit 54
legem annunciare opera Domini 50
legem Christianam uarijs cõiunctionibus medijs adscriptã fuisse à uarijs 574
leges malas sicuti nec bonas cœlo subijciendas esse 539 (667
legum initia ignota esse li Italicum aduerbium 134
liber septẽ signaculis obsignatus qui 9
libri ualde multi, q & qua causa perierunt 759
quibus libris Cabalæ author in cõscribẽdis uoluminibus his sit usus 760
libertas credendi 224
ligna duratura quomodo credantur 486
limitationem creaturę duplicem esse 131
literarũ distinctio, & uirtus multiplex 872
de literarum grammatica expositione 873
de literarum arithmetica expositione 873
de literis disciplinaribus ad uerba magistrorum referendis: Et literis physicis creationem rerum significantibus 874
de literarum accidentali reuelatione, ac Notariaco speciebus tribus 878
de literarum alphabetica-ria commutatione ac combinatione. Et quod oportet Cabalistã fortiter credere 878
loco esse duplici modo dici 133
locorũ proprietates quomodo probent 683
locorum proprietates q̃modo ex similitudine definierunt 726
lucas 1
lucem uirtutum cœlestiũ uehiculum esse 18
lucem corpoream ab incorporea natura manare 17
lucernas septem tabernaculi Mosis præfiguraſſe planetas 6
lucij exitus de domo ruente 525
lucretij stylus 355. 357
ludouicus rex Gallorum 484
luna λόξα à quib. dicta 32
lunæ & Veneris affinitas unde deprehẽdatur 20
luna quarum rerum parens 19
luna quare terręsimilis 18

Index

luna cœlorũ ueſtibulum 7
luna quando morbum cõ firmet 498
luna quare faciat humidi tatem 464
luna quare inferior alijs planetis 685
luna quid ſecundum Ariſtotelem 464
luna ſoli cõgrediens quomodo in nos agat 462
lunę lumen uitale eſſe 463
lunę dies quomodo diſcernatur 486 (tur. 485
lunæ uis quomodo uarie-
lunam cõcludi Venerem & Mercurium 19
lunæ diẽ nonã arborib. cõ ſerendis idoneã eſſe 486
lunæ frigiditas unde ueniat 465
lunæ & ſolis nomine non ſidera ſed ipſorũ rectores intelligi 27
lunam terræ ſimilem eſſe iuxta Ariſtotelem 18
lunam præeſſe nocti quomodo rectè dictum eſſe intelligatur 32
ad lunam frigida referri 15
lux quomodo & unde oriatur 12. 13
lux quę prima affulſerit 50
lux quã cõfictionẽ pariat
lux eſt uerias 35 (42

M

MAgi naturales 169
magi qui ab oriẽte uenerãt, quales uiri fuerint 170
magi prohibiti 169
magia pars ſcientiæ naturalis 167
magia naturalis quare in Aethiopia uſitata fuerit
magia quę prohibita 104 (169
magia prohibita, quare abũ dauerit in Aegypto 169
magorum ſtella nõ poſſe conſtellationem intelligi 547
magos Perſarum nihil egiſſe ſine præmiſſa oratione 43
mallij uerſus de. 12. cœli locis 586. 587
malphitẽſis Archiepiſcopus 129
marcionis error 148
maris æſtus ad quam cauſam referatur 488
martem ignẽ dici poſſe 18
martij dies qui ſint ſuſpecti nauticis 482
martis calor qualis 19
martis ad terram proportio 472
marſilius Ficinus 37
materia prima 251
materiæ inſidens ſpecies quò ſit referenda 13
materiæ qualitates & materiales ſubſtantias eodem nomine dici ib.
materiam trino dimenſit protenſam 11
materiam omnium naturarum deſpicatiſsimam eſſe 12
maternus qualis erroris propagator 604
maternus q̃modo ſortes planetarũ diſtribuat 618
matthæum primum Euangelium ſcripſiſſe 2
מעלגנים qui 425
medium nõ eandem cum extremis eſſentiã eſſe 43
melitonis inſania de effigie Dei 38
mentem noſtrã cœlo ſubijci ab aſtrologis 535
mẽtes quaſi oculos quoſdam eſſe 34
mercurius aquæ ſimilis. 18. unde arbiter iuxta Lucanum ibidem
mercurij de homine exclamatio 39
meridiẽ inhabitãtes quare ſint timidi 483
meſsias quibus uenerit. 54
meſsias quibus attulerit pacem 55
meſsiha eſt lux Dei mediante qua Deus cognoſcitur 842
meſsihæ anima eſt omniũ uiarum ideata idea 773
meſſallæ figmentũ de explorãdis horoſcopis refutatur 665
de meſsiha quid cõtingat in poſtremis dierum 755
meſsihę uocabulum eſt Silo ib.
mitte me, id eſt, שלחני Eſt nomen Meſsihæ ib.
meſsiha eſt lux Dei 756
meſsiha eſt princeps pacis 757
meſsiha reducet hominẽ in paradiſum non terreſtrem ſed cœleſtem 766
meſsihæ ſatisfactio, p rea tu generis humani 767
meſsiha honores & magiſtratus huius ſeculi contemnet, & ſolam uirtutẽ habebit in precio ib.
meſsihæ uita & mors, ac eius operatio & effectus ibid.
meſsiha eſt uirtus ac poteſtas Dei 768
meſsiha utetur reb. ſeptẽ ad bene faciendum bonis & deſtruendum malignos 769
de meſsihæ noua doctrina, & quæ ſit lex Meſsihæ ib.
meſsiha eſt exemplũ uitæ omniũ liberandorũ tendentis ad ſalutẽ ętern̄. Et omnia per Meſsihã perficientur ib.
de meſsihæ multis nominibus ib. (nomẽ. 770
quod meſsihæ ſit propriũ
meſsiham uocari nomine compoſito ex literis ſolum miſericordiã ſignificantibus 770
ut meſsiham aſſequamur omni noſtro conatu 771
per meſsihã tranſimus in Deum 771
metaphyſicam eſſe de abſtractioribus quàm Arithmeticam 132
minutiæ ſolius error quid efficiat 673

miracula

miracula miraculis ſignificari nõ à cœlo fieri 546
miracula Chriſti quomodo fieri potuerint 167
mirandulæ iudiciũ de philoſophis ueteribus & nouis 118
mixta quæ poſt plãtas ſequantur 15
mores hominum à cœlo non fieri 537
morũ uarietas unde pendeat 508
moſes naturæ æmulator 8
moſis liber in quo gentiũ eloquentiam ſuperet 16
moſes Aegyptius 31
moſis uerba quæ exponẽda ſumpſerit author 10
moſes Gerundinenſis 52
moſis libris omnem ſapientiam latere 59
moſi non legẽ ſolã in mõte datam eſſe 122
moſaicæ lectionis expoſitio quadruplex 8
motu cœli diem cõfici 20
motum animæ in imaginẽ & imaginarũ, eundẽ eſſe quomodo intelligat 156
motus ſolis annũ facit 20
motus conuerſionis qualis 25
motus cœleſtium corporum duplex 20
motus rectus qd figuret. 48. quid circularis ib.
motus quid 71
motus octaui orbis uarios fingi ab aſtrologis 675
mulier pregnans cur terram comedat 518
multitudo quomodo opponatur uni 251
mundus angelicus, 5. cœleſtis, ib. ſublunaris ib. eorum excellẽtia & infirmitas ib.
mundus quartus qui 8
mundus, homo magnus ſecundum Moſen 61
mũdus archetypus à quo ſphæra dictus 24
mundus cœleſtis 16
mundus angelicus & inuiſibilis 23
mundi creationẽ matura ætate legendam iuxta Hebræos 3
mundi tres ſecundum hominis partes 61
mundi generaliſsimi ſunt tres 773
de mũdo corporeo & ſenſibili, & eius principijs. 817
mundi conſummatio quãdo futura 53
mundi exordio ad Chriſtum quot annos numerent Hebræi 52.54
mundo opus eſſe angelis ſecundum Origenẽ 26
mundum ſenſibilẽ in tres eſſe partes diuiſum à poëtis 14
mundorum cõtinentiam ſacris literis indicari 7
mundos tres poni antiquitus 5
muſarum dux qui 319
myſteria unde 2

N

NAtorũ fortuna quomodo indicatur 585
natura angelica intellectus eſt 34
natura gratiæ rudimẽtũ 49
natura hominis terræ cõparata quomodo quando & quare inanis dicatur 49
natura irrationalis quare non ſit aſſumptibilis 164
naturæ uires excedentia non poſſe à cœlo ſignificari 548 (19
naturę uegetalis munera natura quid ſit? 742
de natura & rerũ naturaliũ ſcientijs ac artib. 742
naturalia ſcire difficile, & quare 742
naturalium rerum principia 742
naturæ uegitabilis quot ſint genera 9
naturam nihil temerè agere 11
naturam intellectualem tantũ à Deo recipi, quomodo ſit intelligẽdum 164
necromantia 169
negationẽ multiplicis termini non negare ipſum omnino 157
de nomine Tetragammato, & alijs nominib. ſecundum primam partẽ Cabalæ 865
de nomine xlij. literarum 880
nomen xlij literarum nulli niſi digno exponitur, & quomodo 882
nomina patribus ſunt abeuentis indita 753
nomina abſtracta quę 244
nomina concreta quæ ib.
numenius philoſophus 1
numerus quatenus perfectus & imperfectus 24
numerorum proprietates. 172. 173. 174. 175 & ſeq.
numerus ſeptimus, ſterilis, Minerua dicitur 833
numerationes Cabaliſticæ decem quæ dicuntur Sephiroth 857
numerus quid 23. unde cõſtet. ibid. quomodo duplex reddatur ibid.

O

OBſeſsiones pugnare cum affectibus. 599. & ſeq.
oceanus pater deorum & hominum à quib. dicatur 19
oceani lacum amnes aquas coire 25
octimeſtris partis infelicitatem Saturno non recte adſcribi 501
oculum nõ niſi beneficio lucis uidere poſſe 34
odoratus organum quod 70

opificem causam potius quàm principium uocari à peripateticis 11
opinari plura quam scire solemus 31
opus naturæ esse opus intelligentiæ 11
orationes nostræ quomodo non sint futuræ irritæ 335
orbẽ in quæ moueant 48
orbis octaui motus 675
origenes 3
origenes saluus ne an dãnatus sit dicendus. 199. 200. 201. & seq.
origenis hæreses primariæ quæ 207
origenem uanitatẽ astrologicam fugillasse 416
orpheus 124

P

PApias episcopus Hieropolitanus 213
paradisum duplici modo dici 141
parentum uota ex qua cœli parte notentur 586
parmenides 242
pars quomodo aliquid alterius sit 42
partus octimestris infelicitas cui adscribenda sit 501
partium quibus in prædictionibus utuntur astrologi, origo 616
patres antiqui 7
patres quomodo Christũ receperint 49
patris officiũ, producere omnia 41
paulus 3
peccato deberi pœnã dupliciter intelligi 151. 152
peccato duo cõsiderari 151
peccatum mortale quot modis capiatur ib.
peccatũ in aliquo esse qt modis intelligatur 155
peccatum quale malũ 151
peccatum finiri quot modis intelligatur 153
per aquas designari gentes in scripturis 51
per Christũ solum, carnẽ posse ad uerbum ascendere 44
peregrinationes à qua cœli parte iudicentur 568
peripateticorum sentẽtia de stellis 474
peripateticorum de syderibus opinio 37
phantasma quid 65
pharmacum quando non dandum 656
philastrius 126
philolaus aureorum carminum author 2
philon 1.3
philosophiam religionis inchoationem esse 49
philosophi naturales qd de natura rerum statuãt 11
philosophos ruditatis dãnandos esse 2
philosophũ operã sumere in sacris reb. debere 44
philosophorum de angelis sententia 46
pici responsio abiectionum secundarum 266
planeta obsessus quomodo dicatur 599
planetæ qui sint felicitatis authores 536
planetarum chorus quid moueat 470. 471
planetarum sub sole constitutorum affectiones quales 600
de planetarum motib. uariæ sententiæ 671
planetarum motus proprius quis 475
planetarum non alios noxios alios salutares esse 702. & seq.
planetarum loca assequi, laboriosissimum 670
planetarũ aliorũ duplex motus quid efficiat 474
planetarum gaudia cum domibus ruere 691
de planetarum exaltationibus astrologorum rationes cõfutantur. 606. 607. & seq.
in planetis quantũ fallantur 640
plantæ qualẽ habeant sensum 15
plantæ genus uiuentium despicatissimum 56
plantas feliciores esse igni 46
plato, Atticus Moses 1
plato ubi de hominis cognitione egerit 29
platonis sententia de materia prima 251
platonis scripta obscura & occulta 2
platonicus annulus 34
platonici 46
platonis in Theetheo sentẽtia de sensuũ origine 31
platonicas disputationes à precibus exorsas desijsse in easdem 45
plenitudo euãgelica quando succedere debuerit 54
plotinus 37
plotini de Idea sententia 259
pomerij dictum 9
porphyrius 45
potentia generandi in diuinis qualis sit 67
potentia non posse ex constellatione præuideri 531
praxis quid 66. 85
principiorum falsitas 681
principium, quo quantitatem uirtutis locorũ indicant quotuplex 681
priuatio naturalium rerũ principium 11
priuatio principium secundũ peripateticos 12. quid ibidem
priuatio qnomodo consideranda 300
proclus platonis interpres 259
ꝓpositio necessaria qd 69
ptolemæus taxat propter planetas 699. 700. & seq.

ptolemæi rationes de planetarũ domibus destruuntur 692.694.& seq.
ptolemæi dogma, Animo dar, confutatur 662
ptolemęus qualis fuerit astrologus 420.421
ptolemęũ plus conceptui quàm genituræ tribuisse 624
pythagoras silentij magister 2
pythagorę legem ab Hipparcho uiolatam esse 2
pythagoræ dicta unde sacra appellata fuerint. 124
pythagorã multa de lege Mosaica in suam philosophiam transtulisse 1
pythagoram pauca scripsisse 122
pythagoricũ paradoxon q̃modo credibile sit 32
pythagoricorum philosophiam secretiorem esse alijs 172
pythagoricorũ metamorphoses unde 315
pythagorici qui fuerint 2

Q

QValitatib. primis nõ pendere omnes prędictiões astrologorũ 504
qualitates nõ esse elementis formas subst ãtiales 13

R

REgnorum initia ignota esse 667
regũ consuetudo in condendis urbibus 58
rei sermonem, non cõtrà, subiectum esse 129
religionem à quo cœli loco obseruent astrologi remigius 3 (586
reptilia quæ sint 38
rerũ copula quot modis constet 41
rerum tẽpus unde petendum 564
rerũ quæ differentiæ à cœli motu nõ pendeant 468
res fortuitæ unde 522
in reuelationem restauranis omnis Cabala refertur 751
rex in Syria intelligit esse messiha 83
robertus Holcoth 228
rogerius Baccon 490

S

SAbbatizare, q̃d sit secũ dũ Pythagoricos 833
de sabbato & eius obseruatione 833
sacramẽta nouæ legis causas gratiæ esse 64
sacrorum studiũ quibus maximè utile & necessarium 44
salomon 1
salomonis liber de Sapiẽtia 1
salomone ad tẽpli destructionẽ per Babylonios quot anni 52
salus nostra cõsistit in cognitione Messihæ 768
salus homini, de sola Dei misericordia cõtingit 771
de salute ac saluatore 792
salomonẽ Cabalistæ aliũ intelligũt quã filiũ Bathsaba, aliud quoque templum 757
samuel Ophrides ubi peccauerit 9
sapientum ueterum celebre institutum 2
saracenorũ de angelis sententia 35
saturnus aquæ naturã æquat 18
saturni reuolutiões quid sint 555
saturni ad terram proportio 472
scala à tartaro ad primum ignem 103
scientiæ spiritum interdũ abducere à Deo 25
sciẽtia superior credit decretis scientiæ inferioris 745
scientiæ naturalis subiectum quod 64
scotus 125
scriptura summa quę 16
scripturæ sacræ à patrum scriptis discrimen 147
sensus quinque unde manent 31
sensus à natura prędtiti q̃d conferant mortalibus 31
ad sensum cõmunem omnes uirtutes sensitiuas colligi 31
sensum cõmunem in corde esse quis asserat 31
seuerus 4
sex dies Geneseos sex mille annos designare 52
sidera omnia nõ posse restitui ad ea loca in quibus ante fuerunt 580.581
sidera an inferiorũ signa sint, an etiam causæ 544
sidera quæ uniuersali influxu polleant 19
sideris cuiuscũq; uim uniuersalem esse 512
siderum motus triplici ratione differre 468
siderum substantiam philosopho, motum astronomo, habitum uel posituram astrologo delegatam esse 416
de siderum influxu astrologorum opiniones uanas esse 582
sideribus futura prædicere unde occasionem acceperint Aegyptij 712
signa cœlestia quomodo creatori obediant 21
signa à sideribus excitata quarum rerum 15
signa προσάπτοντα quæ 605
circa signa astrologorum errores 588 589
signa quare ficta sint à mathematicis 588
signis absolutè conuenientes qualitates quomodo astruantur 698
signis quomodo cõmenti fuerint astrologi primi 724

signo

Index

ſigno quod ſolis uirtute ſit, adſcribere nugatorium 650
ſignorũ diſtributio iuxta diem & noctem 611.612
ſignorum definitio ſecundũ Haly Auẽrodan. 649
ſignũ cuilibet mẽbro non bene determinari 697
ſignorũ proprietates Auenrodani, deſtruuntur 689
de ſignorũ ſexu. 609.610
de ſigillis, characteribus, & uocibus. 892. Simeonis quale uerbũ impletũ 56
ſin litera cabaliſtice ſignificat in miſerationib. 752
ſin litera per Notariacon ſignificat unctionẽ 755
ſixtus quartus 123
ſocrates 242
ſol, ignis eſſe ſimilis 18
ſol qualis in Cancro & Ariete ſit 20
ſol quib. & quo ordine oriatur iuxta Homerum 43
ſol firmamẽti dominus 51
ſol uiſibilis filius Dei ſecundum Platonem 55
ſol quare ſiccitatem faciat 464
ſol quomodo frigiditatẽ inducat 465
ſol oculus mundi 471
ſol medius ne an ſecũdus à Luna ſit 684
ſole concludi Iouem Martem 19
ſolis calor qualis 19.20
ſolis & Lunæ nomine ipſos ſyderum rectores nuncupari 27
ſolem intellectũ dici à philoſophis. 32. eundẽ διὰ νοιαν dici 32
ſolem prẽeſſe diei recte dici, & unde 32
ſolis lumen uitale eſſe. 463
ſolis ꝓportio ad terrã 472
ſolem multa operari quæ ab alijs ſtellis fieri putẽt aſtrologi 479
ſolis opera quæ 480
ſphęra erratica firmamentum 19
ſphæram octauã terrã dici unde probetur 18
ſphęras decẽ à Zacharia figuratas eſſe in candelabro 17
ſphinges Aegyptiorũ tẽplis inſcriptæ quid admonuerint 122
ſpinges pro templis 2
ſpiritum naturas mũdi feciſſe 7
ſpiritus Domini ſuper aquas qui 18
ſpiritus Domini ſuper aquas 12
ſpiritus quare ſuper terrã non feratur 12
ſpiritus Domini ſuper aquas qualis fuerit 25
ſpiritus cuius naturę. 30. Idem lux dicitur ib.
ſpiritus pater luminum 35
ſpiritus Domini quã conſunctionem efficiat 42
ſpiritus Domini fouebat aquas, quot modis intelligendum 49
ſpiritus q fouerit aquas 50
ſtellæ an eodem pacto omnes in nos agant 473
ſtellæ aliæ prẽter ſolem & lunam quomodo agant in nos 470
per ſtellam magorum nullam conſtellationẽ intelligendam eſſe 547
de ſtellis fixis quomodo pugnent dogmata aſtrologorum 639
ſtrabo 17
ſtrabus 3
ſtraton 36
ſubijces unde dicãt ab Ennio 15
ſubſtantiæ incorporeę locum nullum eſſe 127
ſubſtãtia quomodo ſit accidente prior 69
ſubſtantia quæ ad Deum redeat 48 (30
ſubſtãtia humana triplex de ſyllogiſmis & demonſtrationibus 743
ſyllogiſmi quamuis in cæteris artib, ualere putentur, tamẽ fruſtra in theologicis afferuntur, quia non urgent 784

T

TAbernaculũ Moſis, mũdi figurã fuiſſe 6
templi inſtauratio ſub Eſdra ad captiuitatẽ ſub Tito quot anni numerentur 52
tempus rerũ unde petendum 564
terra cauſa materialis etiã ſecundum Stoicos 12
terra qualis fuerit 12
terra quibus ornetur 15
terra quę octo ſphęrarum nomine uocata 18
terra à quibus ſit Luna dicta 19
terra quæ fructus debeat dare 26.27
terrã quare ante lucem uacua fuerit 30
terra corpus noſtrũ ſignificari 33
terra id eſt potentia in angelis quomodo uacua dicatur 35
terra quomodo primum coniunctionis modũ ſignificet 42
terræ diſpoſitio quid doceat 44
terram totam excepta Iudæa occupatam fuiſſe idolis 50
terrã ante ſolis exortũ exiguos fructus tuliſſe 56
terrã producere perfectiora animantia cꝫ aquã 57
thalmutiſtæ 53
theocriti dictum 32
theodoritus 3
thedoritus 37
theodorus 43
theologia quę ſuprema 16

theolo-

Index

theologica quæ ſunt, & quàm profunda difficiliaq́, ac qb. de cauſis 743
theologi ueri non ſunt uitijs & criminibus publicis inquinati 744
theologia ſymbolica nihil animorum ſaluti cõmodius 737
theologorum uia cõmunis quæ uocetur 135
thomas Anglicus 128
thomas Aquinas 543
thomas Aquinas 128
tiphæreth quid ſit, & homo quare ſic eſt conſtitutus 739
trãſgreſsio prima diuinę legis poluit poſteritatem 748

V

VApor quomodo conſcendat in altum 47
uelum templi quare ſciſſum ſit in paſsione Chriſti 6
ueneris ad terram propor tio 472
uenerem aëri cõparari 18
ad Venerem, hominem quendam nunquam niſi uapulauerit, acceſsiſſe 518
uerſus ſeptuaginta duo contemplandi Hebraice & latine expoſiti 853
uerbi corporati beneficiũ ſupremum quod 58
ueritatis ſplendor ubi admittatur 255
uerum, unum, Ens, bonũ quomodo omnib. inſint 252
uictorinus pictaniẽſis 213
uindicta quid 152
uino cur miſceat aqua 51
uires appetitionis cum beſtijs nobis communes eſſe 32
uiſio, qualis actio 35
unitas in rebus 40
unitas in creaturis triplex 40
unitatis pacem quid conturbet 525
unitatem ſolam perfectã & ſimplicem eſſe 23
unum primum & trinum quod 41
unum & bonum apud Pythagoricos unde appellationẽ hanc habeãt 45
unum, ens, uerum bonum quomodo inſint omnibus 252
uolucres an aëre inhabitare dici poſsint, dubiũ 37
uoluptas intelligentiã ſequens optima 35
urbium initia ignota eſſe 667
uuæ quo lunæ tẽpore incidendæ 465

Z

ZAmolxidis magia quid 121
zenophanes 24
zoophytum quid 7
zoroaſtris magia qd 121
zoroaſter 124

INDICIS FINIS.

ERRATA.

Pag. 14. linea 37. illam. 15.9. nuncupari. 18.9. Lunam. 19.15. Terram. 19.24. figuratèq́ ſubindicauit. 19.40. calet Iupiter, calet Mars, calet & ſol. 22.5. ſuſpicienda. 27.5. maledictioni. 28.23. poſtremo. 30.8 huic. ibid. 33. conſulamus. 38.24. formatũ. 39.13. cœleſtis animus ratione pollens. 40.34. diuina. 44.4. genus. 47.22. res. 48.17. motricis. 52.32. affulſerit. 53.27. tempus. 55.4. adiectum. 56.38. terra. 58.1. Chriſtus. 61.32. parte. 65.9. qualitas. 72.36. Cum. 72.37. intelligendum. 111.31. Qui. 119.3. Græcorum. 121..5. erudiebant. 137.9. expreſſe. 146. 23. Damaſcenus. 357.38. natura. 464.17. humiditatem. 513.38. mathematicam.

INDICIS FINIS.

ERRATA.

IOANNIS PICI MIrandulæ in Heptaplum, de Septiformi sex dierum Geneseos enarratione, ad Laurentium Medicem, Præfatio.

 OVIT æmulatio me studiorum tuorum, Laurenti Medices, ut arcana Moseos uolumina recenserem: Cum superiore hyeme quantum ocij dabatur à republica non alibi te magis aut libentius operam sumere, quàm in ea lectione animaduerterem: Tum eodem quoque priuata ratio subinuitauit: Quoniam operi alteri meo, tuo quidem auspicio iam pridem, sed & in tuum nomen crescenti, quo Dauidicos hymnos à Septuaginta uersos interpretibus, & in ecclesia iugiter personantes non modo à suspitione omni calumniaq; asserere, sed interpretamenti quoque facibus illuminare tentaui, nulla prorsus utilior tractatio, nulla fructuosior quàm eorum librorum, nulla rursum consentanea magis (aut ut uerius dixerim) necessaria reperitur. Accedit autẽ per hos dies ut in mundi fabrica celebratis illis operibus sex dierum fuerim assiduus. Quibus totius naturæ secreta contineri ut credamus magnæ se rationes offerunt. Nam ut illud omittã quod hæc omnia propheta noster Deo plenus ac cœlesti dictante spiritu totius magistro ueritatis excepit, nonne eundem nobis cũ nostrorũ tum suorũ, tum gentiũ deniq; testimonia prorsus humanæ sapientiæ doctrinarumq; ominũ & literarum consultissimum prodiderunt? Extat apud Hebræos Salomonis illius cognomento sapientissimi liber cui Sapientia titulus, non qui nunc in manibus est Philonis opus, sed alter Hierosolyma quam uocant secretiore lingua compositus, in quo uir naturæ rerum sicuti putatur interpres omnem se illiusmodi disciplinam fatetur de Mosaicæ legis penetralibus accepisse. Sunt item quantum attinet ad nostros, & Lucas & Philon authores grauissimi illum in uniuersa Aegyptiorum doctrina fuisse eruditissimum. Aegyptijs autem usi sunt præceptoribus Græci omnes qui habiti diuiniores, Pythagoras, Plato, Empedocles & Democritus. Notũ illud Numenij philosophi non aliud esse Platonem qu'm Atticum Mosem. Sed & Hermippus Pythagoricus attestatur Pythagorã de Mosaica lege plurima in suam philosophiam transtulisse. Quod si rudis in suis libris & popularis interim Moses potius quàm aut philosophus aut theologus aut

magnæ alicuius ſapientiæ artifex apparet: Reuocemus eo mentem, fuiſſe ueterum ſapientum celebre inſtitutum, res diuinas ut aut plane nõ ſcriberent aut ſcriberent diſsimulanter. Hinc appellata myſteria, nec myſteria quæ non occulta, hoc ab Indis, hoc ab Aethiopibus quib. de nuditate cognomen, hoc ab Aegyptijs obſeruatum. Quod & Spinges illæ pro templis inſinuabant. Ab eis edoctus Pythagoras ſilentij factus eſt magiſter: nec ipſe quicquam literis mandauit præter omnino paucula quæ Damæ filiæ moriens cõmendauit. Non enim quæ circumferũtur aurea carmina Pythagoræ ſunt, ut uulgo etiã doctioríb. perſuaſum ſed Philolai. Legem deinceps eam Pythagorici religioſiſsime tutati ſunt. Eam Lyſis ab Hipparcho uiolatam quæritur. In eam denique iuratos Ammonij diſcipulos, Origenem, Plotinum & Herennium, Porphyrius eſt author. Plato noſter ita inuolucris ænigmatum, fabularum uelamine, mathematicis imaginibus & ſubobſcuris recedentium ſenſuũ indicijs ſua dogmata occultauit, ut & ipſe dixerit in epiſtolis neminem ex his quæ ſcripſerit ſuã ſententiam de diuinis aperte intellecturum, & re minus credẽtibus comprobauerit. Quare ſi ob id Moſeos lectionem uelut exculcatã putamus, quòd nihil habeat in priori fronte non uulgarium non rude, damnemus eodem exemplo antiquos omnes philoſophos ruditatis & ignorantiæ quos totius ſapientiæ magiſtros ueneramur. Quin idem obſeruatum in eccleſia cernimus Ieſus Chriſtus imago ſubſtantiæ Dei euangelium non ſcripſit, ſed prædicauit, prędicauit autẽ turbis quidem in parabolis, ſeorſum autem paucis diſcipulis, quibus datum erat noſſe myſteria regni cœlorum, palam citraq; figuras: Neque omnia paucis illis, quia non omnium capaces, & multa erant quæ portare non poterant, donec adueniens ſpiritus docuit omnem ueritatem. Diſcipuli Domini tam pauci electi de tot millibus multa ferre nõ poterant. Turba omnis Iſraëlitica, fartores, coci, macellarij, opiliones, ſerui, ancillæ, quibus omnibus legenda lex tradebatur totius Moſaicæ uel diuinæ potius ſapientiæ, ferre onus non potuiſſent. Ille quidem in montis ſublimitate, montis, utiq; illius in quo & Dominus ſæpe diſcipulos alloquebat, diuini ſolis lumine colluſtratus tota facie mirum in modum ſplendeſcebat, ſed quia lucem ferre non poterat populus oculis cæcutientibus & noctuinis, uelata facie illis uerba faciebat. Redeamus ad noſtros. Scripſit Matthæus primus euangelium, & ut inquit propheta abſcondens in corde ſuo Dei eloquia ne peccaret, ita ſolum quæ ad Chriſti humanitatem attinebant hiſtoria proſequutus eſt, ne intercederet obliuione memoria rerũ geſtarũ, ut propterea in myſtico Ezechielis ſpectaculo per hominem figuratum illum intelligamus. Ioannes qui præ omnibus maxime diuinitatis ſecreta reuelauit, tribus quidem uulgatis euangelijs & à Domini cruce multis exactis annis coactus loqui quę diu tacuerat, ad abolendam hæreſim Ebionitarũ quę Chriſtum hominẽ non etiam

Deum

Deum asseuerabat de ęterna filij generatione sed paucis, sed obscure pronunciauit. Inde exorsus: In principio erat uerbum. Paulus Corinthijs negat solidum cibū propterea quòd adhuc carnis legib. uiuant non aūt spiritu, & sapientiam loquitur inter perfectos. Discipulus Pauli Dionysius Areopagita sanctū & ratū institutū fuisse scribit ecclesijs ne dogmata secretiora per literas, sed uoce tantū ijs qui rite essent initiati cōmunicarentur. Hæc pluribus sum prosequutus quòd sunt multi qui Moseos librum ducto argumento de rudi cortice uerborū tanquā aliquid de medio & triuiale contemnāt & aspernent, nihilq; apud eos minus credibile quàm habere illum in recessu diuinius aliquid quàm quod frōte promittat. Quod si satis est cōfutatum iā illud creditu facile, si cubi de natura, de totius opificio mundi tractatū ab eo, id est, si qua in parte operis sui uelut agri cuiuspiam sint ab eo thesauri defossi omnis uerè philosophiæ: Factū in primis hoc in hac parte ubi uel ex professo de rerū omnium emanatione à Deo de gradu, de numero, de ordine partiū mundanarū altissime philosophatur. Propterea fuit decretū ueterū Hebręorū cuius etiā meminit Hieronymus ne hanc mundi creationē quisquā nisi matura iam ætate attingeret. Videbor igit fortasse fecisse operæpretiū si immoratus diutius exactiore cura & operosiore, ut licuit per nostram imbecillitatem studio rimatus sum intellectū Mosaicę lectionis: In cuius enarratione cum per multos elaborasse Latinos Græcosq; uiderem. Præterea Chaldæos & Hebræos interpretes ueteres nouosq; prope innumerabiles ne cogitare quidem audebam nouū aliquid super hac re uel scribere uel cōmentari. Cæterū meminerā cautum Mosaica lege ne quis agrum suum penitus totumq; demeteret. Sed intactam ex eo portionem pauperib. & egenis relinqueret qui mergites inde & manipulos ad famem tolerādam sibi acciperent. Hoc cū ueniſſet in mentē sagacib. oculis lustrare cœpi latissimos prophetæ campos indagaturus an cū doctissimi interpretes nō minus cultores legis fuerint quàm interpretes, iuxta legis edictum intactam partem aliquam reliquissent, nobis utpote infirmioribus demetendam. Vnde mihi ego quoque uel pauculas spicas decerperem imponendas aris ecclesiæ quasi primitias frugum ne à priuilegijs templi ceu non uerus Israelita ceu penitus asymbolus eliminaret. Succesit ex uoto res non quòd possum equidem quicquā quod illi non potuerunt, sed quòd & illi de legis præcepto noluerunt industriæ posteriorum uiā præstruere, & ea insupereſt agri uastitas, ea fœcunditas ut par illi frumentorū numerus nullus esse possit, ut quàmquam & infinitæ fere & ualentissimæ operæ in eo se totis uiribus exercuerint, dicere tamen euangelicum illud adhuc possumus: Messis multa, operarij pauci. Quæ igitur super hoc libro uiri sanctissimi Ambrosius & Augustinus, Strabus item & Beda & Remigius & ex iunioribus Egidius & Albertus: Quę itē apud Grecos Philon, Origenes, Basilius, Theo

doritus, Apollinarius, Didymus, Diodorus, Seuerus, Euſebius, Ioſephus, Gennadius, Chryſoſtomus, ſcripſerunt intacta penitus à nobis relinquent: Cum & temerarium & ſuperfluũ ſit in ea ſe agriparte infirmum hominem exercere ubi ſe pridem robuſtiſsimæ mentes exercuerunt. De his item quæ uel Ionetes uel Anchelos uel Simeon antiquus Chaldaice tradiderunt, uel ex Hebræis aut ueteres Eleazarus, Aba, Ioannes, Neonias, Iſaac, Ioſeph, aut Iuniores Gerſonides, Sardias, Abraam, uterque Moſes, Salomon & Manaen conſcripſerunt, nullã nos in præſentia mentionem habebimus. Afferemus autem præter hæc omnia ſeptem alias expoſitiones noſtra inuenta & meditata, in quibus illud primum curabimus, euincere ſi poterimus tres difficultates, cum quibus uidentur his omnib. qui enarrandum librum hunc ſuſceperunt magna & difficilis fuiſſe collucta tio. Prima eſt nequid aut minus ſufficienter aut parum doctè & ſapienter à Moſe dictũ uideatur. A qua ſe quidam hoc pacto exoluerunt, quod idcirco neq; dixit de omnib. neq; attulit grãdia & ſublimia, quia rudi populo loqueret qui nõ erat intelligentiæ omnium ſatis idoneus. Nos credere poſſumus ſatisfactum rudib. auditorib. ſi lumen ſcientiæ quod introſpicerent ſapientes craſsioribus uerbis quaſi cornea teſta circumdatũ obduxerit ne hebetiores inde oculi perſtringerent. Attulerit ergo lumen ut ſanis oculis proforet, incluſum tamen & uelatũ attulerit ne lippientibus officeret. Neq; enim minus ille aut debuit aut potuit aut noluit iuuare doctos quàm indoctos. Secunda eſt difficultas ut tenor idem ſit interpretamẽti ſibi conſentiens ex ſe aptus & uno quaſi ductu tota ſeries à quo primitus ſenſu proficiſcit in eundem illũ quaſi memor propoſiti referat. Nec ſi fortaſſe hic de Ideis loquentẽ introducamus, proxima clauſula de elementis agere, uel de homine illum uelimus. Arbitrariũ hoc & uiolentum genus expoſitionis. Quod euitare tamẽ in huius libri enarratione impoſſibile multis ne dicã difficile operoſum profecto omnib. uiſum eſt. Tanta eſt perplexitas, tanta ambiguitas, tanta uarietas uniuerſæ lectionis. Vide quãti laboris quàm nõ factu ſit facile id quod animo nos cõcepimus (utinam cõſequamur) ut nõ uno duntaxat ſed ſeptemplici ſenſu à capite ſemper nouũ opus exorſi perpetuæ & impromiſcuæ expoſitionis ordine totam hanc mundi creationem, nihil uſi priorum opib. interpretemur. Tertia difficultas in hoc uerſatur ne extraneum aliquid uel prodigioſum uel alienum à rerum natura quæ nunc cõſpicit, & à ueritate quam à philoſophis meliorib. compertã noſtri etiam receperunt afferentẽ prophetam. Imò per prophetã diuinum ſpiritum faciamus. Cur aũt ſeptem à nobis allatæ expoſitiones qua ratione ſuſceptæ, quod noſtrum conſilium, & quæ neceſsitas nos ad eas impulerit. Quid omnino ſit nouum hoc quod afferre molimur ſequenti capite palam faciemus. In quo illius qui de hac materia, id eſt, de mundi creatione abſolutiſsime, ad naturæ ipſius æmulationem ſi

nem sit scripturus ideam pingentes conabitur tum in sequentib. re comprobare, prophetam nostrum ab illa nihil quasi archetypo decidisse: Sed assequutum omnibus numeris ita ut nihil aliud pro tali idea quàm ipsemet proponendũ sit omnibus & magnitudinem eius admirari omnes facilius quàm æstimare pro dignitate possimus. Debentur aũt tibi hæc nostra qualiacunq; sint adhuc rudimenta nostræ iuuentutis Laurenti uir clarissime uel quia sunt mea qui tibi meipsum iampridem dedi & uoui, uel quia hoc ipsum tu nobis in quo sunt nata Fesulani secessus ocium parasti. Quod interuentu etiam crebro uel assiduitate potius Angeli Politiani familiaris tui condit, cuius amœnum & fertile ingenium quàm antea flores literarum uarios extulerat, tam nũc ut arbitror solidam philosophiæ maturamq; adeò frugem polliceť. Accedit quòd consuetũ est cum his quos amamus uel colimus festum aliquid aut lætũ euenit nõ solum uerbis congratulari, sed aliquod etiam munere fauere ut sic dixerim illorũ fœlicitati & testatã apud eos facere lætitiã animi nostri. Opportunè igitur nostra hæc lucubratio ad te uenit quo tẽpore Ioãnes filius ea ætate qua nemo antea summo Christianorum ordinũ collegio à Pontifice summo Innocentio octauo destinatus est, & indole ipsius quæ de se bona omnia, promittit, & tuis meritis tuaq; authoritate id sibi iure & merito postulantibus. Reliquum ut optemus dignum se ille exhibeat hac dignitate. Quod fecerit si quem & patrem & dignitatis authorem habuit, eundem uitæ exemplar, id est, prudentiæ totiusq; uirtutis habuerit. Vale.

IOANNIS PICI MIrandulæ in Heptaplum, de opere sex dierum Geneseos, ad Lectorem Prefatio.

TRES mundos figurat antiquitas, Supremũ omniũ ultramundanum, quem theologi angelicum, philosophi autem intellectualem uocant, quem à nemine satis pro dignitate decantatum Plato inquit in Phędro, proximũ huic cœlestem, postremum omnium sublunarem, hunc quem nos incolimus. Hic tenebrarum mundus, ille autem lucis, cœlum ex luce & tenebris temperatur. Hic per aquas notatur fluxa instabilisq; substantia, ille per ignem lucis cãdore & loci sublimitate, cœlũ natura media, id circo, ab Hebræis שָׁמַיִם quasi ex אֵשׁ & מַיִם ex igne & aqua quæ diximus cõpositum nuncupatũ. Hic uitę & mortis uicissitudo, illic uita perpetua & stabilis operatio, in cœlo uitæ stabilitas operationũ locorũq; uicissitudo. Hic ex caduca corporum substãtia, ille ex diuinæ mẽtis natura, cœlum ex corpore, sed in corrupto, ex mẽte sed mãcipata corpori cõstituitur. Mouetur tertius à secundo, secun-

dus à primo regitur, & sunt præterea inter eos differentiæ plurimæ, quas hic enarrare nō est consiliū, ubi hæc præterfluimus potius quàm inunda mus. Hoc nō prætermiserim figuratos hos mūdos tres à Mose euidentis sime in admirabilis illius tabernaculi sui constructione. Partitus est enim tabernaculum in partes tres, quarū singulæ singulos quos diximus mun dos representare expressius nullo modo possent, etenim prima pars nul lo defensa tecto uel umbraculo imbrib. niui, solibus, calori, frigoriq; ob uia erat & opportuna, & quod est nostri, id est, sublunaris mūdi euidētius simulachrū inhabitabant eā, non modo homines mundi & immūdi sacri & prophani, sed & omnifarij generis animalia, eratq; in ea uel ob sacrifi cia iugesq; immolationes uitæ & mortis perpetua uicissitudo. Reliquæ duę partes ambę obtectę & undiq; ab omni peregrina iniuria liberę, quē admodum & uterq; mūdus tam cœlestis quàm supercœlestis, nec iniuriæ capax nec cōtumeliæ. Ambæ itē sanctitatis nomine honestatę ita tamē ut quæ erat secretior, sancti sanctorū, reliqua sancti tantū titulo decoraretur, sicuti quāuis & cœlestis & angelicus mūdus uterq; sanctus, quoniā supra lunā post luciferi casum nec macula nec peccātū aut est aut esse potest, an gelicus tamē cœlesti lōge sanctior & diuinior habet. Sed quid remotiores has similitudines prosequimur? Nā si postrema pars tabernaculi erat ho minib. & brutis cōmunis. secundā, quæ tota auri splendore fulgebat, can delabrum illuminabat septem lucernis distinctū, quæ ut dicūt omnes in terpretes Latini, Græci & Hebræi septē Planetas significāt: In tertia par te omniū sacratissima, alata cherubin erāt, nonne nostris tres mūdos ocu lis subijciunt? & hunc quē & bruta & homines incolunt, & cœlestem in quo planetæ coruscant & supercœlestem habitaculum angelorū. Admo nemur aūt hinc etiā altioris euangelici sacramenti. Nam quoniā nobis ad mundū supercœlestem ad angelorū consortiū, reserata est uia per Christi crucē & sanguinē, idcirco illo occūbente scissum est uelum tēpli, quo sanc ta sanctorū, per quæ angelicū diximus mundum significari, ab alijs par tibus discludebant. Quod fuit indicio patere iam aditū homini ad Dei re gnū, ad Deum ipsum, qui uolat super cherubin, aditū ab initio ob pecca tum primi parentis iustitiæ legib. occlusum. Hæc satis de trib. mundis, in quib. illud in primis magnopere obseruandum unde & nostra fere tota pendet intentio esse hos tres mundos mundū unum, nō solum propter ea quod ab uno principio & ad eundē finē omnes referant, aut quoniam debitis numeris tēperati & harmonica quadā naturæ cognatione atq; or dinaria graduum serie colligent: Sed quoniam quicquid in omnib. simul est mundis, id & in singulis cōtinetur, neq; est aliquis unus ex eis, in quo non omnia sint quæ sunt in singulis, quam Anaxagoræ credo fuisse opi nionem si recte eū sensisse putamus explicatam, deindeà Pythagoricis & Platonicis. Verū quę in mundo sunt inferiori in superiorib. sunt, sed me

liore

liore nota, quæ itidem sunt in superioribus in postremis etiã uisuntur, sed degenere cõditione & adulterata, ut sic dixerim natura. Est apud nos calor qualitas elementaris, est in cœlestib. uirtus excalfactoria, est in angelicis mentib. idea caloris. Dicã aliquid expressius. Est apud nos ignis quod est elementũ. Sol ignis in cœlo est, est in regione ultramundana ignis seraphicus intellectus. Sed uide quid differãt. Elementaris urit, cœlestis uiuificat, supercœlestis amat. Est aqua apud nos, est aqua in cœlis, huius motrix & domina, uestibulum, scilicet, cœlorũ Luna: Sũt aquæ & super cœlum, mẽtes cherubicæ. Sed uide quæ in eadem natura disparilitas conditionis, humor elementalis uitæ calorẽ obruit, cœlestis eũdem pascit, supercœlestis intelligit. In primo mundo Deus unitas prima, nouẽ angelorum ordinib. quasi sphæris totidem præest immobilisq; ipse omnes mouet ad se. In mũdo medio, id est, cœlesti cœlum empyreum, nouẽ itidem sphæris cœlestibus quasi dux exercitui præest, quæ cũ singulæ motu incessabili uoluant, illud tamen Deum imaginans immotum est. Sunt & in mũdo elementari post materiã primam ipsius fundamentũ, nouem sphęræ formarũ corruptibilium. Tres, scilicet, corporum uitæ expertiũ quæ sunt elementa & mixta, tum inter hæc media, quæ mixta quidem sed imperfecta, quales in sublimi quæ fiunt impressiones. Tres uegetabilis naturæ, quæ in tria primum genera diuiditur, herbarũ fruticũ & arborum. Tres animæ sensualis, quæ aut imperfecta est, qualis quæ in Zoophytis, aut perfecta quidem, sed intra terminos irrationalis phantasiæ, aut quod summum in brutis est, humanæ etiam capax eruditionis, quod quasi medium est inter hominẽ & brutum, sicut Zoophytũ medium est inter brutum & plantam. Sed de his plura quàm opus sit, hoc tantũ addiderimus mundorum mutuam continentiã sacris etiã literis indicari. Cum & scriptum in Psalmis sit: Qui creat cœlos in intellectu, & angelos Dei legimus spiritus esse & ministros eius flammã ignis urentis, hinc sæpe diuinis cœlestia cognomenta, sæpe etiam terrena, dum nũc per stellas, nunc per rotas & animalia, nunc per elementa figurãtur, hinc & terrenis sæpe cœlestia nomina. Quoniam, scilicet, astricti uinculis concordiæ uti naturas ita etiã appellationes hi omnes mundi mutua sibi liberalitate condonãt. Ab hoc principio (si quis fortasse hoc nondũ aduertit) totius sensus allegorici disciplina manauit. Nec potuerunt antiqui patres alijs alia figuris decenter representare nisi occultas, ut ita dixerim, totius naturæ & amicitias & affinitates edocti. Alioquin nulla esset ratio cur hoc potius hac imagine aliud alia quàm contra repręsentassent. Sed gnari omnium rerum & acti spiritu illo qui hęc omnia non solum nouit, sed fecit naturas unius mundi, per ea quę illis in reliquis mundis nouerant respondere aptissime figurabant. Quare eadem opus cognitione (nisi idem adsit & spiritus) his qui illorum figuras & allegoricos sensus interpretari recte uoluerint:

rint. Eſt aũt pręter tres quos narrauimus quartus alius mundus in quo & ea omnia inueniant quę ſunt in reliqs, hic ipſe eſt homo, qui & propterea, ut catholici dicũt doctores in euãgelio, omnis creaturæ appellatione cẽſetur. Cũ prædicandũ hominib. euangeliũ non aũt brutis & angelis, prędicãdum tamen omni creaturæ à Chriſto demandat. Tritum in ſcholis uerbum eſt eſſe hominẽ minorem mundũ, in quo mixtũ ex elemẽtis corpus, et cœleſtis ſpiritus, & plantarum anima uegetalis, & brutorũ ſenſus, & ratio, & angelica mẽs & Dei ſimilitudo conſpicit. Quatuor igit hos mũdos ſi ſtatuamus, credibile eſt Moſem dicturũ de mũdo ſufficienter, de his omnibus diſſeruiſſe, & cũ naturã ſcriptor effigiet ſi ſit naturæ cõſultus qualem hunc noſtrũ ſi quem aliũ credimus, credibile doctrinã de illis nõ aliter diſpoſitã quàm in ſeipſis illos omnipotẽs Deus opifex diſpoſuit, ut ſit uerę ſcriptura hæc Moſeos imago mundi expreſſa, quemadmodũ legimus etiã ei præceptũ in monte ubi hæc didicit ut omnia faceret ſecũdum exemplar quod in mõte uiderat. Primũ igitur quod eſt omniũ maximum ſicut oſtendimus, quæ ſunt in omnib. mundis cõtineri in ſingulis, debuit Moſes ęmulator naturæ de nullo uſquã ex illis mũdis agere, quin ſub eiſdem uerbis eodẽq; cõtextu de omnib. ſimul pariter ageret. Vnde quadruplex ſtatim totius Moſaicę lectionis expoſitio naſcit, ut primo loco quicquid ibi eſt ſcriptũ, de angelico mũdo & inuiſibili, nullam omnino de alijs mentionẽ habentes enarremus. Secũdo loco itidẽ omnia de cœleſti mundo, Tũ de ſublunari hoc & corruptibili. Quarto de natura hominis. Nam ſi uſquã de intelligibili puta tractabitur, quin ſicut ille in ſe poſtremas omnes naturas cõtinet, ita & eadẽ de reliquis mũdis nos ſcriptura admoneat, poſſumus certe imò debemus omnes particulas de omnib. interpretari. Rurſus ſicut naturæ quanquã in ſeipſis promiſcuæ inuicẽ contineantur, diſcretas tamẽ proprias ſedes, & peculiaria quædã iura ſortitæ ſunt, ita & ſi ſingulis in partib. præſentis operis de quadruplici natura eadem ſerie literæ diſſeraf: credendum tamen prima in parte de prima agi natura peculiarius, atq; eodem ordine deinceps in reliquis. Vnde & quintæ exoritur expoſitionis neceſsitas. Accedit quod qua ratione hæc ſunt diſtincta, qa tamen nulla eſt multitudo quæ nõ ſit una diſcordi quadã cõcordia ligantur, & multiformibus nexuũ quaſi catenis deuinciuntur. Quod cũ toto etiã opere agere Moſem ſit ueriſimile, ad ſextã iam nos interpretationem uel inuitos uocat. In qua oſtendemus quindecim eſſe modus. Quib. rem aliam alij cognatã uel coniunctã intelligere poſſumus, & cum neq; plures ſint nec pauciores ita eos omnes & ſufficiẽter & dilucide à propheta expreſſos, ut nihil expreſsius unquã de rerum natura ſcripſerit Ariſtoteles. Poſtremo quemadmodũ ſex diebus Geneſeos ſabbatum ſuccedit, id eſt, quies, Congruũ ut & nos poſt procedentiũ à Deo rerum ordines diſtributos, & explicatã eorum unionem & differentiã, fœderaq; & habitudines

septima

ſeptima iam & ſabbataria (ut ſic dixerim) enarratione de creaturarū felicitate, deq; reditu ad Deū qui per Moſaicā, & Chriſtianā legem elongato inde ob peccatum primi parentis homini contigit aliqua perſtringamus, referantes quæ de his in præſenti ſcriptura Moſes apertiſsime occultauit, ut fiat palam de Chriſti aduentu, de eccleſiæ profectu, de gentiū uocatione, expreſsiſsimū hic uaticiniū legi. Vt ſit uere hic liber, ſiquis alius talis, liber ſeptem ſignaculis obſignatus, plenus omni doctrina, omnib. myſteriis. Non aūt imitabimur eos qui aggreſsi aliquando hāc mundi creationem exponere. Quicquid uſquā apud philoſophos & apud theologos de Deo, de angelis, de materia, de cœlo, deq; tota natura diſputatum eſt huc congeſſerūt. Quod apud Hebræos maxime Iſaac Perſa & Samuel Ophinides peccauerunt: Sed ſolum quid ſibi Moſaica litera uelit, quid uerborum contextus uel indicet uel ſignificet declarare pro uiribus annitemur. Nec ſi oſtendemus per firmamentū, puta octauā ſphæram ſignificari, ſtatim de illa exordiemur diſputationē, quo pacto rapiat cæteras ſphæras, quot ſignis diſtincta, quot imaginibus, ſimplici ne motu, an potius duobus an uerius tribus in diuerſa roteť. Aut ſicubi dictione aliqua indicari hominis animū dixerimus, digrediemur ad omnia quæ ſcribunť de anima enucleāda, ſed ea tantū de unaquaq; re ſtrictum etiā & curſim annotabimus, de quibus mentionem author expreſſam facere uideať. Dixi ſtrictim etiam & curſim, quia nō illud hoc opere eſt conſiliū, ut qui hæc, alibi non didicerunt hic primum diſcant, ſed ut quæ ſciunt iam eſſe uera in prophetæ uerbis agnoſcant, & quæ immenſis uoluminib. digeſta à theologis & philoſophis legerūt, quo pacto hic paucis & comprehenderit & occultauerit intelligentes, reuelata facie legislatorem loquentē audiant. Quod ſi quis etiam forte actus ſpiritu ſanctæ ruſticitatis non tam petita hæc altius myſteria non probauerit quàm ſimpliciorē potius & ſibi accommodatiorē optauerit ſacri contextus enarrationē: Iubebo eum prius meminiſſe Pauli præcipiētis ne aut qui manducantē ſpernat, aut qui non manducat manducantem iudicet. Tum ipſum nō meis ſed Auguſtini in ipſa etiam ſua in Geneſim expoſitione alloquar uerbis in hunc modum: hæc tu ſi potes apprendas, ſi nondum potes relinquas ualentioribus. Tu uero cum ſcriptura nō deſerente infirmitatem tuā & materno inceſſu tecum tardius ambulante proficias. Illa enim ſic loquitur ut altitudine ſuperbos irrideat, profunditate attentos terreat, ueritate magnos paſcat, affabilitate paruos nutriat. Sed redeamus ad nos & ab ipſo corruptibili mundo quem habitamus exordientes præſtemus quantum, ſcilicet poſſumus quod polliciti ſumus. Alioquin & in magnis eſt ſatis uoluiſſe, & ut inquit Pomerius, magnarum rerum magnus conatus profectus eſt. Moſaica uerba exponenda.

VER-

VERBA IPSA PROphetæ quæ exponenda ſuſcepimus hæc ſunt.

IN principio creauit Deus cœlum & terram: terra autem erat inanis & uacua, & tenebrę erant ſuper faciem abyſsi, & ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas, & dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, & uidit Deus lucem quòd eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitq; lucem diem & tenebras noctem, factumq; eſt ueſpere & mane dies unus. Dixit quoq; Deus fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentũ, diuiſitq; aquas quæ ſub firmamento ab his quæ erãt ſuper firmamentum, & factum eſt ita: Vocauitq; Deus firmamentum cœlum, & factum eſt ueſpere & mane dies ſecundus. Dixit uero Deus congregentur aquę quę ſub cœlo ſunt in locum unum & appareat arida, & factum eſt ita & uocauit Deus aridam terram, congregationesq; aquarum appellauit maria, & uidit Deus quod eſſet bonum, & ait germinet terra herbam uirentem, & facientem ſemẽ & lignum pomiferum facientem fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram, & factum eſt ita. Et protulit terra herbam uirentem & facientem ſemen iuxta genus ſuum lignumq; faciens fructum, & habens unumquodq; ſementem ſecundum ſpeciem ſuam, & uidit Deus quòd eſſet bonum, & factum eſt ueſpere et mane dies tertius: Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli & diuidant diem ac noctem & ſint in ſigna & tempora & dies & annos ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram, & factum ita, fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare maius ut præeſſet diei, & luminare minus ut prę eſſet nocti. Et ſtellas, & poſuit eas in firmamento cœli ut lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti. Et diuiderent lucem ac tenebras, & uidit Deus quòd eſſet bonum, & factum eſt ueſpere & mane dies quartus. Dixit etiam Deus, producant aquę reptile animæ uiuentis & uolatile ſuper terram ſub firmamento cœli: Creauitq; Deus cete grandia & omnem animam uiuentem atq; motabilem quas produxerant aquę in ſpecies ſuas, & omne uolatile ſecundum genus ſuum, & uidit Deus quòd eſſet bonum, benedixitq; eis dicens. Creſcite & multiplicamini & replete aquas maris, aueſq; multiplicentur ſuper terram, & factum eſt ueſpere & mane dies quintus. Dixit quoq; Deus producat terra animam uiuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia terræ ſecundum ſpecies ſuas, factumq; eſt ita, & fecit Deus beſtias terrę iuxta ſpecies ſuas, iumenta & omne reptile terræ in genere ſuo, & uidit Deus quod eſſet bonum. & ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris & uolatilibus cœli & beſtijs uniuerſæ terræ omnique reptili quod mouetur in terra, & creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ad imaginem Dei creauit illum.

Hactenus exponendum Moſem ſuſcepimus. Totã autem expoſitionem in ſeptem libros ſiue tractatus partitus ſum, potius ut imitarer Baſiliũ & Auguſtinum quàm propterea quòd hac crebra diſtinctione quaſi interiungens legentis intentio recreatur. Accedit quod cum ſeptem ſint expoſitiones ſeptem libris digeſtę ſingulique libri ſeptem capitibus diuidantur ſeptem creationis diebus omnia reſpondent. Factum item à nobis ratione congruentiſsima, ut quemadmodum ſeptima dies apud Moſem ſabbatum eſt & dies quietis: ita expoſitio quælibet noſtra ſeptimo ſemper capite in Chriſtum deriuetur, qui & finis eſt legis, & noſtrum eſt ſabbatum, noſtra quies, noſtra fœlicitas.

IOANNIS PICI MIrandulæ, de mundo elementari, Libri primi, Expoſitionis primæ

Caput I.



ATVRALES Philoſophi qui de natura rerum corruptibilium differunt, de principijs earum ſic ſtatuunt in uniuerſum, eſſe materiam rudem, formarum expertem, idoneam quidem omnibus formis ſuſcipiendis, ſua tamen natura omnibus priuatam. Quaræ præter materiam, priuationem etiam faciunt principium rerũ naturalium. Adiecit Auerrois eſſe materiam trino dimenſu, in longitudinem, latitudinem, altitudinẽq; protenſam, ne, ſcilicet, res corporeæ de incorporeo ſubiecto fieri dicerentur. Tum afferunt tranſmutantẽ cauſam quam uocãt efficientẽ. Cuius ui tractata materia, quod eſt potentia actu, fiat aliquando quemadmodũ mollis cera & indefinita ductu manus atque tractu in diuerſas figuras pro tractantis arbitrio transformatur. Quoniam autem nihil natura temere agit, ſed boni alicuius conſequendi gratia finalis cauſa ſe ſtatim infert, & proximus quidem finis agentis cauſæ forma eſt quã de materiæ gremio eruit. Hoc enim illa cõſilio agit & uerſat, ut ad perfectum habitũ formæ illam perducat, unde & forma tertium principium ab Ariſtotele ſtatutum: Hæc autem de materiæ ſinu educi non poteſt, niſi affectæ prius & præparatæ congruis qualitatibus. Circa quas totus opificis labor, tota actionis mora conſumitur: ipſa, ſcilicet, ſpecie indiuiduo momento quaſi præmio laboris ſtatim effulgente. Opificẽ ipſum cauſam potius quàm principium uocant Peripatetici. Diuinorum autem memores ſemper diuini Platonici admonitos nos uolunt naturales agentes cauſas, & ſi ſolæ appareant nobis quæ corpora agant, forment & tranſmutent, haud tamen primarias eſſe cauſas eorum quæ fiunt, ſed inſtrumenta potius diuinæ artis cui obediunt & famulantur. Quemadmodum fabri manus & ſi ipſę totam domus materiam, ligna, lapides, cementa, componant, ordinent, & tranſmutent, nihilq; uideatur præter eas cui factura domus accepta referatur, nouimus tamen organũ illas eſſe obediens & ſeruiens quæ conſtituta in animo architecti domum quam ſimul concepit particulatim digerit explicatq; inſenſibili materia, hinc factum ut ipſi duas cauſas adiũciant organicam & exemplarem. Quod neque negant Peripatetici: Immo confirmant apud quos tritum illud: Omne opus naturæ opus eſſe intelligentiæ. Hæc ſunt quæ in commmune dicuntur de rebus

cor-

corruptibilibus, quæ omnia ita in opere primi diei cõplexus est Moses ut neq; certius neq; aptius de his quicq; dixerint Philosophi probatissimi.

CAPVT SECVNDVM.

PRincipio igitur duas statuit causas, agentem & materiam, eam scilicet, quæ actu, & eam quæ est potentia, illam cœlum hanc terram uocat, cui nostræ expositioni attestatur primum authoritas Stoicorum qui agentem causam cœlum, materialem terram uocauerũt, ut scribit Varro, ne Græcos commemorem. Attestatur & ratio. Nam & materia despicatissima omnium naturarum uti est terra omnium elementorum, & simili omnino proportione respondent, ut probant Peripatetici agens materiæ & terræ cœlũ. Terra aũt hæc, id est, materia inanis & uacua ut transtulit Hieronymus, uel ut septuaginta inuisibilis & incomposita, & hæc quidem omnia rudi materiæ informiq; conueniũt, quæ & expers formarum omnium merito inanis & uacua dicitur, & omnino incomposita & inuisibilis est. Verũ Hebraicæ dictiones תֹהוּ & בֹהוּ & quæ hoc loco leguntur à pluribus Hebræis aliter exponuntur. תֹהוּ quidem rem brutam interpretantur, stupentem attonitã. Quod ad materiæ etiam tenebricosam deformemq; faciem ab illis refertur, ob eam causam quòd intẽdentes nos in illius cognitionem attonitos reddit, propter quod & Aristoteles proportione, & Plato nota ratione cognosci à nobis illam dixerunt. בֹהוּ autem ex ui dictionis inchoationem & rudimentum formæ multi exponũt. Idem enim si uerbum uerbo reddamus est בֹהוּ ac si dicamus in eo est, siue eo aliquid est. Quod si sequamur præter subiecti potẽtiam inchoatam in eo formam intelligemus. Quod non solum Albertus & plures Peripatetici, sed ueteres etiam Hebræi crediderunt, ut ex monumentis antiquissimi Simeonis aperte colligimus. Verũ quo pacto hæc sit inchoatio accipienda declarat, adjciẽs: Et tenebræ erant super faciem abyssi. Abyssum uocat terram, id est, materiam trino dimensu in altissimas profunditates extensam. Super hanc tenebræ, id est, priuatio est: principium apud Peripateticos in primis celebre, cui nulla magis appellatio quàm tenebrarũ congruerit. Est autem priuatio qua differt à negatione ut Magnus Albertus constãtissime uult, ipsa hæc de qua dicimus inchoatio formæ, de qua reidem philosophus copiose & subtiliter disseruit. Præterea si subest terra aquis & irrigata, inde parturit quæ postremo & pariat, nónne aquæ hoc loco accidẽtes materiæ qualitates & affectiones significabũt: quæ uel suo fluxu tractabiliq; natura aquarũ speciem gerunt. Quib. ut ita dixerim humectata materia parturit formam, quam extremo temporis momẽto ædit in lucem. Super has aquas spiritus Domini, id est, uis causæ efficientis, Domini organum & instrumentum merito ferri dicitur. neque dicitur ferri super terram quia non attingit agens subiectum aut permeat nisi medijs illis intercedentibus qualitatibus, quas dum uersat & agit oritur lux,

tur lux, id est, formæ species & decor tenebrarum, quas diximus, id est, priuationis expultrix & fugatrix, fitq; Dei uoce sic imperantis, quia nihil agunt causę naturales, quod non diuinæ artis ordo præceperit. Tum fit ex uespere & mane dies unus. Cum ex potentiæ actusq; natura substãtia tertia quod compositum dicimus dissultauit, estq; ratio iam manifesta iuxta hunc sensum cur dies unus dixerit, non primus, & merito lucem uidit quoniam bona. Cum nihil sit aliud natura formæ quàm primi boni imago tenuis & umbratilis similitudo. Hactenus in uniuersum de corruptibili substãtia qualis omnis quæ infra Lunam est, ubi & cœlum & terram, id est, transmutantem naturam & eam quæ transmutatur & terram eandem, id est, materiam uidimus inanem omni specie substãtiæ uacuam item omni forma accidentali: Superq; eam in trini dimensus abyssos extensam priuationis tenebras insidentes, non quidem illi intimas (Neque enim priuatio materiæ essentia est, ut probat Aristoteles) sed extremam eius faciem occupantes. Vidimus item super aquas, id est, fluxas dispositiones materiæ quasi terræ præsentes ferri spiritum Domini, id est, uim causæ agentis, non uti causam principalem, sed uti spiritum Domini, id est, organum diuinæ artis, quomodo spiritus noster uitalis organum animi est, & statim tractãte spiritu aquas illas & peruadente subiectum iussu Dei artificis exorta est lux, id est, formæ decus & splendor.

CAPVT TERTIVM.

QVoniam aũt à communibus generalibusq; ad specialia recto ordine descendimus ut probat, Arist. facturus hoc idem Moses, postquã dixit de his quæ communia sunt rebus omnibus elementaribus, elementalem totam substantiam secunda die trifariam diuidit. Primo autem intelligendum materiales omnes formas, aquarũ appellatione ab illo hic designari quæ congruere magis ne possit quidem. Est enim in sphęra hac rerum generabilium & corruptibilium stante materia quasi alueo mari uti fluxus refluxusq; undarum perpetuus indesinens abeuntium & aduentantium formarum commeatio. Generatio, scilicet, præterit, ut inquit, Salomon, & generatio aduenit, terra autem stat inæternum. Vocãtur enim & formæ istæ apud Platonicos imitatores, semper Hebraicæ disciplinæ generationes potiusquàm formæ quod fieri quàm esse dici uerius possint. Ob quam etiam causam factum ut quo supra nomine, aquarum, scilicet materię qualitates & accidentales formas uocauit, eodem hic uocauerit etiam ipsas materiales substantias, scilicet, ut admoneret non id quidem quod credidit Alexander esse qualitates ipsas elementis formas substantiales, sed quod Platonici magno opere confirmant esse speciem omnem quę in materia est ad accidentis ferè potius quàm ad uerę substantię conditionem referendam. Quem titulum sibi illa legitime uendicant quę per se stant sibiipsis innixa & id quod sunt uera sunt ratione, immixta re-

bus peregrinis & minime adulterata Heraclitus ſenſibilium rerū ſubſtan tiam uocauit mare & apud poëtas inuolucris fabularum uelantes philoſophiā: Cum poſt Saturniā unitatem, id eſt, mundi intelligibilis unionem intra ſe omnia implicātis in tres partes ſenſibilem mundū partirentur, cœleſtemq; adſcriberem regionem Ioui, ſubterraneam Plutoni: Neptuno autem mediam hanc, ſcilicet quæ à Luna ad terram protenditur, de qua nūc agimus: Neptunum maris dominū dixerunt, qui idem apud Platonicos proea uirtute accipit, quæ generationibus præeſt. Sed redeamus ad Moſem diuidentē aquas ab aquis medio firmamento. Triplex enim partitio corporum ſublunariū. Alia ſupra mediam regionem aëris ſunt ſuprema, ſcilicet, pars eiuſdem elementi & puriſsimus ignis quod totū ætheris nomine deſignatur. Ibi pura, immixta & legitima elemēta: Alia infra ipſum aëris meditullium quæ apud nos ſunt, ubi elementum purū nullum (Neque enim purū elementum ſenſibile) ſed mixta omnia ex fœculenta craſſioreq; parte mundani corporis conſtant. Intercedens regio aëris quæ hic dicitur firmamentū, unde & aues ſub firmamento cœli aceo uolantes introducunt: ea eſt regio in qua ſublimes illæ impreſsiones apparēt, pluuiæ, niues, fulgura, tonitrua, cometæ, & cætera id genus. Vide autē recte non ſolum ſitu, ſed & naturæ proprietate hoc firmamentū ſuperiora elementa ab inferioribus quaſi aquis ab aquis diſcriminat & diſtinguit. Supra eam pura ſunt elementa, infra eam perfecta mixtione ab elementali ſimplicitate diſcedunt: inibi mixta fiunt ſed imperfecta mediaq; ut dicatur ueriſsime inter mixtorum elementorumq; naturam.

CAPVT QVARTVM.

SEd uideamus quid ultra? Moſes philoſophetur, congregentur inquit aquæ quæ ſunt ſub cœlo in locū unū, & appareat arida. Arida materia eſt uti iam conſtituimus, nec apparet materia, aut conſpicit, niſi formarum ſpeciem induta, ſed neq; apparet induta ſpeciem elementi, quia ut diximus & probant philoſophi, elementū ſimplex nec uideri, nec tangi nec ſub ullū omnino ſenſum cadere poteſt. Si igit quæ inuiſibilis olim fuerat terra, futurum eſt ut ſub cōſpectu ueniat, neceſſe eſt aquas quæ ſub cœlo ſunt, id eſt, ſub media aëris regione congregari ad locū unū, id eſt, ad communē mixtionis colluuiem confluentes certis legibus, tamē quaſi litorib. præſcriptā in unam mixtionis formā coaleſcere. Quod aquis inferiorib. ut oſtendimus, nō itē ſuperiorib. accidit, ubi aut nulla prorſus aut imperfecta mixtio. Quod ſi anima uegetalis mixtionis formā ſtatim conſequit: Quid aliud à noſtro philoſopho, expectabimus, q; ut poſt illa aquarū congregationē induceret ſtatim terrā herbarū, fruticū, arborūq; fœcundam.

CAPVT QVINTVM.

QVanquā hinc uidebat ordine conſequenti ad animalia tranſeundū, quorū anima uegetali proxime iūcta eſt, tamē quoniā ab animalib. ad ho-

ad hominẽ itur, in quẽ desinit de mundo corruptibili omnis tractatio, ic circo interiecit Moses aliqua de his quę fiũt in firmamẽto, & quib. ipsum ornat, uti terra ornat his quę in ea fiunt, metallis, plantis, & animantibus. Sunt autẽ hæc impressiones illæ quæ in sublimi, id est, in media regione aëris fiunt. Hanc supra & cœlũ & firmamentũ uocauit, hic aũt firmamentum cœli, ut sciamus nõ illud esse quod uere est cœlũ, sed quod cœlo subest. Quare & Ennius in Achille hãc partẽ subijces dixit, propterea quod cœlo proxime sit subiecta. has aũt impressiones secũdarias stellas & syderа & astra à philosophis nuncupati notius est quã ut plurib. cõprobetur, aut duriusculum uideri alicui possit nos de illis exponere quæ de syderib. hic dicunt. Quoniã autẽ horũ omnis diuersitas ad duas primas causas refert, caliditatẽ & frigiditatẽ, referemus conuenienter quę à causa sunt calida ad Solem, quæ uero à frigida ad Lunã. Neq; ob id solũ & Solis & Lunę & reliquorũ syderũ hæc sibi appellationẽ uendicant quod idem sint ipsa inferiori cœlo quod illa sunt suo quanq; diuiniori, uel quòd itẽ simili facie se ostendant hominib. lucẽtia pariter & coruscantia, quã quòd alia ex illis aliud in cœlo sydus tanq; principẽ & ducẽ sequant. Vnde & signa earum sunt rerũ, quæ sydera à quibus fuerint excitata portendere inferioribus soleãt. Huic rei argumento est illud quod motũ syderũ sequuntur, quorũ ui & influxu de terrestri cõfecta materia, id est, uaporoso halatu consistunt.

CAPVT SEXTVM.

MAnifesta iam sequũtur de animaliũ deq; hominis productione. Post plantas enim ea sunt mixta quæ sentiunt & mouent, quanquam & plantis stupidum sensum assẽbãt Pythagorici, quod in ea quam parturimus concordia longioris subsellij opere discutiemus. Hæc autem animantia quæ citra omnem controuersiam motu sensuq; participant: & hic à Mose & in Timæo in uolatilia, & in aquis degentia, & terrestria distinguuntur. Supremus omnium & princeps homo, quo mundi corruptibilis natura progressa sistit pedem & receptui canit.

CAPVT SEPTIMVM.

QVemadmodum autem inferiorum omnium absoluta consummatio est homo, ita omnium hominũ absoluta est consummatio Christus. Quod si ut dicunt philosophi ab eo quod unoquoque in genere est perfectissimũ ad cæteros eiusdem ordinis quasi à fonte omnis perfectio deriuatur: Dubiũ nemini est à Christo homine in omnes homines totius bonitatis perfectionem deriuari. Illi scilicet uni datus spiritus, nõ ad mensuram, ut de plenitudine eius omnes acciperemus. Vide quàm haud dubie hæc ei prærogatiuam debeatur Deo & homini, quæ etiam qua homo est peculiari ei & legitimo priuilegio conuenit.

Ioan. Pici Mirandulæ De mundo cœlesti Expositionis secundæ, Lib. II. Proœmium.

SVrgamus ab elementis ad cœlum, à corruptibilibus ad incorrupta corpora, ut palam omnibus sit eisdem uerbis quibus de elementali nobis tot natura monstrata sunt, de cœlestib. item altissima dogmata à propheta comprehensa. Quod cum nobiscum animo reuoluemus, erit præterea quæ diximus in proœmijs alia nobis in promptu ratio. Cur gratia exempli dicturus Moses de agente causa & de materia, non illam agentem expressis uerbis hanc materiã uocauit, sed cœlum & terram, & materiæ dispositiones, nõ qualitates, ut dicunt philosophi, sed aquas, & formam lucem potius quàm formam appellauit: Cometas item & fulmina & cætera id genus nõ proprijs cognominibus, sed astra & stellas nominauit, atque ita de reliquis. In exordijs quidem allata fuit à nobis cum ueterum consuetudo scribendi res grandes physicas & diuinas occulte & figurate, tũ ruditas auditorũ qui cum splendorem disciplinæ Mosaicæ ferre non possent, oportuit uelata facie uerba facere illis, ne qui illuminandi susciperentur, nimio lumine obcæcarentur. Nunc tertiæ rationis habemus occasionem, quia, scilicet, si materiam, & formam, & qualitates, & causam agentem nominasset, poterant illa quidem corruptibilis mundi tractatibus deseruire, non autem & reliquis. Quare illud est incogitatum & mirum Moseos artificium diuinaq; uerè non humana industria eis uti dictionibus itaq; orationem disponere, ut eadem uerba, idem contextus, eadem series totius scripturæ figuram dis mundorum omnium & totius naturæ secretis apte conueniat. Hoc illud est in quo Moseos liber omnem gentium & doctrinam, & eloquentiam, & ingenium superat. hoc nouum illud & intactum adhuc quod nos afferre tentauimus, ut, scilicet, factum à Mose id nostris hominib. re ipsa comprobaremus. Hæc est idea, hoc est exemplar absolutissimi scriptoris, non ob id solum quòd huiuscemodi scribendi genus ut supra demõstrauimus naturam effigiat & æmulatur, quàm quòd sicut inter mentes angelicas authore Dionysio & diuo Thoma splendore nostræ theologiæ illa est suprema, quæ paucissimis ea notionib. & formis per intelligentiam comprehendit, quæ inferiores uarijs & multiplicibus, ita inter scripturas illa est summa, illa apicem tenet omnis perfectionis, quæ paucissimis uerbis omnia ueluti singula & congrue & profunde complectitur. Sed quid prophetam prodeuntem reuelata facie moramur ultra, ut de cœlestibus nos mysterijs alloquatur? prius tamen quàm loquentem ipsum audiamus, ut simus uerborum illius capaciores præfari paucula quædam de cœlo decimo utile fuerit.

CAPVT PRIMVM.

SVpra nouem cœlorũ orbes, id est, septẽ Planetas & sphęrã octauam, quam uocant inerrantẽ nouumq; orbem, qui ratione, nõ sensu deprehensus est, primusq; est inter corpora quæ mouentur, creditũ esse decimum cœlum fixũ manens & quietũ, quod motu nullo participet. Neq; hoc tantum creditũ à nostris maxime iuniorib. Strabo & Beda, sed à plurib. etiam Hebręorũ, præterea q; philosophis & mathematicis quibusdam. E quib. satis duos sit attulisse Abraam Hispanũ astrologum maximum & Isaac philosophum, quorũ uterq; hoc attestatur. Quin & hic Isaac decimum orbem ab Ezechiele designatum intelligit per Saphyrũ in similitudinẽ throni, ut color Saphyri lucis nitorem throni similitudo immobilitatem eius significet. Figuratas item intelligit decem sphæras à Zacharia per candelabrum aureum distinctũ septem lucernis, & lampadem super caput eius, tum super lampadem oliuas duas. Cũ enim septem lucernæ septem Planetas indicent, & lampas circulum octauum tot luminibus fulgentem, uult per duas oliuas indicari nonam & decimã sphæram, propterea quòd ex oliuis oleum defluit ad lampadem & lucernas, ad luminis nutrimentum. Quare perrationis similitudinem cũ cœlorũ quos nos uidemus lux à supremis illis emanet & conseruetur (qui enim dat lucem idem conseruat) merito illi quidem oliuis, hi aũt lucernis & lampadi comparant. Verum si non possunt eiusdem aquæ duo primi fontes cõstituti, necesse est ex illis duab. supremis sphęris alterã esse, quæ sit principiũ totius lucis. Quod si ad alterã ad primam utiq;, id est, ad decimam referendum est, ut sit ipsa quasi unitas luminũ, tum proxime lumen tota essentia suæ substantiæ nona recipiat. Inde tertio ad Solem plena participatione proueniat, à Sole autem quarto iam ideoq; postremo gradu in omnes stellas partibiliter diuidatur. Supra igitur nouẽ cœlos decimũ statuamus, quem theologi uocãt empyreum. Dubitatum autem à quibusdã natura ne esset corporea an incorporea potius. Nam & unitatẽ forte decet ut numero coelementali respondet analogia naturæ, ita non esse genere eodem. Sed quicquid de hac quæstione statuatur, remaneat inconcussum inibi esse thesauros lucis, & inde quicquid habere luminis uisiturq; in corporibus quasi à primo fonte in cætera deriuari. Neq; enim obstat siquis credere pertinacius quàm uerius uelit non esse illum naturaueré corporea, quãdo in Phœnicũ theologia est, ut scribit Iulianus Cęsar in oratione de Sole, emanare lucem corpoream ab incorporea natura. Præest hic igitur nouẽ sibi serie consequenti succedentibus cœlis, quasi dux exercitui, quasi forma materiæ, & Monados typum gerens denarium implet.

CAPVT SECVNDVM.

VEniamus ad Mosem qui dicturus de omnibus, hũc tanquã primum & principalem cœli peculiariter appelllatione dignatus est, quẽad-

modum licet nouem choros angelicos, quia participant diuinitate uocare Deos possumus. Vnde illud Deus Deorũ. Absolute tamen cũ Deũ dicimus non aliquem ex eis, sed indiuiduã trinitatẽ accipimus præsidentẽ illis, quemadmodũ & empyreũ cœlũ nouem sibi subiectis orbib. præsidet. Terram aũt uocauit octo sphæras postremas, neq; id sine causa, sed ob id factũ quoniã huius numeri extrema sibi terræ appellationẽ uendicant. Ea sunt Luna & cœlum stellatũ, quorũ utrũq; terrã uocare & ueterũ authoritate & ratione præterea cogimur. De sphæra enim octaua frequentissimum in Academia dare illi terræ appellationẽ. Luna itẽ Aristoteles terræ similem dixit, imitatus, scilicet, Pythagoricos, qui eã & terrã cœlestem & terrestre cœlũ appellant. Sed uide quæ ratio ad utrũq; nos ducat. Si enim in cœlo quærimus elemẽta, Lunã terrã statuimus infimã ignobilissimãq; omniũ siderũ, uti est terra omniũ elementorũ opacitate, itidẽ substãtiæ & maculis illi per similem. Tũ aquã Mercuriũ uersipelle sydus & trãsformabilem, ideoq; apud Lucanũ undę arbitrũ appellatũ. Venerẽ aërẽ temperato calore uiuificã Solem ignẽ ratione manifestissima. Tũ ordine inuerso Martẽ ignẽ, Iouẽ aërẽ cognatũ Veneri natura, Saturnũ aquã senẽ, scilicet, dãnatæ frigiditatis, reliquũ ut sphærã octauã, & non erraticã terrã uocemus, uel ipso sic cõputationis ordine postulante. Recte igit hoc totũ quod binis utrinq; terris concludit, supra quod nihil uisibile nobis, terrã uocauit. Tũ subdit & terra erat inanis & uacua inanitate, scilicet, lucis, nõdum à primo cœlo propagatæ ad eã, & reliquarũ uirtutũ, quarũ uehiculum est lux. Neq; hoc dicimus ex nobis, sed ipse author declarat, cuius rei dicat inanitatẽ, adijciens & tenebræ erãt super faciem abyssi, altitudinẽ tantã, tot numero orbium & mirã profunditatẽ iure abyssum uocãs. Verũ ne crederemus inter octauã sphærã & sedes empyreas nihil medium esse, ut crediderũt multi sequuti inditia tantũmodo sensuũ, admonuit nos orbis intercedentis, quẽ per aquas ipse cum figurauerit consone à iunioríb. Chrystallinũ cœlum est nuncupatũ. Super hunc ferebatur, aut ut ueritas habet Hebraica, & Syrus Effren transtulit, incubabat huic spiritus Domini, id est, proximè adhærẽs spiritalis olympus, sedes spirituũ Domini fouebat eum sua luce uiuifica. & recte est factum, ut qui attinens est principio lucis toto corpore & tota sui mole lucem combiberet, propterea nobis inuisibilem quia corpulentia solidiore nõ terminatur. Illi igitur primum incubans suam lucem largiebatur empyreus, quæ mox & in reliquas sphæras quas per terrã & per abyssum dicimus designatas excussis tenebris Deo sic iubente est deriuata & factum est uespere & mane dies unus, quia per lucis & superni influxus receptionem fœderãtur primis cœli inferiores. Summatim igitur prima die & primi cœli eminentia in reliquos & deriuatio inde lucis ad eos, & per aquæ ac terræ cognomina de noni orbis & aliorum multa proprietatibus indicantur.

CAPVT TERTIVM.

IAm uero de motis orbibus particularius pronũcians docere erraticam ſphæram quam dicimus firmamentũ mediam eſſe inter duas aquas, cuius dicti ratio manifeſta ex his quæ diximus, nam & nonus orbis & Saturni planetes, ut declarauimus, aquarũ ſibi appellationem uendicãt. Poſitum ergo à Deo eſt firmamentũ in medio aquarũ, & aquæ quæ ſunt ſub cœlo congregatæ ſunt ad locum unũ & factum ut appareret arida, id eſt, terra, totumq; hoc procuratũ ad ſalutem uiuentium. Videamus quid hæc ſibi uelint Moſeos dicta. Aquæ quæ ſub cœlo ſunt, ſeptẽ ſydera ſunt, quæ ſunt ſub firmamento quod uocauit cœlum, quorũ primus Saturnus. Hæ aquæ congregatæ in locum unum ideo ſunt, quia omnis planetarũ uirtus in uno Sole collecta eſt, quod omnes philoſophi, omnes mathematici uno ore confirmant, & ſi hęc congregatio aquarũ dicta eſt mare, non abſurde hic ille erit oceanus qui pater Deorũ & hominũ ab illis dicit̃ qui planetas deorũ nomine dignati ſunt. Terra aũt quid aliud dicemus quam Lunam ſic ab Ariſtotele & Pythagoricis nuncupatã, quæ cum tota prędicti maris undis obruit̃, nec utilis nobis nec uiſibilis item eſt, ſed tunc & animalium & noſtris uſibus idonea: Cũ ab eo ſecedens mari magis magisq; ſub aſpectum uenit. Tunc fertilis, tunc fœcunda, eorũ pręſertim quę à uegetali natura ſunt. Cuius munera auctio, nutritio & generatio. In hæc enim præcipua uis Lunæ ut dixerunt Chaldæi. Quod & hic à Moſe apertiſsime demonſtratur. Cum eam ſimul atq; apparet, & herbarũ, & fruticũ & arborum, parentem facit. Vide ut nobis naturã Lunæ & Solis pauciſsimis figuratæq; ſubiudicauit. Sed cur tacet de reliquis quem tractaturũ de omnibus ſufficienter & docte in procœmijs noſtris promittamus. Cur inquam cum de decima, nona, octauaq; ſphæra, de Saturno, item Sole & Luna fecerit mentionẽ, de quatuor qui ſuperſunt Venere & Mercurio, Ioue item & Marte ne uerbum quidem. Dixeris forſan ideo factum quia rudis populus Solem tantum nouit & Lunam. Sed hoc perfugium ipſe mihimet ademi, nec poſſum non erubeſcens iſthuc diuertere qui ſupra ſum atteſtatus nihil propterea obmiſſum à Moſe quod ad perfectam mundorũ omnium intelligentiam faceret. Dicat alius qui de Sole ac Luna egit egiſſe de reliquis, quod hi regnũ obtinent cœli & cum particularis aliorũ ſit uirtus, uniuerſali hęc duo ſydera influxu pollent. Sed neq; hoc nobis ſatisfacit, et debuit eadem ratione obmiſiſſe Saturnũ, de quo tamen nos factam mentionem oſtendimus: Altius credo latere myſterium ueteris Hebræorum diſciplinæ, inter cuius de cœlo dogmata, hoc eſt præcipuum concludi à Sole Iouem & Martem, à Luna uero Venerem & Mercurium. Nec ſi horum naturas ſyderum penſitemus obſcura eſt ratio opinionis, quanquam ipſi rationem nullam ſui dogmatis afferant. Calat Iupiter, calat Mars, calat & Sol, ſed Martis calor acer & uiolentus, Iouis beneficus, in So-

le est a cre illud ac uiolentū Martis & Iouis beneficam proprietatem uidemus, id est, mixtā ex his temperatāq; mediam quandam ut ita dixerim naturam. Iupiter fœlix, Mars infaustus, Sol partim quidem bonus, partim est malus, radiatione bonus pocula malus. Est Aries Martis domus, Cancer dignitas Iouis, Sol in Cancro sublimitatem in Ariete dignitatem adeptus manifestam cum utroq; sydere cognationem ostendit. Veniamus ad Lunam quę & aquis Mercurij manifeste participat, & quantā habeat cum Venere affinitatem præsertim hinc indicat quòd ita in Tauro Veneris domicilio sublimatur, ut nusquā fœlicior aut magis benefica iudicetur. De cœlo igitur empyreo, de nono orbe, de firmamento, de sydere Saturni, deq; Sole ac Luna qui reliqua complectuntur ipso silentio huius complexus nos admonens sufficienter hactenus dixit.

CAPVT QVARTVM.

REstabat ut postquam de natura syderum dixerat, de operibus, deq; eorum officio differeret, declarans in quem usum fundata & cui muneri delegata à Deo fuerint. Scio autē agi adhuc de cœlo ut de lucido corpore. nihil de intellectu, nihil de motrice, ut eius adhuc dictum à prophęta quem ordinem etiam Timæus sequitur. Primo corpus fabricans, tum corpori absoluto animū apponens, cœlestium corporum duæ in uniuersum manifestæ operationes, motus & illuminatio. Motus duplex statuitur, alter mundi totius quo cœlum & æther uigintiquatuor horis per totum spacium uniuersi perfecto ambitu circūuoluuntur, alterū syderum proprius multiplex & uarius inter quos principalis est motus Solis, qui spacio duodecim mensiū Zodiaci signa omnia circuit. Ille diem facit unde & diurnus dicitur, hic autem annum reliqui syderū motus uarijs temporum interuallis peragunt. Recte igit & breuiter nos omniū admonuit, Moses, cum dixit, posita sydera in firmamēto in dies, annos, & tempora. Addidit in signa, quod quia satis ab alijs interpretib. exponitur ego prętereo. Indicauit præterea expresse reliquā operationē syderum, quæ est illuminatio, cum dixit statuta illa ut lucerent in cœlo & terrā illuminarent. Quanquam aūt diuersæ sint sententiæ ueterū, quid cœlestia influant inferioribus, in quālibet tamen apte cadunt Moseos uerba. Nam si nihil aliud influunt quàm lucē, quod uidetur Aristoteles uoluisse si religioso & non pro nostro arbitrio illius uerba interpretemur, nihil poterit cogitari Mosaicis dictis conuenientius, si pręter lucem calorem etiam influunt, nihilq; præterea aliud ut Auerrois Arabs & Abraam Iudæus uolūt, satis fuit dixisse de luce à qua idem authores prouenire calorē fatent. Si itē plures aliq; uirtutes atq; multiplices isthuc cœlitus demittunt, ut Auicennæ ut Babylonijs usum nō temere de sola luce mentio facta, quādo ut ipse scribit Auicenna sola est lux quæ reliquas omnes uirtutes de cœlo uehit ad nos. In hæc igit ministeria & Lunæ & Solis & stellarū sunt corpora distributa.

CA

CAPVT QVINTVM.

RElíquum erat ut & ſignorũ quæ ſpectabília ſunt in Zodíaco, & eorum quæ quanquã inuiſa nobis longe tamẽ efficaciora in cœlo ſunt Chryſtallino mentionẽ faceret. De his enim nihil hactenus dictum. Hoc igitur ſibi uolunt animalia quæ & aquæ producũt & terra producit, utique illæ aquæ quæ ſunt ſuper cœlos & terra quæ ipſum eſt firmamentũ ut ſupra eſt comprobatũ. Signa enim quæ in illis ſolis duob. orbibus uiſuntur in ſpeciem animaliũ, qualia quæ apud nos ab Aegyptijs & Indis nota ta ſunt, quæ potuerũt illi & facilius & rectius quàm noſtri deprehendere adiuti ab ipſa ſoli planitie & cœli ſerenitate. Alioquin animalium quæ hic ſunt caduca productio non magis attinet ad hæc duo elementa, terram & aquam quam ad reliqua, uidelicet ignem, & aërem, & quoniã aquæ dedit appellationẽ orbi Chryſtallino congruenter quæ ibi animalia piſces, rurſus quæ in firmamento quod terram dicit iumenta & beſtias uocauit.

CAPVT SEXTVM.

HActenus de corporea cœlorũ natura. Nũc prędita ea anima rationali declaraturus allegorice hominis meminit, nõ utiq; illius qui eſt caducus & terreus & quẽ uidemus, ſed à quo (ut inquit Plotinus) is regit homo qui uidet. Ille ipſe animus eſt rationalis, quẽ ex eiſdẽ elementis, & in eadem patera, ex quib. & cœli animã cum Timæus cõſtituat, nõ incongrue quæ dicũtur de hominis animo ad cœli etiã animum trãsferunt. Adſtipulantur noſtræ expoſitioni literæ ſacræ, in quib. ſæpe angelica omnis natura & rationalis per hominẽ deſignatur. Frequentiſsimũ hoc in prophetis de bonis angelis, & de malo etiã dæmone, qui nihil natura differt ab illis, ſcriptum eſt in Euangelio: Inimicus homo hæc fecit. Adiecit igitur Deus cœleſti machinæ uiuã ſubſtantiam & rationalem participem intellectus: Ideoq; ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam hanc noluit præeſſe, de quibus paulo ante diximus animantibus, id eſt, ſydereis omnibus ſignis & Planetis, quę illius ita nutu uerſantur, ita dicto obediunt, ut nulla mora, nulla ſit contumacia: Quod brutis elementorũ corporib. nõ pariter accidit. Neq; temere aliud inuenies in quo magis deſudent Peripatetici, q̃ ut probẽt nihil reluctari cœleſte corpus ſuo motori, quemadmodũ noſtra nobis corpora reluctantur. Quare neq; illis ut nobis ex perpetuo motu, aut tędium, aut difficultas, aut fatigatio, hoc eſt imperiũ, quod tetigit Moſes cœleſtis hominis in animalia. Non itẽ uacat myſterio quòd illum hominẽ marem & fœminã creauit. Eſt enim hæc prærogatiua animorũ cœleſtium, ut ſimul utrunq; obeant munus & contemplandi & regendi corpora, neq; aut hoc illi, aut huic illud obſtrepat, impedimentóue eſſe poſsit. Vſurpatum autem maximè à ueteribus, quod in orphicis etiam hymnis obſeruamus, duas has uires in eadem ſubſtantia, quarũ altera contemplat, altera prœeſt corpori cognominib. maris & fœminæ deſignare, hæc de cœleſti mũdo,

de diui-

de diuino, scilicet, corpore, de numero orbium, de natura & proprietatibus, de officio. Postremo de motrice ui eius, rationali substantia, deq; eius ingenio à propheta traduntur.

CAPVT SEPTIMVM.

NObilis hæc creatura & à nobis suscipienda & celebranda. Sed si uel Platonicæ sententiæ, ut theologos taceã, cuius modo meminimus non sumus obliti temperatos à nimos nostros ab opifice Deo in eodem cratere, ex eisdemq; elementis cum cœlestibus animis, uideamus ne nos illorum seruos uelimus, quorum nos fratres esse natura uoluit. Neque nostram conditionem de hoc infirmo corpore metiamur. Neque enim homo (ut scriptum in Alcibiade) hoc quod uidemus fragile & terrenum, sed animus est, sed intellectus, qui omnem ambitum cœli, omnem decursum temporis excedit. Cauendum igitur ne quod multa faciũt: plus cœlo dantes, plus tribuentes quàm sit necesse & uolũtati opificis & ordini uniuersi repugnemus, simulq; ipsi cœlo cui Dei consilia & mundi ordo maxime cordi sunt, dum studemus placere displiceamus. Hoc admonent Chaldæi dicentes: Ne augeas fatum. hoc prædicat Hieremias: Ne timeatis, inquit, signa cœli quæ gentes timent. Hoc præcipit alibi propheta noster admonens cauendum homini ne suspiciens, Solem, Lunam & Stellas, colat ea quæ Deus creauit in ministerium cunctis gentibus. Quod si in eum sensum quis non accipiat quasi illa seruiant nobis uti ignobiliora & mortua corpora significari tamen intelligamus authorem aut dominam naturæ nostræ eam substantiam esse non posse, cuius uel altera pars etiam uilior aliqua parte quæ sit in nobis ignobilior inueniatur. Neque enim in opere perfectius aliquid esse, aut potest, aut debet his quæ sunt in opifice. Illum igitur timeamus amemus & ueneremur. In quo, ut inquit Paulus, creata sunt omnia siue uisibilia siue inuisibilia. Quod est principiũ, in quo fecit Deus cœlum & terram, hoc autem est Christus. Ipse enim percunctatus quis esset optime sui gnarus, respondit: Ego principium qui loquor uobis. Quare neque stellarum imagines in metallis, sed illius, id est, uerbi Dei imaginem in nostris animis reformemus: Neque à cœlis, aut corpore, aut fortuna, quæ nec dabunt, sed à domino cœli, domino bonorum omnium, cui data omnis potestas in cœlo & in terra, & præsentia bona quatenus bona sunt, & ueram æternæ uitæ fœlicitatem quæramus.

De mun-

De mundo angelico & inuisibili,

Expositionis tertiæ, Lib. III. Proœmium.

HActenus de cœlesti mundo pro uiribus nostri ingenij mysteria Mosis reuelantes disputauerimus. Nunc autem quis dabit mihi pennas sicut columbæ, pennas deargentatas & rutilas pallore auri, & uolabo in supercœlestem regionem, ubi uera est quies, uera pax, uera tranquillitas: Pax utique quam hic uisibilis & corporeus mundus dare nõ potest. Reuelate uos oculos meos ultramundani spiritus, & contemplabor miracula uestræ ciuitatis, ubi reposuit Deus timentibus se, quæ nec uidit oculus, nec auris audiuit, neque cor cogitauit. Cum autem de hac natura angelica, & inuisibili ab Hebræis ueteribus multa, multa item à Dionysio tradantur, erat consiliũ Mosis uerba exponere iuxta doctrinam utriusque familiæ. Sed quoniã quæ ab Hebræis dicuntur (cum sint inusitata) apud Latinos intelligi à nostris hominibus facile non possent, nisi à gemino (quod aiunt) ouo exorsi, plurima, & fere omnia ueteris disciplinę Hebraicæ gentis dogmata enarrabimus: Cogitaui differendum donec de his alibi latius scripserimus, & nostratib. notas fecerimus illorum opiniones, ubi quantum Aegyptijs monimentis, quantum Platonicæ philosophiæ, quantum catholicæ ueritati consonent examinantes, si cubi quidem concordabunt nobiscum, iubebimus Hebræos stare in antiquis patrum suorum traditionibus, si cubi dissonabunt instructi catholicis legionibus impressionem faciemus in eos. Denique quicquid alienum ab euangelica ueritate deprehendimus confutabimus pro uirili, quicquid sanctum & uerum à synagoga ut ab iniusto possessore ad nos legitimos Israëlitas transferemus. Interea Dionysij uestigijs insistentes aut Pauli potius & Hierothei quos ille est sequutus, conabimur tenebris legis quas author legis spiritus Dei posuit suum latibulum pro nostra imbecillitate lucem inuehere.

CAPVT PRIMVM.

QVicquid est post unitatẽ numerus unitate perfectus & consummatus est. Sola unitas omnino simplex à se perfecta non egredit se, sed individua simplicitate & solitaria sibi cohæret, quia supersest sibi nullius indiga plena suis diuitijs. Numerus sua natura cum sit multitudo unitatis beneficio fit simplex quantum ipse simplicitatis capax, quanquam autem numerus quisq; quo magis ab unitate fit procul in maiorem semper incidat multitudinem plusq; in eo dissimilitudinis, plus partiũ, plus compositurę sit, nullus est tamen unitati proximus qui multitudo nõ sit aduentitiam habens unitatem unaq; non natura, sed compositione, transferamus hæc ad diuina more Pythagorico. Solus Deus qui à nullo, à quo

sunt

sunt omnia simplicissima essentia & indiuidua est, quicquid habet à se habet, eadem re qua est, eadem sapit, eadem uult, eadē bonus, eadem iustus. Neque rem aliquam intelligere possumus qua ipse sit præter quā ipsum esse quod ipse est. Cætera non illud, id est, ipsum esse, sed illo sunt. Igit angelus non est ipsa unitas, alioquin Deus esset, aut plures essent Dei quod concipi nec potest quidem. Quid enim erit unum si ne ipsa quidem unitas una? Reliquum ut angelus numerus sit. Quod si est numerus alia sui parte multitudo una. Est autem omnis numerus eatenus imperfectus quatenus multitudo, perfectus autē quatenus unus. Quare quicquid in angelo imperfectum est angelicę multitudini, quam inde habet unde est numerus, id est, creatura, & quicquid perfectum est, accedēti unitati quam inde habet unde Deo coniūgitur asscribamus. Imperfectionem in angelo duplicem inuenimus: Alteram quia non est ipsum esse, sed essentia tātum cui participatu esse accidit ut sit: Altera quia nō est ipsa intellectio, sed aduenit ei ut intelligat: Cum ipse sua natura intellectus sit intelligentiæ capax. Pendet autem secunda ex prima quoniam quod ex se nō est utiq; neq; intelligit ex se, cum ibi esse nihil possit ubi non est ipsum esse. Vtrunq; igitur horum euenit angelo qua multitudo est. Reliquum ut absolutio illi & consummatio ab accedente desuper fiat unitate. Deus autem unitas, unde ad angelum & esse, & uita, & omnis perfectio deriuatur. Quemadmodum autem duplex est imperfectio, quasi duplex multitudo, ita duplicē intelligamus unitatis accessum, ut utraq; perficiatur. Prima ea est qua est essentia rudis ac informis, expers uitæ, & esse, hæc est terra inanis & uacua quā & Deus creauit. Nec forte crederes ut quidam crediderunt formationem tantum essentiæ pertinere ad opificem non autem ad creationem. Simul cum terra creauit & cœlum, id est, actum illius essentiæ participatamq; unitatem in multitudine hoc est ipsum esse: Vt sit quasi eadem creatio cœli & terræ, utpote comparis complexus & duarum ad idem simili nexu conuenientium naturarum. Nec dissone à ueteribus ipsum esse participationem diuinitatis uocamus cœlum, quando & mundum archetypum Zenophanes sphæram appellauit, & Saraceni quinimmo & nostri Deum circulum uocant.

CAPVT SECVNDVM.

EST angelus per ea quæ diximus iam suam naturam perfecte adeptus intellectualemq; proprietatem. Veruntamen nō dum habet unde sua munera impleat intelligendi, scilicet & contēplandi, nisi à Deo prius formis intelligibilib. uestiatur. Propterea adhuc sunt tenebræ super faciem abyssi. Abyssus intellectualis proprietas est profunda quæq; penetrās & perscrutans. Super hanc tenebræ sunt, donec spiritalium notionum quibus omnia uidet & intuetur radijs non illustratur. Scriptum est autem super faciem abyssi non super abyssum, quia idem locus tenebræ & lucis.

Lux

Lux autem, id est, species, intelligibiles faciem tenent, id est, extrema angelici intellectus, quia accidentes ei sunt, qualitates non ad ipsius essentiam spectant. Quid autē medium intercedat priusquam tenebra depulsa aboriatur lux statim annectit, dicens: & spiritus domini ferebat̄ super aquas. Domini spiritus quid erit potius quàm spiritus amoris? Neq; enim spiritum scientiæ ita propriæ domini spiritum dicemus. Quoniam & scientia quandoque abducit à Deo. Amor autem ad Deum semper adducit. Hic nisi super abyssum illam feratur non fiet lux. Quoniam quemadmodum non implebitur luce oculus nisi ad solem conuersus, ita neq; angelus spirituali luce impletur nisi conuertatur ad Deum. Motus autem hic conuersionis, neque est, neque esse aliud potest in natura angelica quàm motus amoris. Erat igit̄ spiritus Domini amatorius spiritus super abyssum, id est, super angelicum intellectum, intelligentiā enim amor consequitur, quo dum acta & excitata angeli mens ad Deum conuertitur. Dixit Deus: fiat lux & facta est lux, in angelo lux, scilicet, formarum intelligibilium, et fuit ex uespere & mane dies unus, quia ut probat Auerrois ex intellectu & intelligibili fit magis unum quàm ex materia. & forma, quod ut idem affirmat, & scribit etiam Moses Aegyptius longe magis in angelis quàm in homine uerum deprehenditur. Cuius ut illos obmittamus hæc nobis satis fit ratio quòd species angelicæ menti indiuidua copula, non ut humano intellectui accidit uaga & translatitia, perpetuis nexibus uniuntur.

CAPVT TERTIVM.

VIdimus creatam à Deo naturam angeli, eandem ad Deum conuersam spiritu amoris, tum ab eo illustratam & absolutam luce intelligibilium rationum. Videamus nūc quo inter se ordine angelici exercitus distinguuntur. Legimus autem positum firmamentū in medio aquarum ubi tres nobis angelicæ hierarchiæ (sic enim eas semper usitato uocabulo appellabimus) indicantur, harum prima & ultima per aquas designatur, illa per supercœlestes, hæc per eas quæ sunt sub cœlo, media illas diuidēs dicitur firmamentum. Quæ omnia si naturam trium hierarchiarū & officia pensitemus consonare Dionysij doctrinæ magis nequeant. Suprema hierarchia cum (ut scribit ille) soli uacet contemplationi, merito per aquas figurata est, quæ super cœlos, id est, super omnem circa mundana, siue cœlestia, siue terrena actionem sunt constitutæ, & Deum perenni sono indesinenter laudant. Medius autem ordo cū sit cœlestibus officijs delegatus profecto non poterat congruentius quàm per firmamentū, id est, per cœlum significari. Postrema Hierarchia & si natura supra omne sit corpus supraq; cœlum, curat tamen ea quæ sunt sub cœlo, & cū diuidatur in principatus, archangelos & angelos, omnium horum operatio, omnis circa ea est tantum quæ sunt sub Luna, principatuum, circa respublicas & reges ac principes, ut ex Daniele cognoscimus archangelorum circa mysteria &

ria & sacras ceremonias. Angeli priuatis student rebus & singuli singulis hominibus adhibentur. Recte igitur hic sub cœlestis exercitus per sub cœlestes aquas est figuratus. Qui & rebus præest fluxis atq; caducis, & illi ordini subest qui uersatur circa cœlestia.

CAPVT QVARTVM.

QVid aũt sit, aquas quæ sunt sub cœlo colligi ad locũ unum, dubium esset fortasse nisi hoc nobis Paulus declararet, apud quem de his angelis qui ad mundi huius obeunda munera mittũtur, legimus esse omnes administratorios spiritus in ministeriũ missos propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Vnde possumus intelligere sub cœlestes has aquas, id est, angelicos exercitus ad unum locũ, ad unius, scilicet, hominis bonũ salutemq; procurandã congregatos, pro qua & mittuntur ad nos & nũc secundũ quietem, nunc etiã uigilantib. nobis, alijs atq; alijs & formis, & locis, & temporib. apparent. Quę sententia quo pacto sit accipienda tũc demum cognoscemus, cũ & quo pacto id sit uerũ quod dicit Moses, aquas scilicet ad locũ unum fuisse congregatas, animũ aduertimus. Neq; enim illud ita est uerũ, ut nusquã distinctis disclusisq; in locis aquæ inueniant, cum Indicũ mare ab Hircano, Hircanũ ab Adriatico, Adriaticũ ab Euxino, in numera præterea fluuiorũ fontium lacuumq; fluenta longissima locorũ inuicem intercapedine dispescãtur. Sed ideo ad locum unũ congregatæ aquę dicunt, quia particulares hę atq; diuisæ aquarũ collectiones uel marinæ uel fluuiales omnes (ut inquit Salomon) ad primarium mare tendentes in unum oceani locum uniuntur & coëunt. haud aliter est nobis de his angelis intelligendum, qui sublunaria curant. Diuersis enim diuersi corporalibus rebus alijsq; ab homine præsunt. Quoniã quemadmodum Platonici, ita & nostri crediderunt, uarijs mũdi huius corruptibilis rebus uarias spiritales substãtias à Deo præfectas. Quo circa & Augustinus nullam esse uisibilem rem apud nos cui non præsit angelica potestas, & corpora omnia per rationalem spiritum uitæ regi constãter asseruit. id quod & Gregorius postea confirmauit. Origenes similiter in commentarijs in librum Numerorũ, opus esse, inquit, mũdo angelis qui bestijs præsint & animalium natalibus, uirgultorumq; etiam & plantationum & cæterarum rerum incrementis. In qua sententia cum esset & Damascenus credidit angelum qui peccauit ex his fuisse qui despicatissimæ notæ sint, & terrestri ordini præsint. Verum quemadmodum hęc omnia infra hominem ad hominem referuntur, ita & omnis circa hęc angelorum cura illi potissimum subancillatur & seruit operæ & studio ut curent humana & nostræ auxiliantes imbecillitati efficiant, quantum quidem patimur ipsi: ut piè atque fœliciter uitam uiuamus. Quare & quid sibi uelit illa aquarum collectio statim Moses intulit, ut terra det fructum, herbas & plantas, arbores. Quæ autem hæc terra est præter eam de qua scriptum in Euangelio quòd

lio quòd alia quidem affert fructum centesimum, alia sexagesimum, alia trigesimum? Terra utiq; animi nostri, de qua Paulus hæc uerba: Terra excipiens frequenter uenientem super se imbrem si generet herbam opportunam his quibus colitur percipiet benedictionem à Deo, quæ uero spinas & tribulos profert reproba est & maledictio proxima, cuius finis in adustionem. Curemus igitur & nos, det terra nostra fructum in tempore suo, det quasi herbas purgatorias uirtutes, det scientiam & sapientiã quasi maiores frutices, det absolutam perfectamq; uirtutem quasi libani cedros; ut sit finis eius benedictio, nõ sit adustio: Et audiamus dicentem patrem: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni quem benedixit Deus. Nec miretur quispiam aliud cœlum nobis & terrã primo die significare, aliud nunc firmamentum & aridam id quod etiam in superioribus libris obseruauimus, quando & Origenes & Basilius & plærique alij uolunt aliud esse apud Mosem cœlum & terram primo die, aliud aridam & firmamentum die secundo.

CAPVT QVINTVM.

FAuent autem terræ huic nostræ cœlestes etiam uirtutes. Posita enim firmamento & Sol, & Luna, & stellæ ut terram nostram illuminent. Vide quàm hæc Dionysiacis mysterijs aptè conueniant. Diximus de ultima hierarchia delegata curandis rebus quæ sunt sub Luna, id est humanis. Nunc de media agitur, cui cœlestium administratio demandata. Neque erit de tertia similiter expectandũ ut dicat, de qua dicendum nihil præter ea quæ dicta sunt, esse scilicet eam super cœlos, id est, supra omnẽ actionis motum, supraq; rerum omnium mundanarũ administrationem contemplationi tantum addicta: hoc aũt loco, nec uiolentũ, nec alienum à sacris literis existimemus, quòd Lunã & Solem uocet non quæ uidemus sydera sed rectores Lunæ & Solis angelicas uirtutes. Nã & scriptura cum dicit hominem Dei filium per gratiã, hunc non intelligit quem uidemus caducum & fragilem, sed qui regit hunc ipsum quem nos uidemus, & in Regum historia legimus iuxta Hebraicam literaturã Salomonem his uerbis orantem: Exaudi ò cœlum, ubi non cœlum tamen, sed cœli ac terrę rectorem & dominum Dei appellat. Ita & nos hoc in loco cum Solem audiuimus & stellas non sydera, sed syderũ præsides angelos intelligamus, qui cum ipsi sint inuisibiles, inuisibilem etiam terram illuminant, substantiam, scilicet, animi nostri. Nec aut temere aut uulgariter dictum statuta illa ut illuminent: Sed tam proprie tam consone his quæ attulimus, ut si non aliunde, hinc certe expositio nostra maxime comprobetur. Cũ enim (ut tradit Dionysius) tres sint actiones angelicæ, purgatio, illuminatio et perfectio, sic sunt distributę, ut purget ultimus ordo, supremus perficiat, medius autem hic, de quo nunc agimus illuminet. Purgant igitur terram nostram aquæ inferiores, unde & nitida sub aspectum uenit: Purgatã cœ-

leſtes illuminant. Supercœleſtes igneo quodam rore atque uiuifico perfi ciunt & fœcundant, ad tantam ſæpe fœlicitatẽ, ut non ſalutares iam herbas ſed ipſum germinet ſaluatorem, & non una uirtus ſed Chriſtus plenitudo omnium uirtutum formetur in nobis.

CAPVT SEXTVM.

SEquitur dari ab elementis habitatorum multitudinem, piſces, aues, & bruta, ubi me magnæ profecto anguſtiæ tenuiſſent quales nuſquã alibi in toto hoc noſtro opere, niſi præſto mihi eſſet & Eſaias apud quẽ alata legimus Seraphin, & Ezechiel apud quem ſi Hebræis credimus & aues & bruta ſpiritales etiam nobis ſubſtantias indicant, niſi accurrerent ſuppetiatum ueteres Hebræi, qui omnes hoc loco angelicam multitudinem inſinuari uolunt à Moſe. Dicamus igitur ſectantes horum ueſtigia, redargui hic à Propheta errorem philoſophorum, qui crediderunt principales quidem aliquas eſſe ſubſtantias intellectuales, ſed negauerunt ſingulas ex illis (quod dicunt theologi) numeroſæ deinceps multitudini ut legionibus duces præeſſe. Cũ ergo nouem ordines angelicos cogitamus, ſitq; unuſquiſq; ordo ſuum ducem ſortitus, fingamus animo ducem illum & principem quaſi maximam ſphæram tum ſequacem exercitũ quaſi ſphæræ illius habitatores & ornamentum ſicut in aqua piſces, in aëre aues, in terra beſtias, in ſphæra octaua ſydera cogitamus, & uerum erit illud Danielis decies millia aſsiſtebant ei, & mille millia miniſtrabant ei.

CAPVT SEPTIMVM.

POſtrema hominis meminit non quia homo ſit angelus, ſed quia angelici mundi finis & terminus, quemadmodum & de natura corruptibili agens hominem etiam attulit illius naturæ, non partem ſed principium & caput: Quo fit ut ad tres mundos tractatus hominis pertineat ad eum qui ſibi eſt proprius & ad utrunq; extremum incorporeum, ſcilicet, & elementarem, quorũ ita eſt medius ut alterius finis, alterius principium ſtatuat. Sed uideo paratũ laqueum noſtræ expoſitioni, cum ſubiiciat præeſſe hominem piſcibus maris, auibus & brutis. Nam ſi illa nobis naturam angelicam ſignificant, quo pacto uerũ erit quod ſcribit præeſſe hominem illis quem deminutum ab angelis & ſciunt philoſophi & Propheta teſtatur. Adſit ille nobis & laqueũ conterat, qui & contriuit ſatanam ſub noſtris pedibus Ieſus Chriſtus primogenitus omnis creaturæ, hic laqueum profecto conterit & nodum omnem ſoluit & abrumpit, quoniam nõ ſolum in eo in quo tota diuinitas corporaliter habitauit, adeò ſublimata eſt natura humana ut homo Chriſtus qua homo eſt (ſi credimus Dionyſio) angelos doceat, illuminet & perficiat, tanto (ut inquit Paulus) melior angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditauit: Sed & nos omnes quibus data poteſtas filios Dei fieri per gratiam, cuius dator eſt Chriſtus, ſupra angelicam dignitatem euehi poſſumus.

De muna

De mundo humano, id est, de hominis natura, Expositionis quartæ, Lib. IIII. Proœmium.

POstquam de omnibus mundi partibus, de omni natura cœlesti, angelica & corruptibili tractatum satis à propheta ostendimus, reliquum (si promissi memores sumus) totam iterum lectionẽ de homine interpretari, hoc re ipsa comprobaturi, nullam esse in uniuerso hoc opere orationem, quæ uti de tribus mũdis, de quibus actum superius, ita de hominis etiam natura reconditos sensus & ueritates altissimas nõ complectatur. Nec minus fecerimus operepræcium si in hac quarta explicãda enarratione diligentes fuerimus quàm factum in superioribus. Quàm utilis enim homini, quàm necessaria sit sui cognitio (ut præteream literam delphicam) ita est à Platone in primo Alcibiade demonstratum, ut nihil fecerit reliquum posterioribus quod super hac re quasi nouum afferre tentarent. & profecto improbum ac temerariũ illius studium, qui adhuc sui ignarus, adhuc nescius an scire aliquid possit, rerum tamen, quæ tam procul ab ipso sunt, cognitionem sic audacter affectat. Redeamus igitur in nos & uideamus (ut ait Propheta) quanta bona fecit Deus animæ nostræ. Ne si forsitan insemet agnoscenda minus diligens fuerit, audiat patrem dicentem in Canticis, si te ignoras ò pulcherrima mulierum egredere & abi post uestigia gregum tuorum. Videtis quæ nos maneat pœna nostræ ignorationis. Abeundum est enim, à patre, scilicet, quam abitionem & exhæredatio sequitur, qua quid infœlicius? Egrediendum item est, utique ex nobis. Neque enim apud se est animus: qui seipsum non uidet. Qui autem se exit à se diuellitur, quo quid acerbius? Eundum tertio post uestigia gregum nostrorum, id est, post brutorum uestigia, quæ sunt in nobis, de quibus in expositione satis dicemus, quo quid miserius? quid despicatius & contemptibilius? fieri, scilicet, pedissequos bestiarum quarum nos duces natura statuerat. Igitur non post brutorum sed post Moseos uestigia incedentes ingrediamur nos ipsos, ingrediamur animi penetralia ipso nobis Propheta aditum reserãte, ut & in nobis cum mundos omnes tum & patrem & patriam fœliciter agnoscamus.

CAPVT PRIMVM.

PRiusquam iuxta uerba ordinemq; prophetæ expositionẽ accuratius digeramus, oportet præfari aliqua de hominis natura, obiterq; dictiones aliquas exponere, ut totius deinde sensus apertior sit intellectus. Constat homo ex corpore & anima rationali. Rationalis animus cœlum dicitur. Nam & cœlum animal à seipso motum uocat Aristoteles, & animus noster (ut probant Platonici) substantia est seipsam mouens: Cœlum circulus est, & animus itidem est circulus, quinimo, ut scribit Plotinus, ideo cœlum circulus, quia animus eius circulus est. Cœlũ in orbem mouetur,

animus rationalis à cauſis ad effectus ſe transferens, rurſuſq; ab effectib. recurrens in cauſas ratiocinationis orbe circumuoluit. Atq; hæc quidem ſi ſingula eſſent enarrãda his, qui alibi ea nõ legerunt: nõ Moſeos iam: ſed Ariſtotelis Platonisq; eſſemus interpretes. Corpus dicit terra, quoniã terroſa & graui ſubſtantia eſt. Quare & de humo factũ (ut ſcribit Moſes) homini dedit appellationẽ. Verum inter terrenum corpus & cœleſtem animi ſubſtantiã opus fuit medio uinculo, quod tam diſtantes naturas inuicem copularet. huic muneri delegatũ tenue illud & ſpiritale corpuſculum, quod & medici & philoſophi ſpiritũ uocant. Quem & diuiniore eſſe natura quàm elementa & cœlo proportione reſpondere, Ariſtoteles ſcribit, hic lux nuncupatur, quæ cognominatio conuenire magis nõ poſſet philoſophorum ſententiæ & medicorum, quorum omnium communis eſt conſenſus, eſſe illum ſubſtãtia maxime lucida, & nulla re magis quàm luce gaudere, foueri & recreari. Accedit quòd quemadmodum omnis cœlorum uirtus (ut ſcribit Auicenna) uehiculo lucis ad terram transfertur, ita omnis animi uirtus, quem cœlum uocauimus omnis poteſtas uita, ſcilicet motus & ſenſus lucido ſpiritu intercedente ad hoc corpus terrenũ quod terram uocauimus commeat & transfunditur. Deſcendamus iam ad uerba prophetæ, apud quem primo uidemus creari cœlum & terrã, extrema, ſcilicet, noſtræ ſubſtantiæ uim rationalem & corpus terrenã quæ poſtremo cum fit lux, id eſt, lucidius accedit ſpiritus, ſic uniuntur, ut ex ueſpere & mane, id eſt, ex corporis nocturna & matutina animi natura unus ſit homo. & quoniam (ut oſtendimus) per hãc lucem omnis uitalis ſenſualisq; uirtus ad terrã noſtram deſcẽdit, meritò ante lucis natale terra fuit inanis & uacua. Cui uitæ motusq; beneficia niſi per internuntium lumen participare ſuum cœlum non poterat. Quare & ſtatim cauſam adiunxit inanitatis, quia ſcilicet, ſuper eam adhuc tenebræ erant luce nondum exorta.

CAPVT SECVNDVM.

SEd reſtat adhuc quærendum quid illud ſibi uelit, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Tradit hic de aquis indiſcreta & uniuerſalis doctrina, quæ die ſequenti magis diſtinguitur, cum alias docet eſſe quę ſunt ſuper cœlum, alias quæ ſunt ſub cœlo. Quorum omnium ſi uerũ ſenſum deſideramus conſolamus ipſam naturam quam noſter propheta (ut ſæpe diximus) adamuſſim effigiat & repreſentat. Factam uidimus mentionem de triplici parte humanæ ſubſtantiæ, uidelicet de rationali, de mortali hoc corpore & medio ſpiritu. Duæ reliquæ ſunt: Nam inter partẽ rationalem qua homines ſumus & omne illud quod corporeum eſt in nobis ſiue ſit craſſum, ſiue ſit tenue & ſpiritale media eſt pars ſenſualis qua brutis communicamus, & quoniã non minor nobis cum angelis quàm cum brutis communicatio, quemadmodum infra rationem eſt ſenſus, unde commertium cum animalibus, ita ſupra rationem intelligentia eſt per quam dicere illud

re illud Ioannis possumus: Societas nostra cum angelis est. Vides quid infra quid supra nostrã sit rationẽ. Quod si ratio cœlum dicitur (ut comprobauimus) manifestum iam quæ in nobis aquæ supercœlestes: quę itidem subcœlestes. Diuersa autem ratione utrique parti intellectuali, scilicet, & sensuali aquarum congruit appellatio, illi quia diuinarum illuminationũ radijs maxime peruia, huic quia caducis rebus & fluxis inhiat & delectatur. Cuius diuersitatis satis nos admonet, cum hanc statuit sub cœlo ubi fluxa omnia atque caduca, illam supra cœlum ubi sinceræ & perpetuæ intelligentiæ administratio. Cum igitur primo die spiritum Domini incubantem legimus aquis, sintq; aquæ bifariam discretæ, utique de his aquis quæ sunt sub cœlo dictum nõ accipiemus, quoniam super has non spiritus Domini, sed cœlum potius defertur. Reliquum ut de his dictum sit quæ sunt super cœlum. Vnde nobis maximum dogma de anima reseratur. Intellectum enim qui est in nobis illustrat maior atq; adeò diuinus intellectus siue sit Deus (ut quidam uolunt) siue proxima homini & cognata mens, ut ferè omnes Græci, ut Arabes, ut Hebræorum plurimi uolunt. Quam substantiam & Iudæi philosophi & Abunasar Alpharabius in libro quem scribit de principijs expresis uerbis spiritum Domini appellauit Nec factum sine causa ut priusquàm hominem ex animo & corpore uinculo lucis constituisset huius rei meminerit, id est, delationis spiritus super aquas, sed ob id factum, ne forte crederemus non adesse spiritum hunc nostro intellectui nisi cum esset corpori copulatus. Quod & Moses Aegyptius & Abubacher Arabs, & quidam alij falso crediderũt.

CAPVT TERTIVM.

REstat ut exponamus quid sit quod ait aquas quæ sunt sub cœlo, id est, sensuales uires quæ sub parte sunt rationali congregari ad locum unum. Manifestissimum autem hoc non omnino rudibus philosophiæ. Nam sensitiuæ omnes uirtutes ad sensum quem ex re ipsa uocamus communem, hic autem si Aristotelem sequimur est in corde, uti flumina ad mare confluũt. Nec absurde dixerimus ab eo mari quinq; corporis sensus, quos uidemus auditum, uisum, gustum, tactum, olfactum, quasi quinque maria mediterranea diffusos intrare corporis continentem, quæ aperta in Theetheto Platonis sententia fuit, & quoniã ex perfectione sensitiuarũ uiriũ quam ex hac ad suũ fontem collectione intelligimus corpori quod uocamus terram, & uita & salus & nutrimentum prouenit, recte: post illam aquarum congregationem terram inducit statim uiridem & florescentem. Præstiti enim à natura sensus omnibus mortalibus ad uitam corpori salutemq; procurandam, ut per eos cognoscant quæ sibi noxia, quæ salutaria, tum cognita per appetentiam sensibus annexã illa respuant, hęc desiderent, postremo per coniugẽ potestatem motricẽ fugiãt mala, utilia

prosequantur. Videt oculus cibum, olfaciunt nares, accedunt pedes, capiunt manus, palatum experitur. Quæ omnia ideò dicimus ut cognoscamus apte coniunctam stabilimento aquarum, id est, sensitiuarum uirium, terræ quæ iamdiu nobis corpus significat uberem fœlicitatem.

CAPVT QVARTVM.

AT uero cum multis rationalis natura, & uiribus, & potentijs distinguatur, de nuda eius substantia supra est dictum. Nunc de ornatu atque (ut ita dixerim) regia eius suppellectile dicendum. Hoc est quod scribit, posita in firmamento Lunam, Solem & stellas, & quidem philosophi iuniores Solem intellectum qui actu est, Lunam eum qui est potentia forte interpretarentur. Sed quoniam nobis magna de hac re cum illis cõtrouersia, nos interim sic exponamus, ut qua parte ad aquas superiores ad Domini spiritum animus uergit, propterea quòd totus lucet Sol nuncupetur, qua uero aquas inferiores, id est, sensuales potentias respicit, unde infectionis aliquam contrahit maculam Lunæ habeat appellationem. Solem hoc modo acceptũ Græci Platonici διάνοιαν, Lunam uero δόξαν pro suæ doctrinæ dogmatis appellarent. Quoniam autem dum à patria peregrinamur, & in hac uitæ præsentis nocte & tenebris uiuimus, ea parte plurimũ utimur quę ad sensus deflectitur, unde & plura opinamur quàm scimus. Cũ uero dies futuræ uitæ illuxerit, alieni à sensibus ad diuina conuersi superiori alia parte intelligemus: recte est dictum hunc nostrum Solem præesse diei, Lunam autem præesse nocti. Itidem quia exuti nos moribundam hanc uestem unico Solis lumine id contuebimur, quod in hac corporis miserrima nocte plurimis uiribus atq; potẽtijs uidere potius conamur quàm uideamus, iccirco unico sole dies lucescit, nox contra plurimas stellas cõponendi, scilicet, uim, & diuidendi, ratiocinandi, item definiendi & quæ sunt reliquæ, Lunæ quasi minus potenti auxiliares corrogat & counit.

CAPVT QVINTVM.

HActenus de uiribus animi cognoscentibus: Nunc ad eas se transfert quorum opus appetere, iræ uidelicet & libidinis, id est, concupiscentiæ sedes. has per bestias designat & irrationale genus uiuentiũ, quia sunt nobis cum bestijs cõmunes, & quod est infœlicius ad brutalem sæpe nos uitã impellunt. Hinc illud Chaldæorũ: Vas tuum inhabitant bestiæ terræ, & apud Platonẽ in rep. discimus habere nos domi diuersa genera brutorum, ut non sit creditu difficile paradoxon Pythagoricum (si recte intelligatur) improbos homines migrare in bruta. Intus enim atque in nostris adeò uisceribus bruta sunt, ut non procul peregrinãdum sit ut migremus ad illa. hinc fabulæ Circeæ, & Theocriti illud: quos deæ aspexerint uirtus, scilicet, & sapientia Circeis poculis labefactari non posse. Sed uideamus

mus quàm horum brutorum differentiam Mosaica lectio nobis insinuet. Alia ab aquis quæ sunt sub cœlo, alia à terra producuntur. Aquæ, ut diximus, significant sensualem partem quæ est sub cœlo, quia subest rationi, & illi proxime famulat. Terra est hoc ipsum corpus terrenũ & fragile quo circũdamur. Consideremus igitur an ex affectibus quib. mouemur, alij ad corpus, alij ad sensum interiorẽ, quem phãtasiam uocãt philosophi magis attineant. Ad corpus spectare mihi uidẽt qui uel ad cibum uel ad Venerem impellunt. Nam hi nobis dati à Deo tum ad tutelam corporis quod nutrimus, tum ad liberorum procreationem, in quibus sumus superstites cum in nobis ipsis occumbimus, ijsdem nos abutimur allecti plusquàm decet uoluptatis illecebra, per gulam & per libidinem curam carnis (ut inquit Paulus) facientes in desiderijs. In cuius uerbis id annotandum, non esse dictum carnis curam feceritis, sed ne feceritis in desiderijs, quia, scilicet, utendum illis ad necessitatem, nõ etiam ad uoluptatem, multo minus nostra fœlicitas in eis constituenda: hos ergo affectus per iumenta & feras intelligamus, qui terræ potius quàm aquarum fœtus dicuntur, quia per crassioris huius corporis membra & explentur & excitantur, & nobis ad eius salutem procurati à Deo fuerunt, quanquam illis fiant exitio, qui & crapulis marcescunt & uenere dissoluuntur. Ad aquas autem, id est, sensum imaginationis affectiones illas referamus, quæ spiritales magis & nostræ potiùs cogitationis quàm carnis soboles dici possunt. Quod genus sunt quæ ad honores, ad iram, ad ultionem, & cognatas his reliquas affectiones nos uocant. Necessaria hæc & utilia modicè utentibus. Irascendum enim sed intra modum, & ultio sæpe opus iustitiæ, & sua unicuique tuenda dignitas, nec recusandi honores, qui honestis artibus comparantur. Quod ideo dico, ne cum hæc bruta quæ sensuales appetentias indicant Deus creauerit creatisq; benedixerit, si sint mala ex sua natura credamus cum Manichæis à malo principio & nõ à bono potius Deo condita fuisse. Bona igitur illa omnia & homini necessaria, sed nos inde ad ambitionem, furorem, excandescentiã, superbiamq; excedentes, mala facimus nostra culpa, quæ ille optimus instituerat.

CAPVT SEXTVM.

VIdete autem quàm his quæ diximus adamussim conueniat quod subijcitur factum à Deo hominem ad suam imaginem ut præesset piscibus, auibus & bestijs, quæ tum aquæ tum terra produxerant, & quidem de homine iam supra disputabamus, sed nunc primum in eo Dei imaginem intelligimus. Vnde illi in bruta ditio & imperiũ. Sic etenim à natura institutus homo ut ratio sensibus dominaretur, frenareturq; illius lege omnis tum iræ, tum libidinis furor & appetentia, sed obliterata imagine Dei per maculam peccati cœpimus miseri & infœlices seruire bestijs nostris, & cũ rege Chaldæo diuersari inter illas humi procumbere cupidi

pidi terrenorum, obliti patriæ, obliti patris, obliti regni, & datæ in nobis in priuilegium priſtinæ dignitatis. Scilicet homo cũ in honore eſſet non intellexit, ſed cõparatus eſt iumentis inſipientib. & ſimilis factus eſt illis.

CAPVT SEPTIMVM.

VErũ ſicut omnes in primo Adam qui obediuit Satanæ magis quàm Deo: Cuius filij ſecundum carnem deformati ab homine degeneramus ad brutum, ita in Adam nouiſsimo Ieſu Chriſto qui uoluntatem patris impleuit & ſuo ſanguine debellauit nequitias ſpiritales: Cuius filij omnes ſecundum ſpiritum, reformati per gratiam regeneramur ab homine in adoptionem filiorum Dei, ſi modo uti in illo ita in nobis princeps tenebrarum & mundi huius nihil inuenerit.

De omnibus mundis diuiſim ordine conſequenti, Expoſitionis quintæ, Lib. v. Proœmium.

QVemadmodum Moſes uti oſtendimus ſingulis in partib. ſui contextus de omnibus ſimul mundis, intellectuali, cœleſti, elementari, humanoq; differuit, imitatus naturam, imò naturæ artificem Deum, qui in ſingulis mundis omnes complexus eſt, ita ad eiuſdem naturæ exemplum quæ proprias ſedes propria iura & peculiares unicuique leges diſtribuit, propheta etiam noſter mirabili & profecto diuinæ artis magiſterio ſcripturam ſuam ita diſpoſuit, ut quanquam ubiq; de omnibus eadem facie eodemq; uerborum uelamine diſputaret, peculiariter tamen ſingulis mundis ſingulas ſui operis partes conſequenti ordine adiudicaret. Quod oſtenſuri incipiemus primam particulam de primo mundo, id eſt, angelico interpretari, tum deinceps reliquas de reliquis auream illam Homericam catenam & Platonicos annulos à uiua opificis uirtute, quaſi à uero lapide indomiti Herculis appenſos in Moſeos uerbis ſagaciter ſpeculantes.

CAPVT PRIMVM.

DIcturi aũt de natura angelica, quæ purus eſt intellectus, id primũ animo concipiamus mentes eſſe quaſi oculos quoſdã. Quod enim eſt oculus in rebus corporeis, idipſum eſt mens in genere ſpirituali. Oculus etſi mixtura ſuæ ſubſtãtiæ intimæ aliquid lucis poſſideat, ut uiſionis tamen munere fungatur extrema indiget luce, in qua rerum colores & differentias ſpeculatur. Nec eſt propterea quòd ſua natura non ſit uiſus, & ſi non uideat niſi beneficio lucis. Nam & aures, ne dicam inanimata, & reliquæ omnes corporis partes colluſtrantur luce, nec tamen uident. Id igitur uidendi naturã ſortitũ eſt, & per eſſentiç ſuæ rationẽ eſt uiſus, quod recepta

luce

luce uidere poteſt. Conſideremus hæc eadem in intellectibus, intellectus oculi ſunt, intelligibilis ueritas lumen eſt, & intellectus ipſe intelligibilis cum ſit, intime aliquid lucis habet. Qua ſeipſum poteſt uidere, ſed nõ poteſt ut reliqua. Verũ indiget formis ideiſq; rerũ, quibus uti radijs quibuſdam inuiſibilis lucis intelligibilis ueritas indubie cernitur. Nec propterea dicendum eſt, ut per exemplũ oculi declarauimus, nõ eſſe illos natura intelligentes, atq; ex accidenti pari cũ noſtris animi conditione intellectualem proprietatem ſortitos: hinc illorũ manat ſententia qui intellectus appellationem Deo indignã exiſtimant. Quia ſi intellectũ quaſi oculum capimus qui nõ ex ſe, ſed lucis participatione uidet, cũ Deus ſit lux, lux enim eſt ueritas, & uiſio actio ſit qua oculus lucem attingit, non eget Deus hac operatione qui eſt ipſa lux, tanto à rerũ omnium ignoratione quàm angeli remotior, quãto abeſt magis à tenebris lucis natura quàm oculi. Sed redeamus ad angelos. Oculus, id eſt, ſubſtãtia intellectualis non omnino eſt ſimplex, alioquin aduentãtis lucis compoſitionẽ non pateret: hinc cõmune proloquiũ cõſtare angelos ex actu & potẽtia, quanquã anxia eſt diſputatio quid ille actus, quid illa potẽtia, & quæ ratio cõpoſitionis, quid item Auerrois Arabs uoluerit, cũ utrũq; intellectũ & eum qui actu, & eum qui potẽtia eſt in omnib. citra Deum intellectib. eſſe dixerit, ſed ſufficit nobis quantũ attinet ad hunc locũ communis ſententia utcũq; accipiatur. Hæc quæ diximus omnia aperit nobis Moſes in primo die. Partitur enim ſubſtantiã angeli in cœlum, & terrã, naturã, ſcilicet actus & naturã potentię. Eadem aũt res uti diuerſas proprietates: Ita & diuerſa habet cognomina. Quare hic idem actus dũ uti uirtus uiſum oculo largiens utq; potẽtiæ conſummatio accipit, dicitur cœlũ, quòd ea ſit habitudine ad potentiam, qua eſt cœlum ad terrã. Rurſus qua lucis indigus eſt nec obire per ſe proprium munus intelligentiæ poteſt per aquas figurat. Corpus luminis quidẽ capax ſua tamen natura minime lucens. Eſt & alia ratio ſimilitudinis quòd iſte actus potentiæ, quã terrã uocat, uti aqua terræ proximè adeſt: Sed iam uerbis prophetæ congrediamur: Creauit Deus cœlum & terrã, naturam actus & naturam potentiæ, ex quibus angelus conſtat, & terra quidem, id eſt, potentia inanis eſt & uacua, inanis actu uacua luce, quam non niſi aquis intercedentib. excipit, & quoniã circa idẽ fiunt contraria ad idemq; pertinet hoſpitari lucem & tenebras: adiunxit, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Neq; dixit ſuper terrã. Abyſſus enim nihil eſt aliud, niſi uocabulo abutamur, q; aquarũ profunditas. Super has aquas ferebat ſpiritus Domini, ſpiritus utiq; qui ab apoſtolo Iacobo pater luminũ dicit, à quo mox ſuper eas, id eſt, ſuper angelicas mẽtes lux intelligibiliũ formarũ exoriť. Quod intellexerũt forte & Saraceni dicentes, eductos angelos à Deo de tenebris ad lucẽ, adimpletoſq; æterna lætitia. Intelligentiã enim uoluptas conſequit, qua nulla maior, qua nulla uerior, nulla eſt permanẽtior.

CAPVT SECVNDVM.

HVic mundo proximū est cœlestis. Cuius illa prima proprietas quòd interstitium est utriusque mundi intelligibilis, scilicet, de quo nunc diximus, & sensibilis huius quem nos incolimus. Nec possumus mediæ alicuius naturæ essentiam euidentius indicare, quàm si exprimamus quibus concludatur extremis, quādoquidem de extremis natura media temperatur. Maxima igitur de cœli conditione nobis scientiam aperit, cū inter aquas & aquas, id est, angelicas & corruptibiles substantias mediū cœlum non tam situs quàm essentiæ ratione positum dicit. Per aquas autem iam diximus intelligi formas. quæ potentiæ quasi terræ proximę adsunt, essentiamq; perficiunt. Quemadmodum autem alia angelorum, alia elementorum terra, quia diuersa in utrisque potentia: Ita alia atque alia aquarum utrobiq; ratio, id est, forma rū est: Inter has uerè medium cœlum, inde diuinam uitam, hinc corporationem, inde incorruptibilem, hinc uisibilem substantiam, inde essentiæ firmitatem, hinc loci mutationem, inde quicquid idem est simplex & uniforme, hinc quicquid uarium mixtum & dissimile habet, sic opificis prouidentia disponente sortitum est.

CAPVT TERTIVM.

POst hæc de elementorum integritate, & positura, & ordine, nos breuiter admonet per collectionem aquarum ad locum unum & prescriptas mari leges ne terram obruat. Nihil est enim quod magis indicet esse elemētis præter corporeæ brutæq; naturæ inclinationem inditas leges ab intelligente causa, à qua & regunt & suis in sedibus detinentur, quàm hęc aquarum repagula, quibus coërcitus oceanus, cuius ad totum se terręambitum impetus ferret, quemadmodum ignis totus toti aëri incubat, quasi tamen uirga admonitus pædagogi, pedem refert, nec se ulterius profert quàm nostra salus & uita omnium animantium postulat. hoc neq; ad materiæ necessitatem quæ ad globi figuram omnia potius elementa pariter inclinat, nec ad fortuitum atomorum concursum, qualem somniat Epicurus, nec ad uim fœminariam naturæ mutæ, ut ait Straton, ignare totius finis referri potest, sed ad solam finalem causam, ad quam dirigere solius est mentis & prouidentiæ intellectualis, Propterea factum ut & hic Moses tractaturus de ordine elementorum huius tantum rei meminerit, & à Prophetis totiens hoc quasi potissimum argumentum diuinæ potentiæ & sapientiæ afferatur in medium. Hinc in prouerbijs cū certa lege & gyro uallabat abyssos. hinc illud qui circumdedit mari terminum suum: & apud Hieremiam: Me ergo non timebitis ait Dominus, qui posui harenam terminum mari. Et illud terminum posuisti quem non transgredientur, nec operient terram. Quoniam autem tota elementorum constitutio ordinatur, admixta ea præsertim quæ sunt uiua, idcirco post terræ aquarumq; ordinem & firmamentum, subiecit statim prȩceptum terræ, ut germinaret

minaret plantas, cuius alioquin operis tractatus ad quintum potius diem spectabat.

CAPVT QVARTVM.

POstquam egit de sphæra cœlesti & elementari, propterea & de tota integritate corporeæ uniuersitatis, restabat dicendum de incolis & ciuibus, ut ita dixerim, ciuitatis huius mũdanæ cum cœlestibus, de quibus agendum primo quasi de senatu præfectisq; urbis, tum etiam terrestribus quasi de plebe & populo. Cœlestium igitur primo meminit, quæ posuit Deus in firmamento ut essent signa & tempora, ut lucerent in cœlo, & terram illuminarent. Solem dico Lunam & stellas. Altissimæ hic pertractandæ essent quæstiones, & quæ sibi singulæ iustum uolumen exposcerent, quo pacto hæc sint sydera in firmamento, an uti partes eius nobiliores, quod sentiunt Peripatetici, an ut animalia in suis sphæris, in aqua pisces, iumenta in terra, quod Eusebius, & Diodorus uolunt. Congressum hic item locus cum genethliacis sibi exposceret, diuinandi per astra & prœnoscendi futuros euentus scientiam hinc confirmãtibus, quòd Moses sydera in signa posita à Deo dixerit, scientiam non modo à nostris ut à Basilio, qui recte eam occupatissimam uanitatem uocauit, & ab Apollinario, & à Cyrillo, & Diodoro acriter taxatam, sed quam & boni Peripatetici respuunt, & Aristoteles contempsit, & quod est maius & à Pythagora, & à Platone, & ab omnibus Stoicis repudiatam fuisse author est Theodoritus. Quærendum hic etiam de natura syderum, de motu, de principatu, de Lunæ maculis, deq; omni syderali scientia aliquibus forte uideretur. Verum ad hæc si descendamus quanquam sint pulchra & digna cognitu, audiemus fortasis Horatianum illud: Sed nunc non erat his locus. Quare ad opus hæc destinatũ differimus, quo Aristotelem Platonici cõciliantes uniuersam philosophiã pro uirib. tractãdam examinandãq; suscepimus.

CAPVT QVINTVM.

VEniamus igitur ad Mosem, qui postquam de cœlestibus dixit, terrestrium animalium meminit ordine congruenti, quæ uel aquas, uel terram, uel aërem, inhabitãt, si tamen inhabitare aërem uolucres dici possunt. Nemo hic expectet aut exigat à nobis disputationem quo pacto corpora animalium ex elementis, aut quid sint inditæ à Deo naturis rerũ seminarię rationes, sit ne item uita brutorum de sinu educta materiæ, an à diuino potius principio omnis uita proueniat, ut constãtissime asserit Plotinus, quem mox Latine legendum dabit in publicam utilitatẽ Marsilius Ficinus noster longioribus etiam argumentis illuminatum. Cui sententię suffragari fortasse uidebitur hoc loco Propheta, cum postquã dixit, producant aquæ reptile animæ uiuentis, adiecit postea. creauit Deus omnem animam uiuentẽ, ubi non id duntaxat quispiam obseruaret, quod & aquę producant Deo iubente, & deinde etiam Deus producat. Verum & illud

quod ubi de Dei opere agitur scriptum est creauit Deus animã uiuentem, ubi autem de aquis non animã, sed reptile animæ uiuentis, quasi aquis uehiculum potius animi, id est, corporis mixtio accepta referat: Deo autem, id est, diuino principio animæ substantia, quæ uitæ datrix motus & sensus tẽperato iam corpori extrinsecus illucescat. Sed de his alias. Inter animalia terræ tria memorat Moses, iumenta, reptilia, & bestias, in quib. tres differentias brutorum irrationalium, quibus nec plures sunt, in commune nobis insinuat. Sunt enim bestiæ quæ perfecta sunt phantasia medium inter irrationalia locum sortitæ, erudiri autem ab homine aut mansuescere nesciunt. Sunt reptilia quæ imperfectam habent phantasiam, media quasi inter bruta & plantas. Sunt iumenta, quæ & si carent ratione, disciplinæ tamen humanæ quoquo modo capaces cum sint: rationis aliquid participare uidentur mediã quasi sortita conditionẽ inter bruta & homines.

CAPVT SEXTVM.

HActenus de tribus mundis, supercœlesti, & sublunari. Nunc agendum de homine de quo est scriptum: Faciamus hominem ad imaginem nostram, qui non tam quartus est mundus, quasi noua aliqua creatura, quàm trium quos diximus complexus & colligatio. Est autem plerunq; cõsuetudo à regibus usurpata & principib, terræ, ut si forte magnificam & nobilem ciuitatem cõdiderint. Iam urbe absoluta imaginẽ suam in medio illius uisendam omnibus spectandamq; constituant. Haud aliter Principem omniũ Deũ fecisse uidemus, qui tota mundi machina constructa, postremum omniũ hominem in medio illius statuit ad imaginem suam & similitudinẽ formarũ. Sed ardua est quæstio cur hoc priuilegium sit hominis imaginem habere Dei. Nam si Melitonis explosa insania qui humana effigie Deum figurauit, ad rationis mentisq; naturã recurramus, quæ uti Deus intelligens est inuisibilis, itẽ & incorporea, inde utiq; comprobabimus esse hominem similem Deo, præsertim qua parte in animo trinitatis imago representatur. Verum agnoscemus hæc eadem quãto in angelis sunt quàm in nobis, & potiora & contrariæ minus naturæ admixta, tanto cum diuina natura plus similitudinis & cognationis habentia. Nos autem peculiare aliquid in homine quærimus: Vnde & dignitas ei propria & imago diuinæ substantiæ cum nulla sibi creatura communis comperiatur. Id quid esse aliud potest quàm quòd hominis substãtia (ut Græci etiam aliqui interpretes innuunt) omnium in se naturarũ substantias & totius uniuersitatis plenitudinẽ re ipsa complectitur: Dico autem re ipsa, quia & angeli & quæcũq; creatura intelligens in se quodammodo continet omnia, dum plena formis & rationibus omnium rerum omnia cognoscit. At uero quemadmodum Deus non solum ob id quod omnia intelligit, sed quia in seipso uerę rerũ substantiæ perfectionem totam unit & colligit: Ita & homo (quanquã aliter ut ostendemus, alioquin non Dei

imago,

imago, sed Deus esset) ad integritatē suæ substantiæ omnes totius mundi naturas corrogaret & counit. Quod de nulla alia creatura siue angelica, siue cœlesti siue sensibile dicere possumus. Est aūt hæc diuersitas inter Deū & hominem, quòd Deus in se omnia cōtinet, uti omniū principium, homo aūt in se omnia continet uti omnium medium, quo fit ut in Deo sint omnia meliore nota, q̄ꝫ in seipsis, in homine inferiora nobiliori sint conditione: superiora autem degenerent. Sunt ignis, aqua, aër, & terra per uerissimam proprietatē naturæ suæ in crasso hoc & terreno hominis corpore, quod nos uidemus. Est præter hæc spiritale aliud corpus diuinius (ut inquit Aristoteles) quàm elementa, quod cœlo proportione respondet. Est præterea in homine uita plantarum omnibus his apud eū quibus & apud illas muneribus fungens, nutriendi, augendi, & generandi. Est sensus brutorum tam intimus quàm externus. Est cœlesti animus rationem pollens. Est angelicæ mentis participatio. Est harum omnium simul in unū confluentium naturarū uere diuina possessio, ut libeat exclamare illud Mercurij: Magnū ò Asclepi miraculum est homo, hoc præcipue nomine gloriari humana conditio potest, quo etiam factum, ut seruire illi nulla creata substantia dedignetur. Huic terra, & elementa: huic bruta sunt præsto & famulantur; huic militat cœlum, huic salutem bonumq̄ꝫ procurant angelicæ mentes, si quidem uerum est, quod scribit Paulus: esse omnes administratorios spiritus in ministerium missos, propter eos qui hæreditati salutis sunt destinati. Nec mirum alicui uideri debet amari illum ab omnibus, in quo omnia suum aliquid imò se tota & sua omnia agnoscunt.

CAPVT SEPTIMVM.

HOmini mancipantur terrestria, homini fauent cœlestia, quia & cœlestium & terrestrium uinculum & nodus est, nec possunt utraque hæc non habere cum eo pacem, si modo ipse secum pacem habuerit, qui illorum in seipso pacem & fœdera sancit. At caueamus quæso, ne in tāta dignitate constituti non intelligamus: Verū illud ante oculos semper animi habeamus, uti & certā & exploratā & indubiam ueritatem, sicuti fauent omnia nobis eam legem seruantib. quæ nobis est data, ita si per peccatum per legis præuaricationē de orbita defecerimus, omnia aduersa infesta inimicaq̄ꝫ habituros. Rationabile enim ut quemadmodum non modo nobis, sed uniuerso, quod in nobis complectimur, sed authori ipsius mundi omnipotenti Deo iniuriā facimus, experiamur etiam omnia, quæ in mundo sunt: & Deum in primis, potentissimos uindices & acceptæ iniuriæ grauissimos ultores. Hinc extimemus, quæ pœnæ quę supplicia maneāt transgressores diuinę legis. Hi sunt, qui (ut dixit oraculum) δαίμονες οἱ φοιτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ πόντον ἀκάματοι δαμάνανται ὑπὸ τῇ μαστίγι θεοῖο, id est, qui pergunt circa terram, & circa pontum, & infessi domantur sub uerbere Dei, hos cœlum, hos terra, hos tota mundanæ reipub. inconcussa iustitia

fulminat, & persequitur. Rei sunt enim uiolatæ uniuersitatis, & læsæ maiestatis diuinæ: Cuius imaginem fœdissima iniquitatis macula deturparunt. Hinc factum fortasse, ut apud Prophetas cum quid à Deo aut præceptum, aut uetitū promulgatur, citentur cœlum & terra testes, scilicet, quia & præcepti transgressio illa etiã uiolet, & de communi accepta contumelia ipsa quoque de improbis dum Deo ministrant pœnas sunt acceptura, & omnino omnem insaniam superat adduci ut credamus cuipiam in ciuitate aliqua posito decorato summis honoribus licere in principem, in uniuersam rempubl. de se optime meritam impune delinquere, ac non potius dari illum torquendum statim & cruciandum lictoribus & carnifici, aut totius populi consensu lapidibus obruendum. Sunt autem carnifices, sunt lictores, in hac Dei repub. improbi dæmones, uilissimo ministerio addicti in pœnam antiqui sceleris, hinc illud Pauli: Tradidi illum Satanę in interitū carnis, hinc dæmonis ultoris etiam apud Orpheū cognominatio, si forte nostris minus credamus. Quemadmodum autem scelera hominum omnis creatura odit & execratur, ita recta illius uita & institutio omnibus grata est, omnibus placet. Neque enim (ut ita dixerim) non admitti in participatū & boni eius & mali omnia possunt, quæ tam arcto nexu illi implicita & coniuncta sunt. hinc illud euangelicum: Si pœnituit peccator exultare lætitia omnes angelos, hinc mysteriū illius aperta ratio, quod absconditum fuit à sæculis, ut corrupta in primo Adam & deturbata de suo statu natura nostra per Christi crucem instauraretur, scilicet nostra causa filius Dei & homo fit & cruci affigitur. Nam & congruū fuit ut qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ in quo condita sunt uniuersa, illi copularetur unione ineffabili, qui ad imaginem factus est Dei, qui uinculum est omnis creaturæ in quo concluſa sunt uniuersa. Nec erat si cum homine tota natura periclitabat eius factura aut negligenda, aut reparanda per alium, quàm per quem tota fuerat instituta natura.

De mundorum inter se & rerum omnium cognatione, Expositionis sextæ, Lib. VI. Proœmium.

DEus unitas est ita ternario distincta, ut ab unitatis simplicitate non discedat. Est trinitas diuinæ in creatura multiplex uestigium. Nos hoc unū duntaxat hic attulerimus adhuc quòd sciam à nemine allatum, quòd quam in creaturis unitatem uidemus, dispartitam triplici ratione deprehendimus. Est enim primum ea in rebus unitas, qua unumquodq; sibi est unum sibiq; constat atq; cohæret. Est

ret. Est ea secundo, per quam altera alteri creatura unitur, & per quam demum omnes mundi partes unus sunt mundus. Tertia atq; omnium principalissima est, qua totum uniuersum cum suo opifice quasi exercitus cum suo duce est unũ. Adest trifaria hæc unio unicuiq; rei per suam unam simplicem unitatem deriuatam ab illo uno quod & primum unum & trinum simul atq; unum est, à patre inquam filio & spiritusancto. Nã & patris potestas omnia producens, suam omnib. largitur unitatem, & sapientia filij rite omnia disponens, omnia inuicem unit & copulat, & spiritus amor ad Deum omnia conuertẽs totum opus opifici nexu charitatis adiungit. Quemadmodum autem ut magis intimus: Ita magis unus est nobis Deus quàm ipsi nobis, rursus unaquæq; res arctius sibi cẽ alijs mundi partibus iungitur, ita uniuersæ charitatis ordinẽ edocti, si legem diuinam naturæ tabulis inscriptam sequi noluerimus, primo Deum ipsum supra nos supraq; omnia, secundo loco nosipsos, tertiò proximum diligemus. Propheta autem noster de ea unitate, qua unumquodq; sibi est unũ, tunc satis dixit: cum rerum omnium sigillatim naturam examinauit. De illa autem, qua Deo unimur, tractatu proximo agetur. Vbi de felicitatis summa disputabimus. Reliqua ea est, qua diuersæ partes mutuo fœdere inuicem copulantur, de qua in præsenti à nobis agendum est.

CAPVT PRIMVM.

POstquam igitur distinctas rerum naturas uidimus, & separatis (ut ita dixerim) stationibus dispositas, ne crederemus iccirco tantum ex his omnibus unum fieri uniuersum, quia singula à singulis (ut supra ostendimus) pro suæ naturæ conditione contineantur indicare in suo etiam contextu Propheta uoluit, qui & quot modi essent, quibus naturæ rerum inter se inuicem copularentur, non solum ad curiosam hanc intelligentiam nos uocans, sed per hoc instruens & demonstrans qua nos uia & ratione his, quæ nobis sunt meliora, copulari possumus. Cogitanti autem mihi priusquàm accederem ad uerborum enarrationem, quot modi aut essent aut cogitari possent, quibus res aliquæ inuicem uel affinitatem uel copulam nanciscerentur, & discurrenti per omnia dogmata philosophorum, quibus à pueris insudaui: haud ultra quàm quindecim genera occurrerũt. Quæ deinde accedens ad Mosem ita dilucidè, ita appositè subindicata ab eo uidi, ut nusquam melius erudiri de illis quenquam posse crediderim.

CAPVT SECVNDVM.

STatim igitur in prima die nescio breuius an dilucidius quinq; modos complectitur, quibus coniungi aliquid alicui potest. Quod enim alteri coniunctũ est, aut eius essentia est, aut est essentiæ proprietas, aut inest ei uti forma subiecto, aut eum attingit uel sicut transmutans id quod transmutatur, uel sicut ars subiectam sibi materiam. Similiter quinq; à Mose legimus inuicem quasi comparata & connexa, cœlum & terram & inanita-

tem, abyſſum & tenebras, ſpiritum Dei & aquas, lucem & corpora. Primum igitur coniunctionis modum deſignat nobis terra inanis & uacua, quoniam terra, id eſt, materia inanis eſt, niſi aliunde formis adimpleatur. Secundum indicant tenebræ ſuper faciem abyſsi. Nam abyſſus ſua quidem natura nec lucidus nec tenebroſus, ſed illius tamen naturam tenebræ conſequuntur, niſi accedens lumen illas fugauerit, quemadmodū & materiæ informitatem inanitatemq; priuationis tenebræ conſequunt̄, donec aduenies eas ſpecies expulerit. Tertium oſtēdit lux oborta corporibus. Eſt enim in eis lux uti forma in ſubiecto. Quartum cœlum & terra, quoniam non inhæret terræ cœlum, uti forma uel accidens ineſt rei quā perficit, ſed coniungitur ei uti efficiens patienti & tranſmutans cauſa corpori quod tranſmutatur. Poſtremi exemplum eſt ſpiritus Domini, qui fertur ſuper aquas. Artifex enim Domini ſapientia & ſpiritalis natura omnino abiuncta à commertio corporis haud aliter iungi corporibus intelligitur, quam ars, quæ in mente eſt architecti, cœmento, lignis & lapidib. iungatur. Rurſus aūt & hanc conſidera conſequentiæ rationem, eſſe terram ex ſe inanem, domeſticas habere tenebras, tum proxime luci iungi, per lucem cœlo, per cœlum ſubſtātiæ ſpiritali. Sed uideamus qualiter hæc ſe habeant in nobis. Terra terrenum eſt corpus inane uita, uacuum ſenſu, ſuperq; ipſum ſunt tenebræ, mors, torpor, inefficacia, immobilitas, inſenſatio: lux uita eſt, quæ illud uegetat, excitat, agit, mouet, & ſenſu præditum reddit: cœlum eſt animus, fons illius lucis, & ſpiritus Dei eſt intellectus, lumen diuini uultus. & de his hoc loco plura etiam quàm opus ſit.

CAPVT TERTIVM.

EXaminemus quid ſibi Moſes in ſequentib. uelit: & uidebimus decem alios modos ab eo inſinuari, in quibus mutuam inter aliqua fœderationē intelligamus. Præter enim eos quos diximus ſunt rurſus & hi, quos numerabimus, quoniā aut pars aliquid eſt alterius, aut effectus, item ſi eſt pars, aut pars indiuidua eſt à ſuo toto, quo pacto, & Sol & Luna & ſtellæ in firmamēto ſunt, aut ſeparabilis quemadmodū aquę partes ab integritate ſui elementi, ad quod confluxerunt. Si eſt effectus, aut à ſeminaria ratione intrinſeca pullulat ſicut plantæ è terra pullulant, ipſi tamen ſuæ parenti affixæ, & naturalibus uniculis ligamentisq; connexæ, aut ex ſuis principijs conſtat & conflatur, ut mixtum ex elementis. Quo pacto ex aquis & terra animalium corpora fiunt, aut cauſam habet extrinſecam, quæ trifariam diuidi poteſt in efficientem, exemplar & finem. Quorum trium exempla habemus à Moſe dum & hominem Deus creat & efficit, & creat ad ſuam imaginem tanquam ad exemplar: & beſtiæ homini ſubſunt, fiuntq; propter hominem ut propter finem.

CA

CAPVT QVARTVM.

DIximus de parte & effectu, eademq; ratione de toto & causa. Respondent enim hæ inuicem rationes. Sed neq; impleuimus omnia genera cognationis. Nam & de causa ea est reliqua species affinitatis, qua causa secundaria primariæ obedit & adiungitur, sicut cũ Deus producit, aquæ producunt: & hæ quidem primo, quia proxima sunt causa, sed non aliter quàm Deo præcipiente, quia causa primaria magis influit quàm secũda. Similiter est finis secundarius principali appendens & annexus, quod sapienter significat dicens: posita sydera ut lucerent in cœlo, & illuminarẽt terram. Neq; enim bonum inferiorum primarius finis est cœlestium. Sed id primum intendunt, ut sibi luceant. Tum postremo ut nos illuminent. Quapropter & apud Homerum cum auroram tum Solem immortalib. primum, tum & mortalibus exoriri ac lucem ferre legimus. Est item præter hæc omnia & homo homini, & leo leoni cognatus. & tamen neq; pars neq; effectus leonis est, si ab illo genitus non sit, hoc Propheta significat, cum simul pisces, simul aues, simul bestias terræ colligit & adunat. Est ultima ratio affinitatis, quæ est mediæ naturæ ad extrema. Nam cõuenit homo homini, animal animali, quia eandem participant essentiæ rationem, uel specialem, uel generalem. At medium non eadem est essentia quàm & extrema, sed temperatum quoquo modo ex illis, ita ab utroq; dissentit, ut cum utroq; communicet. Quod indicatũ nobis à Mose, cum ponit firmamentum aquarum medium, diuidens supercœlestes aquas ab aquis, quæ sunt sub cœlo, ubi quæ sit mediꝝ natura sufficienter aperit, quẽadmodum nos in proœmio primi libri & secũdo capite quinti abũde declarauimus.

CAPVT QVINTVM.

ADmonemur aũt & hinc quid facto opus sit nobis, ut naturis melioribus uniamur, in quouis tota & summa posita est nostræ felicitatis. Nam & docet nos prima dies, tunc primũ aquis depulsa nocte obortã lucem cũ spiritus Domini eis incubuit. Vnde illud Iacobi significatur: Omne optimũ donum desuper esse à patre luminũ. Quod ne nostros commemorem: Ita cõfirmat Iamblicus, ut nihil quasi uel mediocre promittere sibi posse de se humanã naturam uelit, nisi maiori, id est, diuino numine sit adiuta. Quod si est uerũ & non modo à nostris, sed à philosophis etiã cõprobatũ, profecto omne studiũ nostrũ in eo esse debet, ut conuersi ad supera, quod fit per sacrã religionẽ, per mysteria, per uota, per hymnos, preces et supplicationes, inde nostræ infirmitati uires quæramus. Hinc Platonicę & Pythagoricæ disputatiões à sacris precib. exorsæ desinũt in easdẽ, quib. & Porphyrius & Theodorus & omnes academici nihil utile magis, imò necessariũ homini esse uno ore cõfirmãt. Indorũ Bragmanes & Magi Persarũ nihil aggressi unq; legunt nisi oratione p̃missa. Quæ ideo gentiũ testimonia affero, ut quib. à malo dæmone persuasum, ut gẽtib. potius credãt

quàm ecclesiæ, uel ab his discant, quibus adhibent fidem neq; ridendam, neq; inutilem, neq; indignam rem esse philosopho operam sumere, & quidem magnã atq; assiduam in sacris precationibus, in mysterijs, in uotis, in hymnis Deo iugiter decantandis. Quæres si quod hominum genus & iuuat maxime & decet, illis præsertim utilis & decora, qui studijs literarũ & contemplandi ocio se dederunt. Quib. nihil necessarium magis quàm ut quos in diuina identidem mentis oculos intendunt, & uitæ integritate depurent, & petita per ferulam orationis desuper luce largius illuminent, admonitiq; propriæ semper imbecillitatis cum Apostolo dicant sufficientia nostra ex Deo est.

CAPVT SEXTVM.

RVrsum examinemus quid nos aquæ, quid terræ dispositio doceat. Discamus à terra non edituros nos frugem, quã parturimus, nisi inuadentis nos fluxæ materiæ atq; caducæ impetum repressérimus, depulerimusq;, & è sedibus nostris exturbauerimus irruentiũ in nos quasi aquarum uoluptatum gurgites & torrentes. Discamus ab aquis non prius illas existimatas idoneas piscibus procreandis quàm in unũ totius sui elementi integritatem collectæ fuerint. Nam neq; nos si diuulsi distractiq; ad diuersa fuerimus, si non toti collectis omnibus uiribus ad unam feremur intentionem, sobolem dare aliquam dignam nostra diuinitate in lucẽ poterimus. Continetur autem & hic altius mysterium, quemadmodum, scilicet guttis aquæ ea est felicitas, ut ad oceanum, ubi aquarum plenitudo, accedant, ita esse nostram felicitatem, ut quæ in nobis intellectualis luminis portio est ipsi primo omnium intellectui primæq; menti ubi plenitudo, ubi uniuersitas omnis intelligentiæ aliquando coniungatur.

CAPVT SEPTIMVM.

ATmaximum illud omnium quod firmamenti nobis doctrina significat, ubi uidemus nõ posse aquas inferiores superiorum aquarũ beneficio aliquo locupletari, nisi cœlo intercedente: quod inter eas medium est collocatum: ita nos animo proponamus extremorum copulam non nisi per eam naturam fieri posse, quæ media extremorum cum sit utrunq; in se complexa. Ideo illa, id est, extrema inter se commode unit, quia in seipsa illa per proprietatẽ suæ naturæ prius uniuit. Admonemur hinc magni illius sacramenti, quod gentibus stultitia, Hebræis scandalum, nobis Dei uirtus & sapientia est, non posse hominẽ Deo coniungi, nisi per eum, qui cũ in seipso hominẽ Deo coniunxerit, uerus mediator effectus, potest ita homines Deo annectere, ut sicut in eo filius Dei hominẽ induit, ita per eum homines Dei filij fiãt. Quod si uerum est quod dicimus, nõ copulari extrema inuicẽ nisi per mediũ, id aũt uerè mediũ dici, quod in seipso iã extrema uniuit, profecto si dispensatio illa ineffabilis in solo cõtingit Christo, ut uerbũ fieret caro, solus etiã est Christus, per quem ad uerbũ caro potest as-

test assendere, nec est (ut recte scripsit Ioannes) aliud sub cœlo nomen in quo oporteat saluos homines fieri. Quod diligenter aduertãt qui cũ Christo se dicunt credere, communem tamen religionem aut suam unicuique, in qua est natus, credunt sufficere ad consequendam felicitatem. Non mihi non ipsis rationibus credant, sed Ioanni, sed Paulo, sed Christo ipsi, qui dixit: Ego sum uia. Ego sum ostiũ, & qui per me nõ intrat fur est & latro.

De felicitate quæ est uita æterna, Expositionis septimæ, Lib. VII. Proœmium.

SI totius mundi gradus, ordinem & naturam sexta absoluta, expositione quasi sex diebus exegimus: reliquum, ut septimo hoc tractatu quasi sabbato nostræ commentationis de sabbato mundi & quiete creaturarum, quarũ naturam in superioribus instituimus, id est, de earũ felicitate tractemus (aut ut dicam rectius) tractantem Mosem ut uerum uatem futurorum omnium audiamus. Est aũt felicitas (ut theologi prædicant) alia, quam per naturã, alia, quam per gratiam consequi possumus. Illam naturalem, hãc supernaturalem appellant. De prima, id est, de naturali satis dictum à Mose, quoniam rerum cognita natura, naturalem quoq; earũ felicitatem cognoscimus. Reliquum ut doceat de secunda Prophetam se potius exhibens quàm doctorẽ, quoniam cum scripsit Moses nondum erat gratia, sed futurũ erat ut esset: Verum quoniam mihi uideor uidere sciolos quosdam dixerim an uappas potius & nebulones, qui se uocant philosophos cum nihil sint minus, ridentes statim & gratiam & felicitatem super naturalem, quasi uana hæc nomina & aniles fabulæ sint, uolui breuiusculam hac de recũ illis disputationem sicuti proœmium facere septimi libri, rem & seorsum omnib. utilem & necessariam ualde operi, quod suscepimus, ubi altissimis philosophiæ radicibus nixam & stabilitam stare sententiam theologorum dilucide cõprobemus. Felicitatem ego sic definio, reditum uniuscuiusq; rei ad suum principium. Felicitas enim est summum bonum, summũ bonum, id est, quod omnia appetunt, quod autem omnia appetunt, id ipsum est, quod omnium est principium: ut Alexander Aphrodisiensis in commentarijs philosophiæ, & Græci interpretes in Aristotelis Ethicen attestantur. Idem igitur finis omnium quod omnium principium Deus unus omnipotens & benedictus optimum omnium quæ aut esse aut cogitari possunt. hinc duæ illi præcipue appellationes apud Pythagoricos unum, scilicet, & bonum. Vnum enim cognominatur, qua omnium est principium, quemadmodum unitas principium est totius numeri, bonum autem, qua omnium finis omnium quies & absoluta felicitas est. Videre iam possumus, si simus paulo solertiores, rationem duplicis felicitatis.

tis. Felicitas enim possessio atque adeptio est huius primi boni. Bonum hoc adipisci dupliciter possunt res creatæ, aut in seipsis, aut in ipso. Nam & in seipso hoc bonum est super omnia exaltatum suę inhabitans diuinitatis abyssos, & per omnia diffusum in omnibus inuenit: hic quidē perfectius, illic imperfectius pro rerū conditione à quibus participatur. Vnde (ut scribūt Poētæ) Iupiter est quodcūq; uides, & Iouis omnia plena sunt. Vnaquæq; igitur natura cū in se Deum habeat aliquo modo, quia tātum Dei habet quantū habet & bonitatis (bona aūt omnia quę Deus fecit) reliquum, ut cum perfectā omnibus numeris suam habet naturā, se adepta Deum quoq; in se adipiscatur, & si Dei adeptio, ut comprobauimus, est felicitas, in seipsa aliquo modo sit felix, hęc est naturalis felicitas, quam & maiorem & minorē diuersæ res pro naturarū diuersitate sortitæ sunt. Ignis res est anima carens, participat aūt Deum multis rationibus. Nam primo est, & unumquodq; quòd est participatum Dei est, qui est ipsum esse, itē qua ignis species certa & actus est, Deo est similis, qui prima species primus est actus, & dum ignis ignem producit diuinam fœcūditatem, dum se intra terminos suæ cōtinet sphæræ iustitiam, dum nobis deseruit beneficentiam pro suæ naturæ modulo imitat. Hæc ignis dum agit suam adeptus perfectionem felix est quantum capax ipse felicitatis. Feliciores plantæ, quæ præterea uitā feliciora animantia, quæ etiam cognitionem sortita ut plus perfectionis, ita plus etiā in seipsis diuinitatis inueniunt. Optima omnium mortalium conditione homo, qui sicut natura: ita naturali fœlicitate aliis præstat, prædītus intelligentia & libertate arbitrij præcipuis dotib. & ad felicitatem maxime conducentibus. Suprema inter creaturas angelica mens & substantiæ nobilitate finis consecutione, cuius maxime particeps, quia illi & iuncta & proxima est. At uero ut supra diximus per hanc felicitatē, nec plantæ, nec bruta, nec homo, nec angelus, Deum, qui est summum bonū. in ipso Deo, sed in seipsis attingunt. Quapropter & pro naturarum capacitate gradatim felicitatis ratio uariatur. Quare & de hac solum loquuti philosophi felicitatē uniuscuiusq; rei in optima operatione suæ naturæ collocauerunt, & de angelis quidem quos uocant mentes & intellectus, etiam si summā illorum perfectionem hanc faterent quod Deū intelligerent, cognitionē tamen Dei, quā habent, haud aliā statuere præter eā, qua seipsos cognoscunt, ut de Deo tantū intelligant, quantum de Dei natura in eorum substantia repræsentatur. De homine aūt & si diuersi diuersa senserint, omnes tamen intra humanæ facultatis angustias se tenuerunt, uel in ipsa tantum ueri uestigatione quod Academici, uel in adeptione potius per studia philosophiæ (quod Alpharabius dixit) felicitatem hominis determinantes. Dare aliquid plus uisi, Auerrois, Auicenna, Abubacher, Alexander, & Platonici nostram rationem intellectu, qui actu est, aut aliquo superiore, nobis tamen cognato quasi

to quasi in suo fine firmantes, sed neq; hi hominem ad suum principium neq; ad summū bonum adducunt. Quas ego eorum disputationes atque sententias nec reprobo nec aspernor, si de naturali se tantum fœlicitate dicere profiteantur. Certum enim per eam non posse hominem aut angelos altius euehi quàm ipsi dicant. Quod uel hac ratione maxime comprobatur, quoniam si nixum propria fortitudine nihil supra seipsum potest assurgere (alioquin seipso esset ualidius) utique nihil nitens per seipsum ad fœlicitatem maius aliquid uel perfectius sua natura assequi poterit. Sed dicant mihi philosophi si hæc in rebus sola fœlicitas, cur uel ipsi fatētur inter animalia solum hominem natum ad fœlicitatem. Cur enim alia præter hominem ad suos quoque fines perueniant: possumus dicere esse aliorum quàm hominis minorem fœlicitatem, at nullam esse quo pacto defendemus? Quinimò cum à fine, à natura statuto reliqua infra hominem nunquam, homo fere semper exorbitet, uidebitur nisi alio se priuilegio iactet, infœliciſsima omnium humana conditio. Audiamus igitur sacros theologos dignitatis nostræ nos admonentes, & quæ ultro nobis à patre liberaliſsimo diuina bona præstantur, ne quæso ipsi crudeles in nostros animos & male grati erga Deum opificem reijciamus. Diximus supra summam fœlicitatis in Dei esse adeptione, quod est summum bonum & principium omnium. Dupliciter autem illam posse contingere: quoniam uel in creaturis, quibus se Deus participat, uel in ipso Deo Deum assequimur. Ostendimus item, quod & ostendemus, tres creatas nō posse uiribus suis ad hanc postremam, sed ad illam duntaxat accedere. Est autem illa, si animaduertimus, umbra potius fœlicitatis quàm uera fœlicitas, quemadmodum creatura, in qua Deum attingit, non summa bonitas, sed summæ bonitatis, id est, diuinæ tenuis umbra est: Adde quòd res per illam seipsis potius quàm Deo restituuntur, nō id assequutæ, ut ad suum principium redeant, sed hoc tantummodo ne à seipsis discedant. Vera autem & consummata fœlicitas ad Dei faciem contuendam quæ est omne bonum, ut ipse dixit: & ad perfectam cum eo principio, à quo emanauimus, unionem nos reuehit & abducit. Ad hanc angeli attolli quidem possunt, sed non possunt assendere. Quare peccauit Lucifer dicens: Assendam in cœlum. Ad hanc ire homo nō potest, trahi potest, unde Christus de se, qui est ipsa fœlicitas dixit: Nemo uenit ad me nisi pater meus traxerit illum. Bruta autem & quæ infra hominem, nec ire, nec trahi, ad illam possunt. Ideoq; solus homo & angelus ad eam sunt facti fœlicitatem, quæ est uera fœlicitas. Potest uapor conscendere in altum, sed non nisi attractus radio solis, lapis & corpulenta omnis substātia neq; radiū usquequaq; admittere, neque per illum tolli in sublime potest. Hunc radium, hanc uim diuinam, hunc influxum, gratiam appellamus, quia Deo & hominem & angelum gratos efficiat. Habent aūt philosophi huius doctrinę manifestum

exem-

exemplum in corporibus. Corporum enim aliqua in rectum, aliqua in orbem feruntur. Motus rectus, quo elementa ad proprias sedes uehuntur, figurat fœlicitatem, per quam in propriæ naturæ perfectione res stabiliuntur. Motio circularis, per quam corpus ad eundem unde abscedit terminum circumuoluitur, expressissima imago est ueræ fœlicitatis, per quam creatura ad idem principium redit, à quo processerat. Sed uide quàm omnia utrinq; conueniunt. In orbem non mouentur nisi immortalia & incorrupta corpora. Ad Deum non redit nisi immortalis & æterna substantia. Elementa ut suos motus perficiant non alia indigent ui quàm indito sibi à genitura uel grauitatis impetu uel leuitatis, quemadmodum etiam ad naturalem fœlicitatem singula proprio impetu propria ui feruntur. At uero cœlestia etsi idonea sint motui circulari, non ipsa tamen sibi sufficiũt ad hunc motũ explendum, sed diuino opus motore, qui illa uersat & circumuoluat. Deniq; sic perpetuæ apta circuitioni illa corpora sunt, ut nõ facere eam, sed suscipere possint. Haud aliter nobis atque angelis accidit. Tales enim sumus natura, ut non circumagere nos & reflectere, sed circumagi motricæ ui gratiæ & reflecti in Deum possumus. Hinc illud, quiaguntur spiritu Dei, hi filij Dei sunt. Qui aguntur dixit, non autem qui agunt. hoc distamus à cœlo quòd illud naturæ necessitate, nos pro nostra libertate mouemur. Pulsat enim assidue animum tuũ spiritus motor. Si obaudias, tibi relinqueris, tuo corpori, tuæ infirmitati, miser & infœlix. Si admittas, statim Deo plenus per orbem religionis ad patrem ad Dominum reportaris, in eo uitam semper possessurus, in quo & semper etiam antequam fieres uita fuisti. Hęc est uera fœlicitas ut unus cum Deo spiritus simus, ut apud Deum non apud nos Deum possideamus, cognoscentes sicut & cogniti sumus. Ille enim nos non per nos, sed per seipsum cognouit. Ita & nos cognoscemus illum per ipsum & non per nos. Hæc est tota merces, hæc est uita æterna, hæc est sapientia, quam sapientes sæculi non cognouerunt, ut ab omni multitudinis imperfectione redigamur in unitatem per copulam indissolubilem, cum eo qui est ipsum unum. Pro hac fœlicitate Christus orabat ad patrem hoc modo: Pater fac quemadmodum ego & tu unum sumus, ita & hi nobiscum unum sint. Hanc Paulus separabat dicens, cognoscam non ex parte: sed sicuti est: & si sperabat nonne iure dicebat, Quis me separabit à charitate Christi? & cupiebat dissolui ut cũ Christo fieret unum. Ab hac cecidit dæmon, quoniam ad illam ascendere, non rapi uoluit. Ideoq; illud amisit, quod habuisset si permansisset. Ex hac radice notũ quæ sors infantium, qui decessere nondũ initiati. Scilicet apud se manent, nec suis bonis exuti, nec diuinis locupletati. Nobis in alterutram partem cadendum, aut summam miseriam, aut summam fœlicitatem. Quoniam qui in causa est ne motorem recipiat, nõ solum immunem se facit gratiæ, sed & naturam uitiat, ad cuius integritatem hoc attinet, ut

agnitum

agnitum ſpititum quærat, non recuſet, & proculdubio recta eſſe natura non poteſt, quæ maioris boni propoſiti ſpecie aut reiſcit aut contemnit: Quare poſtquam Chriſtus eſt agnitus, ſequi Chriſtum non induunt, non ſolum prima felicitate, ſed & ſecunda, id eſt, naturali iure priuantur, quia gratiam nolle, nõ niſi corruptæ eſt & labefactæ naturę. Quemadmodum autem nos uiuentes ſub Euangelio. Ideo Chriſtum Dei uirtutẽ & ſapientiam in nobis recipimus, quia uti iam datum humano generi amamus & retinemus. Ita & patres ſub lege uetere illum recipiebant, cum futurũ aduentum & credebant indubie & ſperabant alacriter & ardenter deſiderabant. Sed ſicut non ut præſentem iam, ſed ut futurum recipiebant, ita neq; præſentem quaſi iam ſpiritus inhabitãtis niſi poſtquam aduenit fructum experti ſunt. Cum poſt peractum in ara crucis ineffabile ſacrificiũ deſcendente ad eos Chriſto ab eo uti motore circumacti momento turbinis ad libertatem, & euecti ad ſummæ felicitatis gradum fuerunt. Ad hanc felicitatem religio nos promouet, dirigit & impellit, quemadmodum ad naturalem ducem utimur philoſophia. Quod ſi natura rudimentum eſt gratiæ, utique & philoſophia inchoatio eſt religionis, neque eſt philoſophia quę à religione hominem ſe mouet. Recte igitur & nos cum à Moſe, poſtquam ſex dies de natura ſumus philoſophati, ſeptimo die diuinis uacantes deſuper naturali felicitate dicemus.

CAPVT PRIMVM.

DVplex (uti oſtendimus) ſupremę huius felicitatis natura eſt capax, angelica & humana. Illa cœlum, hæc terra dicitur: quia angeli cœlum, nos terram inhabitamus. Et de cœlo non eſt quòd dicat amplius, quia non angelorum, ſed hominũ legem ſcripturus eſt. Ad homines igitur deſcendens inquit: Terra erat inanis & uacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſsi. Non creat Deus inanitatẽ, non creat tenebras. Sed terra (inquit) inanis & tenebræ erãt: Non dicit hæc fuiſſe creata, ſed fuiſſe. Quod cur ſit dictum patebit ſimul cum cognouerimus quæ hæc inanitas: quæ hæ tenebræ ſint. Natura humana, quę terra dicit angelis cõparata, ſtatim ab initio, qa ſtatim peccauit, inanis erat & uacua originali iuſtitia, & peccati tenebris facies eius, id eſt, ratio obducebat. Neq; hæc fecit Deus, ſed hominis malitia, qui uolens ſe his bonis priuauit, quib. illũ Deus ditauerat. Sic naturæ corruptæ ſtatus à Propheta deſcribit, quæ quo pacto deinde à Deo per Abrahã, per Moſem, per Prophetas, nouiſsime uero per unigenitum filiũ ſuum & priſtinæ dignitati reſtituta, & ad ſummã felicitatem parata fuerit in ſequentibus demõſtrabitur. Verũ & quo tempore aquæ obductæ tenebris erant infectæ, ſcilicet, primæuis ſordibus notæ originalis, ſpiritus tamen Domini fouebat eas. Quod eſt dupliciter intelligendum, & quòd lumine Diuini uultus quod ſignatum eſt ſuper nos, id eſt, lumine naturalis intelligentiæ homines regebantur, & quòd diuinæ tum pro-

uidentiæ cura humanum genus destitutū nō erat, sed spiritus Domini fo uebat aquas, spiritus ille, qui (ut ait Apostolus) intercedit pro nobis gemi tibus inenarrabilibus, & tunc assidue cogitabat quo pacto illas à uenenis purgaret, quib. antiquus serpens eas infecerat, & ecce statim iubet oriri lu cem, & orta est lux. Abraham scilicet ille sapientissimus, fundator primus ueræ religionis: Primus, qui & naturæ legem absolueret, & de Diuina le ge meditaret. Primus, qui cultū unius Dei aduersus idola & gentes homi nibus persuaderet. Primus, qui & tenebras erroris depellere, & malis dæ monibus qui principes tenebrarum dicuntur, bellum indicere est aggres sus, unde merito lux cognominatus. Quod quia & discipuli Domini om nes fecerunt, omnes à Domino lux mundi sunt appellati. Hæc est lux pri ma quæ mundo affulsit, & inter dæmonum uerique Dei religionem quasi inter lucem tenebrasq; distinxit.

CAPVT SECVNDVM.

HVnc secuuta est lex, quę merito cognomento dicitur firmamentum, statim in sui exordio, hoc ipso scilicet quòd nunc tractamus annun cians nobis opera manuum Dei (ut cecinit Dauid: & opera manuum eius annunciant firmamentum) Data igit lex per angelum Mosi, firmata uer bo Dei, quæ adhuc magis quàm superior lux gentes ab Israelitis, i d est, in pietatem à pictate, quasi aquas supercœlestes ab aquis quæ sunt sub cœlo discriminauit. Dicūtur autem Iudæi aquæ supercœlestes, quia soli (ut in quit Hieremias) signa cœli non timent, quæ gentes timent, soli non, aut stellas aut cœlum, sed stellarum & cœli authorem ac Dominum, & agno scunt & agnitum colunt ac uenerantur. Gentes autem contraria ratione, aquæ sub cœlo sunt, quando & dæmones caliginosi aëris incolas, quę re gio supra aquas est, adorant & colunt, & uisibile cœlum, sydera & plane tas sibi Deos ac Dominos faciunt.

CAPVT TERTIVM.

ERat autem futurum, ut nisi maior aliqua uis & misericordia Dei ob staret, aquæ quæ sunt sub cœlo, id est, idolis seruientes, totam terram inuaderent & occuparent: Sic infectio totius mūdi de prima macula. Sic satanæ ultoris imperiū & ius in nos reos antiquæ noxę & huiusmodi ser uitutis pene obnoxios postulabat. Sed benefica semper & salutaris proui dentia Dei unam ex terrę partibus, & si exiguam quantum iustitię leges patiebantur ab aquarum iniuria liberam esse uoluit, hęc est Iudęa uocata terrę promissionis, qa & Abrahę & posteritati à Deo promissa fuit. Cui nostrę expositioni Prophetę omnes adstipulant, apud quos totiens gen tium impetus in Israelitas aquarum & maris incursionibus comparatur. hinc illud: eleuauerunt flumina uocem suam: & mirabiles elationes ma ris, & illud sonuerunt & turbatę sunt aquę eorū, & non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris, & profecto non

aliter

aliter Iudæam intra haud magnæ regionis terminos concluſam circumuallabant gentes, quàm nūc terræ hanc portionem utique modicā quam habitamus undique circumuallet oceanus. Sed & plurib. in locis euidentiſsime in literis Chriſtianis per aquas gentes deſignantur. Nam & ſcriptum eſt: aquæ quas uidiſti gentes ſunt, & cum Dominus Ieſus uinum fecit ex aqua, quod in phariſæi domo defecerat, figurate ut noſtri ſcribunt, ſignificauit aquas, id eſt, gentes ad eam fidem eſſe uocandas. Quæ apud Iudęos apud quos fuerat antea in poſterum deficeret. Itidem in myſterijs tradunticcirco aquam uino miſceri, quòd aquæ, id eſt, gentes ſanguinem Chriſti per fidem crucis hauriant & combibant. Illa igitur pars aſſerta à iugo aquarū Dei prouidentia fuit, ut ſi reliqua terra obruta undis ſpiritalis nequitiæ inutilis & deſerta erat futura nec idonea fructibus ueræ religionis, hæc ſaltem eſſet, quę luce ſuſcepta quam protulit prima dies & rore cœli quod ſecunda ſtatutum eſt, id eſt, doctrina legis ad ubertatem adiuta, germinaret interea quaſi herbas, plantas, & arbores, iudicia, ceremonias, & bonos mores, donec cum temporis plenitudo ueniſſet etiam quod Eſaias optabat Saluatorem fœliciſsima germinaret.

CAPVT QVARTVM.

ET ecce iam temporis plenitudo. Si enim numerus quaternarius plenitudo eſt numerorum, nonne erit & dies quartus plenitudo dierū? Videte igitur quid nobis afferat quartus dies. Cœlum ſecundo die firmatum, id eſt, lex ſine Sole & Luna ac ſtellis erat: capax quidem futuræ lucis, ſed obſcurum adhuc, nec inſigni aliquo lumine illuſtratum. Aduenit dies quartus, quo Sol Dominus firmamenti, id eſt, Chriſtus Dominus legis & lunaris eccleſia Chriſti compar & ſponſa, & qui multos ad iuſtitiam erudirent Apoſtolici doctores in firmamento uti ſtellæ in perpetuas æternitates eluceſcerent, ad æternam ſcilicet uitam mundum uocantes. Sol firmamentū non diſſoluit, ſed perficit, & Chriſtus legem non uenit ut diſſolueret, ſed ut perficeret. Lux primi diei Abraham pientiſsimus uidit diem quartam, quæ eſt dies Chriſti & gauiſus eſt. Vidit radium ſuæ lucis, id eſt, uerę religionis, quem mundo intulerat per ſolem iuſtitiæ, per lucem ueram illuminantem omnes homines in uniuerſum orbem latiſsime diffundendum. Vidit Ieſum Chriſtum ſplendorem paternę ſubſtantię illuceſcentem his qui in tenebris & in umbra mortis ſedebant, & principem tenebrarum principem mundi huius eijci foras, & de mentibus hominū examinari. Hęc uidit & exultauit uidit diem quartam & lętatus eſt. Hęc dies quam fecit Dominus, qua dominus homo fit, qua Deus habitauit in nobis: exultemus & nos & lętemur in ea. Quàm autem uera quàm ſolida ſit noſtrę ratio expoſitionis attendatis quęſo paulo diligentius chriſtiani fratres. Vnde & uobis potentiſsima tela contra lapideum cor Hebrǫorum de armentarijs eorum petita ſubminiſtrabun-

tur. Probabimus autem illud primo ex testimonijs Iudæorum per opera diei quarti aduentum Christi nobis significari: secundo ostendemus nobis Messiã repræsentari per nullam rem congruentius quàm per Solem, colligemusq; euidentissime ex temporum ratione non uenturum in posterum Christũ, sed Iesum ex Nazareth filium uirginis promissum Hebræis Messiam fuisse. Est inter decreta ueteris Hebraicæ disciplinæ per sex dies Geneseos sex mille annos mundi sic designari, ut sint quæ hic dicunt opera primi diei uaticinium eorum, quę primo mundi millenario futura erãt ut contingerent, opera item secũdi eorum quæ in secundo, & sic deinceps eodem semper utrobique successionis ordine seruato: cui sententiæ etiam attestatur inter iuniores Moses Gerundinensis theologus primæ celebritatis apud Hebræos. Meminit & diuus Hieronymus in expositione Psalmi illius, qui Mosi inscribitur, uideturq; opinio hæc fundamento præcipue illi inniti quòd mille anni (ut inquit Propheta) unus dies sunt apud Deum. Quartus igitur dies, si uera est hæc doctrina, uaticiniũ est eorum, quæ quarto millenario mundi euentura sunt: Age nunc ostendamus iuxta annales Hebræorum, & quam approbant ipsi annorum supputationem quarto mundi millenario Iesum apparuisse. computant illi ab Adam ad diluuium annos mille quingentos quinquaginta sex, à diluuio ad Abraham annos ducentos & nonaginta duos, atque ita ab Adam ad Abraham colliguntur anni mille octingenti quadragintaocto. A genitura autem Isaac ad ruinam secundi templi, quæ fuit post Christi mortem numerant annos circiter (neque enim reseco ad uiuum) mille sexcentos sexaginta. Supputant enim ab Isaac ad exitum ex Aegypto annos quadringentos & triginta, ab exitu ad templum quod Salomon ædificauit totidem fere, à Salomone ad templi desolationem per Babylonios annos quadringentos & decem, à templi instauratione sub Esdra ad hanc sub Tito captiuitatem annos quadringentos uiginti. Itaq; si omnes simul collegeris, computabis à mundi exordio ad Christum iuxta ipsorum Hebræorum mentem annorum tria millia quingentos & octo, ut & in ipso quarti millenarij medio Christus aduenerit & intra eiusdem millenarij quasi intra terminos quarti diei & lunæ, id est, ecclesiæ, lux toti mũdo affulxerit, & innumerabilis martyrum, apostolorũ, doctorũq; multitudo qui intra quingentos annos post Christi mortem omnes claruere, & firmamenti, id est, legis obscuritatem & nostræ noctis tenebras illuminauerint. At dicẽt Hebræi: Esto per hęc tempora Iesus aduenerit. Nondum habes Iesum Christum fuisse, nisi ostenderis creditum à nostris futurum ut per ea tempora Christus ueniret. Bene res habet & æquum postulant, & nos præstare facile possumus quod iure postulant. Manifesta, enim uulgata, publica apud eos feruntur Heliæ oracula citra omnem figuram, citra uelamen ex professo dicentis quarto mundi millenario uenturum Messiam, quę ne uel

ficta

fictauideanturà me,uel pro arbitrio interpretata,afferam teſtimonia ipſo rum Thalmutiſtarum, cum quibus nobis eſt controuerſia,qui & illorum faciunt mentionem & ipſa ueritate cogente fatentur præteriſſe tempus ab Helia prædictum de aduentu Meſsiæ. Verba hæc ſunt in capite cui titulus eſt לפני אידיהן תרא דבי אליהו ששת אלפים שנה חרי העולם שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח בעונותינו שרבי יצאו מהן מה שיצאו hæc ſic Latinè interpretemur uerbum uerbo reddens. Dixerunt filij ſiue diſcipuli Heliæ.Sex mille annorum mundus. Duo mille inane. Duo mille lex. Duo mille dies Meſsiæ, & propter peccata noſtra quæ ſunt multa præterierunt de eis quæ præterierunt. Hæc illi. Age nunc, ipſis uerbis ante omnium oculos propoſitis, poſtquam nec commentitium nec arbitrarium ego quicquam afferre poſſum, diſcutiamus examinemuſq; uerba oraculi & ſtatim propoſiti compotes erimus. Sex mille annorum, inquit, eſt mundus: quod uel ſic interpretemur: Poſt ſex mille annorum curricula, quod etiam ex noſtris multi crediderunt, conſummationem mundi quaſi ſabbatum futuram,uel ſi (quod eſt uerius) illam diem nemo nouit,in hunc ſenſum accipiamus, de ulteriori, ſcilicet, tempore nullum in lege uaticinium haberi, ſed hoc ad propoſitam non attinet quæſtionem. Videamus quod ſequitur.Duo mille inane.Duo mille lex,tum Meſsias:inane uocat(ut Hebræi omnes interpretes dicunt) tempus ante traditam à Deo hominibus ullam legem. Sed uideo inſultantem Iudæum dicentemq; ſi duo mille anni ſunt ante legem, & duo mille legis uenturus: ergo Meſsias non quarta die eſt,dum quartus agitur millenarius:ſed die potius quinta,quia poſt quartum,ſcilicet,millenarium.Sed enim reſponſio facilis,ut quam ueritas animoſa ſuppeditat.Quod enim dicitur ab Helia duo mille inane. Duo mille lex:haud ſic accipiendum quaſi integrum tempns duo mille annorum futurus ſit mundus abſque lege, ſimiliterq; duo mille annos permanſura ſit lex, ſed quod & tempus legis naturæ ad ſecundum perueniet millenarium, & tempus legis ad quartum uſque perueniet. Sed & antequam ſecũdus exactus,ſit lex, & antequam quartus elabatur,erit Meſsias. Quam ego expoſitionem mihi ipſe nec fingo nec ſomnio, ſed eam me ipſe Helias docet,ipſimet docent & Thalmutiſtæ. Quod tibi etiam Iudæa aſpis (niſi aures occludas) mox erit manifeſtum. Inquit Helias duo mille inane, & duo mille lex. Videamus in quem ſenſum fuerit uerum quod dicitur de inani, indeq; diſcamus rationem exponendi id, quod dicitur de lege.Principium legis aut à Moſe accipimus,aut ab Abraham.A Moſe accipi non poteſt quoniam fuiſſet inanitas ſupra quam per duo mille & trecentos annos, aut circiter. Totidem enim ferè ab Adam ad Moſem.Accipiendum igitur legis principium ab Abraham, cui datum fœdus cir-

cumcisionis totius antiquæ legis radix & firmamentū, ab Adam autem ad Abraham si suas consulant historias haud integrum spacium duo mille annorum, sed mille duntaxat octingentos quadragintaocto effluxisse inueniunt. Quo fit ut non post secundum millenarium, sed intra eius terminos inanitati, legis plenitudo succederet. Quare eadem ratione non post quartum millenarium, sed dum quartus ageretur inanitati legis, plenitudo euangelica succedere debuit. quod si impudenter & pertinaciter negare pertendant, audiant suos Thalmutistas nostram sententiam maxime roborantes. Fatentur enim ipsi iam tunc cum scribebant præterijsse tempus ab Helia prædictum de aduentu Messiæ, idq; suis imputant peccatis. Quod si uerba Heliæ sic acciperentur, ut post quartum millenarium Christus esset uenturus intra fines ipsius quarti, nec dixissent nec dicere potuissent Thalmutistæ, præterijsse tempus promissi à Prophetis Messiæ, quoniam quo tempore scripta est doctrina Thalmutica, quam nos attulimus, nondum à mundi exordio fluxerant anni quatuor millia. Apparuit enim ut supra ostendimus. Iesus post annos à mundi exordio iuxta Hebræos tria millia quingentos & octo. Scriptum (ut ipsi tradunt) Thalmut Hierosolymitanum trecentesimo anno post Christi mortem. Babylonium autem centesimo anno post Hierosolymum. Quare utrunque intra fines quarti millenarij conscriptum est, & tamen præterijsse tempus dictum ab Helia de Christo uenturo & fatentur & conqueruntur. Quo hic se contendent aut quas latebras quærent, ut hunc nostrum solem ipsis inuitis per uniuersum illucescentem omnino fugiant, omnino non uideant? Fatentur Thalmutistæ (si non credunt ueteribus) prædicta à prophetis de aduentu Christi tempora præterijsse. Fatentur creditum à Prophetis uenturum illum per ea tempora, per quæ Iesum ipsi adueniſſe uolunt. Nec sui doctores omnino non ueri sunt, cum dicunt ob eorum peccata non uenisse Messiam. Neque enim illis uenit: qui eum non agnouerunt. Neq; est Messias, id est, redemptor, uindex pessimæ captiuitatis, beneficus rex, retributor terrę promissionis, id est, supernæ Hierusalem, nisi ijs, qui Messiam eum confessi sunt, quod si in propria uenientem sui non receperunt, non sunt iam sui, qui erant sui, sed ab ortu ueniunt & ab occasu, qui in sinu Abrahæ recumbant, filij autem dilectionis ejciuntur in tenebras exteriores. Vnde & importuna eorum soluitur quæstio, salutifuturum Messiam Hebræis. Christum autem exitio fuisse & perditioni. Neq; enim sunt Hebræi, qui promissum Hebræis ex stirpe Dauid regem & Dominum non modo non sequuntur aut colunt, sed quasi latronem, quasi sacrilegum, quasi prophanum, per omnem iniuriam & contumeliam cruciaſſigūt. Si filij Abrahæ essent, perstarent in institutis Abrahæ, & cuius diem hunc, scilicet,

quar-

quartum ille præuidens gauisus est, ipsi quoque gaudentes aduentantem exciperent. Attulit pacem Messias hominibus, sed non omnibus. Neque enim dictum ab angelis simpliciter, & in terra pax hominibus, sed adiectum, hominibus bonæ uoluntatis. Vtique idem Sol, qui puros oculos illuminat, ægros & debiles cæcat & obscurat. & recta fit ratione, ut qui bonis est salutaris, idem malis sit noxius. & qui amicos beat, utpote potens & non ingratus: Idem etiam hostes fulminet & disperdat. Si male euenisset Iudæis suscepto Christo, non fuisset Christus. Sed si male euenit crucifixo, utique fuit Christus. Qui de suis uictoribus etiam cruci affixus, tunc cum maxime uictus apparuit, tanta eorum cum strage & calamitate triumphauit. Quid igitur cæci Solem expectatis? Adest Sol & lucet, sed lucet in tenebris, & tenebræ uestræ illum non comprehendunt. Præterijt dies quartus, quo ortus est Sol. Qui nō dissoluit legem sed perfecit, sicut neque Sol firmamentum destruit, sed exornat, sed perficit: sed illustrat. Probauimus ex ordine diei quarti & tempore aduentus Christi intelligenda de eo quæ hic dicuntur. Probemus idem ex figuræ similitudine, quia per nullam aliam rem imaginari Christum congruentius possumus, quàm per Solem. Nam & in Sole posuit tabernaculum suum, & exijt de tribu Iuda, cuius signum est Leo Solare animal, & cū Solem in republica Plato uisibilem filiū Dei appellet, cur non intelligamus nos imaginem esse inuisibilis filij. Qui si lux uera est illuminans omnem mentem expressissimum habet simulachrum hunc Solem, qui est lux imaginaria illuminans omne corpus. Sed quid alia quærimus? ipsum Solem interrogemus, qui patiente Christo aduersa Luna deficiens consensum nobis suæ naturæ euidenter ostendit. Vt iure optimo nos, ne tangam altiorem causam, diem quam uocant mathematici Solis & diem Domini uocauerimus, & illius cultui totam mancipauerimus. Vel hinc ostendentes non esse cur amplius corporeum Solem (ut olim gentes) colamus, quasi regem cœli & dominum, postquam Sol inuisibilis coæternus patri & coæqualis, per quem & cœlum & terra cōdita sunt, sedentes in umbra mortis homines illuminauit.

CAPVT QVINTVM.

SEd iam examinemus an quæ sequunt opera diem quartū respondeant his, quæ post aduentum Christi euenisse compertum est, ut tunc demum hanc nostram expositionem ut ueram ut stabilem recipiamus, cum illi undiq; attestari, & consonare omnia cognouerimus. Videamus quid fiat post diem quartum. Producunt aquæ, pisces, & aues: producit terra, pecora, & iumenta. Reuocemus ad mentem quid superius per aquas diximus significari, quæ sub cœlo locatæ, collectæ sunt ad locum unum, quid item per terram, quæ ab illarum diluuio facta est immunis.

Diximus per aquas gentes, per terram Israëlitas figurari, quod & multis cum testimonijs Prophetarum, tum similitudinis rationibus comproba uimus. Vidimus autem ante Solis exortum steriles aquas nihil produce re, quod esset bonum. Terram autem feracem quidem, sed exigui fructus, olerum, scilicet, atque herbarum. Post Solem & aquæ maiori etiã quàm terra fœcunditate duo genera proferunt animantium, aues & pisces. Ter ra non iam contenta arboribus & fruticibus, & magna pecora, & iumen ta producit. Nónne uidetis me etiam tacente impletum uerbum boni Si meonis, ut esset hic noster Sol. lumen ad reuelationem gentium & glo riam plebis tuæ Israël. Nónne habemus sub oculis expressam, si nihil ali ter interpretemur & gentium uocationem, & transformationem terre stris Hierusalem, umbratilisq; synagogæ in ueram ecclesiam, & perpe tuam Dei cœlestemq; ciuitatem. Ante Solis exortum aquæ nihil produ cunt. Terra producit aliquid, sed tenue, sed exiguum. Quoniã ante Chri sti aduentum apud gentes nullum specimen uitæ, nullus fuit fructus uerę religionis. Apud Israëlitas fuit quidem uitæ spes aliqua, & uiam lucis ex parte cognouerunt, & ueram coluerunt religionem, sed inchoatam, sed imperfectam, donec ille ueniret, qui est uia, ueritas & uita. Et nisi ad hoc mysterium recurramus, afferat mihi quispiam rationem, cur terræ orna tum & sobolem ita partitus est, ut alia quidem ante Solem protulerit, alia autem post Solem. Cur item ante solem nihil producunt aquæ, terra ali quid producit. Cur duo genera animantium ab aquis, unum duntaxat ge nus à terra producitur. Cur auis aëreum animal aquis asscribitur. Nã (ut agamus de primo) non satisfacit si dicamus quod quidam dixerunt, her bas & plantas de terra educi ante factu ram Solis, ne uirtute eius creatæ ui derentur. Nam multo magis eadem ratione, & pisces, & aues, & omnis elementorum ornatus debuit fieri ante Solem, ne uirtute eius factus crede retur. Reliquisset igitur suspitionẽ Moses, & si ad plantas, utpote imperfe ctiores producendas Solis lumine opus non fuisse, fuisse tamen ad ani malia producenda, quæ sunt perfectiora. Consequens enim, ut si illo non adiuuante perfectiora in lucẽ uenissent: possent & sine illo fieri quæ sunt minus perfecta: Non reciprocatur aũt ratio, ut si absq; eo fuerint fa cta quæ sunt ignobiliora, utpote plantę despicatissimũ genus uiuentium, potuerit etiã eius opera nõ intercedente produci omnigena animalium na tura. Verius igit, unde nos diximus, authoris consilium inuestigatur. Si militer si dicat aliquis, relata ad aquas animantia, quæ in aquis degũt, uide bit unũ potius genus ad eas, duo aũt ad terrã fuisse referenda, quia auium terrã potius quàm aqua domicilium est, & citra omnem cõtrouersiam, si animalis naturã cõsideremus, aut terrestre, aut aëreũ animal auis est, aqua tile nullo modo est. Sed audite altissimas omniũ rationes, ad Christi, ad ec

clesiæ

cleſię nos myſteria uel inuitos trahentes. Et profecto ſi omnia (ut inquit Ariſtoteles) uero conſonant conſonare omnia maxime Chriſto debent, qui eſt ipſa ueritas. Qui non abre non de nihilo Hebręis totiens dicebat: Scrutemini ſcripturas, ipſæ ſunt quæ teſtimoniũ perhibent de me, & prędicta de ſe tam multa. Imò omnia in lege, in Pſalmis, in Prophetis aſſeuerabat. Sed cæcutimus nos ſæpe ad tantam lucem, nec niſi reuelante eo oculos noſtros cõſiderare poſſumus mirabilia de lege eius. Veniamus eo nobis opem ferente ad myſteriorum figurarũq; reuelationem. Duo ex aquis animalia, unum ex terra producitur, quia maior fuit plenitudo credentium ex gentibus quàm ex Iudæis. Terra autem etſi minus multa, perfectiora tamen producit animantia, his quæ aquæ producunt iumenta, ſcilicet, & quadrupedia omnia. Quia & ſi plures ex Ethnicis crediderunt quàm ex Hebręis, perfectiores tamen qui ex Hebræis, ex quibus Apoſtoli fundatores totius religionis. Duo item genera diuerſa duplicemq; naturam aqua educit, auium & piſcium, unam tãtummodo terra, quoniam ex Gentibus alij quidem de ſeruitio dæmonũ, alij de lege naturæ ad Chriſtum transferuntur. Hebræus omnis Hebręus tantum quia non permiſſum illi uiuere intra terminos naturæ: cui data lex Dei eſt peculiaris ei, neque reliquis gentibus communis. Neque enim fecit taliter omni nationi et iudicia ſua non manifeſtauit eis. Significant igitur nobis piſces, qui à dæmonum cultu ad nos uenerunt, non ſolum quoniã aquę (ut ſupra oſtendimus) figurant Gentium impietatem, ſed quoniam per hęc quę in aquis degunt animalia, improbos dæmones ſignificari ſæpe in ſacris literis atteſtatr Ionethes Chaldęus: Significant aues, qui de naturę inſtitutis ad gratiam ſunt translati. Cuius manifeſta ratio ex his, quę in procœmio huius libri abunde ſcripſimus de naturali ſupernaturaliq; felicitate. Oſtendimus enim & cœlum expreſsiſsimum eſſe ſimulachrum ſupernaturalis fœlicitatis, & naturalem felicitatem ſecundariam quandam & imaginariam potius quàm ueram eſſe felicitatem. Quare qui hanc conſequũtur naturę legibus utentes per aues, congruentiſsime denotantur incolas non primi & ueri cœli, ſed aëris, quod ſecundaria & imaginaria quadam ratione cœli etiam ſibi uendicat nomen. Vnde & uolucres cœli, & aues cœli, tam crebro in diuinis literis appellantur. Videte autem quàm & profundo factum conſilio, ut non ad aërem, ſed ad aquam aues referantur. Quoniam qui ſecundum naturam uiuebant, Gentium tamen & ipſi populus cenſebantur. Quippe qui & Gentes uocabant, & inter Gentes uiuebãt, quales fortaſſe & Socrates & plerique philoſophorum. Propterea in commune utrunque genus ad aquas eſt relatum. Sed quantum Euangelicæ quantum Apoſtolicæ doctrinæ hęc expoſitio conueniat in promptu eſt oſtendere. Quandoquidem & conuerſi ex Hebręis Apoſtoli à Paulo per boues, terreſtria animalia: & à noſtris doctoribus ſuper Euangelium,

in quo

in quo uendentes de templo ejiciuntur, sunt figurati. Et Christus Israëlitas oues appellat, Apostoli autem, quibus mandata conuersio Gentium, piscatores à Domino sunt appellati, quorum princeps Petrus, qui Romę dominæ Gentium, quasi oceani, quasiq; cætarum piscator erat futurus. Christus autem, qui se dixit non missum nisi ad oues quæ perierunt de domo Israël, sibi non piscatoris, sed pastoris potius nomen uendicauit.

CAPVT SEXTVM.

MAnifesta etiam hinc dissolutio quæstionis, quæ diù torsit interpretes huius libri, Cur secundo die nõ fuerit dictũ: Et uidit Deus quoniam bonum. Si enim dicamus quod dici solet, ideo factum, quia opus aquarum eo die absolutum non fuit, sed tertio, in quo aquæ quæ sunt sub cœlo confluxerunt ad locum unum, haùd plenè uidebitur satisfactum: neque enim opus secundi diei, proprium est dispositio aquarum, sed dispositio firmamenti, quod inter aquas medio loco firmatum est. fuit autem eo die & firmamenti factura, Cum dixit Deus, fiat firmamentum, & distinctio aquarum, cum dixit, & diuidat aquas ab aquis, satis absoluta. Aquarum autem collectio quæ dicta est mare, & terræ reuelatio, & plantarum productio, sicut alterius operis omnino rationem habent, ita & alio, id est, tertio die, ad quem spectabant, consummatæ sunt. Quærenda igitur ratio de altiori mysterio. Firmamentum (ut supra ostendimus) legem figurat, & erat firmamentum uti informe, ita neque perfectum simpliciter donec Sole, Luna, ac stellis fuit instructum: quemadmodum neque lex, non quidem mala, ut dicunt Manichęi, sed neque bona erat simpliciter, id est perfecta, donec Christus uenit, qui legem impleuit. Si malum fuisset firmamentum, solem non recepisset, si fuisset bonum Sole non eguisset. Sed firmamentum eatenus bonum, quatenus solis cæterorumq; syderũ erat capax, sicut eatenus bona erat lux, quatenus pædagogus nobis erat in Christo, & multa permisit Moses ob duritiam populi, quę Euangelium postea non permisit. Quod autem legem non possimus appellare malam, ut credidit Manes, possimus tamen appellare non bonam apertissimè docet Propheta, apud quem Deus de Hebręis loquens, inquit, Dedi eis præcepta non bona, non dixit præcepta mala, sed præcepta nõ bona: id est, non perfecta, nõ absoluta, nõ consummata, quod confirmant ueteres Hebræi doctores, qui illud interpręt antes ecclesiastici. Vanitas uanitatum & omnia uanitas. Vana, inquiunt, etiam lex, donec uenerit Messias. & de his quidem hactenus.

CAPVT SEPTIMVM.

QVoniam autem supremum beneficiũ corporati uerbi, id fuit, ut per Baptismi sacramentũ, per quod uirtus Christi in nos trãsfundit, regeneremur

generemur in filios Dei non ex sanguinibus, sed ex Deo nati, postremò hoc nobis indicat Moses, cum post exortum solem & mundo demonstratum, post aquarum terræq; fertilitatem, hominem facit ad Dei imaginem nõ terrenum hominem, sed cœlestem. Conuersis enim ad Christum gentibus & Iudęis, hoc erat reliquum, ut per sanctissimum lauacrum dominicæ crucí se conformantes, reformarentur ad imaginem Dei. Nam si Baptismus Dei filios facit, filius autem imago patris, nónne totius trinitatis uirtus operans in baptismo illa est, quæ dicit: Faciamus hominem ad imaginem nostram, Si igitur sumus ad imaginem Dei, sumus & filij. si filij & hæredes sumus, hęredes Dei, cohęredes Christi. Sed qui sunt filij? scriptum à Paulo est, Clamare nos, Abba, pater, in spiritu sancto. Qui igitur spiritu uiuunt, hi sunt filij Dei, hi Christi fratres, hi destinati æternæ hęreditati, quam mercedem & fidei & benè actæ uitæ, in cœlesti Hierusalem feliciter possidebunt.

Expositio primæ dictionis, id est,
In principio.

IAm ad calcem uentum est operis, septiformi uniuersi contextus expositione decursa, sed superesse aliquid adhuc cognosco, intactum à nobis & indiscussum, quod etiam primo loco exponendum uidebatur, id est, quid sibi uelit prima dictio legis, quę est. In principio. Non temere autem aut sine causa de hoc principio, in fine totius operis dicere uolui, nec aũt de Dei filio hic sum disputaturus, quod est principium, per quod facta sunt omnia. Est enim sapientia patris. Nec probaturus idem sentire cum nostris, hoc loco ueteres Hebræos, quod alibi faciemus, sed cogitamus per aliam interpretandi rationem, gustum dare lectoribus Mosaicæ profunditatis. quod nõ antea faciemus, quàm cũ de dogmate quodã, quod uerè paradoxon est, antiquioris Iudaicæ disciplinę, paucula deliberauimus. Firma est sententia omniũ ueterum, quam ut indubiã uno ore confirmant, omnium artiũ, omnis sapientię & diuinæ & humanæ integram cognitionẽ, in quinq; libris Mosaicę legis includi, dissimulatam autem & occultatam in literis ipsis, quibus dictiones legis contextę sunt, quo modo nunc declarabimus. Sumamus gratia exempli, primam particulam libri Geneseôs, uidelicet ab exordio, usque ad locum ubi est scriptum: Et uidit Deus lucem quod esset bonum. Est tota illa scriptura tribus & centum elementis cognomenta, quę eo modo dispositа, quo ibi sunt dictiones constituunt quas legimus, nihil nisi commune & triuiale prę se ferentes. Corticem, scilicet, constat hic literarum ordo, hoc textum medullæ interius abditæ latentium

myste-

mysteriorum, at uocabulis resolutis, elementa eadem diuulsa si capiamus, & iuxta regulas quas ipsi tradunt, quæ de eis conflari dictiones possunt, ritè coagmentemus, futurum dicunt, ut eluceſcant nobis, si simus capaces occlusæ sapientiæ, mira de rebus multis secretissima dogmata, & si in tota hoc fiat lege, tum demum ex elementorum hac, quæ rite statuatur, & positione & nexu, erui in lucem omnem doctrinam secretaq; omnium liberalium disciplinarum: dixi autem, si simus capaces occlusæ sapientiæ. Nam fieri potest, ut tractantibus nobis dissoluentibusq;, & componentibus aliquas dictiones, patiantur inde multa uocabula, multiplex item series orationis, quæ magna doceat, magna significet, sed nisi aliquis de ea re doctrinam alibi sit consequutus, quid illa significent non intelligens, quasi inutilia atque fortuita non contemnere non potest: neque enim dogmata & doctrinas ibi discere possumus, sed solum possumus agnoscere. Hæc ego, ut non probo asserens uel attestor, quia de eis nec feci periculum, nec me facere posse confido, ita neque nego neque contemno, tùm quia magnos hæc opinio habet authores, tum quia de Mose qui in tota domo Dei fuit fidelis, maiora etiam facile credi possunt. Quæ autem mihi, non illas quidem abyssos intranti, sed huius maris litus radenti, gemmarum diuitiæ occurrerint, quas neque Hermus neque Pactolus apud poëtas ferre dicuntur, non ingratum fore putaui, nostris hominibus si publicarẽ. Libuit periclitari in prima operis dictione, quæ apud Hebræos Bresit, apud nos In principio legitur, an ego quoq; usus regulis antiquorum, eruere in lucem inde cognitu dignum aliquid possem. Igitur præter spem meam, præter opinionem inueni, quod neque inueniens ipse credebam, neque credere alij facilè potuerunt, uniuersam de mundi rerumq; omnium creatione rationem, in una ea dictione, apertam & explicatam. Rem dico mirabilem inauditam & incredibilem, sed mox credetis, si attenderitis, & res ipsa uerum me demonstrabit. Dictio illa apud Hebræos hoc modo scribitur בראשית Ex hac igitur, si tertiam literam primæ coniungamus, fit dictio אב id est, ab: si geminatè primæ secundam addamus fit בבר id est, bebar: si præter primam omnes legamus fit ראשית id est, resit: si quartam primæ & ultimæ connectamus, fit שבת id est, sciabat: si tres primas quo iacent ordine statuamus, fit ברא id est, bara: si prima omissa tres sequentes, fit ראש id est, rosc: si omissis prima & secunda duas sequentes, fit אש id est, es: si tribus primis omissis, quartam ultimæ copulemus, fit שת id est, seth: rursus si secundam primæ, fit רב id est, rab: si post tertiam quintam tum quartam statuamus, fit איש id est, hisc: si primas duas ultimis coagmentemus, fit ברית id est, berith: si ultimam primæ, fit ultima dictio & duodecima quæ est הב id est, thob uerso: quod frequentissimum apud Hebræos thau in thet elementum. Videamus autem quid primo hæc Latinè significent, tum quæ per ea, non ignaris philosophiæ

losophiæ, de tota natura mysteria reuelentur. Ab, patrem significat. Bebar in filio & per filium (utrunque enim significat beth præpositio.) Resit, principiū. Sabath, quietē & finē. Bara, creauit. Ros, caput. Es, ignem. Seth, fundamentum. Rab, magni. Hisc, hominis. Berith fœdere. Tob, bono. Et totam si ordine consequenti orationem texamus erit huiusmodi. Pater in filio, & per filium principium & finem, siue quietem creauit, caput, ignem & fundamentum magni hominis, fœdere bono: hæc tota oratio ex prima illius Dictionis resolutione & compositione dissultat, cuius quàm altus quàm plenus omni doctrina sit sensus, haùd palàm esse omnibus potest. Sed ut aliqua statim, non tamen omnia omnibus aperta, quæ per has uoces nobis significantur, notum omnibus Christianis, quid sit patrem in filio & per filium creasse. Quid item sit, Filium principium esse & finem omnium. Est enim α & ω (ut scribit Ioannes) & ipse Principium se appellauit, & nos demonstrauimus finem rerum omnium esse, ut principio suo restituantur. Cætera paulò obscuriora, quid illa, scilicet, sibi uelint: caput, ignis & fundamentum magni hominis: quid illud sit fœdus, & qua ratione bonum dicatur. neque enim statim in promptu omnibus uidere, hic explicatam mundorum quatuor, de quibus agimus, omnem rationem, cognationem, item & felicitatem, de quibus postremò nos disputauimus. Primum igitur illud aduertendum, uocari à Mose Mundum, hominem magnum. Nam si homo est paruus mundus, utique mundus est magnus homo. hinc sumpta occasione, tres mundos, intellectualem, cœlestem & corruptibilem, per tres hominis partes, aptissimè figurat, simul indicans, hac figura, non solum contineri in homine mundos omnes, sed & quæ hominis pars, cui mundo respondeat, breuiter declarans. Cogitemus igitur in homine tres partes, supremam caput, tum quæ à collo ad umblicum proteriditur, tertiam, quæ ab umbilico extenditur ad pedes. sunt enim & hæ in hominis figura, uarietate quadam discluſæ & separatæ. Sed mirum quàm pulchrè, quàm examussim, per exactissimam rationem, tribus mundi partibus, proportione respondeant. Est in capite cerebrum fons cognitionis, est in pectore, cor, fons motus uitæ & caloris. sunt in patre postrema genitalia membra, principium generationis. Itidem autem & in mundo suprema pars, quæ est mundus angelicus siue intellectualis, est fons cognitionis, quia facta illa natura, ad intelligendum est. pars media, quæ est cœlū principium uitæ motus & caloris, in qua sol uti cor in pectore dominatur: est infra Lunam, quod omnibus notum, generationis principium & corruptionis. uidetis quam aptè omnes hæ mundi partes & hominis inuicem congruant. Designauit autem Moses, primam quidem nomine proprio capitis: secundam autem ignem appellauit, & quia hoc nomine à multis cœlum censetur, & quia in nobis hæc portio principium est caloris. tertiam uocauit fundamentum,

quia per eam (ut notum omnibus) totum hominis corpus fundat & sub-
stinetur. Adiecit autem, quòd hæc creauit fœdere bono, quia inter eas fœ-
dus pacis & amicitiæ, ex naturarum cognatione & mutuo consensu, per
sapientiæ Dei legem sancitum est: quod fœdus ideo est bonum, quia ad
Deum, qui est ipsum bonum, ita dirigitur & ordinatur, ut quemadmo-
dum inter se totus mũdus unus, ita & cũ suo authore postremo situnum.
Imitemur & nos sanctissimum fœdus mundi, ut & mutua charitate inui
cem simus unum, & simul omnes per ueram Dei dilectionem, cum illo
unum feliciter euadamus.

HEPTAPLI FINIS.

LECTORI S.

Ex Noningentis illis, quas præmisimus Conclusionibus, æmulorum Pici non-
nulli, prætextu fidei & religionis zelo, tredecim propositiones, stellulis siquidem
& abaci numero signatas, condemnauerant: multis bonis uiris probatas. Cum igi
tur aduersarios apertè eos nihil contra moliri, famam uerò suam nonnihil uellicari
sentiret, Apologiam edidit ipse, qua calumniatorum rationes refellit. Propositio-
num autem damnatarum series, hæc est:

1 De descensu Christi ad inferos.
2 De pœna peccati mortalis.
3 De Adoratione crucis & imaginum.
4 An suppositari à Deo possit natura irrationalis.
5 De Magia naturali & Cabala Hebræorum.
6 De Eucharistiæ sacramento.
7 De Salute Origenis.
8 Non esse in libera potestate hominis, credere.
9 De accidentibus in Sacramento.
10 De uerbis consecrationis.
11 De miraculis Christi.
12 An Deus intelligat.
13 De abdita animæ intelligentia.

IOAN.

IOANNIS PICI Mirandulæ, V.C. Concluſiones, DCCCC. quas olim Romæ diſputandas exhibuit.

IOANNES PICVS MIRANDVLAE, LECTORI.

DE adſcriptis numero noningentis Dialecticis, Moralibus, Phyſicis, Mathematicis, Metaphyſicis, Theologicis, Magicis, Cabaliſticis, cum ſuis tum ſapientum Chaldæorum, Arabum, Hebræorum, Græcorum, Aegyptiorum, Latinorumq; placitis, diſputabit publice, Ioannes Picus Mirandulanus, Concordiæ Comes. in quibus recitandis, non Romanæ linguę nitorem, ſed celebratiſsimorũ Pariſienſium diſputatorũ, dicendi genus eſt imitatus, propterea, quod eo noſtri temporis philoſophi plericq; omnes utuntur. Sunt autem diſputanda dogmata, quod ad gentes attinet, & ipſos hæreſiarchas, ſeorſum poſita, quod ad partes philoſophiæ, promiſcue, quaſi per ſatyram omnia ſimul mixta.

Concluſiones ſecundum doctrinam Latinorum philoſophorum & theologorum Alberti Magni, Thomę Aquinatis, Henrici Gandauenſis, Ioannis Scoti, Aegidij Romani, & Franciſci de Maronis.

SECVNDVM ALBERTVM XVI.

1 Species intelligibiles non ſunt neceſſariæ, & eas ponere, non eſt bonis Peripateticis conſentaneum.

2 Corruptis omnibus indiuiduis ſpeciei humanæ, hæc eſt uera, homo eſt animal.

3 Hæc eſt in quarto modo dicendi per ſe, homo eſt homo.

4 In quolibet puncto materiæ, ſunt per habitum inchoationis poteſtatiuum eſſentiæ omnium formarum naturalium, materiæ coæternæ ſecundum philoſophos, concreatæ ſecundum fidem.

5 Forma in intenſione & remiſsione, non uariatur ſecũdum eſſentiam, ſed ſecundum eſſe.

6 Anima ſeparata intelligit per ſpecies ſibi à principio ſui eſſe concreatas, quibus dum eſt in corpore, aut nunquam aut raro utitur.

7 Sonus fertur ſecũdum eſſe reale, uſque ad principium nerui auditiui.

8 Lumen non habet in medio niſi eſſe intentionale.

9 Organum auditus, eſt neruus expanſus ad concauum auditus.

10 Obiectum per ſe, & proprie ſenſus communis eſt magnitudo, ut bene dixit Auicenna:

11 Status Stat, ſpeciem cuius dicimur reminiſci, totaliter eſſe perditam.

12 Non introducitur uegetàbilis anima ante ſenſualem, nec ſenſualis ante rationalem, ſed tota ſimul.

13 Licet ad receptionem ſpeciei concurrat ſenſus paſsiuè, ad iudicãdum tamen de ſenſibili actiuè concurrit.

14 Corpus mobile, eſt ſubiectum ſcientiæ naturalis.

15 Corporis (in eo quod corpus) cõſideratio, ad Metaphyſicum ſpectat.

16 Potentia reſpectatiua materiæ, non addit ſupra materiam rem, ſed rationem.

SECVNDVM THOMAM XLV.

1 Si ſpiritus à filio non procederet, à filio non diſtingueretur.

2 Proceſſus ſpiritus ſancti temporalis, attenditur ſecundum dona gratiæ gratum facientis.

3 Cõtingens rerũ quæ ſunt, erunt aut fuerunt, exiſtẽtia ideo Deo fuit ab æterno infallibiliter nota, qa fuit æternitati eius prẽſentialiter prẽpoſita.

4 Contingentia ad utrumlibet futurorũ cognitorum à Deo, ſimul ſtat cum infallibilitate diuinæ ſcientiæ.

5 Quodcunque contingens Deus ſciuit eſſe futurum, neceſſario ſciuit illud eſſe futurum.

6 Ex diuina bonitate poteſt ſumi ratio prædeſtinationis aliquorum, & reprobationis aliorum, & ſola diuina uoluntas eſt ratio, quod iſtos reprobat & alios eligit in gloriam.

7 Licet Dei uoluntas conſequens ſemper impleatur, non tamen neceſſitatem rebus uolitis neceſſario imponit.

8 Nec, habens gratiam, poteſt etiam de potentia Dei abſoluta Deo non eſſe acceptus ad uitam æternam, nec, non habens, eſſe acceptus.

9 Opus ab anima charitate formata, meret æternã gloriã de condigno.

10 Potuerunt tres diuinæ ſimul ſuppoſitare unam naturam.

11 Virtutes morales & cardinales remanebũt in patria poſtreſurrectionẽ

12 Beatitudo eſt eſſentialiter in actu intellectus. Corollarium. Nec fruitio, nec aliquis actus uoluntatis, eſt eſſentialiter beatitudo.

13 Sacramenta nouæ legis, ſunt cauſa gratiæ, non ſolum ſine qua non, ſed etiam per quam.

14 Verum corpus Chriſti eſt in cœlo localiter, in altari ſacramentaliter.

15 Impaſsibilitas corporum poſt reſurrectionem erit ex pleno dominio animæ ſuper corpus.

16 Chriſtus in ultimo iudicio iudicabit nõ ſolum in natura humana, ſed etiam ſecundum naturam humanam.

17 Licet defendi poſsit quoquo modo, creaturam poſſe creare, rationalius tamen eſt, credere potentiam creandi creaturæ cõmunicari nõ poſſe.

18 Aeuum eſt ſubiectiue in angelo beatiori.

19 Non poteſt eſſe peccatum in uoluntate, niſi ſit defectus in ratione.

20 Non

20 Non potest per Dei potentiã idem corpus esse simul in diuersis locis.
21 Non est sub eadem specie, angelorum plurificatio.
22 Deus in patria per speciem non uidetur, sed ipse per suam essentiam intellectui applicatur, ut species intelligibilis.
23 Vnum supra ens non addit nisi priuationem diuisionis.
24 Subiectum & propria passio realiter distinguuntur.
25 Forma generatur per accidens.
26 Materia signata, est principium indiuiduationis.
27 Eadem est numero qnalitas à principio alterationis usque ad finem.
28 Tota libertas est in ratione essentialiter.
29 In generatione substantiali fit resolutio usq; ad materiam primam.
30 Ens dicit immediate decem conceptus ita interunitos, ut non unius sint, sed ad unum.
31 Essentia & existentia in quolibet creato realiter distinguuntur.
32 De eadem re nullo modo, actu distincta extra animam, possunt uerificari contradictoria.
33 Materia nullum dicit actum entitatiuum positiuum.
34 Nulla uirtus moralis præter iustitiam est subiectiue in uoluntate.
35 Hæc propositio, Homo est risibilis, non in secundo modo dicendi per se.
36 Duo accidentia solo numero differentia, non sunt in eodem subiecto.
37 Grauia & leuia à nullo alio motore mouentur, quàm uel à generante uel à remouente prohibens.
38 Grauia potius seipsis, quàm à seipsis mouentur.
39 Phantasma est agens secundarium & instrumentale in productione speciei intelligibilis.
40 Difficultas intelligendi & ex parte ipsius intellectus, & ex parte ipsius intelligibilis prouenire potest.
41 Potentiæ animæ ab anima realiter distinguuntur.
42 Quiditates in particulari à Metaphysico non considerantur.
43 Implicat contradictionem, materiam esse sine forma.
44 Non est ponenda in Deo idea materiæ primæ.
45 Non sunt ponendæ ideæ generum.

SECVNDVM FRANCISCVM VIII.

1 Ideo hęc est falsa, Essentia generat, quia essentia est ultimate abstracta, & generat, formaliter prædicatur.
2 Potest uideri essentia sine personis, & una persona sine alia.
3 Voluntas non potest non frui, ostenso obiecto fruibili.
4 Ens denominatiuè dicitur de Deo.
5 Quiditates habent ab æterno suũ esse formale à se, nõ ab extrinseco.
6 Nulla diffinitio adæquat diffinitum.

7 Pluralitas formalitatum ſtat cum identitate reali.
8 Eſſe non eſt de quiditate Dei, ſed dicitur de eo in ſecundo modo.

SECVNDVM IOANNEM SCOTVM XXII.

1 Charitas nõ eſt diſtinctus habitus ab habitu gratię, quo mediante ſpiritus ſanctus animam inhabitat.
2 Idea lapidis nõ eſt aliud quàm lapis productus à diuino intellectu in eſſe intelligibili, quod eſt eſſe ſecundum quid, exiſtens in mente diuina, ſicut cognitum in cognoſcente.
3 Qui dixerit perſonas in diuinis abſolutis proprietatibus diſtingui, catholicæ ueritati non repugnabit.
4 In Chriſto fuerunt duo eſſe.
5 Praxis eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu, apta nata conformiter elici rationi rectæ ad hoc ut ſit recta.
6 Vnumquodq; indiuiduum eſt indiuiduum per propriã differentiam indiuidualem, quę dicitur heceitas.
7 Ens dicitur de Deo & creatura uniuoce in quid.
8 Ens de ſuis paſsionibus & ultimis differẽtijs quiditatiuè nõ prędicat.
9 In Chriſto non fuit ſcientia acquiſita.
10 In appetitu ſuperiore ponendæ ſunt uirtutes.
11 Gratia eſt ſubiectiuè in uoluntate, non in eſſentia animæ.
12 Corpus Chriſti ex ſe fuit impaſsibile.
13 De potentia Dei abſoluta poſsibile eſt culpam originalem deleri ſinę infuſione gratiæ.
14 Poſt paſsionem Chriſti potuerunt cerimonialia ueteris legis ſine peccato obſeruari.
15 Per hæc uerba præciſe, Hoc eſt corpus meũ, non expreſsis uerbis præcedentibus, ſcilicet pridie quàm pateretur, non poteſt conſecrari.
16 Relatio creaturæ ad Deum, eſt idem realiter fundamento diſtincta formaliter, & ex natura rei.
17 Quælibet alia relatio à fundamento, realiter diſtinguitur.
18 Aliquid poteſt mouere ſeipſum de actu uirtuali, ad actum formalem.
19 Actus intelligendi ab obiecto & intellectu, tanquam duobus agentibus partialibus, ut quod cauſatur.
20 Actus intelligendi nobiliori modo cauſatur ab intellectu quàm ab obiecto, quod cunq; ſit obiectum, modo non ſit beatificum.
21 Subſtantia non cognoſcitur per ſpeciem propriam.
22 Habitus actum producit, ut cauſa partialis effectiua.

SECVNDVM HENRICVM GANDAVENSEM XIII.

1 Datur lumen ſuperius lumine fidei, in quo theologi uident ueritates theologicæ ſcientiæ.
2 Paternitas eſt principium generandi in patre.

3 Pro-

3 Processiones distinguũtur in diuinis penes intellectũ & uoluntatem.
4 Ista propositio non est concedenda, essentia est pater filij.
5 Dæmones & animæ peccatrices patiuntur ab igne, in quantum calidus est, afflictione eiusdem rationis cum ea, qua affliguntur corpora.
6 Operationes angelorum mensurantur tempore discreto.
7 Angeli intelligunt per habitum scientialem sibi connaturalem.
8 Irascibilis & concupiscibilis ita distinguuntur in appetitu superiori, sic ut in inferiori.
9 Habere aliquiditatiuam & diffinibilem realitatem, commune est figmentis, & non figmentis.
10 Amicitia est uirtus.
11 Ratitudo formaliter cuiuslibet creati est respectus.
12 Ad hoc ut sit mutuitas realis relationis, requiritur quod fundamentum ex sua natura ordinetur ad aliud tanquam ad suam perfectionem.
13 Relatio non distinguitur à fundamento realiter.

SECVNDVM AEGIDIVM ROMANVM XI.

1 Potentia generandi in diuinis, nec est essentia diuina præcise & absolute sumpta, nec relatio uel proprietas, nec constitutum ex ambobus, nec alterum istorũ cũ inclusione alterius, sed est essentia cũ modo reuelatiuo.
2 Theologia nec est practica nec speculatiua, sed affectiua.
3 Deus sub ratione glorificatoris, est subiectum in theologia.
4 Pater & filius nõ solũ duo spirãtes, sed etiã duo spiratores dici possunt.
5 Angeli non fuerunt creati in gratia.
6 Ideo angelus est obstinatus & impœnitens, quia subtracti sunt ei diuini impetus speciales.
7 Superior angelus illuminat inferiorem, non quia ei uel obiectum presentet luminosum, uel quod in se est unitum illi particulariset & diuidat, sed quia inferioris intellectum confortat & fortificat.
8 Sensus gustus ut gustus est, non solũ saporabile, sed humidũ percipit.
9 Calor si sit etiam separatus, ignem generare poterit.
10 Ad hoc quod aliqua scientia alteri non subalternetur, sufficit quod faciat reductionem ad per se nota in suo genere abstractionis.
11 Dato uacuo si aliquid in eo moueatur, in instanti mouebitur.

Conclusiones secundum doctrinam Arabum, qui ut plurimum Peripatheticos se profitentur, Auenroem, Auicennam, Alpharabium, Auempaten, Isaac, Abumaron, Moysem, & Mahumeth.

SECVNDVM AVENROEM XLI.

1 Possibilis est prophetia in somnis per illustrationem intellectus agentis super animam nostram.
2 Vna est anima intellectiua in omnibus hominibus.
3 Felicitas ultima hominis est, cũ cõtinuatur intellectus agens possibili

ut forma, quam continuationem & Latini alij quos legi, & maximè Ioannes de Gandauo peruersè & erroneè intellexit, qui non solum in hoc, sed fermè in omnibus quæsitis philosophiæ, doctrinam Auenrois corrupit omnino & deprauauit.

4 Possibile est tenendo unitatem intellectus, animam meam, ita particulariter meam, ut non sit mihi communis cum omnibus, remanere post mortem.

5 Quodlibet abstractum dependet à primo abstracto, in triplici genere causæ, formalis, finalis, & efficientis.

6 Impossibile est eandem speciem ex propagatione & ex putrefactione generari.

7 Deus primū mobile non solum ut finis, sed ut uerum efficiens & proprius motor mouet.

8 Quilibet motor cœli est anima sui orbis, faciens cum eo magis unum substantialiter, qnàm fiat ex anima bouis & sua materia.

Corrolariū, anima cœli prius dat suo orbi esse mobile & perfectum, quàm ei det motum.

9 Cœlum est corpus simplex, non compositum ex materia & forma.

10 Tres modi per se sunt ad demonstrationem utiles, primus, secundus, & quartus.

11 In omni demonstratione præterquàm in demonstratione simpliciter, fieri potest circulatio.

12 Grauia & leuia mouent se per accidens mouendo medium per se.

13 Cœli non sunt idem in genere, diuersi in specie, ut credidit Auicenna.

14 Nulla scientia probat suum subiectum esse, nec partem principalem sui subiecti.

15 Vniuersalia sunt ex parte rei in potentia tantùm, actu autem per operationem animæ.

16 Dimensiones interminatæ sunt coæternæ materiæ præcedentes in ea quamlibet formam substantialem.

17 Quælibet intelligentia præter primam, non intelligit nisi primam.

18 Nulla est uia ad probandum simpliciter abstractum esse præter uiam æternitatis motus.

19 Quicquid est in genere, est corruptibile.

20 Subiectum metaphysicæ est ens in eo quod ens.

21 Diffinitiones substantiarum naturalium, materiam non dicunt nisi consequutiue.

22 Demonstratio septimi physicorum, quod omne quod mouetur, mouetur ab alio, est demonstratio signi, & nullo modo causæ.

23 Nulla potentia actiua, quæ sit merè neutra & indifferens ad agere uel non agere, potest ex se determinari ad alterum agendum.

24 Vnum

24 Vnum relatiuorum conuenientissimè per reliquum definitur.
25 Exemplum Aristotelis in secundo metaphysicæ de nicticorace respe-
spectu solis, non denotat impossibilitatem, sed difficultatem, alioquin na
tura aliquid ociose egisset.
26 Propositio necessaria, quæ ab Aristotele in libro priorum cõtra pos-
sibilem & inuentam distinguitur, est illa, quæ est ex terminis necessarijs.
27 Ad dispositionem termini necessarij, requiritur, ut sit terminus per
se unus.
28 Cum Aristoteles dixit, ex maiori necessaria & minore inuenta, con-
cludi conclusionem necessariam, intelligendum est de minore quæ est in-
uenta per se, necessaria per accidens.
29 Sub æquinoctiali non potest esse habitatio naturalis uiuentibus.
30 In cœlo est naturaliter dextrum, & illud non mutatur, quamuis par-
tes orbis mutentur.
31 Qui ponit animam formam complexionalem, negat causam agentẽ.
32 Vnum metaphysicum, dicit priuationem diuisibilitatis, non actu, sed
aptitudine.
33 Vnum metaphysicum, est fundamentum unius arithmetici.
34 Numerus præcisè ita reperitur in abstractis, sicut in materialibus.
35 Essentia uniuscuiusq; rei & suum existere, idem sunt realiter.
36 Quiditas & essentia diuersificantur in quolibet præter primum.
37 Substantia est prior accidente, non solum natura sed tempore.
38 De materia ut materia est considerat physicus.
39 Essentia cuiuslibet intelligentiæ, est substantialiter ad aliquid.
40 Dato per impossibile, quod daretur materia quæ corruptionis prin-
cipium non esset, ad huc si cœlum ex tali materia & forma esset uere com-
positum, æternum esse non posset.
41 Finis non causat finaliter secundum suum esse conceptum, sed secun
dum suum esse reale.

SECVNDVM AVICENNAM XII.

1 Præter syllogismum cathegoricum & hypotheticum, datur genus syl
logismorum compositiuorum.
2 Licet in nullo syllogismo, qui sit actu uel potẽtia cathegoricus, ex dua
bus negatiuis concludi possit, potest tamen hoc fieri in syllogismo com-
positiuo, ut scilicet ex duabus negatiuis concludatur.
3 In cœlo est materia eiusdem rationis cum materia inferiorum.
4 Non potest in anima esse notio intelligibilis sine actuali intellectione.
5 Possibile est hominem ex putrefactione generari.
6 Essentia rei, materiam propriam & formam complectitur.
7 Prima substantia prior est qualibet substantia habente habitudinẽ ad

operatio-

operationem transeuntem quæcunque sit illa, alicuius causæ siue formalis, siue materialis, siue efficientis, siue finalis.

8 Ab uno simplici in fine simplicitatis non prouenit nisi unum.

9 Odor secundum esse reale & non intentionale usque ad sensum multiplicatur.

10 Propositio dicens, quod sensibile supra sensum positum non facit sensationem, non est uera nisi per accidens.

11 Organum odoratus sunt carunculæ mamillares in anteriori cerebri parte constitutæ.

12 Nec particularis affirmatiua possibilis conuertitur semper in affirmatiuam possibilem, nec necessaria particularis affirmatiua in necessariam, ut credidit Aristoteles.

SECVNDVM ALPHARABIVM XI.

1 Primum quod est necessarium in demonstratione, non est quod diffiniuit Aristoteles primo posteriorum, sed sic debet diffiniri, Primum est illud, quod ita est uniuersalius subiecto, ut tamen de subiecti genere non prædicentur.

2 Diffinitio generis, quam dedit Porphirius mala est, sed sic debet diffiniri, Genus est, quod duorum uniuersalium est uniuersalius.

3 Summum hominis bonum est perfectio per scientias speculatiuas.

4 Cum dicit Aristoteles, omnem doctrinam & omnem disciplinam fieri ex præexistenti cognitione, intelligendæ sunt per doctrinam & disciplinam, cognitio diffinitiua & argumentatiua.

5 Intentio dici de omni secundum Aristotelem est talis, quod prędicatum dicitur de subiecto & de omni eo, quod est subiectum actu uel potentia possibilitate contingentiæ non necessitatis.

6 Qui crediderit intentionem dici de omni esse aliam ab ea, quam dixit præcedens conclusio, defendere non potest Aristotelem à Theophrasto, quod ex maiori necessaria & minori inuẽta sequatur cõclusio necessaria.

7 Possibile quod diffiniuit Aristoteles in libro priorum, est commune ad possibile & ad inuentum, ut contra distinctum necessario.

8 Non potest intelligi accidens etiam in abstracto, non intelligendo subiectum.

9 Species sunt in medio, medio modo intereſſe spiritale & materiale.

10 Quælibet spęcies secundum esse spirituale, est formaliter cognitio.

11 Actualis cognitio sensus communis appræhendentis phantasma ut sensibile, est somnium.

SECVNDVM ISAAC NARBONENSEM IIII.

1 Ponere intellectum agentem, non est necessarium.

2 Intentio prima est quiditas rei, obiectiue relucens in intellectu.

3 Motus

3 Motus est sensibile commune à sensu exteriori absque actione alterius uirtutis cognoscibile.

4 Corpora cœlestia nõ largiuntur formaliter inferiorib. nisi caliditatẽ.

SECVNDVM ABVMARON BABYLONIVM IIII.

1 De nulla re, quæ in mundo sit actu corruptibilis, habet Deus solicitudinem.

2 Intellectus agens nihil aliud est quàm Deus.

3 Cœlum calefacit inferiora per lumen suum super ea cadens.

4 Actus ipsi intellectus, intrinsecè. res autem intellectæ extrinsecè dicuntur ueræ uel falsæ.

SECVNDVM MOYSEM AEGYPTIVM III.

1 Demonstratio octaui physicorum ab Aristotele ad probandum primum motorem adducta, aliquid probat speciale primo.

2 Scientia metaphysicæ non est una scientia.

3 Simplicitas primi & omni moda immaterialitas probari non potest per causalitatem efficientem motus, sed per finalem tantum.

SECVNDVM MAHVMETH TOLLETINVM V.

1 Relatio nullam rem dicit extra animam.

2 Species rerum repræsentatiuæ sunt reductiuæ in prædicamento, in quo sunt res repræsentatæ.

3 Sensibilia communia proprias species ad sensus multiplicant distinctas à speciebus sensibilium propriorum.

4 Sensus tactus non est unus sensus.

5 De nulla re an existat, potest quærere aliquis artifex specialis.

SECVNDVM AVEMPATEN ARABEM II.

1 In cœlo est materia alterius rationis à materia inferiorum.

2 Lux & color essentialiter non differunt.

Conclusiones secundum Græcos, qui Peripateticam sectã profitentur, Theophrastum, Ammonium, Simplicium, Alexandrum & Themistium.

SECVNDVM THEOPHRASTVM IIII.

1 Si cœlum inanimatum esset, esset quocunque animato corpore ignobilius, quod dicere impium est in philosophia.

2 Quiditas est sola forma.

3 Ita se habet intellectus agẽs ad producẽda intelligibilia impossibilem intellectũ, sicut se forma artis ad producendas formas in materiam artis.

4 Deus mouet cœlum ut finis.

SECVNDVM AMMONIVM III.

1 Diffinitio de anima data ab Aristotele in qua dicit, Anima est actus corporis, cum de rationali, de qua principaliter datur, intelligitur, accipienda est causaliter non formaliter.

2 Ani-

2 Anima rationalis non unitur immediate corpori organico.

3 Cum dicit Aristoteles, quod oportet prima principia semper permanere, nihil aliud intendit, nisi quod in qualibet transmutatione reperiunt.

SECVNDVM SIMPLICIVM IX.

1 Cognoscere actum suum non est commune cuilibet sensui exteriori, sed humanis sensibus est speciale.

2 Aristoteles in libro tertio de anima non tractat nisi de parte rationali.

3 Cū anima in se perfecte redit, tunc intellectus agens ab intellectu possibili liberatur.

4 Eadem pars rationalis, ut seipsam exiens, dicitur intellectus possibilis, ut uero est talis ut seipsam ut possibilis est possit perficere, dicitur intellectus agens.

5 Eadem pars rationalis ut extra se uadens & procedens perficitur speciebus quæ in ipsa sunt, ut manens est dicitur intellectus in habitu.

6 Sciri potest ex præcedentibus conclusionibus quare intellectus agens quandoq; arti, quandoq; habitui, quandoq; lumini assimilatur.

7 Passio à sensibili facta, in organo solo, sensatio in anima sola recipit.

8 Sicut lumē colores non facit colores, sed præexistentes colores potentia uisibiles, facit actu uisibiles, ita intellectus agens non facit species cum non essent prius, sed actu præexistentes species potentia cognoscibiles, facit actu cognoscibiles.

9 Cum dicit Aristoteles, non recordari nos post mortem, quia passiuus intellectus corrumpitur, per passiuū intellectum, possibilem intellectum intelligit.

SECVNDVM ALEXANDRVM APHRODISEVM VIII.

1 Anima rationalis est immortalis.

2 Cuilibet cœlo præter animam quę mouet eum efficienter, propria assistit intelligentia, quæ illum mouet ut finis, ab anima tali secundum substantiam omnino distincta.

3 Nullam diffinitionem etiam naturalem ex Aristotelis sententia, ingreditur materia.

4 Deus nec mala, nec priuationes intelligit.

5 Numerus abstractorum de quo agit Aristoteles in duodecimo metaphysicæ, non est numerus motorum, sed numerus intelligentiarum, quæ sunt fines motus.

6 Cum dicit Aristoteles nono metaphysicæ separata & diuina, aut totaliter sciri à nobis, aut totaliter ignorari, intelligendum est de ea cognitione, quę his cōtingit, qui iam ad summā intellectus actuationē peruenerūt.

7 Sic primus intellectus inter omnes intellectus primo se intelligit, alia secundario, ita ultimus intellectus inter omnes intellectus primo alia à se, & seipsum secundariò intelligit.

8 Metaphyſicus & dialecticus æquè de omnibus diſputant, ſed ille demonſtratiuè, hic probabiliter.

SECVNDVM THEMISTIVM V.

1 Intellectus poſsibiles qui illuminantur tantum plures ſunt, agentes, participati, illuminantes & illuminati, plures quoque ſunt, agens, illuminans, tantus, unus.

2 Intellectus agens illuminans tantū, credo ſit illud apud Themiſtium, quod eſt Matatron in Cabala.

3 Scientia de anima, eſt media inter ſcientias naturales & diuinas.

4 Præter duas ſpecies demonſtrationis quas ponit Ariſtoteles, tertia alia ponenda eſt, & eſt cum una proprietas per coæuam proprietatem demonſtratur.

5 Propoſitio eſt per ſe, cum uel ſubiectum diffinit prædicatum uel prædicatum ſubiectum, uel ambo diffiniuntur per idem tertium.

Concluſiones ſecundum doctrinam philoſophorum, qui Platonici dicuntur, Plotini Aegyptij, Porphyrij, Tyrij Iamblici, Chalcidei, Procli, Litij, & Adelandi Arabis.

SECVNDVM PLOTINVM XV.

1 Primum intelligibile non eſt extra primum intellectum.

2 Non tota deſcendit anima quum deſcendit.

3 Omnis uita eſt immortalis.

4 Anima quæ peccauit uel in terreno uel in aëreo corpore, poſt mortem bruti uitam uiuit.

5 Anima irrationalis eſt idolum animæ rationalis ab ea dependens, ſicut lumen à ſole.

6 Ens, uita, & intellectus in idem coincidunt.

7 Felicitas hominis ultima eſt cum particularis intellectus noſter totali primoq; intellectui plenè coniungitur.

8 Ciuiles uirtutes, uirtutes ſimpliciter non ſunt appellandæ.

9 Non fit aſsimilatio ad diuina per uirtutes etiam purgati animi niſi diſpoſitiuè.

10 In ratione ſimilitudines rerum ſunt & ſpecies, in intellectu uero ipſa entia.

11 Conſummatæ uirtutis eſt etiam primos motus amputare.

12 Impropriè dicitur, quod intellectus ideas inſpiciat uel intueatur.

13 Quæ neceſſaria animali ſunt neceſſaria poſſunt dici, ſed non bona.

14 Sicut accidentalis felicitas animaduerſione indiget, ita ſubſtantialis felicitas per carentiam animaduerſionis non ſolum non deperditur, ſed roboratur.

15 Homo qui ad felicitatem iam peruenit, per phreneſim aut lithargiam ab ea non impenditur.

SECVNDVM ADELANDVM ARABEM. VIII.

1 Intellectus agens nihil est aliud quàm pars animæ quæ sursum manet & non cadit.

2 Anima habet apud se rerum species, & excitatur tantum ab extrinsecis rebus.

3 Ad complementum præcedentis conclusionis, quam nõ solùm Adelandus, sed omnes Mauri dicunt, dico ego illas species actu & substantialiter esse in parte quæ non cadit, & recipi de nouo & accidentaliter in parte quæ cadit.

4 Maior pars rerum quæ in somnis innotescunt, aut per purgationem animæ, aut per indenominationem, aut per meram spiritus reuelationem innotescunt.

5 Quod scribit Tabet Chaldæus de dormitione super epar in reuelatione somniorum, recte intelligetur, si ad hoc dictum, dicta Platonis in Timæo concordauerimus.

6 Quia sicut dixit Abdaia, uidere somnia est fortitudo imaginationis, intelligere ea est fortitudo intellectus, ideo qui uidet ea utplurimum non intelligit ea.

7 Anima est fons motus & gubernatrix materiæ.

8 Transcorporationem animarum crediderunt omnes sapientes Indodorum, Persarum, Aegyptiorum Chaldæorum.

SECVNDVM PORPHYRIVM XII.

1 Per patrem apud Platonem intelligere debemus causam quæ à seipsa totum effectum producit, per factorem eã quæ materiam accipit ab alio.

2 Opifex mundi est supermundana anima.

3 Exemplar non est aliud quàm intellectus ipsius opificis animæ.

4 Omnis anima participans Vulcanio intellectu seminat in Lunam.

5 Ex præcedenti conclusione elicio ego, cur omnes Teuthones bonæ sunt corporaturæ & albi coloris.

6 Ex eadem conclusione elicio, cur omnes Teuthones apostolicæ sedis sint reuerendissimi.

7 Sicut Apollo est intellectus solaris, ita Aescul. est intellectus lunaris.

8 Ex præcedenti conclusione elicio ego, cur Luna in ascendente dat sanitatem nato.

9 Duplex est malorum dæmonum genus, alterum animæ sunt & substãtiales dæmones, alter ũ materiales potentiæ & accidentales dæmones.

10 Duplex genus dæmonũ, de quibus dixit secundum Porphyriũ præcedens conclusio, nihil credimus esse aliud quàm membrorũ legẽ, & potestates harum tenebrarum, de quibus apud Paulum, quamuis de quiditate & substantia harum potestatum eos non credo conuenire.

11 Plato in principio tractatus Timæi de extremis tantum determinat,

id est,

id est, de eo quod uerè est nullo modo genitū, & de eo quod uerè genitum nullo modo ens, de medijs nihil, quorum alterum ens & genitū, alterum genitum & ens.

12 Deus ubiq; est, quia nullibi est, intellectus ubique est, quia nullibi est, anima ubique est, quia nullibi est. Sed Deus ubique & nullibi respectu omnium, quæ post ipsum. Intellectus autem in Deo quidem est, ubiq; autem & nullibi respectu eorum quæ post ipsum. Anima in intellectu & Deo, ubique autem & nullibi respectu corporis.

SECVNDVM IAMBLICVM IX.

1 Intellectus speculatiuus est forma separata quantum ad rem & ad modum, practicus separata quantum ad rem coniuncta, quātum ad modum anima rationalis coniuncta secundum rem, separata secundum modum rationalis, coniuncta secundum rem & secundum modum.

2 Opifex sensibilis mundi septimus est hierarchiæ intellectualis.

3 Corporalis natura est in intellectu immobiliter, in animo ex se primo mobiliter, in animali ex se mobiliter participatiuè, in cœlo aliunde ordinatè mobiliter, infra Lunam aliunde mobiliter inordinatè.

4 Elementa in octo cœli corporibus cœlesti modo bis inueniunt, quæ quis inueniet si retrogrado ordine in illa bina numeratione processerit.

5 Super hunc mundum, quem uocant theologi ,est alius, quem uocant ,& super hunc alius, quem uocant.

6 Cum excellenter ad intellectum assimilatur anima, fit in uehiculo motus perfectè circularis.

7 Nulla est uis cœlestium astrorum, quantum est in se, malefica.

8 Qui finalem causam diluuiorum incendiorumq; cognouerit, hæc potius ,id est, purgationes quàm corruptiones uocabit.

9 Cum dicit Plato in mundi medio positam animam, de imparticipata anima debet intelligi, quam ideo in medio dicit positam, quia æqualiter omnibus adest, ab omni respectu & particulari habitud ine liberata.

SECVNDVM PROCLVM LV.

1 Quod est in intelligibilibus terminis & infinitum, est in intellectualibus mas & fœmina, in supermūdanis identitas & alteritas, similitudo & dissimilitudo, in anima circulatio eiusdem, & circulatio alterius.

2 A Saturnijs legibus eximuntur Dei, qui contentiui & perfectiui sunt. à Iouijs legib. Dei Saturnij. â Fatalibus Legibus omnis anima uiuens intellectualiter. Legi autem Adrastiæ omnia obediunt.

3 Dei appellatio simpliciter absolutè uni competit, qui est Deus deorum, simpliciter non absolutè cuilibet supersubstantialium secundum essentiam, intellectualium cuilibet secundum participationem animis diuinis, secundum contactum & coniunctionem dæmonibus, secundum dissimilitudinem animis humanis.

4 Contentiua proprietas est medij ordinis secūdæ trinitatis, qui in Phedro cœlestis dicitur circumductus.

5 In intelligibilibus non est numerus, sed multitudo, & numerorū causa paternalis ac maternalis, in intellectualibus uerò est numerus secūdum essentiam & communicatiuè multitudo.

6 Idem est, quod dicitur alteritas in Parmenide, & supercœlestis locus in Phedro.

7 Per unum, plura, totum, partes, finitum, infinitum, de quibus in Parmenide habemus, intellige secundum ordinem trinitatis intelligibilibus intellectualibus secundum illius ordinis trinariam diuisionem.

8 Quod in Phedro dicitur dorsum cœli, in Parmenide dicitur unum, quod ibi profundum cœli, hic totum, quod ibi axis cœli, hic terminus.

9 Tertium ordinem secundæ trinitatis, per tres terminos exprimit Plato, extrema, perfectum, & secundum figuram.

10 Intellectuales dij uniones habent ab uno primo, substantias ab intelligibilibus, uitas perfectas & contentiuas generatiuas diuinorum ab intelligibilibus & intellectualibus, intellectualem proprietatem à seipsis.

11 Sicut intelligibiles Dei uniformiter omnia producunt, ita intelligibiles intellectualesq; trinaliter, intellectuales autem hebdomaticè.

12 Inter extremales paternos Deos, Saturnum & Iouem mediat necessario Rhea per proprietatem uitæ fœcundę.

13 Secūda trinitas hebdomadis intellectualis, est trinitas Curetum, quos uocat theologia intemeratos deos.

14 Proprium Curetū est reddere opus paternæ trinitatis immaculatum, mansionem primi, processum secundi, illustrationem tertij.

15 Per Deorum cædes tragicè à theologis septima unitas discretiua intellectualis hebdomade designatur.

16 Eadem quæ Rhea dicitur ut Saturno coëxistens secundum suam summitatem, ut Iouem producit, & cum Ioue totales & partiales deorum ordines, dicitur Ceres.

17 Licet, ut tradit theologia, distinctæ sint diuinæ hierarchiæ, intelligendum est tamen omnia in omnibus esse modo suo.

18 Sicut paternalis proprietas est solum in intelligibilibus, ita cōditoria siue factiua solum in deis nouis paterna simul & conditoria, in exemplaria intelligibili conditoria, & paterna in opificia.

19 Quæcunque uel deorum uel naturæ operationes duplices sunt, immanentes & transeuntes, per immanentes seipsum unumquodque continet, & quæ in ipso sunt rationes, per transeūtes ad exteriora se cōuertit.

20 Post intellectualem hebdomadem ordinandi sunt immediatè supermundani Dei à partibus uniuersi exempti, & incoordinabiles ad hunc mundum, & secundum causam eum undique circumplectentes.

21 Pro-

21 Proprium eſt ſupra mundanorum deorum aſsimilare & tradere entibus compaſsionem illam & inuicem communionem, quam habent ex ſimilitudine unius ad alterum.

22 Licet aſsimilatiuum ducalium, de quibus dixit præcedens concluſio, proprium ſit, appropriatur tamen medio ordini trinitatis ſuæ primo ordine intellectualibus deis immediatè ſecundum ſubſtantiam coniuncto & tertio ſecundis generibus ſe commiſcente.

23 Iupiter, de quo in Gorgia, non eſt ille, qui eſt uniuerſalis conditor tertius inter intellectuales, ſed ſummus & primus inter ducales.

24 Ducalis trinitatis Iupiter eſt ſubſtantificatiuus, Neptunus uiuificatiuus, Pluto conuerſiuus.

25 Quadruplex eſt fabrica, prima uniuerſalia uniuerſalium ex toto perornat, ſecunda uniuerſa quidem ſed particulariter, tertia ſecundum diuiſa ſecundum uniuerſalitatem, quarta partes particulariter contexit uniuerſalibus.

26 Iupiter, Neptunus & Pluto, Saturni regnum partientem, à Saturno regnum non accipiunt niſi per medium conditoris Iouis.

17 Sub primo ducalis trinitatis eſt eſſe ſubſtantiale, omnis anima nobilis generationi nõ ſubdita primum mobile ignis, & ſuprema aëris pars, quæ ſuper terram creſcunt, & pars orientalis.

28 Sub ſecundo ducalis trinitatis eſt uita & generatio, omnis anima ſub generationem ueniens, erraticæ ſphæræ, aqua & infima aëris pars, quæ ſub antra mineruæ, & terræ motus media pars terræ & circa centrum.

29 Sub tertio eiuſdem ordinis eſt ſpecialium diuiſionum conuerſio, animarum purgatio, ſphæra actiuorum & paſsiuorum, terra cum terreſtribus, quæ circa tartarum, & pars occidentalis.

30 Et ſi ſecunda trinitas deorum ſupermundanorum tota dicatur Proſerpina, tamen prima eius unitas apud Græcos dicitur Diana, ſecunda Perſephone, tertia Minerua, apud barbaros uero prima Mechate, ſecunda anima, tertia uirtus.

31 Secundum præcedentem concluſionem ex Procli mente poteſt exponi unum ex dictis Zoroaſtris, ſecundum quod apud Græcos legit, quanquam apud Chaldæos aliter & legitur & exponitur.

32 Tertia trinitas deorum ſupermundanorum dicitur Apollo, & conuerſiuum ei appropriatur.

33 Trinitatem Proſerpine comitantur à latere trinitas cuſtoditiua & conſeruatiua.

34 Duodecim Dei, de quib. in Phedro, Dei ſunt mediĳ inter ſupermundanos & mundanos uinculum illorum.

35 Dei, de quib. in Phedro, in quatuor trinitates ſunt diſtinguendi, opificatiuam, cuſtoditiuam, uitalem & conuerſiuam.

36 Quatuor sunt exercitus iuniorum deorum, primus habitat à primo cœlo usque ad principium aëris, secundus inde usque ad dimidium aëris, tertius inde usque ad terram.

37 Cuilibet istorum proportionaliter correspondet quadruplex exercitus, angelorum, dæmonum & animarum.

38 In per se uiuente apparet primo quaternitas unius entis, unius entalis, & entis unialis.

39 Opifex ad quaternitatem respiciens per se animalis, quatuor fabricat partes principales mundi.

40 In quãtum opifex ad exemplar formæ unius in per se uiuẽte respicit, primam partem corporis mundani facit.

41 In quãtum opifex in forma unius uidet unum unius essentialis, facit Deos mundanos illius partis, in quantum ens unius essentialis facit angelos in eadem parte, in quantum uidet unum entis unialis, facit dæmones ibi, in quantum esse entis unialis animalia ibidem facit.

42 Facit opifex alias partes proportionaliter ad suarum formarum exemplaria, sicut de primo est dictũ, nec oportet explicare, quia quilibet sciens uiam analogizandi ex se poterit deducere.

43 Ad sapiens, pulchrum bonumq; dominum, per intellectum, amorem & fidem ascendimus.

44 Sicut fides, quæ est credulitas, est infra scientiam, ita fides quæ est uerè fides, est supersubstantialiter supra scientiam & intellectum nos Deo immediatè coniungens.

45 Sicut non omne corpus, sed perfectum anima participat, ita non omnis anima sed perfecta intellectu participat, omnia tamẽ uno participãt.

56 Sicut secundum causalitatis ambitum, ita secundum naturæ & gradus sublimitatem hæc per ordinem seinuicem excedunt, anima, intellectus, uita, ens, & unum.

47 Omnis ordo medius manet in antecedente stabiliter, & in se firmat consequentem.

48 Sicut prima trinitas post unitatem est omnia intelligibiliter commensurare, & fini formiter, ita secunda trinitas est omnia uitaliter, uerè, & infiniti formiter, tertia est omne secundum mixti proprietatem & pulchri formiter.

49 Prima trinitas manet tantum, secunda manet & procedit, tertia post processum conuertit.

50 Aeuum est supra per se animal in secunda & media trinitate.

51 Sicut intelligibilia causæ sunt uniuersarum specierum, ita intellectualia diuisionum secundum genera communia supermundana differentium secundum speciem, mundana differentium secundum indiuidum.

52 Per supercœlestem locum habemus intelligere, quod de secunda trinitate

nitate plus est intelligibile quàm intellectuale, per subcœlestem concauitatem quod magis intellectuale quàm intelligibile, per cœlum id quod æquè utroque participat.

53 Quæcunque de supercœlesti loco in Phedro affirmatiuè dicuntur, de eo dicuntur non ut simpliciter primum, sed ut habet ante se superiora genera quibus participat. quæcunque negatiuè dicuntur, dicuntur ut analogicè se habet ad primum bonum, quod est absolutè caput omnium non determinati ordinis huius uel illius.

54 Ambrosia est analoga termino, & nectar infinito.

55 Sicut intellectus perfectus ab intelligibilibus quærẽdus est, ita uirtus sursum ductiua ab intellectualibus, operatio absoluta & sequestrata à materia, ab ultramundanis uita alata, à mundanis expressio diuinorum, uera ab angelicis choris, repletio eius, quæ à dijs est aspirationis, à bonis dæmonibus.

SECVNDVM MATHEMATICAM PYTHAGORAE XIIII.

1 Vnum, alteritas, & id quod est, sunt causa numerorum, unum unitorum, alteritas generatiuorum, id quod est substantialium.

2 In participatis numeris aliæ sunt species numerorum, aliæ specierum uniones.

3 Vbi unitas punctalis cadit in alteritatem binarij, ibi est primò triangulus.

4 Qui 1.2.3.4.5.12. ordinem cognouerit, prouidentiæ distributionem exactè tenebit.

5 Per unum, tria, & septem scimus in Pallade unificatiuum discretionis, causatiuam & beatificatiuam intellectus potestatem.

6 Triplex proportio Arithmetica, Geometrica & Harmonica, tres nobis Themidos filias indicat, iudicij, iustitiæ, pacisq; existentes symbola.

7 Per secretum radij recti, reflexi, & refracti in scientia perspectiua, triplicis naturæ admonemur, intellectualis, animalis, & corporalis.

8 Ratio ad concupiscentiam habet proportionem diapason.

9 Irascibilis ad concupiscentiam habet proportionem diapente.

10 Ratio ad iram habet proportionem diatessaron.

11 Iudicium sensus in Musica nõ est adhibendum, sed solius intellectus.

12 Informis numerandis non debemus excedere quadragenarium.

13 Quilibet numerus planus æquilaterus, animam symbolizat.

14 Quilibet numerus linearis symbolizat deos.

CONCLVSIONES SECVNDVM OPINIONEM CHALdæorum theologorum, numero VI.

1 Ordo separatorum principalis non est primus ut putant Aegyptij, sed super eum est ordo fontalis unialiter superexaltatus.

2 Fatum non est necessitas primæ potentiæ seminalis, sed est intellectualiter participata habitudo animalium rationum indeclinans à superioribus ineuitabilis ab inferioribus.

3 Substantiales rerum uisibilium qualitates non à uirtute separata particulari, ut credunt Aegyptij, sed à primo receptaculo fontis luminum per animalem splendorem dependenter resultant.

4 Animæ partiales non immediatè, ut dicũt Aegyptij, sed mediantibus totalibus animis dæmoniacis ab intellectuali splendore illuminantur.

5 Coordinatio intelligibilis non est in intellectuali coordinatione, ut dixit Amasis Aegyptius, sed est super omnem intellectualem Hierarchiam in abysso primæ unitatis & sub caligine primarum tenebrarum imparticipaliter abscondita.

6 Quicquid est à Luna supra, purum est lumen, & illud est substãtia orbium mundanorum.

Conclusiones secundum priscam doctrinã Mercurij Trismegistij Aegyptij X.

1 Vbicunque uita, ibi anima ubicuuque anima, ibi mens.

2 Omne motum corporeum, omne mouens incorporeum.

3 Anima in corpore, mens in anima, in mente uerbum, tum horum pater Deus.

4 Deus circa omnia atque per omnia, mens circa animam, anima circa aërem, aër circa materiam.

5 Nihil est in mundo expers uitæ.

6 Nihil est in uniuerso passibile mortis uel corruptionis.

Corrolarium ubique uita, ubiq; prouidentia, ubiq; immortalitas.

7 Sex uijs futura homini Deus denunciat, per somnia, portenta, aues, intestina, spiritum, & Sibyllam.

8 Verum est, quod non perturbatum, non determinatum, non coloratum, non figuratum, non concussum, nudum, perspicuum, à se ipso compræhensibile, intransmutabile bonum ac penitus incorporeum.

9 Decem intra unumquemq; sunt ultores, ignorantia, tristitia, incõstantia, cupiditas, iniustitia, luxuries, inuidia, fraus, ira, malitia.

10 Decem ultores, de quibus dixit secundum Mercuriũ præcedens conclusio, uidebit profundus contemplator correspondere malæ coordinationi denariæ in Cabala, & præfectis illius, de quibus ego in Cabalisticis conclusionibus nihil posui, quia est secretum.

Conclusiones Cabalisticæ, nnmero XLVII. secundum secretam doctrinam sapientum Hebrẽorum Cabalistarum, quorum memoria sit semper in bonum.

1 Sicut homo & sacerdos inferior sacrificat Deo animas animalium irrationalium, ita Michaël sacerdos superior, sacrificat animas animalium rationalium.

2 No-

2 Nouem sunt angelorum hierarchiæ, quarum nomina Cherubim, Seraphim, Hasmalim, Hagot. Aralim, Tarsisim, Ophanim, Thephsraim, Isim.

3 Quamuis nomen ineffabile sit proprietas clementiæ, negandum tamen non est quin contineat proprietatem iudicij.

4 Peccatum Adæ fuit truncatio regni à cæteris plantis.

5 Cum arbore scientiæ boni & mali, in qua peccauit primus homo, creauit Deus seculum.

6 Magnus Aquilo fons est animarū omnium simpliciter, sicut alij dies quarundam & non omnium.

7 Cum dicit Salomon in oratione sua in libro regum. Exaudi ò cœlum. per cœlum lineam uiridem debemus intelligere, quæ girat uniuersum.

8 Animæ à tertio lumine ad quartam diem, & inde ad quintam descendunt, inde exeuntes corporis noctem subintrant.

9 Per sex dies Geneseos, habemus intelligere sex extremitates ædificij procedentes à Bresith, sicut procedunt Cedri à Libano.

10 Rectius dicitur, quod Paradisus sit totum ędificium quàm sit decima, & in medio eius est collocatus magnus Adam, qui est Tipheret.

11 Dictum est ex Eden exire fluuium, qui diuiditur in quatnor capita, ad significandum quod ex secunda numeratione procedit tertia, quæ in quartam, quintam, sextam & decimam diuiditur.

12 Verum erit omnia pendére ex fato, si per fatum, fatum supremum intellexerimus.

13 Qui nouerit in Cabala mysterium portarum intelligentiæ, cognoscet mysterium magni Iobelei.

14 Qui nouerit proprietatem meridionalem in dextrali coordinatione, sciet cur omnis profectio Abraham semper sit uersus austrum.

15 Nisi nomini Abraham litera He addita fuisset, Abrahã nõ generasset.

16 Omnes ante Moysem prophetarunt per ceruam unicornem.

17 Vbicũq; in scriptura fit mentio amoris maris & fœminæ, nobis mystice designat cõiũctio Tipheret & Chienseth Israël, uel Beth & Tipheret.

18 Qui media nocte cum Tipheret copulabitur, prospera erit ei omnis generatio.

19 Eadem sunt literæ nominis cacodæmonis, qui est princeps mundi huius, & nominis Dei Triagrammaton, & qui sciuerit ordinare transpositionem deducet unum ex alio.

20 Cum fiet lux speculi non lucentis sicut speculi lucentis, erit nox sicut dies, ut dicit Dauid.

21 Qui sciet proprietatem quæ est secretum tenebrarum, sciet cur mali dæmones plus in nocte quàm in die nocent.

22 Licet fiat multiplex coordinatio curruum, tamen inquantum attinet

ad Phi-

ad Philacteriorum mysterium, duo sunt currus ordinandi, ita ut ex secunda, tertia, quarta, quinta, fiat unus currus, & sunt quatuor philacteria quæ induit Vau. & ex sexta, septima, octaua, & nona fit secundus currus, & sunt philacteria quæ induit ultima He.

23 Supra proprietatem pœnitentiæ non est utendum uerbo dixit.

24 Cum dixit Iob, qui facit pacem in excelsis suis, aquam intellexit australem & ignem septentrionalem, & præfectos illorum, de quibus non est ultra dicendum.

25 Idē est Bresith, id est ī principio creauit, ac si dixisset in sapiētia creauit.

26 Quod dixit Anchelos Chaldæus, Becadmim, id est cum æternis uel per æterna, triginta duas uias sapientiæ intellexit.

27 Sicut congregatio aquarum est iustus, ita mare ad quod tendunt omnia flumina est diuinitas.

28 Per uolatile quod creatum est die quinta, debemus iutelligere angelos mundanos, qui hominibus apparent non eos qui non apparent, nisi in spiritu.

29 Nomen Dei quatuor literarum, quod est ex Mem, Sade, Pe, & Sade, regno Dauidis debet appropriari.

30 Nullus angelus habens sex alas unquam transformatur.

31 Data est circumcisio ad liberationem à uirtutibus immundis, quæ in circuitu ambulant.

32 Ideo circumcisio fit octaua die, quia est superior quàm sponsa uniuersalizata.

33 Nullæ sunt literæ in tota lege, quæ in formis, coniunctionibus, separationibus, tortuositate, directione, defectu, superabundantia, minoritate, maioritate, coronatione, clausura, apertura, & ordine decem numerationum secreta non manifestent.

34 Qui intellexerit cur sit dictū quod Moyses abscondit faciem suam, & quod Ezechias uertit facies suas ad parietem, sciet quæ esse debeat orantis habitudo & dispositio.

35 Nulla res spiritualis descendens inferius operatur sine indumento.

36 Peccatum Sodomæ, fuit per truncationem ultimæ plantæ.

37 Per secretum orationis antelucanæ, nihil aliud debemus intelligere quàm proprietatem pietatis.

38 Sicut extrinsecus timor est inferior amore, ita intrinsecus est superior amore.

39 Ex præcedenti conclusione intelligitur, cur in Genesi à timore laudatur Abraham, quem tamen scimus per proprietatem pietatis omnia fecisse ex amore.

40 Quotiescunque ignoramus proprietatem à qua est influxus super petitione quam petimus, ad dominum naris recurrendum est.

41 Om-

41 Omnis anima bona, est anima noua ueniens ab oriente.
42 Ideo Ioseph ossibus tantum sepultus est & non corpore, quia eius ossa erant uirtutes & militiæ arboris superioris uocati Sadich influentis ad terram superiorem.
43 Ideo Moysis sepulchrum nemo nouit, quia exaltatus est in Iobeleo superiore, & super Iobeleum misit radices suas.
44 Cum anima compræhenderit quicquid poterit compræhendere, & coniungetur animæ superiori, expoliabit indumentum terrenum à se, & extirpabitur de loco suo, & coniungetur cum diuinitate.
45 Sapientes Israël post cessationem prophetiæ per spiritum, prophetarunt per filiam uocis.
46 Non ponitur rex terræ in terra, quin prius humilietur militia cœlestis in cœlo.
47 Per dictionem Amen, ordo habetur expressus quomodo numerationum procedant influxus.

Conclusiones numero quingentæ, secundum opinionem propriam, quæ denaria diuisione diuiduutur, in conclusiones Physicas, Theologicas, Platonicas, Mathematicas, Paradoxas dogmatizantes, Paradoxas conciliantes, Chaldaicas, Orphicas, Magicas, & Cabalisticas. In quibus omnibus nihil assertiuè uel probabiliter pono, nisi quatenus id uel uerum uel probabile iudicat sacrosancta Romana ecclesia, & caput eius benè meritum summus Pontifex Innocentius octauus, cuius iudicio, qui mentis suæ iudicium non summittit, mentem non habet.

Conclusiones paradoxæ numero XVII. secundum propriam opinionem, dicta primum Aristotelis & Platonis, deinde aliorum doctorum conciliantes, qui maxime discordare uidentur.

1 Nullum est quæsitum naturale aut diuinum in quo Aristoteles & Plato sensu & re non conueniant, quamuis uerbis dissentire uideantur.
2 Qui dicunt innascibilitatem esse positiuam proprietatem constituentem patrem inesse hipostatico incommunicabili, ab opinione sancti doctoris, à qua multum secundum uerba uidentur discordare, nihil discordant.
3 Deponenda sexta notione, quę est inspirabilitas, nō debent discordare Thomistę & Scotistæ, si rectè suorū doctorū fundamenta introspiciūt.
4 De subiecto theologiæ fundamētaliter & radicaliter concordāt Thomas, Scotus & Aegidius, quamuis in ramis & uerborum superficie quilibet eorum à quolibet dissentire plurimum uideatur.
5 De quæstione illa: Vtrum sit unum esse in Christo, aut plura esse? dico Scotum & Thomam non discordare.
6 De distinctione ex natura rei nō debent discordare Thomistæ & Scotistæ si suos doctores fundamentaliter intelligant.

7 De at-

7 De attributorum distinctione non discordant Thomas & Scotus.

8 In hoc articulo præciso à suis appendicibus. Vtrum angelus potuerit diuinã ꝙualitatẽ simpliciter appetere, non discordat Thomas & Scotus.

9 In materia quid prius cognoscatur, magis an minus uniuersale, concordant Thomas & Scotus, qui maximè in ea discordare existimantur, de qua pono infrascriptas tres conclusiones ex utriusꝙ mente.

10 De re nominaliter concepta, primus conceptus qui habetur, est conceptus uniuersalissimus.

11 De re diffinitiuè cõcepta, primus conceptus qui habeẽ, est conceptus rei, conceptus proprius & conuertibilis.

12 In distinctissima cognitione ultimò nota nobis sunt, prædicata maximè uniuersalia.

13 Opinio commentatoris de dimensionibus interminatis, principijs & fundamentis doctrinæ sancti Thomæ nihil repugnat.

14 In materia de obiecto intellectus non discordat ut creditur, sed concordat Thomas & Scotus.

15 In quæstione de contingentia ad utrumlibet in materia de casu & fortuna, re & fundamentaliter non discordant Auenrois & Auicenna, licet superficie tenus & in uerbis eorum oppositum appareat.

16 An corpus compositum accipiat physicus à metaphysico, discordare fundamentaliter non possunt Auenrois & Auicenna, etsi uerbis discrepent.

17 De modo quo angeli sint in loco, non differunt Thomas & Scotus.

Conclusiones philosophicæ secundum propriã opinionem, numero LXXX. quæ licet à communi philosophia dissentiant, à communi tamen philosophandi modo non multum abhorrent.

1 Potest à specie in sensu exteriori existente immediatè abstrahi species uniuersalis.

2 Intentio secunda est ens rationis, habens se per modum formæ qualitatiuæ, ab operatione intellectus proueniens, consequutiuè non effectiuè.

3 Nec prima intentio, nec secunda intentio alicubi sunt subiectiuè.

4 Est deuenire in corporib. ad aliquid, quod ita corporaliter locat, quod corporaliter non locatur, & illud est ultima sphæra: sicut in intelligibilib. est deuenire ad aliquid, quod ita intelligibiliter locat, quod nullo modo locatur, & illud est Deus.

Corrolarium. Non est quærendum quomodo ultima sphæra locatur, sed absolutè concedendum quod non locatur.

5 Singulare non intelligitur ab intellectu, nec secundum ueritatem, nec secundum etiam opinionem Aristotelis commentatoris & Thomæ.

6 Licet intellectus nõ intelligat singulariter, ab ipso tamen est quod perfectè cognoscatur singulare.

7 Quælibet res quæcunq; sit illa, in puritate sui esse constituta, est intelligens, iutellectus & intellectum.

8 Ex prædicta conclusione habetur, quare materia sit principium incognoscibilitatis, & intellectus agens cognoscibilitatis.

9 Illa dicitur actio immanens, quæ non est subiectiuè in illo, quod passiuè per eam denominatur, & per hoc distinguitur à transeunte.

10 Omnis alius modus præter eum quem dixit præcedens conclusio, est insufficiens ad distinguendum actionem immanentem à transeunte.

11 Cum dicit Auenrois, non esse aliud medium ad probandum abstractum præter æternitatem motus, non intelligit de quocunque abstracto, sed de eo quod ultimato gradu abstractionis est abstractum à corpore.

12 Esse corporeum non habet res ab aliqua forma substantiali uel gradu formæ substantialis.

13 Sex transcendentia, quæ ponit communis doctrina, à iunioribus Latinis sunt efficta, ea & Græci Peripatetici, & princeps eorum Aristoteles nescit.

14 Necessariũ est apud Aristotelẽ primã causam mouere de necessitate.

15 Impossibile est, & omnino irrationale apud Aristotelem omnia euenire de necessitate, respectu cuiuscunque causæ illa necessitas accipiatur.

16 Tractatus suppositionum ad Logicum non pertinet.

17 Non potuit mundus esse à Deo ab æterno efficienter, efficientia uera quæ est reductio de potentia ad actum.

18 Potuit produci & fuit de facto secundum Aristotelem & commentatorem productus ab æterno mundus à Deo, efficientia quæ est naturalis fluxus & effectualis consequutio.

19 Qui negat cœlum esse animatum, ita ut motor eius non sit forma eius, non solũ Aristoteli repugnat, sed totius philosophiæ fundamẽta destruit.

20 In actibus nostri intellectus non est successio ratione potentiarũ sensitiuarum & deseruientium, ut credunt moderni, sed eo quia rationalis est.

21 Notitia de nouo acquisita fit ex præcedenti cognitione tanquam ex termino à quo, & tanquam ex causa effectiua, partiali, formali, directiua, & tanquam ex causa prædisponente materiali.

22 Ille habitus est practicus, qui est formaliter regulatiuus alicuius operationis habituati.

23 Habitus habet esse practicum & speculatiuum ab obiecto relato ad subiectum in quo est, intellectus autem dicitur practicus uel speculatiuus à fine, quem sibi proponit habituatus.

24 Habitus practicus à speculatiuo finibus distinguitur.

25 Praxis est operatio quæ non est formaliter cognitio, & potest esse recta, & non recta, rectificabilis per habitum ut per partiale rectificationis effectiuum quo practicans habituatur.

26 Practicum & speculatiuum sunt differentiæ accidentalis habitus.

27 Theologia uiatoris ut uiatoris est, simpliciter practica dicenda est.

28 Totam medicinam practicam esse, & ut uerum asserimus, & ut consonum dictis ac sententiæ Auenrois.

29 Logica est practica.

30 Sensus communis non est distinctus à sensu uisus, auditus, odoratus, gustus & tactus.

31 Non dari species intelligibiles à phantasmatibus abstractas, & ut uerum, & Commentatoris & Alberti sententiam asserimus.

32 In omni quæstione per demonstrationem scibili oportet præcognoscere quid subiecti & passionis, non intelligẽdo per quid, quid nominis, ut intelligunt expositores, sed quid rei.

33 Possibilis est regressus à causa ad effectum absq; negociatione quam somniat Burleus.

34 Tenentes minima naturalia in qualitatibus, non propterea habent negare motum alterationis fieri tempore successiuè.

35 Necessariũ est tenere secundũ Auenroen, quod forma generis sit realiter alia à forma speciei, nec oppositum stat cum principijs doctrinæ suæ.

36 Demonstratio Aristotelis in 7. physicorum, quod: Omne quod mouetur, mouetur ab alio. nihil probat eorum quæ uel Thomas, uel Scotus, uel Aegidius, quem sequit Ioannes de Gandauo, uel Gratiadeus, uel Burleus, uel alij quos ego legerim, intendunt, sed tantum quod optimè dixit Commentator, à Latinis omnibus expositoribus male intellectus, & est quod, In quolibet moto, motor est alius à mobili uel secundum naturam uel secundum subiectum.

37 Demonstratio 7. Physicorum probat euidenter, quod cœlum nõ mouetur à se, datis principijs Auenrois ueris utiq; & firmissimis.

38 Ordo librorum naturalis philosophiæ ab Aristotele traditæ est iste: Liber physicorum, cœli & mũdi, de generatione, metheororum, mineraliũ, de plantis, de generatione animaliũ, de partib. animalium, de progressu animalium, de anima, tum libri qui dicuntur parui naturales.

Corrolarium. Qui librum de anima, sextum naturalium uocant, ab Aristotelis mente omnino discordant.

39 Omnis uia saluans dictũ Aristotelis, quod: Venti orientales sint calidiores occidentalibus. præter uiam animationis cœli. est friuola & nulla.

40 Nec ab Aristotele, nec ab expositoribus adductæ rationes de salsedine maris sunt sufficientes, nec potest ulla maxime stante Mosaica ueritate sufficientior assignari, quàm causalitas eiusdem uniuersalis prouidentiæ, quæ & in terra discooperitionem operata est.

41 Nulla pars cœli differt ab alia secundum lucidum & nõ lucidum, sed secundum magis & minus lucidum.

42 Modus

42 Modus ab Aristotele datus, quomodo calefiant inferiora à superioribus, nullo modo rectus apparet.

43 Hæc duo stant simul, & ambo credo simul esse uera, & quod ratio Auenrois in commento ultimo primi Physicorum contra Auicennã concludat, & quod cum hoc rationes Auicennæ ad probandum primũ principium sunt bonæ & efficaces.

44 Si intelligentias esse in genere secũdum Aristotelem dixerit Thomas, non minus sibi quàm Aristoteli repugnabit.

45 Si unitas generis non est solum ex parte concipientis, sed etiam ex parte concepti, necesse est quæcunque sunt in eodem genere Logico, esse in eodem genere Physico.

46 Scientia est realiter relatiua, & scibile ad eam per accidentia refertur.

47 Tenendo communem modum doctorum, quod scilicet de Deo aliquid formaliter prædicetur, dico duas conclusiones proximas, quarum hæc est prima. Quod solus Deus ita est substantia, quod nullo modo est non substantia.

48 Secunda Deus ideo nõ est in genere, quia est substantialiter substãtia,

49 Ponere differentiam inter similitatem & albedinem, aut consimilia accidentia, per hoc quod illud separabile sit, illud inseparabile à certo subiecto, fictiuum est.

50 Differentia quæ inter suprascripta accidentia apparet, ex sola uoluntaria nominum impositione originatur.

51 Necessarium est dicere secundum Auenroem, quod substantia est de intrinseca quiditate accidentis, & est opinio & Aristoteli & philosophiæ maximè consona.

52 In definitione substantiarum naturalium non esse ponendam materiam, & Auenroi & Alberto consentanea sententia est.

53 Si Thomas dixerit, in intelligentijs secundũ Aristotelem esse accidentia, non Aristoteli modo, sed sibijpsi contradicit.

54 Istæ propositiones sunt concedendæ ut omnino ueræ, materia prima sit asinus, bos & similia.

55 In composito materiali non sunt duæ præcisæ entitates & distinctæ, sed una entitas.

56 Sonum non ex motu aëris intercepti inter duo corpora se percutientia, ut tenet Aristoteles, & expositores eius, sed ex contactuali talium uel talium corporum, talem uel talem sonum causari dico.

57 Rationes quas adducunt Peripatetici ad probandum, quod in causis essentialiter ordinatis non eatur in infinitum, non conuincunt de necessitate falsitatem positi.

58 Virtutem sensitiuam sensus communis, sicuti non à uirtutibus sensitiuis sensuum exteriorum, ut dixit conclusio 30. ita nec à uirtutibus sen-

sitiuis sensuum interiorum, phantastica, siue imaginatiua, cogitatiua, & memoratiua, subiecto, id est re differre, & ut ueram, & ut Aristotelis Platonisq; sententiam asserimus.

59 Dico omnes qualitates elementorũ symbolas esse diuersarũ specierũ.

60 Si qua est ponenda figura quarta syllogismorũ, illa est ponẽda quam Galenus ponit, non quam & Franciscus Maironis & Petrus Mantuanus pueriliter confinxerunt, rectius est tamen nullam ponere.

61 De materia ut ex ea per se fiunt res tractare metaphysicum, Physicum autẽ ut ex ea res fiunt per accidẽs, habemus dicere secundum doctrinam Aristotelis.

62 Dictio exclusiua addita uni relatiuo, correlatiuum non excludit.

63 Non debet concedi, partem in toto quãtitatiuo à suo toto esse aliquo modo actu distincta.

64 Opinio quæ Auicennæ asscribitur, quod Illud unum quod cum ente conuertitur, sit unum quod est principium numeri, & ita consequenter, quod unaquæq; res sit una per intentionem additam essentiæ suæ. si non est necessario uera, est tamen probabilis & defendetur à me.

65 Licet potentia intellectiua in nobis sit accidens, in angelis tamen est substantia.

66 Formalitas est actualitas apta per se perficere possibilem intellectum.

67 Si ex concursu elementorum fiat mixtum, quocunque modo ponantur elementa manere, immixto fiet mixtum ex elementis, ut ex materia digesta à calido spirituali uaporoso eleuato ab eis.

68 In omnibus infra Deum eadem est materia secundum essentiã, diuersa secundum esse.

69 Quiditates physicarũ naturarũ adæquato cõcepto & proprio, cõcipi possunt sine accidentibus, siue à metaphysico, siue à physico considerent.

70 Corpus organicum quod est materia animæ, & ponitur in diffinitione eius ab Aristotele, est corpus & organicum per formam essentialiter distinctam ab anima, eum perficiente.

71 Secundum omnes philosophos dicendum est, Deum necessariò agere quicquid agit.

72 Qui dubitat ex intelligibili & intellectu magis uerè & substantialiter fieri unum, quàm ex materia & forma materiali non est philosophus.

73 Tenendo opinionem de anima intellectiua, quam tenet Commentator, uidetur mihi rationabiliter tenendum illam animam nullius accidentis esse subiectum, & positionem hanc tanquam ueram defendam, quamquam utrum hoc ille tenuerit, ego non definio.

74 Dico secundum Thomam dicendum esse, in actu reflexo intellectus consistere beatitudinem nostram.

75 Diffinitio naturæ cœlestia cõpræhendit, & li (&) copulatiuè tenetur & non disiunctiuè.

76 Sicut

76 Sicut quilibet Philoſophus habet dicere, quod uirtutes ſenſitiuæ ſunt in corde, ita quilibet medicus habet dicere, quod ſint in cerebro.

77 Quod dicitur à communi ſchola philoſophantium omnium Latinorum de prima operatione intellectus, error eſt, quia non eſt alia operatio partis rationalis quàm illæ duæ quas ipſi ſecundam & tertiam ponunt, compoſitio ſcilicet & diſcurſus.

78 Accidentia nullo modo debent dici entia, ſed entis.

79 Sex principia ſunt formę abſolutæ.

80 Si qua eſt lingua prima & non cauſalis, illam eſſe Hebraicam multis patet coniecturis.

Concluſiones paradoxæ numero LXXI. ſecundum opinionem propriam, noua in philoſophia dogmata inducentes.

1 Sicut eſſe proprietatum præceditur ab eſſe quiditatiuo, ita eſſe quiditatiuum præceditur ab eſſe uniali.

2 Non poſſumus dicere quod de re præciſiſsimè ſumpta aliquid prædicetur prædicatione propriè dicta.

3 Qui attingit rem in diffinitione, attingit rem in alteritate.

4 Solus ille qui attingit rẽ in p̃ciſione ſuæ unionis, attingit rẽ ut eſt ipſa.

5 Quanto unuſquiſq; modus cognitionis eſt eminentior, tanto in intellectu diſproportionato imperfectior euadit & illi inutilior.

6 Sicut cognitio per demonſtrationem habita homini pro cõmuni ſtatu, quem hic experimur, eſt perfectiſsima cognitio, ita ſimpliciter inter cognitiones eſt imperfectiſsima.

7 Sicut Deus eſt ſimpliciter cognitio totius eſſe, ita intellectus eſt diffinitio totius eſſe, & anima ſcientia totius eſſe.

8 Si theologia theologicè tradat̃, erit ut de primo ſubiecto de eo quod eſt unialiter unum, & de quolibet quod eſt ſecundum ſuum eſſe uniale tanquam de ſubiecto ſecundario.

9 Vera metaphyſica tradita metaphyſicaliter, eſt de quolibet quod eſt uera forma ut de primo ſubiecto, & de quolibet quod eſt ſecũdum ſuum eſſe formale tanquam de obiecto ſecundario in modo procedendi demonſtrationem negligens.

10 Sicut in creatura nõ ualet conſequentia, eſt ens, ergo eſt, ita in Deo non ualet, eſt, ergo eſt ens.

11 Eadem res in creatura ratione ſuæ actualitatis dicitur eſſe, & ratione ſuæ determinationis dicitur eſſentia.

12 Sicut angelus neceſſariò componitur ex eſſentia & eſſe, ita anima neceſſariò componitur ex ſubſtantia & accidente.

13 Contradictoria in natura intellectuali ſe compatiuntur.

14 Licet ſit uera præcedens concluſio, tamen magis propriè dicitur,

quod in natura intellectuali nõ sint cõtradictoria q̃ quod se cõpatiantur.

15 Contradictoria coincidunt in natura uniali.

16 Rationabiliter posuit Aristoteles in suis scientijs, primum principium de quolibet dici alterum contradictoriorum, & de nullo simul.

17 In intellectu est hoc & illud, sed non est hoc extra illud.

18 Ideo in anima apparet incompossibilitas contradictoriorum, quia est prima quantitas ponens pa: tem in extra partem.

19 Vnumquodq̃ in natura intellectuali habet à sua intelligibili unitate, & quod quodlibet sibi uniat, & quod immaculatam ac impermixtam sibi suam seruet proprietatem.

20 Ipseitas uniuscuiusq̃ tũc maxime est ipsa, cum in ipsa ita sunt omnia, ut in ipsa omnia sint ipsa.

21 Per prædictas conclusiones intelligi potest quæ sit omiomeria Anaxagoræ, quam Opifex intellectus distinguit.

22 Nemo miretur, quod Anaxagoras intellectum appellauerit immixtum, cum sit maxime mixtus, quia maxima mixtio coincidit cum maxima simplicitate in natura intellectuali.

23 Sicut formæ substantiales in secundo mundo sunt per modũ accidentiũ, ita formæ accidentales sunt in primo mũdo per modũ substantiarũ.

Corrolarium. Sicut in primo mundo non est album sed albedo, ita in secundo mundo non est ignis sed igneum.

24 Non potest dici, quod in intellectu ideæ, uerbi gratia ignis, aquæ & aëris, sint tres ideæ, sed oportet dicere quod sunt ternarius.

25 Nisi destruamus naturam intellectualem, non possumus intelligere ideas numerari, nisi per intimationem ideæ numeri per reliquas, sicut est cuiuslibet per omnes.

26 Ex præcedentibus conclusionibus potest intelligi, qui sit formalis numerus, quem dixit Pythagoras esse principium omnium rerum.

27 Quinq̃ ponenda sunt prima prædicamenta. Vnum, substantia, quantitas, qualitas, & ad aliquid.

28 Rectius ad quinq̃ suprascripta reducitur entium diuersitas quàm ad decem, quæ Architas primum, deinde Aristoteles posuit, uel quinq̃ quæ ponit Plotinus, uel ad quatuor quæ ponunt Stoici.

29 Ratio prædicamenti unius est absoluta præcisio ab omni extraneo.

30 Ratio p̃dicamẽti substãtię est unita perfectio imparticipatę substãtię.

31 Ratio prædicamenti quantitatis est extra positio partis ad partem.

32 Ratio prædicamenti qualitatis, est uerita: denominationis per inhærentem participationem.

33 Ratio prædicamenti ad aliquid, est esse imaginarium.

34 Nullum est prædicatum formale imparticipatum, quod partialiter prædicari non possit de intelligentia.

35 Sicut

35 Sicut de sólo intellectu uerè dicitur, quod est ignis, & quod est aqua, quod est motus & quod est status, ita de sola anima uerè dicitur, quod frigefit, quod calefit, quod stat, quod mouetur.

36 Sicut intellectus Dei unitatem multiplicat, ita anima intellectus multitudinem quantificat & extendit.

37 Primum intelligibile cum primo intellectu, & primum scibile cũ primo sciente coincidit.

38 In animis deterioris notæ est ratio per modum sensus, in animis sublimioribus est sensus per modum rationis.

39 Dictum illud mirabile illius barbari Nympharum & dæmonũ consortis de 184. mundis in figura triangulari cum tribus unitatibus angularibus, & una media constitutis, rectissime intelligetur, si ab unitate intelligibili trinitatẽ intellectualem, animalem & seminalem, & principalium mundi partium per primum sphæricum numerum computationem intellexerimus.

40 Posse animam per uiam purgatoriam absque alio studio uel inuestigatione per solam modicam & facilimam collationem & aduertentiam super iam desuper habita intelligibilia perfectam omnium scibilium scientiã acquirere, non solum Platonici philosophi, sed etiam inter Peripateticos hi de quibus minus uidetur, Auenrois sequaces habent concedere.

41 Sicut se habet sensus communis in cognitione accidentalium qualitatum, & quantitatis materialis, ita se habet ratio in cognitione substantialium qualitatum & quantitatis formalis, seruata proportione, quod ille sensualiter hæc rationaliter agit.

42 Infinitas Dei per superexcedentiã ad esse intellectuale & uiã mysticę theologiæ probari potest, & ad id probandũ omnis alia uia inefficax est.

43 Actus quo felicitatur natura angelica & rationalis ultima felicitate, nec est actus intellectus, nec uoluntatis, sed est unio unitatis quæ est in alteritate animæ cum unitate quæ est sine alteritate.

44 Aristoteles in libro metaphysicæ de Deo non tractat nisi in ultimo capitulo duodecimi quod incipit. Considerandum est etiam utronam modo uniuersum habet bonum.

45 Ordo librorum metaphysicæ post naturales eo modo, quo eos ordinauit Aristoteles secundum nullum processum siue compositiuum siue resolutiuum potest esse rectus.

46 Dato quocunque obiecto practicali, nobilior est operatio quæ eum practicat quàm quæ eum contemplatur, si cętera sunt patria.

47 Melius potest saluari textus Aristotelis, qui dicit: Omnem animã esse immortalem, quàm qui dicit omnem animam esse mortalem.

48 Præter tria demõstrationis genera, quia, propter quid & simpliciter, quæ ponunt Aristoteles & Commentator, datur quartum genus demon

ſtrationis, quæ dici poteſt demonſtratio conuertibilitatis fortius omnibus prædictis.

¶ 12 49 Magis impropriè dicitur de Deo, quod ſit intellectus uel intelligens, quàm de anima rationali quod ſit angelus.

50 Sola materia ſufficit ad id ſaluandum, cuius gratia Ariſtoteles & alij philoſophi priuationem inter principia naturalia poſuerunt.

Corrolarium. Priuatio non eſt ponenda inter principia naturalia.

51 Tria ſunt principia rerum naturalium, materia, motus, & forma.

52 Eadem eſt ſcientia de Deo, homine, & materia prima, & qui de uno ſcientiam habuerit, habebit & de reliquis ſeruata proportione extremi ad extremum, medij ad extrema, & extremorum ad medium.

53 Qui primam materiam negat, nec ſenſui contradicit, nec rationem phyſicam negat.

54 Ad probandum primam materiam eſſe, magis certificat uel uia numerorum, uel uia catholicæ philoſophiæ, quàm ulla ratio phyſica in qua ſenſus habeat introitum.

55 Qui ordinem Hebraicæ linguæ profundè & radicaliter tenuerit, atq; illum proportionabiliter in ſcientijs ſeruare nouerit, cuiuſcunque ſcibilis perfectè inueniendi normam & regulam habebit.

56 Præter diſtinctionẽ rei & rationis ponenda eſt diſtinctio tertia, quam ego appello inadæquationis.

57 Species inimicitiæ, quæ à lupo ad ouis æſtimatiuam multiplicantur, non accidentis alicuius, ſed ſubſtantiæ ſpecies ſunt.

58 Formalitas eſt adæquatum obiectum intellectus.

59 Vbicũq; datur aliqua natura cõpoſita ex plurib. naturis actu in ea remanentibus, ſemper in ea nobilior eſt ſubſtantialiter aliæ accidentaliter.

¶ 13 60 Nihil intelligit actu & diſtinctè anima niſi ſe ipſam.

61 Tota ſubſtantia animæ rationalis eſt pars intellectualis.

62 Anima ſe ipſam ſemper intelligit, & ſe intelligendo quodammodo omnia entia intelligit.

63 Quamuis in anima ita ſit actu natura intellectualis per quam cum angelo cõuenit, ſicut eſt natura rationalis per quam ab eo diſtinguitur, nihil tamen intrinſecum eſt in ea, per quod poſsit ſine propria ſpecie aliquid à ſe diſtinctum intelligere.

64 Intellectualis natura quæ eſt in anima rationali, ſupra naturam rationalem præciſè differt à natura intellectuali pura, ſicut differt pars à toto.

65 Quia intellectus animalis differt ab intellectu intellectuali ut pars media, non ut pars tantum, ideo intellectuali totalitati magis parificatur.

66 Poteſt anima per extrinſecam informationem ad hoc deuenire, ut omnia per ſubſtantialem ſuam formam indiuiſibiliter intelligat.

67 Cuilibet ſeriei animarum unus correſpondet purus intellectus.

68 Om-

68 Omnes animæ cœlestes in primo intellectu unum sunt.

69 Rationabile est secundum philosophiam omnem seriem animalem in proprio beatificari intellectu, quod tamen non assertiuè sed probabiliter dictum sit.

70 Cum tres fuerint, qui dicerent omnia esse unum, Zenophanes, Parmenides & Melissus, uidebit qui diligenter eorum dicta perscrutabitur, Zenophanis unum illud esse, quod est simpliciter unum.

Vnum Parmenidis non unum absolutè ut creditur, sed ens unum.

Vnum Melissi esse unum habens ad unum Zenophanis extremalem correspondentiam.

71 Empedocles per litem & amicitiã in anima nihil aliud intelligit quàm potentiam sursum ductiuam & deorsum ductiuam in ea, quas ego credo proportionari in scientia Sephirot æternitati & decori.

Conclusiones in theologia numero XXIX. secundum opinionem propriam à communi modo dicendi theologorum satis diuersam.

1 Qui dixerit accidens existere non posse, nisi in existat: Eucharistiæ poterit sacramentum tenere, etiam tenendo panis substantiam non remanere ut tenet communis uia. ❧ 5

2 Si teneatur communis uia de possibilitate suppositionis, in respectu ad quãcunq; creaturam, dico quod sine conuersione panis in corpus Christi uel panietatis annihilatione potest fieri, ut in altari sit corpus Christi secundum ueritatem sacramenti Eucharistiæ. quod sit dictum loquendo de possibili, non de sic esse. ❧ 6

3 Ideales rerum formalesq; rationes effectiuè à Deo in prima creata mente formaliter primo reperiri cum theologica ueritate tenemus.

Corrolarium. Vbi ideę sunt idealiter, ibi non sunt formaliter, ubi sunt formaliter, ibi non sunt idealiter.

4 Si ponamus Deum cognoscere creaturas, ut obiectum secundarium suæ intuitionis, ut communiter ponitur, dico quod pater prius producit uerbum quàm creaturas cognoscat.

5 Attributales perfectiones nec in Deo, nec secundũ se quiditatiuè sumptæ dicunt diuersas rationes in recto & principaliter diffinibiles uel descriptibiles.

6 Intuitus diuinæ cognitionis ad creaturas tanquã obiecta primaria uel secundaria formaliter non terminatur, ut dicit communis schola theologorum, sed se tantum, & nihil aliud à se intuens primariè nec secundariè unitiuè & eminenter, & plus quàm æquipollenter omnia cognoscit.

Corrolarium. Non est aliqua multitudo intellectorũ in Deo nec creaturæ, ut intellectæ ponunt in numerum cum diuina essentia ut intellecta, sed est penitus unum simplicissimum iutellectum.

7 Tria

7 Tria transcendentia in quibus consistit imago, non dicunt diuersas rationes in recto, & principaliter diffinibiles uel descriptibiles.

* 1 8 Christus non ueraciter, & quantum ad realem præsentiam descendit ad inferos, ut ponit Thomas & communis uia, sed solum quoad effectū.

9 Licet ita mihi uideatur probabile, non est tamen pertinaciter asserendum, quod anima Christi per alium modum nobis ignotum non potuerit in infernum descendere,

* 10 10 Illa uerba, Hoc est corpus &c. quæ in consecratione dicuntur, materialiter tenentur non significatiuè.

11 Si teneatur communis uia, quod actu intellectus attingatur Deus, dico duas sequentes conclusiones, quarum hæc est prima, quod Videntes uerbum eo actu, quo essentiam diuinam attingunt, creaturas non attingunt nisi eminenter æquipollenter ad formalem cognitionem, æquipollentia non actus sed obiecti.

12 Beati duplicem habent cognitionem de creaturis eas formaliter attingentem, quarum altera illatiuè est ex ea qua uerbum attingunt, altera secundum quam in re creata creaturam contemplantur.

* 4 13 Non assentior cõmuni sententię theologorũ dicentium, posse Deum quamlibet naturam supposítare, sed de rationali tantum hoc concedo.

* 3 14 Nec crux Christi, nec ulla imago adorãda est adoratione latriæ, etiam eo modo quo ponit Thomas.

15 Si non peccasset Adam, Deus fuisset incarnatus, sed non crucifixus.

16 In quo lumine Ioannes Apocalipsim uidit, in eo Apocalipsim non intellexit.

17 Primum peccatum angeli fuit peccatum omissionis, secundum peccatum luxuriæ, tertium peccatum superbiæ.

* 8 18 Dico probabiliter, & nisi esset communis modus dicendi theologorum, in oppositum firmiter assererem, assero tamen hoc dictum in se esse probabile, & est, quod sicut nullus opinatur aliquid ita esse præcisè, quia uult sic opinari, ita nullus credit aliquid esse uerum præcisè, quia uult credere id esse uerum.

Correlarium. Non est in potestate libera hominis credere articulum fidei esse uerum, quando placet, & credere eum esse falsum, quando sibi placet.

19 Nisi essent dicta sanctorum, quæ in manifesto sui sermonis uidentur dicere oppositum, firmiter assererem hanc, & sequentem conclusionem, assero tamen eas probabiles esse & defendi posse rationabiliter, quarum prima est quod peccatum mortale in se est malum finitum.

* 2 20 Secunda est quod peccato mortali finiti temporis, non debetur pœna infinita secundum tempus, sed finita tantum.

21 Non omnis uoluntas Dei beneplaciti est efficax.

22 Di-

22 Dictum apoſtoli dicentis, Deus uult omnes homines ſaluos fieri, poſitiuè de uoluntate beneplaciti antecedente intelligenda eſt.

23 Voluntas antecedens ſic poteſt deſcribi, uoluntas Dei antecedens eſt illa, qua Deus dat alicui naturalia uel antecedentia quibus poteſt aliquid conſequi, cui Deus paratus eſt coagere ſi alius uelit, nec ſibi contrariũ manifeſtabit cum præcepto uel conſilio exequendi, permittẽs eum liberè uel le agere ad conſequutionem ſuæ ſalutis.

24 Tenendo communem uiam theologorum quod felicitas ſit in intellectu uel in uoluntate, dico duas cõcluſiones, quarum prima eſt hæc: Quod intellectus ad felicitatem non perueniret niſi eſſet actus uoluntatis, qui in hoc eſt ipſo actu intellectus potior.

25 Secunda concluſio eſt hæc: Licet actus intellectus formaliter felicitantis attingat obiecti eſſentiam, tamen quod actus ſuus circa illum actus ſit felicitatis, formaliter habet ab actu uoluntatis.

26 Perſonæ in diuinis numero diſtinguuntur.

27 Perſonalitates in diuinis ſunt primo diuerſæ.

28 Theologicè loquendo dico, quod in æuo non eſt ſucceſsio formaliter intrinſeca continuatiua, ſed bene terminatiua, ſecundum philoſophos tamen aliter dicerem.

29 Rationabilius eſt credere Originem eſſe ſaluum, quàm credere ipſum eſſe damnatum. * 3 7

Concluſiones ſecundum propriam opinionem numero L X I I. in doctrinam Platonis, de qua pauca hic adducuntur, quia prima paradoxa concluſio totam ſibi aſſumit Platonis doctrinam diſcutiendum.

1 Per numeros triplares, qui à Platone in Timæo ponuntur in triangulo animam ſignificante, admonemur quouſque in formis numerandis ſit progrediendum per naturam illius, quod eſt prima forma formans. Per numeros uero duplares ibidẽ poſitos admonemur quatenus poſitis duobus extremis terminis coordinanda ſunt media per naturam eius, quod eſt medium in uniuerſo.

2 Cum quæritur à Platone, an ad exemplar genitum an ingenitum factus ſit mundus, nihil aliud quæritur, niſi an ad animales rationes, an ad ideas intellectuales.

3 Qui nouerit modum illuminationis ſuperiorum ſuper media, intelliget idem ſignificare & Platonicos per congregationem animarũ in monte Ida, & Hebræos per animarum congregationem in monte Sinai in auditione legis.

4 Qui ſciuerit rationem cauſæ præſupponere rationem perfecti, intelliget iuxta Platonicam doctrinam, quare dixerit Pherecides, non prius Iouem mundum fabricaſſe quàm in amorem fuerit transformatus.

5 Empedocles per ſphærã intelligibilem à Venere contentã, nihil aliud intelli-

intelligit quàm mundum archetypum ab ordine intra se manentis primę prouidentiæ contentum.

6 Ideò amor ab Orpheo sine oculis dicitur, quia est supra intellectum.

7 Cum dicit Plato in Timæo, in medio mundi positam animam. Quicquid dicant cæteri Platonici ego per medium Lunam intelligo.

8 Infra ambitum terminati entis, recte quinque illa Platonis pro transcendentibus ponuntur. Ens, Idem, Alterum, Status & Motus.

9 Platonicè loquendo de anima, dico animam uiuere cum Saturno uitam contemplatiuam, cum Ioue & politicam & practicam, cum Marte irascibilem & ambitiosam, cum Venere concupiscibilem & uoluptuosam, cum Mercurio uegetalem cum stupido sensu.

10 Ex præcedenti conclusione habetur, quæ sit uirga Mercurij soporifera.

11 Primus septenarius uitæ humanæ est sub Mercurio, secundus sub Venere, tertius sub Marte, quartus sub Ioue, quintus sub Saturno, & reliqui septenarij secundum eum qui fuerit prædominatus in præcedentibus.

12 Prædictis uitis cooperantur Sol & Luna, ut causæ uniuersales, & per appropriationem Luna Mercurio & Saturno, Sol Veneri & Marti, simul utercq; Ioui.

13 Si Siriani theologiam sequamur, rationabile est ecclesiasticæ hierarchiæ sacerdotes in cœlesti hierarchia anagogicis uirtutib. proportionari.

14 Cum Platonem audimus Palladem & amorem philosophos deos uocantem, ita intelligamus, ut amor sit philosophus ratione uiæ, Pallas ratione termini.

15 Per extremorum & medij rationem, cognoscere possumus cõuenienter uniuersi gradus sic in quinq; posse diuidi, in super ens, uerè ens, nõ uerè ens, non uerè non ens, uerè non ens.

16 Per ipsum tale, uerè tale, semper tale, in Platonis doctrina debemus intelligere proprietatem intellectus, animæ, & primorum corporum.

17 Si Siriani doctrinam sequamur conueniens est post unitatem totalis intellectionis, quæ & trifariam diuiditur, in substantialem, potentialem & operatiuam, ponere trinarium intellectionis, partialis, scilicet participatæ & imaginariæ.

18 Quicquid dicant cæteri Platonici de rationalis animæ partiũ distinctione, assero ego si id est rationalem partem in & diuidamus, eandem partem ut phantasiæ coniungitur dici, ut intellectui ut sibi ipsi.

19 Possibile est ut pars rationalis animæ nostræ quam secundum Peripateticos possibilem intellectum uoco, ad hoc perueniat, ut sine cõiunctione ad phantasmata discurrat & operetur.

20 Perfectius & uerius reperitur pulchritudo in intelligibilibus quàm in sensibilibus.

21 Cum

21 Cum dicit Plato, amorem natum ex congressu Peniæ & Pori in hortis Iouis, in natalibus Veneris dijs discumbentibus. nihil aliud intelligit, quàm in angeli mente tunc primum amorem. id est desiderium pulchritudinis esse natum, cum in eo idearum splendor, imperfectius tamẽ refulsit.

22 Amor de quo in symposio loquitur Plato, in Deo nullo modo esse potest.

23 Per duplicem Venerẽ, de qua in symposio Platonis, nihil aliud intelligere debemus, q̃ duplicem pulchritudinẽ, sensibilem & intelligibilem.

24 Amor de quo Plotinus loquitur, non est cœlestis amor, de quo Plato in symposio, sed illius uera & proxima imago.

25 Pugnantia quæ uidetur in dictis Orphei & Agotonis, quorum alter amorem antiquiorem omnibus dijs dicit, alter iuniorem, perfectè soluemus si ad duplex deorum esse, intelligibile & naturale respexerimus.

26 Pulchritudo est in Deo per causam, in totali intellectu uerè essentialiter totaliter, in particulari intellectu uerè partialiter essentialiter, in anima rationali uerè participaliter, in uisibilibus cœli accidentibus imaginariè essentialiter totaliter, in subcœlestibus qualitatibus uisibilibus imaginariè partialiter essentialiter, in quantitatibus imaginariè participaliter.

27 Cum dicit Plato, omne quod fit à causa fieri, referendum est per se ad per se, & per accidens ad per accidens.

28 Cum dixit Plato in Timæo, Ex indiuidua diuiduaq̃ substantia conflatam animam. per indiuiduam substantiam animalem intellectum significauit, per diuiduam animalem rationem.

29 Non est credendum in doctrina Platonis animam quicquam intelligere per inspectionem ad ideas, nisi cum peruenit ad illum statum, qui est supremus gradus contemplatiuæ perfectionis.

Corrolarium. Errant qui credunt secundum Platonem, quod Ea quæ nos q̊tidiè cognoscimus & intelligimus, in idearũ lumine cognoscamus.

30 Modus cognoscẽdi per ideas est ille, cuius dixit Plato in Timæo paucos homines esse participes, sed benè deos omnes.

31 Exponere in fabula Critiæ per quinque partus, quinque formas corporis, omnino est inconueniens.

32 Per aliam uitam in Epinomide intelligere debemus connexionẽ partis cum suo toto, & credo idem esse, quod apud Cabalistas dicitur seculum neutrum.

33 Qualiter uerum sit quod in Epinomide dicitur, Arithmeticam scientiam inter omnes speculatiuas maximè facere ad felicitatem, intelligi potest per conclusiones nostras de mathematicis.

34 Per cœlũ in Epinomide, quod dicit Plato, esse nobis causam omnium bonorum, non idoneam cœli, sed ipsum cœlum, quod est cœleste animal intelligere debemus.

35 Per neceſsitatis regnum in ſympoſio Platonis, nihil aliud intelligere debemus quàm ſuperabundantiam naturæ alterius ſupra naturam eiuſdem, & infiniti ſupra terminum.

36 Per demonſtrationem Platonis in Phedro de animæ immortalitate, nec de noſtris animis ut Proclus, Hermias, & Sirianus credunt, nec de omni anima ut Plotinus & Numenius, nec de mundi tantum anima, ut Poſſidonius, ſed de cœleſti qualibet anima probatur, & concluditur immortalitas.

37 Tempus eſſentialiter eſt in incorporeis, participatiuè in corporeis.

38 Tempus ubi habet eſſe eſſentiale, habet eſſe totaliter extra animam.

39 Tempus habet ab anima ſuum eſſe participatum, à prima quidem anima per modum effectiuè cauſalitatis, ab ultima uero per modum obiectiuè conſequutionis.

40 Motus primi cœli, & uniuerſaliter, quilibet motus ſiue localis ſiue alterationis ſecundario & per accidens tempore menſuratur.

41 Licet natura intellectualis ſimul omnia intelligat, non tamen hoc eſt per uirtualem & unitiuam cõtinentiam, ſed per mutuam penetrationem formarum, & indiſſociatam communicationem totius eſſe participati, id eſt formalis.

42 Per demonſtrationem Platonis in Phedro de immortalitate animæ, firmius demonſtratur æternitas mundi, quàm per ullam rationem Ariſtotelis in octauo Phyſicorum.

43 Sicut & uidetur & auditur homo ab homine per motionem ſenſus ad extra, ita & uidetur & auditur dæmon ab homine & à dæmone per motionem ſenſus ad intra.

44 Cur homo non poſsit non uideri ſi ſit præſens à recte diſpoſito in potentia uiſiua, dæmon autem tunc ſolùm uideatur cum uult uideri, ex modo quo unuſquiſq; eorum uidetur haberi poteſt.

45 Senſus naturæ, quem ponunt Alchindus, Bacon, Gulielmus Pariſienſis, & quidam alij, maximè autem omnes Magi, nihil eſt aliud quàm ſenſus uehiculi quem ponunt Platonici.

46 Cum dicit Plato, Neminem niſi inuitum peccare. nihil aliud intelligitur quàm illud quod Thomas tenet, ſcilicet, non poſſe eſſe peccatũ in uoluntate niſi ſit defectus in ratione.

47 Prouidentia eſt ſtatuitiuè in Deo, ordinatiuè in intelligentia, exequutiuè in anima, denunciatiuè in cœlo, terminatiuè in toto uniuerſo.

48 Non ſolùm per dicta in Epinomide & Philebo à Platone, in quibus dialogis expreſſè ponit Plato felicitatem in contemplatione, ſed per dicta in Phedro de furore amatorio, conſtat ſecundum Platonem non eſſe felicitatem in actu amoris, quia furor non eſt felicitas, ſed impetus concitans urgens & impellens ad felicitatem.

49 Ex eo nomine, quo Dei nominant amorem, patet diligenter aduerten ti, quod in actu amoris non est felicitas.

50 Ista propositio in Phedro: Omnis anima totius inanimati curã habet, simpliciter de quacunq; uerè anima, intelligenda est.

51 Ex dicto illo Platonis in Phedro, quod nisi anima hominis ea, quę uerè sunt, intuita esset, in hoc animal non uenisset, si rectè intelligatur, intel ligetur quod opinio Plotini ponens transmigrationem animarum in bru ta, non est ad mentem Platonis.

52 Ex oratione Socratis in Phedro ad Pana, habetur cõpletè opinio Pla tonis de felicitate.

53 Opinio Cratili de nominibus ita est intelligenda, non quod talia sint nomina, sed quod talia esse debent si sint recta.

54 Ideo dixit Socrates in Cratilo se somniare circa ideas, quia ideis nõ uti mur in hoc statu, sed earum imaginibus proximis uel secundarijs.

55 Per unum in Sophistæ, intellige unum in alteritate.

56 Dictum illud in Sophistæ, qui unũ non dicit nihil dicit, illud est, quod ab Aristotele dicitur, qui unum non intelligit nihil intelligit.

57 Dictum illud Platonis in Sophistæ de simulachris, quæ dicit dæmo nica Machinatione conficta, & si multis alijs modis possit uerificari, con ueniens tamen est exponere per hoc, quod illa ut gradum medium in en titate tenent dęmonico ordini proportionantur.

58 Venatio illa Socratis, de qua in Prothagora, conuenienter per sex gra dus potest sic describi, ut primus sit esse materiæ extrinsecæ, secundus es se particulare immateriale, tertius esse uniuersale, quartus esse rationale, quintus esse particulare intellectuale, sextus esse totale intellectuale, in se ptimo tanquam sabbato cessandum est à uenatione.

59 Quod dicitur in Euthydemo: Non in habitu, sed actu consistere felici tatem, intellige de actu reflexo.

60 Per id quod in Lachate dicitur, quorumcunque est scientia, non esse aliam eorundem ut præteritorum, aliam ut præsentium, aliam ut futuro rum, illud potest intelligi tritum apud Peripateticos, non esse scientiã ni si uniuersalem.

61 Dictum illud Platonis in Gorgia, si orator scit iusta, est iustus, dico absolutè secundum se non ut ad hominem, tantum posse saluari, si unum ab alio esse intelligamus non formaliter, sed illatiuè.

62 Licet ratio Platonis in Phedone per uiam contrariorũ absolutè non concludat, expositis tamen à Cebete ad hominem, aliquid concludit.

Conclusiones numero x. secundum opinionem propriam in doctrina Abu caten Auenam, qui dicitur author de causis.

1 Cum dixit Abucate Auenam animam esse supra tempus, intelligen

dum est de anima absoluta secundum substantiam, præscindendo ab omni operatione quæ competit ei in quantum est anima.

2 Cum dicit Abucaten, omnis anima nobilis tres habet operationes, diuinam intellectualem & animalem, ita est intelligendum, quod primã habeat per imaginem proportionalitatis, secundam per formalitatem participationis, tertiam per proprietatem essentialitatis.

3 Cum dixit Abucaten, omnem causam primariam plus influere, per plus intelligas eminentiam modi causandi & intimitatem eius quod in re producitur.

4 Quamuis dicit Abucaten, quod esse quod est primum creatum, est super intelligentiam, non credas tamen illud secundum hypostasim esse distinctum ab intelligentia.

5 Cum dixit Abucaten, causam primam superiorem esse omni narratione, non tam propter id habet ueritatem quod primo affert, quia scilicet causam ante se non habet, quàm propter id quod secundario innuit, quia omne intelligibile unialiter antecedit.

6 Quod dicit Abucaten, intelligentiam esse substantiam qnæ non diuiditur, maximè est uerum, per indiscretam in ea intelligibilium ad inuicem penetrationem.

7 Ex præcedenti cõclusione potest haberi, quomodo intelligendum est dictum Ahucaten, quod omnis intelligentia est plena formis.

8 Per ultimam propositionem Abucaten possumus intelligere, quid sibi uelit illa diuisio, quam fecit Plato in principio tractatus Timæi, & possumus scire, quod sub ea non comprehenditur anima nisi per uiam extremalis combinationis.

9 Ex antepenultima propositione Abucaten colligi potest, quod declinare plus ad sensum quàm ad intellectum, non est animæ ut anima est, sed ut cadens est.

10 Cum dicit Abucaten intelligentiam ut diuina est regere res, intelligendum est de regimine statuitiuo non ordinatiuo, qui ei competit ut intelligentia est.

Conclusiones de Mathematicis secundũ opinionẽ propriam num. LXXXVI.

1 Mathematicæ non sunt ueræ scientiæ.

2 Si felicitas sit in speculatiua perfectione, mathematicæ non faciunt ad felicitatem.

3 Mathematicæ scientiæ non sunt propter se, sed ut uia ad alias scientias quærendæ.

4 Sicut subiecta mathematicorum si absolutè accipiantur intellectum nihil perficiunt, ita si ut imagines accipiantur superiorum immediatè nos ad intelligibilium speculationem manu ducunt.

5 Sicut dictum Aristotelis de antiquis dicentis, quod Ideo errarunt in

physica

physica cõtemplatione, quia mathematicé res physicas tractarũt, uerum esset, si illi materialiter mathematica non formaliter accepissent, ita est uerissimum modernos, qui de naturalibus mathematicè disputant, naturalis philosophiæ fundamenta destruere.

6 Nihil magis nociuum Theologo, quàm frequens & assidua in mathematicis Euclidis exercitatio.

7 Sicut medicina mouet spiritus principaliter ut regunt corpus, ita musica mouet spiritus ut seruiunt animæ.

8 Medicina sanat animam per corpus, musica aũt corpus per animam.

9 Per Arithmeticam non materialem sed formalem, habetur optima uia ad prophetiam naturalem.

10 Ioachim in prophetijs suis alia uia non processit, quàm per numeros formales.

11 Per numeros habetur uia ad omnis scibilis inuestigationem & intellectionem, ad cuius conclusionis uerificationem polliceor me ad infrascriptas 74. quæstiones per uiam numerorum responsurum.

Quæstiones ad quas pollicetur se per numeros responsurum.

1 Vtrum sit Deus.
2 Vtrum sit infinitus.
3 Vtrum sit causa omnium rerum.
4 Vtrum sit simplicissimus.
5 Vtrum sit intelligens.
6 Quomodo Deus intelligat.
7 An sit dare naturam superiorem natura intellectuali.
8 An esse quiditatiuum rei sit intimius esse quod habeat res.
9 Quid de humanitate in sua præcisissima abstractione possit prædicari, & quid non.
10 Quomodo elementa sint in cœlo.
11 Quis modus debeat teneri in inuestigatione uniuscuiusq; scibilis.
12 Vtrum supra naturam rerum corporalium sit dare naturam rationalem incorpoream.
13 Vtrum supra naturam rationalem sit dare naturam intellectualem.
14 Vtrũ inter naturã rationalem & intellectualẽ sit aliqua natura media.
15 Vtrum inter naturã intellectualem & Deum sit aliqua natura media.
16 Vtrum in aliqua natura contradictoria se compatiantur.
17 Vtrum in aliqua natura coincidant contradictoria.
18 Quis numerus annorum sit naturaliter debitus uitæ boni mali hominis.
19 Quis sit numerus annorum naturaliter debitus uitæ hominis.
20 Quot sint gradus principales naturarum uniuersi.
21 Vtrum natura corporea ut tali sit actiua uel tantum sit passiua.

22 Quid dicat corpus.
23 Vtrum sint in materia dimensiones interminatæ.
24 Vtrum sit melius Deum causare res, quàm non causare.
25 Vtrum creatio rerum ad extra, procedat necessariò à diuina essentia in tribus personis hipostatizata.
26 Vtrum inter causam & causatum necessariò mediet aliquid.
27 Vtrum rectè multitudo scibilium ad decem prædicamentorum numerum sit reducta.
28 Quæ sit differentia inter modum intelligendi angelorum, & animarum rationalium.
29 Quæ sit differentia inter modum intelligendi Dei & angelorum.
30 Vtrum natura angelica sit quodammodo omnia.
31 Vtrum natura rationalis sit quodammodo omnia.
32 Vtrum possint esse plures Dei.
33 Vtrum detur infinitum in natura.
34 Quomodo differat infinitas quam Theologi attribuunt Deo ab illa, quam dicunt philosophi impossibile esse dari.
35 Vtrum Deus sit omnia in omnibus.
36 Quomodo differat esse creaturarum ab esse Dei.
37 Quæ pertinetã ad considerationem Theologi.
38 Quando futura sit seculi consummatio.
39 Quis & qualis erit rerum status in seculi consummatione.
40 Quæ opinio uerior de trinitate, Arrij, Sabellij, Euclíph, aut fidei catholicæ.
41 Vtrum formæ sensibiles sint intelligibiliter in angelo.
42 Vtrum in angelo sit aliud quàm intelligens intellectio & intellectum.
43 Vtrum hæc in angelo realiter an ratione destinguantur.
44 Vtrum sit eadem natura mouentis & moti motu physico.
45 Vtrum sit dare aliquid quod secundum suam naturam sit pura potentia, quam philosophi uocant materiam primam.
46 Vtrum mediatè uel immediatè & quomodo materia prima dependeat à Deo.
67 Vtrum omne quod est infra Deũ sit compositum ex actu & potẽtia.
48 Vtrum sit materia eiusdem rationis in omnibus.
49 Vtrum aliqua res creata possit esse immunis ab imperfectione.
50 Quæ naturæ sint aptæ felicitati.
51 Vtrum felicitas consistat in intellectu an in uoluntate.
52 Vtrum quantitas sit per se uel participatiuè uisibilis.
53 Vtrum natura intellectualis sit Deo semper unita.
54 Vtrum in natura intellectuali plus sit imperfectionis q̃ perfectionis.
55 Cuius naturæ propria sit uera mobilitas.

56 Vtrum

56 Vtrum animæ conueniat modus scientiæ per uiam numerorum.
57 Quis sit primus modus prædicandi per se.
58 Quis sit secundus modus prædicationis per se.
59 Vtrum diffinitio inuestigetur per demonstrationem.
60 Quare solum de inhærentia passionis ad subiectum habetur scientia.
61 Vtrum anima rationalis sit materialis.
62 Vtrum sit incorruptibilis.
63 Vtrum uniuersaliter intelligat.
64 Vtrum sicut est dare mundum sensibilem ita sit dare mundum intelligibilem.
65 Vtrum sit maior uel minor numerus separatarum specierum quàm materialium.
66 Quare in opere secundæ diei non est dictum. Et uidit Deus quoniam bonum.
67 Quare sexta numeratio homo dicitur.
68 Quare sex diebus dicitur Deus omnia perfeciſſe.
69 Quid significat Deum septima die quieuiſſe.
70 Vtrum distinguatur irascibilis à concupiscibili.
71 Quæ sit distinctio inter potentias animæ cognoscitiuas.
72 Cur homines naturaliter appetant uictoriam.
73 Cur naturalis sit homini modus cognoscendi per rationem phantasiæ coniunctam.
74 Vtrū in cœlo sint descripta & significata omnia cuilibet scienti legere.

Conclusiones numero x v. secundum propriam opinionem de intelligentia dictorum Zoroastris & expositorum eius Chaldæorum.

1 Quod dicunt interpretes Chaldęi super primum dictum Zoroastris, De scala à tartaro ad primū ignem. nihil aliud significat quàm seriem naturarum uniuersi à non gradu materiæ ad eum, qui est super omnem gradum graduate protensum.

2 Ibidem dico, interpretes nihil aliud per uirtutes mysteriales intelligere quàm naturalem magiam.

3 Quod dicunt interpretes super dictum secundum Zoroastris de duplici aëre, aqua & terra, nihil aliud sibi uult, nisi quodlibet elementū, quod potest diuidi per purum & impurum, habere habitatores rationales & irrationales, quod uero purum est tantum, rationales tantum.

4 Ibidem per radices terræ nihil aliud intelligere possunt quàm uitam uegetalem, conuenienter ad dicta Empedoclis, qui ponit transanimationem etiam in plantas.

5 Ex dicto illo Zoroastris, Ha Ha Hos, terra deflet usq; ad filios, sequendo expositionem Osiæ Chaldæi, expressam habemus ueritatem de peccato originali.

6 Dicta interpretum Chaldæorum super 11. aphorismo de duplici ebriatione Bacchi & Sileni, perfectè intelligentur per dicta Cabalistarū de duplici uino.

7 Quæ dicunt interpretes super 14. aphorismo, perfectè intelligentur per ea, quæ dicunt Cabalistæ de morte oscŭli.

8 Magi in 17. aphorismo nihil aliud intelligunt per triplex indumentū, ex lino, panno & pellibus, quàm triplex animæ habitaculum, cœleste, spiritale, & terrenum.

9 Poteris ex præcedenti conclusione aliquid intelligere de pelliceis tunicis, quas sibi fecit Adam, & de pellibus quæ erant in tabernaculo.

10 Per canē nihil aliud intelligit Zoroaster, quàm partem irrationalem animæ & proportionalia, quod ita esse uidebit, qui diligenter dicta omnia expositorum considerauerit, qui & ipsi sicut & Zoroaster ænigmaticè loquuntur.

11 Dictum illud Zoroastris, nec exeas cum transit lictor, perfectè intelligetur per illud Exodi, quando sunt prohibiti Israëlitæ exire domos suas in transitu angeli interficientis primogenita Aegyptiorum.

12 Per Sirenam apud Zoroastrem nihil aliud intelligas quàm partē animæ rationalem.

13 Per puerum apud interpretes nihil aliud intelligibile quàm intellectū.

14 Per dictum illud Zoroastris, ad huc tres dies sacrificabitis, & non ultra, apparuit mihi per Arithmeticam superioris merchiauè illos computandi dies esse, in eo dicto expresse prædictum aduentum Christi.

15 Quid sit intelligendum per capras apud Zoroastrem, intelligit qui legerit in libro Bair quæ sit affinitas capris & quæ agnis cum spiritibus.

Conclusiones Magicæ numero XXVI. secundum opinionem propriam.

1 Tota Magia, quæ in usu est apud Modernos, & quam merito exterminat ecclesia, nullam habet firmitatem, nullum fundamentum, nullā ueritatem, quia pendet ex manu hostium primæ ueritatis, potestatum harum tenebrarum, quę tenebras falsitatis, malè dispositis intellectibus obfundunt.

2 Magia naturalis licita est, & non prohibita, & de huius scientiæ uniuersalibus theoricis fundamentis pono infrascriptas conclusiones secundum propriam opinionem.

3 Magia est pars practica scientiæ naturalis.

4 Exista conclusione & conclusione paradoxa dogmatizante 47. sequitur, quod Magia sit nobilissima pars scientiæ naturalis.

5 Nulla est uirtus in cœlo aut in terra seminaliter & separata, quam & actuare & unire magus non possit.

6 Quodcunq; fiat opus mirabile, siue sit magicū, siue cabalisticum, siue cuiuscunq; alterius generis, principalissimè referendum est in Deum glo-

riosum

rioſum & benedictum, cuius gratia ſupercœleſtes mirabilium uirtutum aquas ſuper contemplatiuos homines bonæ uoluntatis quotidiè pluit liberaliter.

7 Non potuerunt opera Chriſti, uel per uiam Magiæ, uel per uiam Cabalæ fieri.

8 Miracula Chriſti non ratione rei factæ, ſed ratione modi faciendi ſuæ diuinitatis argumentum certiſsimum ſunt. ✠ ii

9 Nulla eſt ſciẽtia, quæ nos magis certificet de diuinitate Chriſti, quàm Magia & Cabala. ✠ i

10 Quod Magus homo facit per artem, facit natura naturaliter faciendo hominem.

11 Mirabilia artis Magicæ non fiunt niſi per unionem & actuationem eorum, quæ ſeminaliter & ſeparatæ ſunt in natura.

12 Forma totius Magicę uirtutis eſt ab anima hominis ſtãte, & nõ cadẽte

13 Magicam operari non eſt aliud quàm maritare mundum.

14 Si qua eſt natura immediata nobis, quæ ſit uel ſimpliciter uel ſaltem ut multum rationaliter rationalis, Magicam habet in ſummo, & eius participatione poteſt in hominibus eſſe perfectior.

15 Nulla poteſt eſſe operatio Magica alicuius efficaciæ, niſi annexum habeat opus Cabalæ explicitum uel implicitum.

16 Illa natura, quæ eſt Orizon temporis æternalis, eſt proxima Mago, ſed infra eum.

17 Illius naturæ, quæ eſt Orizon temporis & æternitatis propria eſt Magia, inde eſt petenda per modos debitos notos ſapientibus.

18 Illius natura quæ eſt Orizon æternitatis temporalis, eſt Mago proxima, ſed ſuper eum & ei propria eſt Cabala.

19 Ideo uoces & uerba in Magico opere efficaciam habent, quia illud in quo primum Magicam exercet natura, uox eſt Dei.

20 Quælibet uox uirtutem habet in Magia, inquãtum Dei uoce formaẽ.

21 Non ſignificatiuæ uoces plus poſſunt in Magia, quàm ſignificatiuæ, & rationem concluſionis intelligere poteſt, qui eſt profundus ex præcedenti concluſione.

22 Nulla nomina ut ſignificatiua, & inquantum nomina ſunt, ſingula et per ſe ſumpta, in Magico opere uirtutem habere poſſunt, niſi ſint Hebraica, uel inde proximè deriuata.

23 Quilibet numerus præter ternariũ & denariũ ſunt materiales in Magia, iſti formales ſunt, & in Magica Arithmetica ſunt numeri numerorũ.

24 Ex ſecretioris philoſophiæ principijs neceſſe eſt confiteri, plus poſſe characteres & figuras in opere Magico, quàm poſsit quæcunque qualitas materialis.

25 Sicut characteres ſunt proprij operi Magico, ita numeri ſunt proprij

operi

operi Cabalæ, medio existente inter utrosque & appropriali per declinationem ad extrema usu literarum.

26 Sicut per primi agentis influxum si sit specialis & immediatus, fit aliquid quod non attingitur per mediationem causarū, ita per opus Cabalæ si sit pura Cabala & immediata fit aliquid, ad quod nulla Magia attingit.

Conclusiones numero XXXI. secundum propriam opinionem de modo intelligendi hymnos Orphei secūdum Magiam, id est secretam diuinarum rerum naturaliumq; sapientiam à me primum in eis repertam.

1 Sicut secretam Magiam à nobis primum ex Orphei hymnis elicitam, fas non est in publicum explicare, ita nutu quodam ut in infrascriptis fiet conclusionibus eam per aphorismorum capita demonstrasse utile erit ad excitandas contemplatiuorum mentes.

2 Nihil efficacius hymnis Orphei in naturali Magia, si debita musica, animi intentio, & cæteræ circumstantiæ, quas norunt sapientes, fuerint adhibitæ.

3 Nomina deorum, quos Orpheus canit, nō decipientium dæmonum, à quibus malum & non bonum prouenit, sed naturalium uirtutum, diuinarumq; sunt nomina, à uero Deo in utilitatem maxime hominis, si eis uti sciuerit, mundo distributarum.

4 Sicut hymni Dauid operi Cabalæ mirabiliter deseruiunt, ita hymni Orphei operi uerè licitæ, & naturalis Magiæ.

5 Tantus est numerus hymnorum Orphei, quantus est numerus cum quo Deus triplex creauit seculum, sub quaternarij Pythagorici forma numeratus.

6 Quantumcunq; uirtutum naturaliū uel diuinarū eadem est proprietas Analogica, idem etiam nomē, idem hymnus, idem opus, seruata proportione, & qui tentauerit exponere uidebit correspondentiam.

7 Qui nescierit perfectè sensibiles proprietates per uiam secretæ Analogiæ intellectuarizare, nihil ex hymnis Orphei sanum intelliget.

8 Qui profundè & intellectualiter diuisionem unitatis Venereæ in trinitatem Gratiarum, & unitatis fatalis in trinitatem Parcarum, & unitatis Saturniæ in trinitatem Iouis, Neptuni & Plutonis intellexerit, uidebit modum debite procedendi in Orphica theologia.

9 Idem sunt Curetes apud Orpheum, & potestates apud Dionysium.

10 Qui præcedentis conclusionis opus attentauerit, adhibeat opus Cabalæ secundum appropriata timori Isaac.

11 Frustra Palæmonem & Leucotheam adibit, qui Nereum non attraxerit, nec Nereum attrahet, qui circa primariam animalem trinitatem operatus non fuerit.

12 Per octonarium numerum hymnorum maritimorum, corporalis naturæ nobis proprietas designatur.

13 Idem

13 Idem est Typhon apud Orpheum, & Zamael in Cabala.
14 Si quis in opere præcedentis conclusionis intellectualiter operabitur, per meridiem ligabit septentrionem, si uero mũdialiter per totum operabitur, iudicium sibi operabitur.
15 Idem est nox apud Orpheum, & Ensoph in Cabala.
16 Ex præcedenti conclusione potest quis rectius exponere quàm exponat Proclus, quid sibi uelit illud dictum theologi inducentis opificẽ mundi noctem consulentem de opificio mundano.
17 Ex eisdẽ dictis potest intelligi, cur in symposio Adiotima Poros consilij filius, & Iesus in sacris literis angelus magni consilij nominetur.
18 Anima aquea ut iuferiora generat, superiora contemplatur, in seipsa se sistit, triplici hymno, Maris, Neptuni & Oceani ab Orpheo decãtatur.
19 Nihil habebit firmum in opere, qui Vestam non attraxerit.
20 Per septennarium hymnorum paternæ menti attributorum, Prothogni, Palladis, Saturni, generis Rhee, legis Bacchi, potest intelligẽs & profundus contemplator de seculi consummatione aliquid coniectare.
21 Opus prȩcedentiã hymnorũ nullum est sine opere Cabalæ, cuius est propriũ practicare omnem quantitatem formalem, continuã & discretã.
22 Qui Heroas in duplices nõ diuiserit, natiuos et aduẽtitios, sȩpe errabit.
23 Qui Apollinem adibit, mediabit opus per Bacchum Trietericum, et consummabit per nomen ineffabile.
24 Non inebriabitur per aliquem Bacchum, qui suæ Musæ prius copulatus non fuerit.
25 Per quaternarium hymnorum primæ formæ mũdanæ attributorum sui formabilis natura nobis designatur.
26 Qui perfectè in animam redierit, primæ formæ suã formã ȩquauerit.
27 Qui prȩcedentis conclusionis opus tentauerit, Iouem adibit tertium, ut uiuentem non ut uiuificantem.
28 Frustra adit naturam & Protheum, qui Pana non attraxerit.
29 Sicut post uniuersalem animationẽ est particularis animatio, ita post uniuersalem prouidentiam est particularis prouidentia.
30 Ex præcedenti conclusione sciri potest, cur Ouidius in execratione in Ibin, postquam inuocauit nomen quod terrã regit & aquam. Terram inuocat & Neptunum.
31 Qui annotauerit diligenter dicta ab Aristotele in expositione definitionis de anima, uidebit cur Orpheus Palladi & Veneri uigilantiam attribuerit.

Conclusiones Cabalisticȩ numero LXXI. secũdum opinionem propriam, ex ipsis Hebrȩorum sapientum fundamentis Christianam religionem maximè confirmantes.

1 Quicquid dicãt cæteri Cabalistȩ, ego prima diuisione scientiã Cabalȩ in scien-

in scientiam Sephirot & Semot, tanquam in practicam & speculatiuam distinguerem.

2 Quicquid dicant alij Cabalistæ, ego partem speculatiuã Cabalæ quadruplicem diuiderem, correspondentes quadruplici partitioni philosophiæ, quam ego solitus sum afferre. Prima est scientia, quam ego uoco Alphabetarię reuolutionis, correspondentem parti philosophiæ, quam ego philosophiam catholicam uoco. Secunda, tertia & quarta pars est triplex Merchiana, correspondẽtes triplici philosophiæ particularis, de diuinis, de medijs & sensibilibus naturis.

3 Scientia quæ est pars practica Cabalæ, practicat totam metaphysicam formalem & theologiam inferiorem.

4 Ensoph non est alijs numerationibus connumerãda, quia est illarum numerationum unitas abstracta & connumerata, nõ unitas coordinata.

5 Quilibet Hebræus Cabalista secundũ principia & dicta scientiæ Cabalæ, cogitur ineuitabiliter cõcedere de trinitate & qualibet persona diuina, patre, filio, & spiritu sancto illud præcisè sine additione, diminutione aut uariatione, quod ponit fides catholica Christianorum.

Corrolarium. Non solum qui negant trinitatem, sed qui alio modo eam ponunt, quàm ponat Catholica ecclesia, sicut Arriani, Sabelliani, & similes, redargui possunt manifestè si admittantur principia Cabalæ.

6 Tria magna Dei nomina quaternarij, quæ sunt in secretis Cabalistarum per mirabilem appropriationem tribus personis trinitatis ita debere attribui, ut nomen sit patris, nomen sit filij, nomen sit spiritus sancti, intelligere potest, qui in scientia Cabalæ fuerit profundus.

7 Nullus Hebræus Cabalista potest negare, quod nomen Iesu, si eũ secundum modum et principia Cabalæ interpretemur, hoc totũ pręcisè & nihil aliud significat, id est Deum Dei filium patrisq; sapientiam per tertiam diuinitatis personam, quæ est ardentissimus amoris ignis, naturę humanæ in unitate suppositi unitum.

8 Ex præcedenti cõclusione intelligi potest, cur dixerit Paulus: Datum esse Iesu nomen, quod est super omne nomẽ, & cur in nomine Iesu dictum sit, omne genu flecti, cœlestium, terrestrium, & infernorum, quod etiam est maxime Cabalisticum, & potest ex se intelligere, qui est profundus in Cabala.

9 Si quæst de nouissimis temporibus humana coniectura, inuestigare possumus per secretissimã uiam Cabalæ futuram esse consummationem seculi hinc ad annos quingentos, & quatuordecim, & dies uigintiquinq;.

10 Illud quod apud Cabalistas dicitur illud est sine dubio, quod ab Orpheo Pallas, à Zoroastre paterna mens, à Mercurio Dei filius, à Pythagora sapientia, à Parmenide sphæra intelligibilis nominatur.

11 Modus quo rationales animæ per archangelum Deo sacrificant, qui

à Caba-

à Cabalistis non exprimitur, non est nisi per separationem animæ à corpore, non corporis ab anima nisi per accidens, ut contigit in morte oculi, de quo scribitur præciosa in conspectu domini mors sanctorum eius.

12 Non potest operari per puram Cabalam, qui non est rationaliter intellectualis.

13 Qui operatur in Cabala sine admixtione extranei, si diu erit in opere, morietur ex binsica, & si errabit in opere aut nõ purificatus accesserit, deuorabitur ab Azazele per proprietatem iudicij.

14 Per literam Scin, quæ mediat in nomine Iesu, significatur nobis Cabalisticè, quod tum perfectè quieuit tanquã in sua perfectione mundus, cum Iod coniunctus est cum Vau, quod factum est in Christo, qui fuit uerus Dei filius & homo.

15 Per nomen Iod, he, uau, he, quod est nomen ineffabile, quod dicũt Cabalistæ futurum esse nomen Messiæ, euidenter cognoscitur futurum eum Deum Dei filium perspiritum sanctum hominem factum, & post eum ad perfectionẽ humani generis super homines paracletum descensurum.

16 Ex mysterio triũ literarũ, quæ sunt in dictione Sciabat, id est possumus interpretari Cabalisticè tunc sabatizare mundum, cum Dei filius sit homo, & ultimo futurum sabbatum cum homines in Dei filium regenerabuntur.

17 Qui sciuerit quid est uinum purissimum apud Cabalistas, sciet cur dixerit Dauid: Inebriabor ab ubertate domus tuæ, & quam ebrietatem dixerit antiquus uates Museus esse felicitatem, & quid significent tot Bacchi apud Orpheum.

18 Qui cõiunxerit Astrologiã Cabalę, uidebit quod sabbatizare & quiescere conuenientius fit post Christum die dominico quàm die sabbati.

19 Si dictum illud prophetæ, Vendiderunt iustum argento, Cabalisticè exponamus, nihil aliud nobis significat quàm hoc scilicet, ut Deus redemptor uenditus fuit argento.

20 Si interpretationem suam aduerterint Cabalistæ super hac dictione ,quæ significat tunc, de trinitatis mysterio multum illuminabuntur.

21 Qui coniunxerit dictum Cabalistarum dicentium quod illa numeratio, quæ dicitur iustus & redemptor, dicitur etiam Ze, cum dicto Thalmutistarum dicentium, quod Isaac ibat sicut Ze portans crucem suam, uidebit quod illud quod fuit in Isaac præfiguratum, fuit adimpletũ in Christo, qui fuit uerus Deus uenditus argento.

22 Per dicta Cabalistarum de rubedine Esau. & dictum illud quod est in libro Bresit Rhaba, quod Esau fuit rubeus, & rubeus eũ ulciscetur, de quo dicitur, quare rubeum uestimentum tuum, habetur expressè quod Christus de quo nostri doctores eundem textum exponunt, ille erit, qui ultionem faciet de uirtutibus immundis.

23 Per illud dictum Hieremiæ, lacerauit uerbum ſuum, ſecundum expoſitionem Cabaliſtarum habemus intelligere, quod Deum ſanctum & benedictum lacerauit Deus pro peccatoribus.

24 Per reſponſionem Cabaliſtarum ad quæſtionem, quare in libro numerorum coniuncta eſt particula mortis Mariæ, particula uitulæ rufæ, et per expoſitionem eorum ſuper eo paſſu, ubi Moyſes in peccato uituli dixit, Dele me, & per dicta in libro Zoar ſuper eo textu, Et eius liuore ſanati ſumus, redarguuntur incuitabiliter Hebræi dicentes, non fuiſſe conueniens, ut mors Chriſti ſatisfaceret pro peccato humani generis.

25 Quilibet Cabaliſta habet concedere, quod Meſsias eos à captiuitate diabolica & non temporali erat liberaturus.

26 Quilibet Cabaliſta habet concedere ex dictis doctorum huius ſcientię hoc manifeſtè dicentium, quod Peccatum originale in aduentu Meſsiæ expiabitur.

27 Ex principijs Cabaliſtarum euidenter elicitur quod per aduentum Meſsiæ tolletur circumciſionis neceſsitas.

28 Per dictionem ,quæ bis ponitur in illo textu, In principio creauit Deus cœlum & terram, ego credo ſignificari à Moyſe creationem naturę intellectualis, & naturæ animalis, quæ naturali ordine præceſsit creationem cœli & terræ.

29 Quod dicitur à Cabaliſtis, quod linea uiridis girat uniuerſum, conuenientiſsimè dicitur ad concluſionem ultimam, quam diximus ex mente Porphirij.

30 Neceſsariò habent concedere Cabaliſtæ ſecundū ſua principia, quod uerus Meſsias futurus eſt talis, ut de eo uerè dicatur, quod eſt Deus & Dei filius.

31 Cum audis Cabaliſtas ponere in Theſua informitatem, intellige informitatem per accidentiam ad formalitatem non per priuationem.

32 Si duplex aleph quod eſt in textu, Non auferetur ſceptrum &c. coniunxerimus ad duplex aleph quod eſt in textu, Deus poſſedit me ab initio, & duplex aleph quod eſt in textu, Terra autem erat inanis, per uiam Cabalæ intelligemus ibi Iacob de illo uero Meſsia locutum, qui fuit Ieſus Nazarenus.

33 Per hanc dictionem, quæ ſcribitur per Aleph, Iod & Schin (& ſignificat uirum) quæ Deo attribuitur, cum dicitur uir belli, de trinitatis myſterio per uiam Cabalæ perfectiſsimè admonemur.

34 Per nomē quod tribus literis ſcribitur, he, uau, & aleph, quod nomen Deo proprijſsimè attribuit, & maxime conuenienter, non ſolum ad Cabaliſtas, qui hoc expreſsè ſæpius dicunt, ſed etiam ad theologiam Dionyſij Areopagitæ, per uiam Cabalæ trinitatis myſterium cum poſsibilitate incarnationis nobis declaratur.

35 Si

35 Si Deus in ſe ut infinitum, ut unū, & ſecundum ſe intelligatur, ut ſic nihil intelligimus ab eo procedere, ſed ſeparationē à rebus, & omnimodam ſui in ſeipſo clauſionem, & extremam in remotiſsimo ſuæ diuinitatis receſſu profundam ac ſolitariam retractionem, de eo intelligimus ipſo penitiſsimè in abyſſo ſuarum tenebrarū ſe cōtegente, & nullo modo in dilatatione ac profuſione ſuarū bonitatū ac fontani ſplendoris ſe manifeſtāte.

36 Ex præcedenti concluſione intelligi poteſt, cur dicatur apud Cabaliſtas, quod Deus induit ſe decem ueſtimentis quando creauit ſeculum.

37 Qui intellexerit in dextrali coordinatione ſubordinationem pietatis ad ſapientiam, perfectè intelliget per uiam Cabalæ, quomodo Abraham in die ſuo per rectam lineam uidit diem Chriſti & gauiſus eſt.

38 Effectus qui ſunt ſequuti poſt mortē Chriſti, debent cōuincere quemlibet Cabaliſtam, quod Ieſus Nazarenus fuit uerus Meſsias.

39 Ex hac concluſione & trigeſima ſuperius poſita ſequitur, quod quilibet Cabaliſta habet concedere, quod interrogatus Ieſus quis eſſet, rectiſsimè reſpondit dicens, Ego ſum principium qui loquor uobis.

40 Hoc habent ineuitabiliter concedere Cabaliſtæ, quod uerus Meſsias per aquam homines purgabit.

41 Sciri poteſt in Cabala per myſterium Mem clauſi, cur poſt ſe Chriſtus miſerit paracletum.

42 Scitur per fundamenta Cabalæ, quàm rectè dixerit Ieſus, Antequam naſceretur Abraham ego ſum.

43 Per myſterium duarum literarum Vau & Iod, ſcitur quomodo ipſe Meſsias ut Deus fuit principium ſuiipſius ut homo.

44 Scitur ex Cabala per myſterium partis ſeptentrionalis, cur iudicabit Deus ſeculum per ignem.

45 Scitur in Cabala apertiſsimè, cur Dei filius cum aqua baptiſmi uenerit, & ſpiritus ſanctus cum igne.

46 Per eclipſationē Solis, quæ accidit in morte Chriſti, ſciri poteſt ſecundum fundamēta Cabalæ, quod tūc paſſus eſt filius Dei & uerus Meſsias.

47 Qui ſciet proprietatem Aquilonis in Cabala, ſciet cur Sathan Chriſto promiſit regna mundi ſi cadens eum adoraſſet.

48 Quicquid dicant cæteri Cabaliſticæ, ego decem ſphæras, ſic decē numerationibus correſpondere dico, ut ab ædificio incipiendo, Iupiter ſit quartæ, Mars quintæ, Sol ſextæ, Saturnus ſeptimæ, Venus octauæ, Mercurius nonæ, Luna decimæ, tum ſupra ædificium firmamentū tertiæ, primum mobile ſecundæ, cœlum empyreum primæ.

49 Qui ſciuerit correſpondentiam decem præceptorum ad prohibentia per coniunctionem ueritatis Aſtrologicæ cū ueritate theologica, uidebit ex fundamento noſtro præcedentis concluſionis, quicquid alij dicant Cabaliſtæ, primū præceptum primæ numerationi correſpondere, ſecūdum

ſecundæ, tertiũ tertiæ, quartũ ſeptimæ, quintũ quartæ, ſextũ quintæ, ſeptimum nonæ, octauum octauæ, nonum ſextæ, decimum decimæ.

59 Cũ dicũt Cabaliſtę à ſeptima & octaua petẽdos filios, ita dicas in Merchiana inferiori accipi, ut ab una petatur ut det, ab altera ne prohibeat, & quæ det & quæ prohibeat poteſt intelligere ex præcedentibus concluſionibus, qui fuerit intelligens in Aſtrologia & Cabala.

51 Sicut fuit Luna in Salomone, ita fuit plenus Sol in uero Meſsia, qui fuit Ieſus, & de correſpondentia ad diminutionẽ in Sedechia poteſt quis coniectare ſi profundat in Cabala.

52 Ex prędecẽti cõcluſione intelligi poteſt, cur euangeliſta Matthæus in qua tuordecim illis generationibus ante Chriſtum quaſdam dimiſerit.

53 Cum fieri lucem nihil ſit aliud quàm participare lucem, conueniens eſt ualde illa Cabaliſtarum expoſitio, ut in li, fiat lux, per lucem ſpeculum lucens intelligamus, & in li, facta eſt lux, ſpeculum non lucens.

54 Quod dicunt Cabaliſtæ, beatificandos nos in ſpeculo lucente repoſito ſanctis in futuro ſeculo, idem eſt præciſè ſequendo fundamẽta eorum, cum eo, quod nos dicimus beatificandos ſanctos in filio.

55 Quod dicunt Cabaliſtę lumen repoſitũ in ſetxuplo lucere plus quàm lumen relictum, mirabiliter conuenit Arithmeticæ Pythagoricæ.

56 Qui ſciuerit explicare quaternarium in denarium, habebit modum ſi ſit peritus Cabalæ deducendi ex nomine ineffabili nomen 72. literarum.

57 Per præcedentem concluſionem poteſt intelligens in Arithmetica formali intelligere, quod operari per Scemamphoras eſt proprium rationalis naturæ.

58 Rectius foret illud Becadmin, quod ponit gloſa Chaldaica ſuper dictionem Breſit, exponere de ſapientialib. ideis, quàm de triginta duabus uijs ut dicunt alij Cabaliſtę, utrunque tamen eſt rectum in Cabala.

59 Qui profundè conſiderauerit quadruplicem rerum ſtatũ, primo unionis & ſtabilitate manſionis, ſecundo proceſsionis, tertio reuerſionis, quarto beatificę reunionis, uidebit literam Beth cum prima litera primũ, cum media, medium, cum ultimis, ultima operari.

60 Ex prędecenti concluſione poteſt contemplatiuus homo intelligere, cur lex Dei à Beth litera incipit, de qua ſcribitur, quod eſt immaculata, quod erat cum eo cuncta componens, quod eſt conuertens animas, quod facit dare fructum in tempore ſuo.

61 Per eandem concluſionem ſciri poteſt, quod idem filius qui eſt ſapientia patris, eſt qui omnia unit in patre, & per quem omnia facta ſunt, & à quo omnia conuertuntur, & in quo demum ſabbatizant omnia.

62 Qui profundè conſiderauerit nouenarium beatitudinum numerum, de quo apud Matthęum in euangelio, uidebit illas mirabiliter con-

uenire

uenire nouenario nouem numerationum, quæ sunt infra primam, quæ est inaccessibilis diuinitatis abyssus.

63 Sicut Aristoteles diuiniorem philosophiam, quam philosophi antiqui sub fabulis & apologis uelarunt, ipse sub philosophicæ speculationis facie dissimulauit, & uerborum breuitate obscurauit, ita Rabi Moyses Aegyptius in libro, qui à Latinis dicitur dux neutrorum, dum per superficialem uerborum corticem uidetur cum philosophis ambulare, per latentes profundi sensus intelligentias mysteria complectitur Cabalæ.

64 In textu, Audi Israël dominus Deus noster dominus unus, rectius est ut intelligatur ibi collectio ab inferiori ad superius, & à superiori ad inferius, quàm ab inferiori ad superius bis.

65 Rectius est, ut Amen Tipheret dicat & regnum, ut per uiam numeri ostenditur, quàm quod dicat regnum tantum, ut quidam uolunt.

66 Ego animã nostram sic decem Sephirot adapto, ut per unitatẽ suam fit cum prima, per intellectum cum secunda, per rationem cum tertia, per superiorem concupiscibilem cum quarta, per superiorem irascibile cum quinta, per liberum arbitrium cum sexta. & per hoc totum ut ad superiora se conuertitur cum septima, ut ad inferiora cum octaua, & mixtum ex utroq; potius per indifferentiam uel alternariam adhæsionem quàm simultaneam continentiam cum nona, & per potentiam qua inhabitat primum habitaculum cum decima.

67 Per dictum Cabalistarum, quod Cœli sunt ex igne & aqua, simul & ueritatem theologicam de ipsis Sephirot nobis manifestat, & philosophicam ueritatem, quod elemẽta in cœlo sint tantũ secundũ actiuã uirtutem.

68 Qui sciuerit quid sit denarius in Arithmetica formali, & cognouerit naturã primi numeri sphærici, sciet illud quod ego adhuc apud aliquem Cabalistam non legi, & est quod sit fundamentum secreti magni Iobelei in Cabala.

69 Ex fundamento præcedentis cõclusionis sciri pariter potest secretum quinquaginta portarum intelligentiæ, & millesimæ generationis, & regni omnium seculorum.

70 Per modum legendi sine punctis in lege, & modus scribendi res diuinas, & unialis continentia per indeterminatum ambitum rerum diuinarum nobis ostenditur.

71 Per id quod dicunt Cabalistæ, de Aegypto, & attestata est experientia, habemus credere, quod terra Aegypti sit in Analogia & subordinationis proprietatis potentiæ.

72 Sicut uera Astrologia docet nos legere in libro Dei, ita Cabala docet nos legere in libro legis.

NONINGENTARVM CONCLVSIONVM IOAN. PICI MIRANDVLAE FINIS.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, LAVRENTIO MEDICIS.

APOLOGIAM nostrã dicaui tibi Laurenti Medices, ut rem nõ utique (Deum testor) uisam mihi dignam tãto uiro, sed tibi eo iure debitam, quo mea omnia iampridem tibi me debere intelligo. hoc enim habeas persuasissimũ, quicquid ego aut sum, aut sum futurus, id tuum esse Laurenti, & futurum semper in posterum. Minus dico quàm uellem, & uerba omninò frigidiora hæc, quàm ut satis exprimant quod concipio, id est, quo amore, qua fide, qua obseruãtia & prosequar, & â multis iam annis fuerim te prosequutus. Moueor cùm plurib. in me collatis officijs, amantissimũ animum tuum planè testantibus, tùm tuis non tàm fortunæ quàm animi, ijsdemq; raris imò tibi peculiaribus bonis, quæ narrare in præsentia pudor me non sinit tuus. Redeo ad Apologiam, quàm hilari quæso suscipias fronte, exiguum sanè munus, sed fidei meæ, sed obseruantiæ profectò in omne tempus erga te maximè non leue testimonium. quam, si fortè euenìat, ut â magnis, quibus es semper occupatissimus, tractandis rebus attingas, memineris, nõ tàm hoc ipsum & properatum, scilicet opus potius, quàm elaboratum & operis argumentum, ex alieno mihi, non meo sumendum fuisse iudicio: quàm non iccirco illam nuncupatam tibi, ut quæ in me non est in me agnoscas ingenij aut doctrinæ præstantiam, sed ut scias, (nam dicam iterum) me quicquid sum, tuæ amplitudini esse deditissimum.

IOANNIS PICI Mirandulæ & Concordiæ comitis Apologia.

CVM nuper Romam uenissem, pedes, summi pontificis Innocentij octaui, cui ab innocentia uitæ nomen meritissimum, de more deosculaturus, ut simul & ab instituto non discederem meo, commentandi tractandiq; semper aliquid de re literaria, & rem facerem pro uiribus dignam urbe Roma. gratiam principi Christiano, utilem mihi & studiosis. nongentas de diuinis & naturalibus rebus quæstiones, proposui, ad quas, in publico doctissimorum hominum consessu, essem responsurus. Vix in publicum uenerant, cum inter aliquos, qui si nõ ingenium uel doctrinam, studium saltem bonarum artium in me probarent, obtrectatorum turba multiplex assurrexit. Et quanquã & fastidia, & nasos, & censuras, & omnino iudicia uniuscuiusq; uaria esse et uidere (utiq; ut semper accidit, cum nouum aliquid & non triuiale molimur) quinq; ferè tamen erant præcipua, quæ alius aliud, summussores isti, in me damnarent: aliqui enim philosophiam & literas omnino capere, illud etiam (ut uiderentur scioli, quandoq; addentes, eiectum Adam de Paradiso, quòd per scientiam boni & mali æqualem se dijs facere uoluit. Exterminandos

pari

pari exemplo, de Christi curia, qui uolunt sapere plus quàm oportet. Alij non tàm philosophiam, quàm hoc ipsum disputandi genus, & hanc de literis publicè disceptandi institutionem, non approbare, ad pompam potius ingenij & doctrinæ ostentationem, quàm ad comparandam eruditionem esse illam, oblatrantes. nonnulli me audacem dicere & temerarium. Qui hac ætate quartum, scilicet & uigesimum nondum natus annum, de altissimis philosophiæ locis, desublimibus Christianæ theologiæ mysterijs, de incognitis disciplinis, in celebratissima urbe, in amplissimo doctissimorum hominum consessu, disputationem proponere non dubitarem. Multi non tàm quòd Romæ, quòd iuuenis, quàm quòd de tot numero, id est, de nongentis disputaturus essem quæstionibus, accusare, & superfluò, & ambitiosè, & supra uires id factum calumniantes. Ex his autem qui sapientiam, id est Theologiæ studium profitebantur, quidam fuere, qui conuicijs fortè leuioribus non contenti, non iam audacem me, non temerarium, non glorioſum, sed magum, sed impium, sed nouum in Christi ecclesia hæresiarcham prædicarent. Fui ego (Deum testor) dubio diù consilio, diluenda hæc mihi obiectamenta, an silentio potius prætereunda essent: mouebant me, ut tacerem, duo prçcipuè. Primum quòd ego & contentionis & iurgiorũ abhorrens, animi pacem, & quam mihi mea præstiterunt studia placidissimæ uitæ tranquillitatem, amaui semper, nec odi ullum magis scribendi munus, quàm quòd in disceptatione & amarulenta quoquomodo altercatione sit constitutum, quippè qui nõ minus referre, quàm inferre iniuriam uel contumeliam, nec boni uiri duxerim esse unquam, nec philosophi: alterum hoc ipsum erat, quòd & summi Pontificis, cuius mihi meritò celebranda semper memoria, & ex sanctissimo apostolico senatu complurium iudicio contentus, quorum & benignitatem & beneuolentissimum in me animum obliuiſci, nũquam aut possum aut debeo, uidebar facilè & odium posse negligere, & cõuicia hominum improborum, & profectò quod attinet ad cætera in hac eram sententia, ut indignos illos existimarem, quibus aliquãdo responderem. Sed in uno mihi obiecto hæreseos crimine, hoc si facerem, uerebar ne quod nõ diluerem, uiderer crimen agnoscere. scribit autem & sapientissimè Ruffinus, Esse quidem glorioſum Christi exemplo, patienter iniurias tolerare, at unam notam hæreseos qui ferat, uel dissimulet, non esse Christianum. & Hieronymus noster, quanta maxima potest animi contentione, clarissima exclamat uoce: Nolo in suspitione hæreseos quẽquam esse patientem. Tacere ergo nõ uult Hieronymus, & inuitum otioſumq; hominem, pro sua qua potest authoritate ad scribendum trahit & impellit: quare, si qui sunt, qui fortè me tacere uellent, sciant sibi non mecum, sed cum Hieronymo esse controuersiam, qui me tacere non uult, Hieronymo non audire, quis potest sine flagitio? ipso ergo suadente, imò cogente etiam, breuem ag

greſſus ſum aſſcribere apologiam, non ut quenquã lacerem uel accuſem, ſed ut à maximo, quòd mihi iniuria obijcitur, impietatis crimine iure me excuſem. hoc quæſo patiantur obtrectatores mei, eo animo, quo ego iniquam illorum offenſam paſſus ſum ſemper. Patiantur, inquã, ut qui Chriſtianus de Chriſtianis ſum parentibus natus, qui uexillum Chriſti Ieſu in fronte gero, qui pro Chriſti fide etiam obeam lubens, quaſi cum Paulo, hoc ipſis æquo animo audientibus, exclamem uoce. Non magus, non Iudæus ſum, non Iſmaëlita, non hæreticus, ſed Ieſum colo, & Ieſu crucem in corpore meo porto, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo. Deniq; cum & ſanctitatis, & ſapientiæ, & id genus egregios titulos, nec mihi arrogem, nec illis derogem, hunc unum mihi ipſi, pro quo tuendo etiam ſanguinem ultro effundã, quæſo non demant, ut ſcilicet me poſsim dicere Chriſtianum. Quod ſi concedunt, hæc eis nõ ſcribo, à quibus iam impetraui, quod tota noſtra contendit apologia. Alijs ſcribo qui eſſe me, aut fuiſſe aliquando hæreticum credunt, uel ſuſpicantur: quãquam autem principale propoſitũ eſt hoc, ut oſtendamus ab orthodoxo & catholico tramite non me, ſed illos deuiare, qui me hæreticum calumniantur: tamen poſtquam ſcribendũ eſt, dicemus & aliquid de his, quæ primo nobis obiecta ſunt, ne meo ſilentio quaſi culpæ cõſcientia abuti poſsint, noſtri obtrectatores. Erat autem quod uitio in primis dabant multi, hoc meũ philoſophari, quibus hoc loco, nihil ſum reſponſurus, quia & cauſam philoſophiæ ſeorſum agere, opere peculiari, eſt conſilium, & omninò ſi turpe eſt dare ſe literis, colere bonas artes, & diſciplinas, malo hanc culpã agnoſcere quàm deprecari. His etiã qui genus hoc diſputandi, & hanc de Deo, de natura, de moribus publicè diſceptandi inſtitutionem deteſtãtur, multa non ſum dicturus, quando hoc crimen, ſi crimen eſt, cõmmune eſt mihi cum magnis uiris, imò cum probatiſsimis, non ſolum noſtræ, ſed ferè omnium ætatum philoſophis, quibus fuit certiſsimum, nihil ad conſequendam, quam quærebant ueritatis cognitionem ſibi eſſe potius, quàm ut eſſent in diſputandi exercitatione frequentiſsimi. Sicut enim per gymnaſticam, corporis uires firmiores fiunt, ita in hac quaſi literaria palęſtra, animi uires & fortiores longè & uegetiores euadũt. Nec crediderim ego, aut Poëtas aliud, per decantata Palladis arma, aut Hebræos cum ferrum ſapientum ſymbolum eſſe dicunt, ſignificaſſe nobis, quàm honeſtiſsima hoc genus certamina, adipiſcendæ ſapientiæ oppidò quàm neceſſaria: quo fortè fit, ut & Chaldæi in eius geneſi, qui philoſophus ſit futurus, illud deſiderent, ut Mars Mercurium triquetro aſpectu conſpiciat, quaſi ſi hos congreſſus, hæc bella ſubſtuleris, ſomniculoſa & dormitans futura ſit omnis philoſophia. Sed quòd attinet ad hæc ut dixi, malo authoritatibus & prę iudicijs magnorum uirorum, quàm rationibus me defendere, illud uidetur operæ maioris, ſatisfacere his, qui ætate, ingenio, doctrina

impa-

imparē dicunt me tam magnæ prouinciæ, nec iuxta Horatiū, consuluisse humeros quid ferre ualeāt, quid recusent. Profectò hic mihi difficilis ratio defensionis, dū si parē me dico, immodesti & de se nimia sentientis, si imparē fateor, temerarij & incōsulti uideor notā subiturus, graues incidi angustias, dū non possum sine culpa de me promittere, quod nō possum, et sine culpa nō præstare. & quidē illud Iob afferre possem, Spiritum esse in omnibus. & forsan audire cū Timotheo. Nemo cōtemnat adolescentiam tuā: sed ex mea uerius hoc conscientia dixero, nihil in nobis esse magnum uel singulare, studiosum me fortè & cupidū bonarū artiū non inficiatus, docti tamē nomen mihi, nec uēdico nec arrogo, Nā ut scripsit aliquando Hermolaus meus. deliciæ Romanæ linguæ, ætatis nostræ splēdor & gloria, nō potest nō indoctus esse, qui se doctū credit. Quare, & quod tā grande humeris onus imposuerim, nō fuit propterea, quòd mihi conscius nostræ infirmitatis nō essem, sed q̄ sciebā hoc genus pugnis, id est literarijs, esse peculiare, q̄d in eis lucrū est uinci. quo fit ut imbecillissimus quisq; nō detractare modò, sed appetere ultrò eas, iure possit & debeat: quandoquidem qui succūbit, beneficiū à uictore accipit, nō iniuriā. quippe qui per eū & locupletior domū, id est doctior, & ad futuras pugnas redit instructior. Hac spe animatus ego infirmus miles, cum fortissimis omniū strenuissimisq; tā grauē pugnā decernere, nihil sum ueritus, quod tñ temerè sit factū nec ne, rectius utiq;, de euētu pugnę, q̄ de nostra ętate poterat qs iudicare. Restat ut his respondeā, qui numerosa propositarū rerū multitudine offenduntur, quasi hoc eorū humeris sederet onus, & nō potius hîc mihi soli, quātuscūq; est labor, esset exantlandus. Indecēs profectò hoc, & morosum nimis, uelle alienæ industriæ modū ponere, & ut inquit Cicero, in ea re, quæ eo melior, quo maior, mediocritatē desiderare: omninò tam grādibus ausis, erat necesse me uel succūbere uel satisfacere. si satisfacerē, nō uideo, cur quod in decem præstare quæstionib. est laudabile, in nongentis etiā præstitisse, culpabile esset existimandum: si succumberem, erant habituri undè accusarent si me oderunt, si amāt unde excusarent, quando in re tam graui, tam magna, tenui ingenio exiguaq; doctrina adolescentē, hominem, defecisse, uenia potiùs dignū erat, q̄ accusatione: quin & iuxta Poëtam. Si deficiāt uires, audacia certè laus est. & In magnis & uoluisse sat est. Quod si & nostra ætate, multi Gorgiā Leontinum imitari, nō modo de nongentis, sed de omnibus etiā omniū artium quæstionibus, soliti sunt, nō sine laude proponere disputationē, cur mihi nō liceat, uel sine culpa, de multis quidem, sed tamē certis & determinatis disputare. At superfluū, inquiunt, hoc & ambitiosum. Ego uerò nō superfluo modo, sed necessario factū hoc à me, cōtendo. Quod & ipsi meā philosophādi rationē cōsiderarint, inuiti etiā fateantur, planè necesse est, qui enim se cuipiā ex philosophorū familijs addixerūt, Thomæ uidelicet aut Scoto (qui nūc plurimum

mum in manibus) fauentes, possunt illi quidem, uel in paucarũ quæstionum discussione, suæ doctrinæ periculum facere, at ego ita me instituí, ut in nullius uerba iuratus, me per omnes philosophiæ magistros funderẽ, omnes schedas excuterem, omnes familias agnoscerẽ. quare cũ mihi de illis omnib. esset dicendũ, ne si priuati dogmatis defensor, reliqua post habuissem, illi uiderer obstrictus. non potuerunt etiam (si pauca de singulis proponerentur) non esse plurima, quæ simul de omnib. afferebant. Nec id in me quisquã damnet, quòd me, Quocunq; ferat tempestas, deferar hospes. Fuit enim, cũ ab antiquis omnib. hoc obseruatum, ut omne scriptorum genus euoluentes, nullas quas possent cõmentationes non perlectas illectas prẽterirent: tũ maximè ab Aristotele, qui eam ob causam ἀναγνώστης, id est lector, à Platone nũcupabatur, & profectò angustæ est mentis, intra unã se porticum, aut Academiã continuisse. nec potest ex omnib. sibi rectè propriam selegisse, qui omnes prius familiariter nõ agnouerit. Adde quòd in unaquaq; familia est aliquid insigne, quod non sit ei cõmune cum cæteris. Atq; ut à nostris, ad quos postremò philosophia peruenit, nũc exordiar, est in Ioanne Scoto uegetum quiddam atq; discussum, in Thoma solidum & æquabile, in Aegidio tersum & exactum, in Francisco acre, & acutũ, in Alberto priscum amplum & grande, in Henrico (ut mihi uisum est) semper sublime & uenerãdum. Est apud Arabes in Auenroẽ firmum & inconcussum, in Auẽpace, in Alpharabio graue & meditatũ, in Auicenna diuinum atq; Platonicũ. Est apud Græcos in uniuersum quidẽ nitida, in primis & casta philosophia, apud Simpliciũ locuples & copiosa, apud Themistium elegãs & compendiaria, apud Alexandrum constans & docta, apud Theophrastũ grauiter elaborata, apud Ammoniũ enodis & gratiosa. Et si ad Platonicos te conuerteris, ut paucos percenseam, in Porphirio rerum copia & multijuga religione delectaberis, in Iamblyco secretiorem philosophiã, & barbarorũ mysteria uenerabere, in Plotino priuum quicquã non est, quod admireris, qui secundiq; præbet admirãdum, quem de diuinis diuine, de humanis longè supra hominẽ, docta sermonis obliquitate loquentẽ, suadentes Platonici uix intelligunt, prætereo magis noxios, Proclum Asiatica fertilitate luxuriantem, & qui ab eo fluxerũt Hermiam, Damastum, Olympiodorum, & cõplures alios, in quibus omnibus illud θεῖον, id est diuinum, peculiare Platonicorum symbolum elucet semper. Accedit quòd si qua est secta, quæ ueriora inceſſat dogmata, & bonas causas ingenij calumnia ludificetur, ea ueritatem firmat, non infirmat, & uelut motu quassatam flammam excitat, non extinguit. hac ego ratione motus, non unius modò (ut quibusdam placebat) sed omnigenæ doctrinæ placita, in medium afferre uolui, ut hac complurium sectarum collatione, hac multifariæ discussione philosophiæ, ille ueritatis fulgor (cuius Plato meminit in epistolis) animis nostris, quasi sol oriens

ex altò

ex alto, clarius illuceſceret. Quid erat ſi latinorum tãtum, Alberti ſcilicet, Thomæ, Scoti, Aegidij, Franciſci, Henricíq; philoſophia, obmiſſis Græcorum Arabũq; philoſophis tractabat, quando omnis ſapientia, à barbaris ad Græcos, à Græcis ad nos manauit. Ita noſtrates ſemper in philoſophandi ratione, peregrinis inuentis ſtare, & aliena excoluiſſe ſibi duxerũt ſatis. quid erat, cum Peripateticis egiſſe de naturalibus, niſi & Platonicorum accerſebatur Academia, quorum doctrina, & de diuinis ſemper inter omnes philoſophias, (Teſte Auguſtino) habita eſt ſanctiſsima, & à me nunc primùm quod ſciam (uerbo abſit inuidia) poſt multa ſæcula, ſub diſputandi examen, eſt in publicũ allata. quid erat, & aliorũ quotquot erãt tractaſſe opiniones, ſi quaſi ad ſapientum ſympoſium, aſymboli accedentes, nihil nos, quod eſſet noſtrum, noſtro partum & elaboratum ingenio, afferebamus. Profectò ingeneroſum eſt, ut ait Seneca, ſapere ſolũ ex commentario, & quaſi maiorum inuenta noſtræ induſtriæ uiã præcluſerint, quaſi in nobis effœta ſit uis naturæ, nihil ex ſe parere, quod ueritatem, ſi non demonſtret, ſaltem innuat uel de longinquo. Quod ſi in agro colonus, in uxore maritus odit ſterilitatem, certè tantò magis infœcundã animam, oderit illi complicita & aſſociata diuina mens, quãtò inde nobilior longè proles deſideratur: propterea non contentus ego præter cõmunes doctrinas, multa de Mercurij Trimegiſti priſca theologia, multa de Chaldæorum, de Pythagoræ diſciplinis, multa de ſecretioribus Hebræorũ addidiſſe myſterijs, plurima quoque per nos inuenta & meditata, de naturalibus & diuinis rebus, diſputanda propoſuimus. Propoſuimus primo Platonis Ariſtotelisq; concordiam, à multis ante hac creditam, à nemine ſatis probatam. Boëtius apud Latinos id ſe facturum pollicitus, non inuenitur feciſſe unquam, quod ſemper facere uoluit. Simplicius apud Græcos idem profeſſus, utinã id tàm præſtaret quàm pollicetur. ſcribit & Auguſtinus in Academicis nõ defuiſſe plures, qui ſubtiliſsimis ſuis diſputationibus, idem probare conati ſint, Platonis ſcilicet & Ariſtotelis eãdem eſſe philoſophiã. Ioannes item Grãmaticus, cũ dicat apud eos tantum diſſidere Platonẽ ab Ariſtotele, qui Platonis dicta nõ intelligũt, probandum tamen poſteris hoc reliquit. Addidimus aũt & plures locos, in quib. Scoti & Thomæ plures, in quibus Auenrois & Auicennæ ſententias, quę diſcordes exiſtimantur, concordes eſſe nos aſſeueramus. Secundo loco, quæ in philoſophia cum Ariſtotelica tum Platonica excogitauimus nos, tum duo & ſeptuaginta noua dogmata, phyſica & metaphyſica collocauimus, quæ ſi quis teneat, poterit, niſi fallor, quãcunq; de rebus naturalib. diuiniſq; propoſitã quæſtionẽ, longè alia diſſoluere ratione, q̃ per eam edoceamur, quæ & legit in ſcholis, & ab huius æui doctoribus colitur, philoſophiã. Nec tàm admirari quis debet, me in primis annis, in tenera ætate, per quam uix licuit, ut iactant quidam, aliorũ legere cõmentationes, nouã

afferre uelle philosophiam, quàm uel laudare illam si defenditur, uel damnare si reprobatur. denique cum nostra inuenta hæc, nostrasq; sunt literas iudicaturi, non authoris annos, sed illorum merita potius uel demerita numerare. Est autem & præter illam, alia quam nos attulimus, noua per numeros philosophandi institutio, antiqua illa quidem, & à priscis Theologis, à Pythagora præsertim, ab Aglaophemo, à Philolao, à Platone, prioribusq; Platonicis obseruata, sed quæ hac tempestate, ut præclara alia, posteriorum incuria sic exoleuit, ut uix uestigia ipsius ulla reperiantur. Scribit Plato in Epimenide, inter omnes liberales artes & scientias contemplatrices, præcipuam maximeq; diuinam esse scientiam numerandi: quærens item, Cur homo animal sapientissimum? respondet, Quia numerare nouit. cuius sententiæ & Aristoteles meminit in problematis. Scribit Abunasar, uerbum fuisse Auenzoar Babylonij, Eum omnia nosse, qui nouerat numerare. quæ uera esse nullo modo possunt, si per numerādi artem, eam artem intellexerunt cuius nnuc mercatores in primis sunt peritissimi: quod & Plato testatur, exerta nos admonens uoce, ne diuinam hanc arithmeticam, mercatoriam esse arithmeticam intelligamus. hanc ego arithmeticam, quæ ita extollitur, cum mihi uidear, post multas lucubrationes exploratam habere, huiusce rei periculum facturus, ad quatuor & septuaginta quæstiones, quæ inter physicas & diuinas principales existimantur, responsurum per numeros publicè me sum pollicitus. Proposuimus & magica theoremata, in quibus duplicem esse Magiā significamus, quarum altera dæmonum tota opere & authoritate constat, res mediusfidius execrāda & portentosa, altera nihil est aliud, cū bene exploratā, quàm naturalis philosophiæ absoluta consummatio. Vtriusq; cū meminerint Græci, illam magiæ nullo modo nomine dignantes, γοητείαν nuncupant, hanc propria peculiariq; appellatione μαγείαν, quasi perfectam summamq; scientiam uocant. Idem enim ut ait Porphyrius, Persarum lingua Magus sonat, quod apud nos diuinorum interpres & cultor. Magna autem, imò maxima inter has artes disparilitas & dissimilitudo, illa non modo Christiana religio, sed omnes leges, omnis benè instituta respublica, damnat et execratur, hanc omnes sapientes, omnes cœlestium & diuinarum rerum studiosæ nationes, approbant & amplectuntur. illa artiū fraudulentissima, hæc altior sanctiorq; philosophia. illa irrita & uana, hæc firma fidelis & solida, illam quisquis coluit semper dissimulauit (quod in authoris esset ignominiam & contumeliam) ex hac summa literarū claritas gloriaq; antiquitus, & penè semper petita. illius nemo unquam studiosus fuit uir philosophus, & cupidus discendi bonas artes, ad hanc Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato discendam nauigauêre, hanc prædicauerūt reuersi, & in archanis præcipuam habuerunt: illa ut nullis rationibus, ita nec certis probatur authoribus, hæc clarissimis quasi parentibus honestata,

ſtata, duos præcipuè habet authores Zamolxidem, quẽ imitatus eſt Abbaris Hyperboreus, & Zoroaſtrẽ non qui fortè creditur, ſed illum Oromaſi filium. Vtriuſque Magia quid ſit, Platonem ſi percontemur, reſpondebit in Alcibiade, Zoroaſtris magiam, non eſſe aliud, quàm diuinorum ſcientiam, qua filios Perſarum reges erudiebant, ut ad exemplar mundanæ reipublicæ, ſuam ipſi regere rempublicam edocerentur. Reſpondebit in charmide, magiam Zamolxidis eſſe animi medicinam, per quam ſcilicet animo temperantia, ut per illam corpori ſanitas, comparatur. Horum ueſtigijs poſtea perſtiterunt Charondas, Damigeron, Apollonius, Hoſtanes, & Dardanus, perſtitit Homerus, quem ut omnes alias ſapientias, ita hanc quoque, ſub ſui Vlyxis erroribus diſſimulaſſe, in poëtica noſtra Theologia, aliquãdo probabimus. perſtiterũt Eudoxus & Hermippus, perſtiterunt ferè omnes, qui Pythagorica Platonicaq; myſteria ſunt perſcrutati. Ex iunioribus autem. qui eam olfecerint, tres reperio, Achindum Arabem, Rogerium Bachonem, & Guilielmum Pariſienſem, & tẽpeſtate noſtra uidi Antonium Cronicum, quanquã in maximis agendis tractandiſq; rebus occupatiſsimũ, quæ illius tamen eſt ingenij ſublimitas & elegantia, ut omnes alias liberales artes, ita hanc quoque pulcherrimè attigiſſe. Meminit & Plotinus, ubi naturæ miniſtrum, & non artificem Magum demonſtrat. Hanc Magiam probat aſſeueratq; uir ſapientiſsimus, alteram ita abhorrens, ut cum ad malorum dæmonum ſacra uocaretur, rectius eſſe dixerit ad ſe illos, quàm ſe ad illos accedere: & meritò quidẽ: ut enim illa obnoxium mancipatumq; improbis poteſtatibus hominẽ reddit, ita hæc illarum principem & dominum, illa denicq; nec artis nec ſcientiæ ſibi poteſt nomen uendicare, hæc altiſsimis plena myſterijs, profundiſsimam rerum ſecretiſsimarum contemplationem, & demũ totius naturæ cognitionem complectitur. hæc interſparſas Dei beneficio & interſeminatas mundo uirtutes, quaſi de latebris euocans in lucem, non tàm facit miranda, quàm facienti naturæ ſedula famulatur, hæc uniuerſi conſenſum, quem ſignificantius Græci συμπαθείαν dicunt, introrſum perſcrutatius rimata, & mutuam naturarũ cognitionem habens perſpectam, natiuas adhibens unicuicq; rei & ſuas illecebras, quæ magorũ ἴυγγες nominantur, in mundi receſsibus, in naturæ gremio, in prõptuarijs arcaniſq; Dei latitãtia miracula, quaſi ipſa ſit artifex, promit in publicum: & ſicut, agricola ulmos uitibus, ita Magus terram cœlo, id eſt, inferiora ſuperiorum dotib. uirtutibusq; maritat, quo fit, ut quàm illa prodigioſa & noxia, tam hæc diuina & ſalutaris appareat. ob hoc præcipuè quòd illa hominẽ, Dei hoſtibus mancipãs, auocat à Deo, hæc in eã operum Dei admirationem excitat, quam propenſa charitas, fides ac ſpes certiſsimè conſequuntur. Neque enim ad religionem, ad Dei cultum quicquã promouet magis, quàm aſsidua contemplatio mirabilium Dei, quæ, ut per hanc, de qua agimus

naturalem Magiam benè exploraverimus, in opificis cultum amoremq; ardentius animati, illud canere cõpellemur. Pleni sunt cœli plena est omnis terra maiestate gloriæ tuæ. Et hęc satis de Magia, de qua hęc diximus, quòd sunt plures, sicut canes ignotos semper adlatrant, ita & ipsi sæpè damnant oderuntq; quæ non intelligunt. Venio nunc ad ea quæ ex antiquis Hebræorum mysteriis eruta, ad sacrosanctã & catholicam fidem confirmandam, attuli, quæ ne fortè ab his quib. sunt ignota, cõmentitiæ nugæ, aut fabulę circulatorum existimentur, uolo intelligãt omnes, quæ & qualia sint, unde petita, quibus & q̃p claris authoribus confirmata, quàm reposita, quàm diuina quàm nostris hominibus, ad propugnãdam religionem cõtra Hebræorum importunas calumnias sint necessaria. Scribunt non modo celebres Hebræorum doctores, sed ex nostris quoque Esdras, Hilarius, & Origenes, Mosem non legem modo, quam quinque exaratam libris posteris reliquit, sed secretiorem quoq;, & ueram legis enarrationem, in monte diuinitus accepisse: Præceptum autem ei à Deo, ut legem quidem populo publicaret, legis interpretationem nec traderet literis nec inuulgaret, sed ipse Iesu Naue tantum, tum ille, alijs deinceps succedentibus sacerdotum primoribus, magna silentij religione reuelaret. & meritò quidem. satis enim erat uulgaribus, & per simplicem historiam nunc Dei potentiam, nunc in improbos iram, in bonos clementiam, in omnes iustitiam agnoscere, & per diuina salutariaq; præcepta, ad benè beateq; uiuendum & cultum ueræ religionis instituì, at mysteria secretiora, & sub cortice legis rudiq; uerborum prætextu latitantia, altissimæ diuinitatis arcana, plebi palàm facere, quid erat aliud, quàm dare sanctum canibus, & inter porcos spargere margaritas? ergo hæc clàm uulgo habere, perfectis communicãda, inter quos tantũ sapientiam loqui ait Paulus, non humani consilij, sed diuini præcepti fuit. Quem morem antiqui quoque Philosophi, sanctissimè obseruarũt, Pythagoras nihil scripsit, nisi paucula quędam, quæ Damæ filiæ moriens commendauit. Aegyptiorum templis insculptæ sphinges, hoc admonebant, ut mystica dogmata, per ænigmatum nodos, à prophana multitudine inuiolata custodirent. Plato, Dioni quędam de supræmis scribens substantijs, Per ænigmata, inquit, dicendum est, ne si epistola fortè ad aliorum peruenerit manus, quæ tibi scribimus, ab alijs intelligantur. Aristoteles libros primæ Philosophiæ, in quib. agit de diuinis æditos esse, & non ędditos dicebat. quid plura, Iesum Christum uitæ magistrũ, asserit Origenes multa reuelasse discipulis, quæ illi, ne uulgo fierent communia, scribere noluerunt: quod maximè confirmat Dionysius Areopagita, qui secretiora mysteria, à nostrę religionis authoribus ἐκ νοὸς εἰς νοῦν διαμέσου λόγου σωματικοῦ μή, ἀϋλοτέρου δὲ ὁμως γραφῆς ἐκτός, id est, ex animo in animum, sine literis, medio intercedente uerbo, ait, fuisse transfusa. Hoc eodem penitus modo, cum ex Dei pręcepto, uera illa legis interpretatio

pretatio Mosi deitus tradita, reuelaretur dicta est Cabala, quod idem est apud Hebræos, quod apud nos receptio. ob id scilicet, quòd illam doctrinam, non per literarum monumenta, sed ordinarijs reuelationum successionibus, alter ab altero, quasi hæreditario iure reciperet. Verū postquam Hebræi à Babylonica captiuitate restituti, per Cyrū, sub Zorababel instaurato templo, ad reparandam legem, animum appulerunt, Esdras tūc ecclesiæ præfectus, post emendatum Moseos librum, cum planè cognosceret, per exilia, cędes, fugas, captiuitatem gentis Israëliticæ, institutum à maioribus morem tradendæ per manus doctrinæ seruari non posse, futurumq́, ut sibi diuinitus indulta cœlestis doctrinæ arcana perirent, quorum commentarijs non intercedentibus, durare diù memoria non poterat, constituit, ut conuocatis, qui tūc supererāt sapientibus, afferret unusquisque in mediū, quæ de mysterijs legis memoriter tenebat, adhibitisq́ notarijs, in septuaginta uolumina, tot enim ferè in synhedrio sapiētes redigerentur. Qua de re qui mihi non credunt, audiant Esdram ipsum sic loquentem: Exactis quadraginta diebus, locutus est altissimus dicens. Priora quæ scripsisti in palam pone, legāt digni & indigni, nouissimos autem septuaginta libros, conseruabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo, in his enim est uena intellectus, & sapientię fons, & scientię flumen, atque ita feci. Hęc Esdras ad uerbum. Hi sunt libri scientię Cabalę, in quib. meritò Esdras uenā intellectus, id est ineffabilem de supersubstantiali deitate theologiam, sapiētię fontem, id est, de intelligibilibus angelicisq́ formis, exactam metaphysicam, & scientię flumen, id est de rebus naturalibus firmissimam philosophiam esse, clara in primis uoce pronūciauit. Hi libri, Sixtus quartus Pontifex Max. qui hunc, sub quo uiuimus feliciter Innocentiū octauū proximè antecessit, maxima cura studioq́ curauit, ut in publicam fidei nostrę utilitatem, Latinis literis mandarentur, iamq́ cum ille decessit, tres ex illis peruenerant ad Latinos. hi libri, apud Hebræos hac tempestate, tanta religione colūtur, ut neminem liceat nisi annos quadraginta natum, illos attingere. hos ego libros, non mediocri impensa mihi cum comparassem, summa diligentia, indefessis laboribus cum perlegissem, uidi in illis (testis est Deus) religionem non tàm Mosaicam, q̄ Christianam, ibi trinitatis mysterium, ibi uerbi incarnatio, ibi Messię diuinitas, ibi de peccato originali, de illius per Christum expiatione, de cœlesti Hierusalem, de casu dęmonum, de ordinibus angelorum, de purgatorijs, de inferorum pœnis: eadem legi quę apud Paulum & Dionysium, apud Hieronymum & Augustinum quotidie legimus. In his uerò quę spectāt ad philosophiam, Pythagoram prorsus audias & Platonem, quorū decreta ita sunt fidei Christianę affinia, ut Augustinus noster, immēsas Deo gratias agat, quòd ad eius manus peruenerint libri Platonicorum, in plenum, nulla est fermè de re nobis cum Hebręis controuersia, de qua ex li-

bris Cabaliſtarũ ita redargui cõuicíq; non poſsint, ut ne angulus quidem reliquus, ſit in quẽ ſe condãt. Cuius rei teſtem grauiſsimũ habeo Antoniũ Cronicũ, uirũ eruditiſsimũ, qui ſuis auribus, cũ apud eum eſſem in cõuiuio audiuit, Dattilũ Hebræũ, peritũ huius ſcientiæ, in Chriſtianorũ prorſus de trinitate ſententiã pedib. manibusq; deſcẽdere. Et ut reliqua meæ diſputationis capita percenſeã, attulimus et noſtrã de interpretãdis Orphei Zoroaſtriſq; carminib. ſententiã. Orpheus apud Græcos fermè integer, Zoroaſter, apud eos mancus, apud Chaldæos abſolutior legit, ambo priſcæ ſapiẽtiæ crediti patres & authores. Nam ut taceã de Zoroaſtre, cuius frequens apud Platonicos, nõ ſine ſumma ſemper ueneratione eſt mẽtio, ſcribit Iamblycus Chaldæus, habuiſſe Pythagoram, Orphicam Theologiam, tanquã exemplar, ad quam ipſe ſuam effingeret formaretq; philoſophiam. Quin idcircò tamẽ dicta Pythagoræ ſacra nuncupari dicũt, quòd ab Orphei fluxerint inſtitutis, inde ſecreta de numeris doctrina, & quicquid magnum ſublimeq; habuit Græca philoſophia. ut à primo fonte manauit. Sed qui erat ueterum mos theologorũ, ita Orpheus ſuorũ dogmatum myſteria fabularũ intexit inuolucris, & poëtico uelamento diſsimulauit, ut ſi quis legat illius hymnos, nihil ſubeſſe credat, præter fabellas nugasq; meraciſsimas, quod uolui dixiſſe, ut cognoſcatur, quis mihi labor, quæ fuerit difficultas, ex affectatis Aenigmatum ſcirpis, ex fabularum latebris, latitantes eruere ſecretæ philoſophiæ ſenſus, nulla præſertim in re, tàm graui tàm abſcondita inexploratag;, adiuto aliorũ interpretum opera & diligentia. Et tamen oblatrabãt canes mei, minutula quædã & lęuia, ad numeri oſtentationẽ me accumulaſſe, quaſi non omnes, quæ ambiguę maximæ controuerſiæq; ſuut quæſtiones, in quib. principales digladiantur, academiæ quaſi non multa attulerim, his ipſis qui & mea carpunt, & ſe credunt philoſophorum principes, & incognita prorſus & intentata. Quin ego tãtum abſum ab ea culpa, ut curauerim in quam pauciſsima potui capita cogere diſputationẽ, quam ſi ut conſueuerunt alij, partiri ipſe in ſua membra & lancinare uoluiſſem, in innumerum profecto numerũ excreuiſſet. & ut taceam de cæteris, quis eſt qui neſciat, unum dogma ex nõgentis, quòd ſcilicet de cõciliãda eſt Platonis Ariſtotelisq; philoſophia, potuiſſe me citra omnem affectatæ numeroſitatis ſuſpitionem, in ſexcenta, ne dicã plura capita deduxiſſe locos, ſcilicet omnes in quibus diſsidere alij, conuenire ego illos exiſtimo, particulatim enumerantẽ. Sed quid ego his diutius immoror: & nõ potius, ad id deuenio, cuius gratia totum hoc opus ſuſceptum eſt, ut liquido ut luce clarius, ut extra omnem controuerſiam, non me ſolum non impium, ſed impios & hæreticos eſſe illos comprobem, qui me hęreticum eſſe, aut fuiſſe aliquãdo dicere, non erubeſcũt. Agam autem hoc ego non conuicijs & contumelijs, ſed ipſis rebus & rationibus, afferendo in medium quæ dixi, quæ ſcripſi, quæ ſenſi, quid item

illi

illi dixerint & senserint? Examinabunt hæc deinde alij uiri docti, & insignes, & apud nostras & apud exteras Academias iudicabit sancta sedes, & sedẽs in ea Innocentius octauus, cuius iudicium negligere aut uiolare, nephas & flagitium, ipse iudex supræmus in terris, qui eum refert, qui iudex est uiuorum & mortuorum, ipse, promptuarium arcanumq; ueritatis, qui eius agit uices, qui est ipsa ueritas, & caro factus habitauit in nobis, ut ueritatem nobis annunciaret. Sed iam ad ipsas examinandas quæstiones descendamus, quas magistri isti, quasi hæreticas damnarũt, quod facturo, mutanda est loquendi ratio, est enim mihi cum barbaris sermo, et (ut lepidè est in prouerbio) balbi non nisi balbos intelligunt.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE DESCENsu Christi ad inferos disputatio.

PRima cõclusio, ex propositis à me in disputatione mea, quã isti damnauerunt fuit hæc. Christus, non ueraciter & quantũ ad realem præsentiam, descendit ad inferos: ut ponit Thomas & communis uia, sed solùm, quo ad effectum. Circa istam coucluſionẽ. Primo uolo declarare sensum meum, & quæ sit mens & opinio mea, de modo descensus Christi, quam fuit meæ intentionis explicare, in proposita conclusione, & ostendere illam nõ solum esse Catholicam, & à multis Catholicis doctoribus creditam & approbatã, sed etiã sua opposita longè probabiliorem. secundò declarabo, quomodo etiã ipsa propositio, de uirtute sermonis, & secundum uim uerborũ à doctis uiris nullo modo est hæretica, uel hæresim sapiens, simpliciter iudicanda. tertiò declarabo, quòd ipsi errant in fide, si persistunt in hac sententia, quòd ego non possim conclusionem meam, etiam in sensu quem permittit uis uerborum, ab hæresi defendere. quarto & ultimo, ex superabundanti ostendã, quòd nullo modo possunt se excusare, quòd inconsultè non fuerit facta damnatio eorũ. Prius autem quàm exponam modum, secundũ quem ego teneo Christum descendisse ad inferos, uolo hæc præmittere, quòd licet teneamur explicitè, & in particulari credere Christũ descendisse ad inferos, tanquã articulum fidei à Philippo nobis traditũ & promulgatũ, sic quòd etiam protestatio mea, aut ei similis nõ saluaret illum, qui poneret oppositũ istius articuli, non uidetur tamẽ, quòd determinatũ modum illius descensus, teneatur quilibet fidelis explicitè & in particulari credere. Sed sufficere uidet homini Christiano, quòd credat Christũ descendisse ad inferos, non secũdum corpus, nec secũdum corpus & animã, sed secũdum animã tantũ, & hunc descensum secundũ animã, credat fuisse modo possibili, decenti, expediẽti & opportuno: & hoc quia determinatus modus illius descensus non habet expresse, nec uidetur cõuinci ex scriptura sacra, nec ex aliqua determinatione uniuersalis Ecclesiæ, aut speciali Dei reuelatione, uel apostolorũ fideli relatione, imo quòd plus est, Scotus in sacris literis non parũ exercitatus,

dicit, quòd ex scriptura sacra nō habetur, quòd Christus descēderit ad inferos, ut refert Frācisc̄us de Mayronis, in quarto sententiarum: quāto minus dicere possumus, quòd ex scriptura habeatur certus & determinatus modus descensus Christi? Vnde & nō fuit aliquis doctor, cuius ego etiam in hoc articulo damnationē, nūquam legi, cui uisum est probabile, & cum ueritate articuli defensabile, quòd anima Christi non fuerit præsentialiter in inferno. & authoritates omnes, quas & Franciscus in quarto, & Theologi alij adducūt in tertio, uideri potest alicui, quòd ita possint exponi de descensu per effectū, sicut per realem præsentiā, etiā sequendo modo modum exponendi scripturā, quem sequuntur ipsimet doctores, qui tenent oppositū. Legitur enim Ecclesiastę. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ. quod exponens Thomas, in tertia parte summæ, dicit, intelligendum esse pet effectū. ergo à simili diceret fortè aliquis posse exponi authoritates, dicentes ipsum penetrasse ad limbum uel ad sinū Abrahæ: idem enim penetrare, quòd penitus & intro intrare, quod etiā plus est quàm descendere. quare, si non solum intrasse sed etiā penitus, & intro intrasse dicetur inferiores partes terræ, nō quia ibi fuit realiter præsens, sed quia ibi fuit solum per effectum. Ita poterit etiā dici, fuisse in sinu Abrahæ, & intrasse sinū Abrahe, per effectū tātum, & non per realem præsentiā. hæc autem non ideo dico, quia ego crediderim unquā, quòd Christus alibi existens, præsentialiter, ideò solū dicatur fuisse in inferno, quia ibi aliquid sit operatus, sicut Rex existēs in palatio, dicit esse iu alio loco prouincię, ubi authoritate potestatis suæ, & imperio suo aliquid efficaciter operat: neq; enim ista fuit opinio mea unquā (ut mox patebit, in declaratione opinionis meæ) imò ego firmiter & teneo, & tenui & publicè semper & priuatè dixi, quòd sicubi fuit anima Christi in triduo, ipsa fuit in inferno, & quòd ipsa uerè ibi fuit præsens: sed uolui hæc dixisse, ad pleniorem huius materiæ examinationem, ut & illud Augustini dictū, in libro de Hæresibus uerificari uideamus, Nihil esse difficilius, quàm definire, hoc est hæreticum aut non hæreticum. unde & propter hoc dicit ipse, cōtigisse quòd cū duo scriptores ambo celeberrimi, Epiphanius & Philastrius de Hæresib. scripsissent, in numerandis illis multū discordant, non ob aliā causam, quàm propterea, quòd illud q̄ uni uidebat hæreticū, alteri non uidebat. Sed iam uenio ad manifestandam opinionē meam, de modō descensus Christi & ad perfectè declarandū conclusionē meam, primo summatim ponens intellectum eius, secundo illum latius explicans & probās. Summarius sensus conclusionis meæ est iste. Quia Christus secūdum animā tantum descendit ad inferos, & animæ sicut cuicūq; substātiæ separatæ, uidetur non competere locari, uel moueri localiter, nisi ratione operationis. ideo dico, quòd descendisse ad infernum, uel fuisse in inferno localiter, uidetur non competisse Christo, nisi ratione operationis: ita, quòd licet uerè præsentialiter

liter fuerit anima Christi in inferno, substantia tamen sua, non fuit ei ratio præsentialitatis, sed solum sua operatio. quæ uerba ut plenius intelligantur, est aduertendum, quòd eorum qui ponunt substantias separatas non esse in loco, nisi per operationem transeũtem, est duplex opinio. Quidã enim dicunt, quòd substantiæ incorporeæ, ratione suæ substantiæ, nullo modo debetur locus, sicut & ipsa uerè nunquam est alba uel nigra, & ita quòd de ipsa, secundũ eos non irrationabiliter potest dici, quòd non est in loco, & quòd nusquã est. sicut etiã uerè dicitur, quòd nec est calida nec frigida. Authoritates aũt scripturæ quæ uidentur angelis dare locũ, dum dicũt ipsos esse in cœlo, uel mitti ad hunc locũ, uel ad illũ, esse intelligẽdas sic. nõ quòd ipsi hic uel ibi sint, cum ipsi propriè nõ sint in loco, sed quòd hic operentur uel ibi, uel incipiãt operari, ubi prius non operabãtur. & isti multũ innitũtur uerbis Gregorij Nizeni, qui dicit, Quòd cũ nos deberemus dicere spiritũ operari hîc, abusiuè dicimus, ipsum esse hîc. & ita uult ista opinio. quòd substãtia angeli uel animę separatæ, nunquã potest dici præsens potius huic loco uel illi, nisi præsens negatiuè, id est indistans. sed si quãdo dicitur, alicubi esse uel fuisse, idẽ est, si diceretur, alicubi operari uel operatam fuisse, adduntq; quòd iste modus loquendi, transsumptus est à rebus corporalibus, quas, quia nos uidemus non posse agere, nisi ubi sunt præsentes, saltem secũdum communẽ opinionem, ideo etiam idem credentes, de incorporeis, concludimus, quòd ubi operantur, & ubi inuenitur esse operatio eorũ, ibi etiã sit eorum substantia localiter prę sens. Concludũt finaliter, quòd ruditas est ingenij & defectus imaginationis, nõ posse intelligere, quòd aliquid sit ens, & non sit in loco: & quòd friuolũ est argumentum illorum, qui dicunt, quòd esse præsupponit operari: quia uera est illa propositio, ad hũc sensum, Quòd nõ ens, nõ potest operari. oportet enim agens esse in actu, iuxta illud, semper existimabitur aliqua species mouẽs. sed non est uera ad hũc sensum, q̃ operari in loco prę supponit esse in loco cũ stet operãtem esse talis naturę, q̃ ei non plus debeat prę sentia aut distantia localis, quàm debeatur albedo aut nigredo. Dicent ergo sic opinantes, quòd anima Christi separata à corpore, secũdum suam substantiã, nec fuit in inferno nec extra infernum, sed uerè nullibi fuit. Dicitur autem fuisse in inferno quia operata est in inferno, & in illa parte inferni principalius dicitur fuisse, ubi principalius est operata. Istam autem opinionẽ de modo essendi prę sentialiter in loco, licet etiam multi doctores teneant, ego tamen non teneo, nec sequutus sum eam in conclusione mea, sed eam tenui, quam immediatè subiungam. Est ergo alia opinio, quæ dicit, Quòd substantia separata sicut est angelus & anima non unita corpori, est quidem uerè in loco, & ita uerè definitiuè est præsens localiter, sicut res corporea est commensuratiuè prę sens localiter. & in hoc cõuenit ista uia, cum communi, quæ est uia Scoti & omnium Scotistarum. Sed in hoc discrepant,

quòd Scotistæ dicũt, Quòd finitio & limitatio essentiæ, & finaliter intrinseca determinatio suæ substãtiæ, est ratio substãtiæ separatæ essendi in loco. Ista aũt opinio, quam ego sum secutus, in cõclusione dicit: Quòd sicut licet substantia corporea sit commensuratiuè, in loco tamen ratio ei essendi taliter in loco, nõ est sua substantialitas, sed quantitas quæ est extrinseca & extranea à ratione suæ substãtiæ: ita etiã, licet substãtia incorporea uerè sit definitiuè in loco & præsens localiter, tamẽ ratio ei essendi in loco, non est sua substãtia, sed operatio eius, ab ea trãsiens ad extra. Quã opinionem ego iudico sic intelligendam, & sic intellectã iudico, nõ solum non hæreticã, sed etiã probabiliorem sua opposita, & est quòd etiã si finitas uel limitatio naturæ separatæ, sit ei ratio non essendi ubiq;. aut ratio, quòd si sit in uno loco, non sit simul in alio totali, & in utroq; per naturã. non tamẽ est ratio essendi simpliciter in loco ipso substantiæ separatæ, sed eius effectus uel operatio, capiendo operationẽ pro omni habitudine ad corpus uel locum habente se per modũ operationis actiuè uel passiuè. alia ab habitudine præsentialitatis loci, & hoc intelligendo de facto non negãdo, aliũ modum possibilẽ descensus uel locationis animæ separatæ ut dico in sequenti conclusione, qui tamen modus est nobis ignotus. Hãc ego opinionem sequutus, in cõclusione mea, dico Christũ fuisse in inferno solum per effectum: quia ex quo nõ fuit ibi, nisi secũdum animã, dicendũ est secundum opinionẽ istam, quòd sicut substãtiæ corporeæ non cõpetit, fuisse alicubi cõmensuratiuè, nisi per quantitatẽ, ita illi animę nõ cõpetebat esse in inferno, ubi creditũ fuisse, nisi per effectũ & operationẽ. sed sicut ratio præsentialitatis animabus sanctorũ pãtrũ fuit habitudo ad illum locũ habens se per modũ operationis transeuntis, sicut erat detentio & alligatio ad illum locũ, donec aperta ianua à redemptore extraherent: ita ratio præsentialitatis animæ Christi, fuit operatio quã ibi est operatus, & q; illa fuerit mẽs mea, & quòd hoc prætendãt uerba cõclusionis meæ infra manifestabo, ubi declarabiũ conclusionẽ in se etiã de uirtute sermonis, & secũdũ uim uerborũ, nõ esse hæreticã iudicandã. Vtra aũt opinio sit uerior, de modo essendi in loco substantiarũ separatarũ, Scotistarũ scilicet, an eorum quos sum sequutus, ego non determino, hoc tantũ dico, à tot tantisq; magistris doctoribusq; Catholicis, & doctrina & sanctitate celebratissimis creditã esse opinionem meã, & habitam pro uerissima: ut longè magis temerarij iudicandi sint, si qui sunt, qui opinionum doctorũ tàm probatorum, pro hæretica aut hæresim sapiente audẽt iudicare, quàm ego, qui authoritatem ueterum illorũ theologorum iuniorũ determinationibus anteponã. Hãc enim opinionẽ quã ego sequor, licet assertiuè tenet, nõ solũ Durãdus, sed & Bernardus de Gãnaco in impugnationib. Hẽrici q̃libeto secũdo. tenet Thomas Anglicus in quolibetis suis. tenet Herueus Britonis in suo secũdo sentẽtiarũ. tenuit & beatus Thomas in primo sentẽtiarũ, licet alibi deinde

uideri

uideri potest sequi aliã opinionẽ. Tenet Archiepiscopus Malphitensis in suo secundo. tenet Ioannes Parisiensis in correctorio corruptorij. & quid plures enumero? tenuerunt credo istam opinionem, plus quàm centũ doctores Catholici & probatissimi, quorũ libri non solum nõ reprobari ab ecclesia, sed celebres in omnibus Christianorũ gymnasijs publicè leguntur. quos si quis uoluerit adire, uidere poterit fundamẽta opinionis, & cognoscere probabilitatem eius, quòd ego nõ intendo hîc facere, qui solum hoc ago, ut sic propositas à me conclusiones declarẽ, ut inde nec simplices habere possint unde scandalizentur, nec detractores si qui sunt, quod calumnientur. Exercitij tamen gratia adducã quædam argumenta, quæ audiui cõtra istam opinionem. Primo, arguit per articulum Parisien. 204. qui dicit dicere, Substãtiam angeli non esse in loco sine operatione. error. secundo, arguitur, Quia possibile est substantiam separatã nihil operari ad extra. quo posito, quæritur an sit alicubi an nusquam? an ubique non nusquam? quia adhuc illo posito, erit pars uniuersi, & ita erit uerum dicere, Quod est in mũdo non ubiq: quia hoc est propriũ Dei, ergo alicubi. Tertio, Quia angeli dicunt esse in cœlo empyreo, & tamen nullam operationem transeuntem habent, erga illud cœlum. Item instabat quidam Magister generalis, potissimũ duabus rationibus: quarũ prima est hęc, Quòd secluſa quacunq; operatione ad extra adhuc essentia angeli est finita: ergo adhuc, ut sic, definit ad locum. secũda est hæc, Quia si quid uidet esse quare neget locus ab angelo, hoc est quia nõ habet extensionem. hoc aũt nihil impedit, quia etiã si punctus daretur separatus à linea adhuc haberet situ, & tamen punctus non habet extensionẽ. Ad primum multiplex patet responsio secundum prænominatos doctores: sunt enim quidam, qui uolentes saluare articulum simul cum positione, dicũt, Quod mens articuli est, quòd opinio ponens substantiã separatam nõ esse in loco, nisi per operationẽ, quæ est exterior motus localis uel alteratio realis est error: & quòd illa sit mens articuli, patet quia articulus 77. sic dicit, quasi declarãdo istũ dicere: quòd si esset aliqua substãtia separata, quæ nõ moueret aliquod corpus in hoc mũdo, illa non clauderet in uniuerso. error. Ecce quòd sicut in articulo quem ponit arguens dicit errorem esse, angelum esse solum in loco per operationem: ita in isto dicit errorẽ esse, dicere, Quòd substãtia separata nõ claudit in hoc uniuerso nisi per motum corporis: unde uidetur idem intelligere per operationẽ in articulo 204. quod per motum in articulo 77. Non ponit autem ista positio solum per operationẽ isto modo sumptam, angelum esse in loco, ut patebit in responsione ad tertiũ. Item dicit solennis doctor Gotfredus de Fontibus, quòd isti articuli indigent magna correctione, quia nõnulli sunt falsi, nonnulli ad inuicem sibi contradicũt, & profectò in ista materia necesse est, aut quòd articulus exponatur modo immediatè præposito, aut quòd in ipsis articulis sit cõtradictio manife-

manifesta. quod sic probo: Est enim articulus 218. qui dicit, quòd si intelligatur quòd substantia angeli non est ei ratio essendi in loco: uerum est dicere, quod nusquam est secundum substãtiam. Et testatur Henricus quolibeto secundo. q. 9. quòd omnes magistri Theologiæ congregati, in hoc unanimiter conuenerunt: Quòd substantia angeli non est ratio angelum esse in loco: & dicit se fuisse inter illos magistros qui hoc determinarũt. & subdit ipse Henricus ibidem, quòd consimili ratione uerum est indubitanter, quod si angelus per potentiam suam, scilicet per intellectum & uoluntatem uirtutem suam nõ applicat ad locum, operando circa ipsum, quòd simpliciter potentia eius intellectus, scilicet & uoluntas non est ratio essendi ipsum in loco, quia potentia eius non est minoris abstractionis, quàm sit eius substantia: ergo sequitur quòd uel erit concedere, quòd ratio essendi eum in loco, erit aliquid habens se per modum actus secundi, in corpus transeuntis: quicquid sit illud, & est id quod ponit positio quam ego sequor, uel in articulis erit manifesta contradictio. Vnde & Henricus in eodem loco fatetur, se non posse intelligere quomodo substantia separata sit in loco, nisi agat aliquid aut patiatur à loco, uel à re existente in loco: Aegidius autem & multi alij dicunt, quòd de illis articulis nihil est curandum, quia fuerunt facti non conuocatis omnibus doctoribus Parisiensibus, sed ad requisitionem quorundam capitosorum. & quicquid sit de hoc, hæc duo uolo dicere. primò, quòd non minus facit pro positione nostra articulus 218. quàm faciat contra eum articulus 204. secundò, quòd certum est, & ipsi etiam Parisienses hoc fatentur, quòd illi articuli non obligant omnes fideles, nec tenemur illis credere, nisi inquantum scripturæ sacræ innitũtur, aut determinationibus uniuersalis Ecclesiæ. unde solent dicere Anglici, Quòd illi articuli non transeunt mare: quare & nos si in re tam graui licet iocari, possumus dicere, Quòd non transeunt alpes. Quare & si conclusio mea esset contra articulum, meminerint qui me damnabant, quòd omnino in me damnando errabant, quia dicebant, quòd conclusio mea erat contra symbolum Apostolicũ, cum debuissent dicere, quòd erat contra symbolum Parisinum, quanquam & hoc est falsum, ut prius ostendimus. Videtur autem mihi uerus intellectus illorum articulorum hic esse, quòd in articulo 204. si in eo sit sermo de operatione cõmuniter accepta, modo prædicto hoc intendatur, quòd etiam secluſa quacunque operatione, adhuc finitas uel limitatio naturæ separatæ, erit ei ratio nõ essendi ubique, aut ratio, quòd si sit in uno loco non est simul in alio totali, & in utroque per naturam. In articulo autem 218. credo quòd intẽdatur, quòd substantia uel finitas substantiæ, non est ratio angelo essendi simpliciter in loco, isto modo exponendo in articulis nulla est contradictio, & articuli sic intellecti, non solùm non sunt contra positionem meam, sed ipsam totaliter ex utraque parte confirmant, ut patet ex declaratione positionis supra

posita.

posita. Ad secundum dicitur, à multis concedendo quòd est possibile esse substantiam incorpoream sine operatione transeunte ad extra, hoc autem posito, in argumento uidetur adduci, quòd unum sequatur ex tribus inconuenientibus. Primum est, quòd cum sit pars uniuersi inconueniens, est quòd non sit in uniuerso: ad quod illi dicerent, quòd arguens æquiuocat de parte. si enim per partem uniuersi intelligit id, quòd habet situ determinatum in uniuerso, sic dicent: Quòd angelus nec cum operatur, nec cum non operatur, potest dici esse pars uniuersi. si autem intelligit esse partem entium, id est unum ex entibus & naturis uniuersi, sic cõcedent, quòd tunc est una pars uniuersi, imò una ex nobilioribus. sed ex hoc nõ uidetur concludi, quòd habeat situm uel definitionem ad locum. Secũdum inconueniens est quòd non potest dici quòd sit ubique, quia hoc est, proprium Dei. ad hoc dicitur, quòd esse ubique eo modo quo Deus dicitur à theologis esse ubique per essentiam, scilicet per potentiam & præsentiã Dei proprium est, & nulli naturæ creatæ potest competere. Esse autem ubique, id est hic uel ibi per indifferentiam, aut ubique per indistantiam, id est uerè esse secundum substantiam indistantem à quocũq; loco. utrum repugnet creaturæ, audiatis Henricum quolibeto 7. q. 9. sic dicentem. In creatura potest intelligi duplex limitatio: Vna in natura & essentia, quæ finita est & cæteris terminis contenta, & sic solus Deus illuminatus & infinitus in natura. Alia potest intelligi limitatio naturæ, quæ est limitatio ad situ, qua ita finita est & certis limitibus contenta, ut necesse sit, eam esse alicubi, non nusquam nec ubiq;, sed ita hic, quòd non ibi, uel quòd etiam si non determinatè hic uel ibi, tamen sub determinatione uel hic uel ibi uel alicubi, & pertinet ista limitatio ad prædicamentum ubi, qnòd omnis creatura differat à Deo per primam limitationem suam clarè uideo. Quomodo autem necesse sit, omnem creaturam differre, & distare ab eo, per secundam limitationem, quia scilicet ipse est ubique, omnis autem creatura necessario est alicubi, sed non ubique, dico quòd penitus ignoro. hæc Henricus ad literam, ex quibus uerbis satis clarè habemus, non posse intelligere Hẽricum quomodo illud sit inconueniens, quod illi adducunt pro inconuenienti. Tertium inconueniens est, quòd nisi concedatur, quòd sit alicubi, sit concedendum quòd nusquam sit. ad quod audiatis beatum Thomam, in primo sententiarum di. 37. sic respondentem: Dicendum, inquit, quòd hoc non reputo inconueniens, quòd angelus sine loco possit esse, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet, nec est incõueniens, ut tũc nusquam uel in nullo loco esse dicatur, sed tamen hoc non est imaginabile, quia imaginatio continuum non transcendit hæc Thomas ad literam. Ad tertium dico, quòd argumentatio illa procedit ex nõ pleno intellectu nostræ positionis. Non enim positio per operationem, per quam dicit locari rem incorpoream, intelligit solum operationem quæ est exte-

rior

rior motio localis uel alteratio realis, ut aliqualiter etiam tetigimus in re-
ſponſione ad primum, in expoſitione articuli Pariſienſis, ſed capit opera-
tionē largè, pro omni motu uel influxu uel habitudine, ſignificata per mo
dum operationis tranſeuntis in corpus: & exeuntis ab angelo uel ecõtra.
& quòd ille ſit intellectus poſitionis patet ex uerbis Thomę in primo ſen
tentiarum di. 37. q. 1. articulo primo: ubi uidetur ſequi iſtam opinionem,
qui ſic dicit. Relinquitur igitur, quòd angelus non poteſt diffiniri & deter
minari ad locum niſi per actionem uel operationem. dico autē operatio-
nem communiter, ſecūdum quòd angelus ſe habet ad corpus contentum
in loco, per modum præſidentis aut miniſtrantis, aut aliquo modo agen-
tis, aut patientis. hæc Thomas ad uerbum. Ex quibus uerbis patet reſpon
ſio ad argumentum, quia licet angeli non habeant operationem erga cœ-
lum empyreum, quæ ſit motio localis uel realis alteratio, habēt tamen ali-
quid ſe habens per modum operationis tranſeuntis, quale eſt præſidentia
uel aliquid ſimile. Ad quartum, cui adeo innitebatur ille Magiſter genera-
lis, & ſi quid ſit dicendum, ſatis patere poſſet ex uerbis Henrici ſupra alle-
gatis in ſolutione ſecundi, tamen audiamus, & quid ſanctus Thomas di-
cat de illa ratione. Dicunt quidam quòd angelus non eſt in loco circūſcri-
ptiuè ſed definitiuè, quia determinatur ad locum aliquem, ſic quod eſt in
hoc loco, ita quòd non eſt in alio cum eſſentia eius finita eſt: eo enim quòd
creata eſt, dicunt quòd oportet intelligere, quòd ſit determinata ad locum
aliquem. ſed iſta eſt ualde rudis probatio, quia procedit ex æquiuocatio-
ne finis. Cum enim dicitur eſſentia angeli finita, accipitur finis pro fine eſ-
ſentiæ & uirtutis, ſecundum quod definitio terminus dicitur, & non pro
fine dimenſionis. locus autem dicitur finitus, ſecundū tres quantitatis di-
menſiones. Finis autem ſecundum utranq; acceptionem, nullam cõmen-
ſurationem ſeu proportionem habet, unde non oportet, ut quod finitum
eſt, in eſſentiam ad terminos loci finiatur. hæc Thomas ad literam. ex qui
bus ſequitur, quòd ſi nõ mentitur Thomas, rudis eſt iſte Magiſter, qui ru-
dem probationem ſuam uocabat demonſtrationem. Ad aliam rationem
de puncto, dico quòd adhuc eſt rudior prima ratione. Punctus enim, eſt
res de genere quantitatis, habens ſitum de ſua natura. res autem incorpo-
rea omnino abſtrahit à ſitu, & profectò magna eſt ruditas imaginari, ſi-
militer eſſe de indiuiſibilitate rei incorporeæ, & de indiuiſibilitate pūcti,
quod ut etiam fiat clarius iſti Magiſtro, dicat mihi ipſe quæſo, Si eſſet uni-
tas ſeparata, utrum haberet determinatum ſitum. Certè patet quòd non,
quandoquidem per hoc diſtinguitur unitas à puncto, quòd punctus eſt
poſitionem habens, unitas autem non. ſed manifeſtum eſt, quòd angelus
& quælibet ſubſtātia incorporea, adhuc eſt abſtractior quàm ſit quæcun-
que quantitas ſiue cõtinua ſiue diſcreta. Metaphyſica enim, ut patet ſecun
dum omnes, eſt de abſtractioribus quàm ſit arithmetica, quæ eſt una ex

mathe-

mathematicis, ergo multo minus poterit dici de angelo quòd habeàt sitū quòd si iste Magister non potest imaginari abstractionem angeli, saltem qualis est abstractio unitatis, audiat quid de ipso sit dicendum secundum Henricum. Is enim in loco, ubi supra de ista loquens materia, inquit. Qui ergo non possunt angelum intelligere secundum rationem substātiæ suæ, ut unitatem absq; ratione puncti, sunt illi de quibus dicit Cōmentator super secundo Metaphysicę, in quibus uirtus imaginatiua dominatur super uirtutem cogitatiuam. & ideo ut dicit, uidemus istos non credere demonstrationibus, nisi imaginatio eos comitetur. et quicquid cogitant, quātum est aūt situm habens, in quanto ut punctus, unde tales melancholici sunt, & optimi fiunt mathematici, sed sunt naturales inepti. Hæc Henricus ad uerbum. ex quib. sequitur, quòd secūdum Henricum iste Magister sit māle dispositus ad studium philosophiæ naturalis, peius ad studium Metaphysicæ, pessimè ad studium Theologiæ, quæ etiā est de abstractioribus: relinquitur ergo ei solum aptitudo ad Mathematica, in quib. cum se non exercuerit, quod iudicium de eo faciendum sit, relinquatur ipsi met ut iudicet. Postquā solutæ sunt rationes, quæ communiter solent adduci contra fundamenta positionis, quā ego sum secutus in cōclusione mea, de modo descensus Christi, uolo & afferre uerba Alberti nostri, nō minus profecto doctrina quàm cognomento Magni, quæ memini me legisse apud eūm de ista materia, in libro Physicorum. Tractatu enim primo 4. libri, capitulo primo, postquam illud exposuit Aristotelis quòd antiqui decipiebātur, credentes, Quòd sicut quod non est, non est in loco, ita nihil sit ens, nisi in loco digrediens. deinde super isto passu sic inquit. Sūt autem etiam multi modernorum, qui concedunt consequens huius consequentiæ, licet sciant non ualere consequentiam, ex logicis enim scimus non ualere consequentiam, in qua proceditur à destructione antecedentis, ad destructionem consequentis. & ideo licet uerum sit, quòd illud quod non est nusquā est, tamē non propter hoc sequitur id quod est alicubi est, & licet hoc non sequatur ex dictis, tamen sunt multi qui dicunt, Quòd omne quod est in aliquo loco est, utentes tali ratione: Quia omne quod est unū aliqnod particulare est: particulare autem est hic & nunc, & quod est hic & nunc, alicubi est. ergo omne quod est, alicubi est. Amplius omne quod est, definitę essentiæ est, quia intra terminos sui coarctatur, & quod definitæ essentiæ est, in loco definitur, & quod in loco definitur, in loco est aliquo. Distinguunt aūt isti per Ioannem Damascenum dicentē, Aliquid in loco esse, dici dupliciter. Est enim aliquid circūscriptiuè, cui principium & medium & ultimum assignatur in loco, & hoc modo dicunt corpora esse in loco. Est item aliquid in loco definitiuè, cuius essentia sic finitè claudītur in uno loco, quòd extra ipsum nihil sui inuenitur. & hoc modo indiuisibilia dicunt esse in loco & similiter intelligentias & animas &c. Sed nos ista non

credimus, nã & ultimum cœlum nõ definitur, nec circũscribitur loco eo quòd omne quod est in loco clauditur, & continetur à loco, in quo est & intelligentia per naturã suam, nõ est in loco, nec in aliqua loci differentia. hæc Albertus ad literam, usitatam illam distinctionem de esse in loco, definitiuè & non circũscriptiuè nõ approbãs, quam tamen distinctionem, aliquo modo negari quidam Magistri omninò nephas existimabãt. Nũc ultimo restat, ut ostendam, qualiter sunt intelligenda uerba conclusionis meæ, & declarem etiã de uirtute sermonis ipsam esse catholicam. dicit ergo cõclusio: Christus non ueraciter & quantũ ad realem præsentiã (ut ponit Thomas & communis uia) descendit ad inferos, sed solùm quo ad effectum. Vbi est notandũ quòd Lì & ubi dicit, & quantũ ad realem præsentiam tenetur copulatiuè. & Lì ut cũ dicitur, ut ponit Thomas tenetur specificatiuè & determinatiuè ut mox declarabo. Ex quibus patet quòd prędicta cõclusio est una propositio copulatiua negatiua, uel de copulato extremo negatione præposita coniũctioni copulatiuè. cuius sensus est. Nõ est ita, quòd Christus ueraciter & quantũ ad realem præsentiam, eo modo quo ponit Thomas descẽderit ad inferos &c. & illa copulatiua æquiualet uni disiunctiuæ affirmatiuæ, de partibus contradicentib. scilicet ísti. Christus non descendit ueraciter ad inferos, uel nõ descendit ad inferos secundum realem præsentiam &c. Ex quo sequitur, quòd ex dicta conclusione, inferendo quòd Christus non ueraciter descendit ad inferos, est arguere à tota disiunctiua affirmatiua, ad alteram eius partem determinate. Talis autem argumentatio peccat secundum consequens. Disiunctiua enim affirmatiua, est consequẽs ad alteram eius partem. sequitur ulterius quòd ratione falsitatis prædictæ partis, non debet falsificari tota disiunctiua prædicta: unde in simili, ista propositio est uera. Socrates est homo. & ilia est falsa Socrates est homo, & Deus non est Deus. ex qua arguere, Ergo Socrates non est homo: profectò puerile est. At simili ex ísta copulatiua negatiua Christus non ueraciter, & quantum ad realem præsentiam, ut ponit Thomas, descendit &c. arguere, Ergo Christus non ueraciter descendit: puerile est, & hominis penitus nescientis logicã nec philosophiã nedum theologiam. Non solum autem non intendo in conclusione mea ístam propositionem esse ueram, Christus non ueraciter descendit ad inferos, sed neque ístam, Christus uel anima Christi, non fuit præsentialiter in inferno, & per realem ac ueram præsentiam suæ substantiæ, sed solùm intendo, quòd non fuit ibi per realem præsentiã: eo modo quo ponit Thomas & communis uia Ideo dixi quòd Lì ut tenetur specificatiuè & determinatiuè de Lì realis præsentia. Ideo non ualet, non fuit ibi realiter præsens eo modo, quo talis Doctor dicit: ergo nõ fuit ibi realiter præsens. Tenet aũt cõmunis uia, id est uia Scoti, Bonauenturæ & omniũ Scotistarũ & quasi omnium Nominaliũ, quòd ita fuerit ibi præsens, quòd sua substantia sua

Liuocabulum Italicũ, aduerbiũ scilicet Latinis ibi, in loco.

tia fuerit ei ratio præsentialitatis & locabilitatis: quã opinionẽ quia etiam Thomas mihi uidetur sequi in ista materia, ideo dixi, ut ponit Thomas & cõmunis uia. Communẽ uiam theologorũ appellans, quæ communiter nunc tenetur Parisijs, ubi præcipuè uiget studium theologiæ, ibi autẽ ferè omnes incedunt in ista materia, de præsentialitate animæ ad locum cum Scotistis & Nominalibus: & ego propter hoc solum, id est propter reuerentiã uniuersitatis Parisiensis, nolui ponere hanc meam conclusionẽ, nisi tanquam probabilem, etiã quòd uiderem ipsam secundum uiã multorum probatissimorũ doctorum posse etiã assertiuè poni: quòd aũt Lì ut possit teneri in cõmuni modo loquendi determinatiuè patet. Nam si quis dicat attributa non distinguũtur, ut dicit Scotus, apud omnes propositio haberet duplicem sensum propriũ, unus esset capiendo Lì ut relatiuè, & æquipolleret huic dictioni, quòd ac si diceretur attributa nõ distinguunt̃, quod scilicet attributa nõ distingui dicit Scotus, & propositio esset falsa, etiam secundum Thomistas, quia etiam ipsi concedunt attributa aliquo modo distingui. Alius sensus esset capiendo Lì ut determinatiuè & specificatiuè, æquipolleret huic dictioni, eo modo, quo ac si diceretur attributa non distinguuntur, eo modo distinctionis quo dicit ea distingui Scotus, & tũc apud Thomistas propositio esset uera: & ita est in qualibet propositione, ubi post recitatam opinionem, ponitur authoritas alicuius coniuncta per hanc dictionem, ut. Si ergo iste modus loquendi, & proprius & usitatissimus apud omnes theologos concedatur, oportet quòd etiam concedãt quod in propositione nostra, in qua dicitur Christus nõ descẽdit, ut dicit Thomas Lì ut sicut potest teneri relatiuè, ut sit sensus. Christus nõ descendit. quod scilicet Christũ descendisse dicit Thomas. ita etiã, & tam bene & tã propriè teneri specificatiuè æquipollendo huic, licet Christus descenderit præsentialiter, non tamen eo modo præsentialiter, quo dicit communis uia, & est sensus, quem ego intendo. Sed diceret fortè quispiam adhuc non effugis, quia deinde addis, sed solum quo ad effectum, ergo nõ solum excludis realem præsentiam, eo modo quo ponit eam communis uia, sed simpliciter omnem realem præsentiam, ex quo dicis quòd solum quo ad effectum, ita quòd dicent isti, propositio non tamen est negatiua, copulatiua ut dicis negando, scilicet præsentialitatem ad modum Thomæ &c. sed etiã affirmatiua, dicẽs, scilicet affirmatiuè, ꝙ Christus solũ quo ad effectũ fuit in inferno. Sed rudis est hæc obiectio, nã hæc dictio, sed, est dictio aduersatiua, & uigore eius importat̃, per sequentia ad ipsam, ueritas affirmatiua opposita dicto, ꝙ negat pars superior conclusionis, cui ista aduersatur. Si ergo ut probatum est in superiori parte, negatur solum præsentialitas animæ per substantiam, non quantum ad quod, sed quãtum ad quo, id est quòd non negatur substantiam fuisse præsentem, sed substantiam fuisse rationem præsentialitatis, ita etiam in ista ultima parte, quæ ponit affir-

affirmatiuã præcisè aduersantem illi, fuisse in inferno per effectum esse accipiendum, non quantum ad rem locatam, sed quantum ad rationem locandi, ut breuiter sit sensus, qui etiam rudibus patere potest, quòd ex quo substantiæ finitas, non fuit ei ratio localis pœnitentiæ, solus effectus fuit ei talis ratio. Recolligendo ergo breuiter dico, Quòd Christus ueraciter descenderit ad inferos, & quòd per realem præsentiam fuit in inferno. sed dico quòd nõ eo modo ueraciter & præsentialiter fuit, ibi quo dicit Thomas & communis uia, quia scilicet sua substantia, non fuit sibi ratio essendi in loco, ut ponunt illi, sed sua operatio. Et hæc opinio quàm sit probabilis, & à quàm multis Catholicis & excellentissimis doctorib. credita, iam satis patuit suprà, quòd etiam de uirtute sermonis sit uera, & non hæretica iudicanda, satis explicauimus, scimus enim quòd illa est uera. Christus non ut Deus & homo (ut ponit Arrius) satisfecit pro nobis, quia licet uerum sit, quòd ut Deus & homo, falsum est tamen, quòd eo modo existens homo & Deus, quo ponit Arrius: ita licet sit uerũ, quòd ueraciter & præsentialiter fuerit Christus in inferno, tamen probabile est, & à multis creditum, quòd non eo modo ueraciter & præsentialiter, quo Thomas dicit & communis uia modo supra expositò. Sed unus uidetur restare scrupulus, quòd hæc non fuerit mea intentio, cum posui conclusionem. Quia si Thomas in primo sententiarum tenet istam uiam, etiam ipse quòd operatio sit ratio angelum esse in loco, uidetur quòd conclusio etiam sit uera secundum Thomam, quare cum ego dicam, non ut ponit Thomas, uidetur quòd aliud ego sim opinatus de illo descensu, quàm id quod dixi, Hũc autem scrupulum non haberent, si benè meas conclusiones considerassent, ego enim huius sum opinionis, quòd Thomas in hac materia, de modo essendi in loco, rerum separatarũ, diuersa senserit, & non ubiq; eandẽ sequutus sit opinionẽ. quare licet in primò sententiarum, uideatur tenere istam uiam quam ego sequor, in conclusione tamen & alibi, ut in quarto sententiarum, & maximè in tertia parte Summæ, ubi tractat de hoc descensu, & ex qua potius quàm ex scripto iudicanda est opinio eius, uidetur esse cum opinione Scotistarum, Quòd ita fuit ibi per essentiam, quòd sua essentia fuerit sibi ratio locabilitatis & nõ effectus solum uel operatio. Dicit enim Thomas ibi, Quòd anima Christi fuit per effectum in alijs partibus inferni, per essentiã autem in lymbo &c. ex hoc dicto ego arguo sic. Vbicunq; est aliquid, per id quod est sibi ratio locabilitatis, ibi est per suam substantiam & realem præsentiam, ergo si effectus fuit animæ Christi ratio locabilitatis, ubicũq; fuit per effectum, ibi fuit per realem præsentiã suæ substantiæ. sed secũdum Thomã alicubi fuit per effectũ, ubi non fuit per realem sui præsentiam: ergo, secundum Thomam effectus nõ fuit ei ratio locabilitatis. hoc me mouit ad probabiliter credendũ, Thomam in hoc articulo ambulare cum Scotistis, sed quicquid sit de opinione Thomæ, nihil ad

hil ad propositum, quia errare in opinione Thomæ, non est errare in fide, & sæpe est multiplex opinio inter Thomistas de opinione eius. sufficit hoc quod euidenter apparet, quòd cum ego posui conclusionem, credidi hanc esse opinionem Thomæ, & quòd ego nunc extorqueo, propositionem ad sensum alienum, ab eo quem tunc habebam. Quod enim ego hoc à principio crederim, & hæc fuerit sententia mea, de opinione Thomę, cum posui conclusiones, ex hoc patet euidentissime, quia ego istam posui conclusionem, quòd de modo essendi in loco angelorum non differūt Thomas & Scotus. Scitur autem, quòd exprsse Scotus dicit, quòd seclusa omni operatione, adhuc substātiæ incorporeæ debeī locus, quare oportuit, quòd ego crederem Thomam esse in hac sententia, & ideo, licet ego firmiter tenerem, quòd Christus ueraciter & præsentialiter fuerit in inferno, & in hoc conuenirem cum Thoma, & cum omnibus Catholicis, tamen quia ego putabam Thomam credere suam substantiam fuisse sibi rationem locabilitatis & non operationem, ideo dixi in conclusione mea, non eo modo quo ponit Thomas & communis uia. Nec debet alicubi uideri mirabile, quòd Thomas in uno loco sequatur unam opinionem & in alio aliam, nam & in primo sententiarum sequitur opinionem commentatoris de genitis ex putrefactione, quam deinde in septimo Metaphysicæ & alibi reprobat. Item in secundo sententiarum sequitur opinionem commentatoris de materia cœli, quam deinde & in secūdo cœli reprobat & in Summa. Item in quarto & in quęstionibus super Boëtium de trinitate, tenet uiam commentatoris de dimensionibus interminatis, & in libello de inde proprio, ut creditur, & in multis alijs locis illam nō tenet. Item in primo sententiarum dicit, quòd eadem actione intelligitur ipsum intelligibile & ipsum intelligere. In prima uero parte summæ, & in tertio sententiarum tenet actionem reflexam differre à directa. Item in scripto tenet, quòd anima Christi secūdum quòd corpori coniūgibilis fuerit, sicut anima uiatoris, secundum uero quòd, uerbo coniungibilis ut anima comprehensoris. In summa autem tenet, quòd anima Christi totaliter, & quantū ad omnia, fuit sicut anima comprehensoris, & quòd ipsa claritatis impassibilitatisq; dotem in corpus non trāsfuderit, fuisse ex dispensatione diuina. Item & de scientia Christi aliter sentit in scripto & aliter in summa, & ita de multis alijs, quod est uidere, in quibus ipse diuersas diuersis in locis sequutus est opiniones. Quod si isti omninò contendūt opinionem illam de modo essendi, in loco secundum operationem esse, etiam Thomæ nihil plus habebunt contra me, nisi quòd opinio mea de modo descensus Christi, tantò est probabilior, & minus est hæretica iudicanda, quantò etiam secundum opinionem sancti Thomæ est uera. Ob id autem magis miror à Magistris istis damnatam conclusionem meam, quòd antequam istam conclusionem hæreticam iudicarent, super ea ipsemet meam intentionem his

uerbis non modo declaraueram, sed etiam scribendam annotandamq; dixeram, sic dicens. Nemo intelligat me ex hac conclusione dicere animam Christi non descendisse ad inferos, & animam Christi in triduo non fuisse in inferno, imò utrunq; confiteor. sed dico, quòd neque motus localis, neq; alicubi locari competit alicui substantiæ separatæ, sicut erat anima Christi, nisi ratione operationis. hæc præcisè & non alia, de uerbo ad uerbum eis notanda pronunciaui, pro breui declaratione huius conclusionis, quam cum adhuc postea hæreticam iudicauerint, quam iam pro Catholica habere possint ego non uideo. Et ut breuiter per modum argumentationis recapitulando ostendam, errare illos in fide, qui credũt propositionem meam ab hæresi non posse defendi, arguo sic, Ponens conclusionem in se hæreticam, potest accusari de hæresi, pro quanto hæresis est in intellectu. sed ponens prædictam meam conclusionem, non potest ex eius positione accusari de hæresi: ergo conclusio supradicta non est in se hæretica. maiorem ipsi habent pro concessa, minorem sic probo. Quotiescunque ponendo totum illud, ad quod sequitur de necessitate, a. propositio, non potest quis accusari de hæresi, etiam ponens, a propositionem, accusari non potest: sed ponens totum illud ad quod sequitur, positio conclusionis meæ, eo modo quo à me est posita, non potest accusari de hæresi: ergo & ponens ipsam propositionem, ut eam posui accusari non potest. Probo minorem sic, Contradictorium huius dicti rationem essendi in loco, id est hic uel ibi, modo supra declarato, separati substantijs est operatio non finitatio naturæ: non est de fide, & contradictorium huius dicti non licet arguere à tota copulatiua ad alteram eius partẽ, non est de fide, & contradictorium huius dicti. Si quis posita aliqua assertione negatiua uel affirmatiua, addat authoritatem alicuius doctrinæ cum propositione, ut Lì ut potest teneri, ita benè determinatiuè sicut relatiuè. Quia ita bene potest æquiualere huic dictioni. eo modo, quo sicut huic dictioni, quòd similiter non est de fide. & contradictorium huius dicti, per communem uiam, in rebus Theologicis congruenter possumus intelligere uiam, quæ communiter tenetur in ea uniuersitate, in qua tempore sic dicentis, magis uiget studium theologiæ, non est de fide. & contradictorium huius dicti, hoc tempore, in uniuersitate Parisiensi magis uiget studium theologiæ quàm alibi, non est de fide. & contradictorium huius dicti in uniuersitate Parisiensi, nunc communiter tenetur, quòd finitatio naturæ sit ratio locabilitatis substantiæ separatæ, non est de fide. & contradictoriũ huius dicti Scotus & maior pars Nominalium tenet, supradictam opinionem, & Thomas eam uidetur tenere, in tertia parte summæ, ubi ait de descensu Christi: non est de fide. Tunc sic. Si contradictoria horum dictorum non sunt de fide, sequitur quòd ista dicta ponere credere & disputare non est in se hæreticum, aut contra fidem, nec ipsa diffiun

ctiue

ctiuè uel copulatiuè ponens tenens & disputans potest accusari de hæresi. Sed ad hæc dicta simul & copulatiuè posita, sequitur positio conclusionis meæ, ut iacet præcisè: ergo ponens conclusionem meam præcisè, ut iacet de hæresi accusari non potest. Probationes autem omnium supradictorum habentur ex suprascriptis, nam de primo dicto patet, quòd non solum est hæreticum, sed etiam rationabilius suo opposito, & à multis Catholicis doctoribus creditum & approbatum: & in secundo consentiunt omnes dialectici, & omnes theologi, qui unquam dialecticam nouerunt. ita de alijs omnibus, de quibus etiam, si quis potest dubitare, uera sint an falsa, nemo tamen tàm rudis est, tàm expers omnis doctrinæ, tam ignarus fidei, & eorum quæ ad fidem attinent, qui diceret illa credi non posse absque hæresi, & sic eorum contradictoria esse de fide. Tunc autem ulterius arguatur sic. Qui credit conclusionem istam Christus. &c. Ex ui uerborum, & secundum proprium, & non extortum usum loquendi non posse habere sensum catholicum, credit contradictorium alicuius, uel aliquorum ex supradictis septem dictis esse de fide. Sed qui aliquid tenent, esse de fide, quòd non sit de fide, male sentiunt de fide. quia contra dictum Domini Deuteronomij. 4. Non addetis ad uerbum quod ego loquor uobis, neque minuetis ab eo: ergo de conclusione mea male, ut supra sentientes de fide male sentiunt. Vide ô Summe Pontifex, uidete ô apostolici ordinis augustissimi senatores, uide ô uniuersa Roma, imò Italia, imò Christianorum Ecclesia, ut conuincantur in hac prima propositione, in qua me maximè fulminabant, & in qua multis non tàm accusandi me, quàm excusandi de sua damnatione, ansam aliquam habere uidebantur: & de cæteris quidem conclusionibus patebit luce clarius, nullam uel minimam quidem potuisse eos habere occasionem damnandi eas de hæresi, & iam de ista prima in qua erant fortiores, uisum est qualis sit, & recténe, an non recte per eos fuerit damnata, præsertim iam explicato eis per me sensu, quem per eam intendebam, & uerbis conclusionis sine aliquo uel terminorum uel orationis abusu, uel extorsione applicato. Et quamuis hoc sufficiat ad defensionem conclusionis meę, tamen ad pleniorem huius materiæ discussionem, dico, quòd etiam interpretando conclusionem eo modo, quo ipsi interpretabantur, quòd scilicet Christus effectualiter tantum, non præsentialiter fuerit in inferno, adhuc aliquibus forte possit uideri præsumptuose per eos fuisse determinatum, quòd conclusio simpliciter esset hæretica. cum sit, quòd Durandus ordinis prædicatorum theologus maximus, qui fortè non minus doctrina Magistros istos excedit, quàm ego excedar ab eis, tenuit illam opinionem esse probabilem, & cum ueritate articuli bene defensabilem. Sic enim scribitur in tertio sententiarum, Ad tertium sic procedi-

tur, & uidetur quòd Christus secũdum animam non descenderit ad infernum, quia idem finitũ nõ potest simul esse in diuersis locis, sed anima Christi cũ esset creatura finita, & statim post mortem fuit in paradiso cũ anima latronis. Cui dictũ est Luc. 23. Hodie mecũ eris in paradiso: ergo tunc saltem non potuit esse in inferno. Item ea quæ Christus fecit & passus est in natura assumpta, ordinata fuerunt ad salutem humanam, sed ad hãc non potuisset, quòd Christus ad inferos descendisset, quia per passionem quã in hoc mundo sustinuit, liberauit nos ab omni culpa & pœna: ergo uidetur quòd Christus ad inferos non descendit. In contrarium est quod dicitur in Symbolo. Descendit ad inferos. Et apostolus dicit ad Ephesios 4. Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia descẽdit ad inferiores partes terræ. glossa, id est ad inferos, Respondeo quòd cum articulus sit, Christum ad inferos descendisse, & non potest intelligi ratione diuinitatis secũdum quam est ubiq;, nec ratione corporis secundum quam fuit in sepulchro, restat quòd intelligatur ratione humanæ naturæ animæ suppositi, quo uidenda sunt duo. Primum est per quem modum anima Christi descẽdit ad infernum. secundum est ad quem infernum descendit. Quantum ad primum sciendum est, quòd cum anima separata nõ sit corpus nec uirtus in corpore, non potest dici, quòd anima Christi descendit ad inferos, eo genere motus uel descensus, quo corpora mouentur: Eo genere motus quo angeli mouentur, non clarè patet: angeli enim dicuntur moueri de loco ad locum, inquantum successiuè operantur in diuersis locis. anima separata non dicitur habere aliquam operationem circa locum uel circa corpus existens in loco, quia cum ex natura sua sit determinata, ad certũ corpus non potest mouere, nec agere in aliud, nisi mediãte corpore proprio, sed illo caret dum est separata, ergo non potest anima moueri de loco ad locũ ratione operationis, quam habet circa locũ uel circa corpus existens. Nihilominus hoc nõ obstante, potest dici anima separata descendisse ad infernum dupliciter. uno modo secundum deputationem, & sic dicũtur descendere ad infernum animæ damnatorum simpliciter. quia simpliciter deputatæ sunt, ut resumpto corpore, sint in inferno, propter quod dicunt ibi esse ubi sunt simpliciter deputatæ. Animæ autem sanctorum patrum dicũtur in lymbo esse, uel ad lymbum descẽdisse, propter deputationem non simplicem sed conditionatã. quia resumpto corpore, nisi liberarent à redemptore. hoc aũt modo nõ dicit anima Christi descendisse ad infernũ, scilicet propter deputationẽ, quia omnis talis deputatio, est propter culpam contractam uel cõmissam quæ in Christo non fuit. Alio modo potest dici anima separata descendere ad infernum secundum effectum, & hoc modo potest dici anima Christi descendere ad infernum, propter duplicem effectum, quem habuit in illis qui erant in inferno. unus effectus fuit exhibitio

bitio uisionis diuinæ qua carebant, ad quam se habuit passio Christi per modum meriti, & quia totū meritum dependet principaliter ab actu animæ: ideo hic effectus attribuitur sibi, sicut principali principio merendi. Item per appropriationem sicut Christus secūdum animam fuit beatus, sic secundum eam attribuitur ei fuisse causam beatitudinis in alijs. Congruum enim est, ut ens in potētia reducatur ad actum, per id quod in actu est: alius effectus fuit secundum quosdam, ad quem se habuit anima Christi directè, per modum agentis, scilicet illuminare animas patrū, quæ erāt in lymbo, & de mysterijs quæ cadunt sub reuelatione. Secundum enim Dionysium septimo cœlestis Hierarchiæ: Christus secundum animam habet docere angelos, & ratione huius duplicis effectus, potest dici anima Christi descendisse ad infernum. Confirmatur autem hoc triplici ratione. Prima est quia moueri uel descendere competit animæ separatæ, non per modum motus corporum, sed per modum quo moueri competit substantiæ spiritali: sed reliquis substantijs spiritalibus, puta Deo & angelo, non competit sibi moueri de loco ad locum, per motum qui sit subiectiuè in ipsis, sed per effectum quem habent in alijs rebus: ergo simili modo competit animæ separatæ, & competebat animæ Christi. Secunda ratio talis est. Christus dicitur descendisse ad infernum, ut animas sanctorum patrum illuminaret ad uidendum Deum, in eodem autem instanti, quo Christus mortuus est, sancti patres uiderunt Deum. in eodem autem instanti non potuit anima Christi esse in inferno per motum, ergo nec descēdit illuc per motum qui esset in ipsa, sed per effectum quem habuerit in alijs. Item sicut in illo triduo dicitur anima Christi fuisse in inferno cum animabus sanctorum patrum, sic in illo triduo uel parte tridui, dicitur fuisse in paradiso cum anima latronis. cui dictum est Lucæ 23. Hodie mecum eris in paradiso. sed id non potest intelligi quo ad locum acquisitum per motum, cum secundum ponentes spiritus, in loco diffinitiuè moueri de loco ad locum, idem spiritus non potest esse in pluribus locis, nec moueri simul pluribus motibus, ad plura loca tendentibus. quare oportet ut intelligatur secundum effectum. Quòd si quis dicat, quòd Paradisus dicitur dupliciter uno modo locus corporeus, scilicet cœlum empyreum, & sic non fuit anima Christi in paradiso, nisi post assumptionem. alio modo dicitur paradisus uisio diuinæ essentiæ, & sic anima Christi fuit in paradiso ab instanti conceptionis, & anima latronis in ipso die passionis, per quem modū non repugnat animę Christi, quòd simul fuerit in paradiso sic dicto, id est ꝙ uiderit Deū, & ꝙ fuerit localiter in inferno, si sic, inquā, dicatur nō ualet, quia sicut paradisus dicitur dupliciter, sic infernus: Vno enim modo dicit infernus locus correspondēs infra terrā. alio modo carētia uisionis diuinę: sicut ergo anima latronis nō dicit fuisse cū anima Christi in paradiso, nisi ꝙa merito passionis Christi ani-

mala-

ma latronis uidit Deum, sic anima Christi non dicitur fuisse cum animabus electorū patrum in inferno, nisi quia animæ eorum quæ carebant uisione diuina. & sic dicebant esse in inferno, merito huius passionis purgatę sunt, ab hac carentia: utrunq; ergo de pari debet intelligi, quo ad effectū, nō quo ad locum uel motum localem, qui fuerit subiectiuè in ipsa anima. Quamuis autem istud probabiliter sit dictum, etiã satis uideatur saluare articulum, & dictum scripturæ, quia tamen uirtus diuina non cōprehenditur à ratione humana, ideo non est pertinaciter asserendū, Quòd anima Christi, per aliū modū nobis ignotū, non potuerit descendere ad infernū. Ad primū argumentū dicendum; Quòd idem finitū nō potest esse simul in pluribus locis diffinitiuè uel circūscriptiuè, nec isto modo ponitur animam Christi fuisse simul in paradiso & in inferno, sed secundū effectum: nihil prohibet quòd idem finitum dicatur esse in plurib. locis, quãdo effectus sunt cōpossibiles, & simul subsunt uirtuti eiusdē agētis: & sic anima Christi dicitur fuisse in paradiso simul & in inferno, quia merito eius, anima latronis uidit Deū, quod est esse in paradiso: & animæ patrū quæ carebant uisione diuina, & ob hoc dicebātur esse in inferno, liberatæ sunt ab hac carentia, & per consequens ab inferno. imò secūdum unū & eundem effectum, scilicet secūdum liberationem patrū, potuit anima Christi, dici simul esse in paradiso & in inferno, considerādo terminū à quo & ad quē illius effectus, ratione enim carentiæ uisionis diuinæ, à qua fuerūt per passionem Christi liberati, potuit dici anima Christi fuisse in inferno, ratione uerò uisionis diuinæ, ad quam sunt admissi, potuit dici esse in paradiso. Ad secundum dicendum, quòd eo ipso quòd per passionem Christi liberati sumus à culpa & à pœna dicitur Christus descēdisse in infernū, quia merito eius passionis, aliqui adempti sunt à pœnis inferni. Descēsus enim ille non attenditur secundum motum localem existentem in anima, sed secundum effectum quem habuit in saluandis, hæc Durandus ad uerbum. Qui cum talem opinionem nūquam inueniatur retractasse, si ipsa sit simpliciter hæretica, & consequenter contra iam determinata ab Ecclesia, sequitur quòd Durādus mortuus sit hæreticus, ô insignis ordo Prædicatorū, & nostræ religionis maximus splendor, potes hæc pati doctorē tuum primū, fortasse post Thomã, aut sine dubio inter primos, cuius libri quotidiè in tuis scholis, in tuis claustris, in tuis bibliothecis habētur, legūtur, coluntur, nunc esse pronunciatum hæreticū? agas tu causam doctoris tui, ego meam egi, imò tu ô Ecclesia tuam agas causam, quę permisisti per tot annos, & nunc, permittis Durandum publicè legi & tam nephandā iuxta hos magistros illius hæresim aut per ignorantiam nunquam agnouisti, aut per negligentiam & rei diuinę contemptum agnitam non damnasti. Quod si dicāt nō opus fuisse noua damnatione, cum hæc opinio sit de iam damnatis, primo ex hoc sequitur, quòd dixi supra. Durādum, scilicet

mortuum

mortuum esse hæreticum: secũdo & Capreolum & Durãdellum, & multos alios doctores, qui opinionem Durãdi recitant, & eam tamen de hæresi non arguunt, ignaros fuisse & rudes in fide, nec scientes discernere hęreticũ à nõ hæretico. tertiò dicant mihi isti patres, ubi ipsi istius opinionis legerunt damnationem? ego quidem ut de me fatear, me eam usquam legisse non memini. Conciliorum profectò determinationem nullam contra Durandum afferre possunt, cum non solùm damnata hæc nunquam fuerit opinio in cõcilijs, sed nec in aliquo eorum de ipsa habita mentio est. Dicta itidem scripturæ sacræ allegare, cõtra eum nescio quo modo poterunt, si non mentitur Scotus, qui dicit teste Francisco, quòd etiam de ipso descensu Christi, nedum de modo descensus, non habetur expressa mentio in doctrina Euãgelica, & perpræmissa à nobis in principio, quòd patet de modo, quo uteretur fortè Durandus ad exponendum authoritates scripturę, quæ uiderentur esse contra eum. De authoritatibus sanctorum fortè multas possent adducere, dicentium, fuisse animam Christi in triduo in inferno, sicut corpus fuit in sepulchro: & similia. & quicquid sit de phãtasia Durãdi, quo scilicet modo ipso supradictas authoritates exponeret, forte dicẽdo de anima hoc dici, & nõ de toto composito, quia per animam principaliter illa sit operatus. quicquid, inquã, ipse dicat. cuius ego opinionem nec teneo, nec unquam tenui, ego hoc dico, & firmiter assero, non ualere istam consequentiã. hæc opinio est contra dicta Augustini uel Hieronymi uel Gregorij, & sic de cæteris doctoribus ecclesiæ. ergo est hæretica, & huius dicti ueritas, sicut est à bonis omnibus & subtilibus theologis credita, ita à me etiam euidenter probabitur. Quam enim sanctorum doctorum scriptura, extra canonem Bibliæ posita, sit tradenda & legenda, & cum debita reuerentia suscipienda, non tamen sunt eorum dicta ita firmæ authoritatis & immobilitatis, ut eis contradicere non liceat, & circa ea dubitare. nisi uel per scripturam sacram aliter probentur euidenter, & expressè, uel firmiter per Ecclesiam ipsa authorisantem determinatum fuerit, illa firmam ueritatem & indubiam continere. Ideo per dicta sanctorum, extra canonem Bibliæ pręcisè, non potest conuinci opinio hæretica manifestè, nam ubi non est infallibilis ueritas, ibi nec fides certa & indubia. Cum fides certa ueritati infallibili innitatur, imò circa talia non est assensus infallibilis, nec adhęsio firma: ex quo enim ibi certa ueritas & indubia fides non est, ei semper assentitur, cum dubio & cum formidine falsi. quia dicit Augustinus in epistola ad Hieronymum & undecimo libro contra Faustum cap. 7. & 16. contra eũdem Faustum, si scriptura non continet ineffabilem ueritatem, & in aliqua parte sui falsa inuenitur, non remanet in ea certa fides, qua ei firmiter credatur, & propter falsitatem repertam in una sui parte, tota suspecta habetur, & sic fides titubaret. Quia ut dicit Augistinus de fide Christiana cap. septimo Titubat fi-

bat fides, si sacrarum scripturarum uacillat authoritas. Quod autem in dictis sanctorum, extra canonem Bibliæ non sit ueritas infallibilis, quãtum ad præsens attinet, tres mihi succurrũt probationes, Prima est qa ipsimet doctores de dictis suis dubitant, an in eis errauerint an non. Vnde Augustinus primo de Trinitate c.1. inquit, Nec pigebit me si cubi hæsito quærere, nec pudebit me si cubi erro, me corrigere. & c.2. Perinde quisquis hoc legit, pariter ubi hæsitat, quærat, ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me, ubi meum, reuocet me. Hinc liber Retractationũ Augustini, in quo multa ex dictis ab eo antea damnat & retractat. unde & secundo de Trinitate, Magis optabo à quolibet reprehendi, quàm siue ab errante, siue ab adulante laudari: laudator enim & errans, confirmat errorem, adulator uero allicit in errorem. emendabit autem me iustus in misericordia, & arguet me. oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Et sicut dicit Guido Carmelita in libro de Hæresibus: licet Augustinus in his dictis loquatur humiliter, nihilominus loquitur ueraciter. Vnde ipse ad Vincentium dicit, Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita in meis tam multis opusculis, multa esse quæ possunt iusto iudicio & nulla temeritate reprehendi. & in libro de uera Religione inquit, Quicquid in libris meis erroris inuenietur, hoc solum mihi est attribuendum, quicquid autem uerum aut bene expositum, illud uni omnium remuneratori & largitori Deo tribuatur. Possunt ergo dicta Augustini egregij & diuini doctoris, non semper in omnibus continere indubiam ueritatem, cum ipse circa ea dubitet, errauerit necne. Et quod dictũ est de Augustino, dictum intelligatur similiter de alijs Doctoribus. Secũda probatio sumitur à discordia, quæ est inter ipsos authores. discordia enim in scriptoribus testimonium est falsitatis, cum sit necesse, quòd saltem unus discordantiũ falsum dicat, quia necessariò altera pars contradictionis est falsa. Ideo Augustinus 16. de ciuitate Dei, probat sctipturæ sacræ ueritatem, ex mutua concordia scriptorum eius, in qua omnes concordant, & nullus ab alio discordat, quod attestantur scripturæ sacræ indubiè & infallibili ueritati. Vero enim, & ueritati ut dicit Philosophus primo ethicorum, omnia consonant, quod non accidit in alijs scripturis. Quanta enim sit discordia in dictis sanctorum extra canonicas scripturas, nemo non nouit, nisi qui illorum libros non legit. Discordat Augustinus à cæteris sanctis doctoribus circa intelligentiam operum sex dierum. quia alij ponunt, quòd Deus fecit illa sex dierum opera, secundum successionem temporis dierum, à quibus discordat Augustinus, qui ponit omnia simul facta, iuxta illud, Qui uiuit in æternum creauit omnia simul. Vnde motus Augustinus numerat illos sex dies, non secundum successionem temporum sed secundum distinctionem cognitionis angelicæ rerum, in proprio genere, & uerbo, & tamen non dicuntur illi uel isti hæretici: & constat quòd una opinionum

est fal-

est falsa, & per consequens dicta eorum non innituntur ineffabili ueritati. Similiter discordant Hieronymus & Augustinus, quia Augustinus omnium Psalmorum authorem facit Dauid, quod negat Hieronymus. discordant similiter super repræhensione Petri à Paulo, an fuerit de peccato mortali, aut ueniali ipsius Petri? Item etiam discordant in cessatione legalium, sic quòd sibi contradicendo, unus necessariò falsum dicit: & tamen ex hoc neuter eorum hæreticus reputatur. Similiter Beda super primo regum dicit, quòd Samuel fuit uerus sacerdos quod expressè negat Augustinus in libro de quæstionib. Noui & Veteris testamẽti dicẽs, Samuelem non fuisse sacerdotem, cum non fuerit de filijs Aron. Et Hieronymus primo contra Iouinianum dicit, simulq; cognoscendum est, quòd Samuel leuita non sacerdos, nec pontifex fuit: ideoq; non nominatur inter sacerdotes, sed inter eos qui inuocant nomen Domini. Dicta ergo istorum, non innituntur infallibili ueritati, cum sibi contradicant, quorum una pars necessariò est falsa: ut patet per philosophũ. 4. Metaphysicæ. Quin ipse Augustin. in hac sententia sibimet uidetur aduersari, nam in libro de quæstionibus Noui & ueteris Testamẽti. q. 46. dicit, Vt diximus Samuelẽ nõ fuisse sacerdotem. & tamen. 12. contra Faustum. cap. 35. sic dicit, Commutatum sacerdotium in Samuelem reprobato Heli, & commutatum est regnum in Dauid Saule reprobato. ubi clarè Augustinus dicit, translatum sacerdotium in Samuelem, sic quòd Samuel uere fuerit sacerdos, sicut Dauid uerè fuit rex. De eodem etiam Samuele an fuerit resuscitatus, uidetur à seipso dissentire Augustinus. Nam in quęstionibus Noui & Veteris Testamenti. q. 27. tenet, quòd Samuel non fuit per Pythonissum uerè resuscitatus, sed dæmon in similitudine Samuelis apparuit Saulí. Et in libro de Cura pro mortuis agenda ponit, Quòd anima Samuelis à dæmone uerè excitata, per artem Magicam loquuta fuerit Sauli. Hieronymus etiam in illa. q. an Salem fuerit Hierusalem, uidetur in quadã sua epistola de cuius titulo non memini, sibi contrarius. qui etiam de 70. interpretibus, cõtrarium sentit Augustinus. Item Gregorius & Dionysius discordant circa ordines Angelorum. Et solus Hieronymus, cæteris circa promotionem bigami aduersatur, ipse enim tenet & scribit in epistola ad Oceanũ, Quòd bigamus ante baptismum, siue post baptismum, potest promoueri: si modo post baptismum plures non cognouerit uxores. cui contradicunt cæteri, dicentes: Quòd bigamus, siue ante baptismum, siue post baptismum, non potest promoueri, & in hoc existimatur istos melius dixisse, ut scribit Augustinus de bono Coniugali, & Ambrosius de Officijs. Item Hieronymus ad Marcellam, de quinque quæstionibus scribens dicit, sanctos qui in fine mundi inuenientur, non morituros sed uiuos assumendos. Augustinus autem in libro de ciuitate Dei. Omnes tunc morituros affirmat. Item Hieronymus super Matthæum dicit hoc dictum Psalmi: In omnem

terrã exiuit sonus eorũ. &c. et illud Christi, Prædicabit Euãgelium hoc in uniuerso mundo: esse completum per Apostolos. Augustinus aũt in epistola ad Hęsichium, cui cõsentit Origenes super Matthęũ, tenet, hoc nondum esse cõpletum. Item Hieronymus super epistola ad Titũ. tenet angelos per multa sæcula ante mundũ uisibilem extitisse, & Deo seruisse: quod & Ambrosius tenet in Exameron. Augustinus autem per Genesim tenet, quòd simul cũ cœlo empyreo sint creati. Item Hieronymus in prologo libri Sapientię tenet, quòd ille liber sit Philonis, & nõsit cõputandus inter sacras scripturas, Augustinus aũt in tertio retractationũ, ostendit se quandoque tenuisse, quòd fuerit editus à Iesu Syrach quod ibi retractat: & licet non exprimat à quo sit editus, tamẽ in libro de doctrina Christiana, ipsum enumerat inter libros sacros. Item Hieronymus in libro Hebraicarũ quæstionum dicit, Quòd Deus antequã cœlum & terrã faceret, paradisum ante condiderat. propter illud quod dicitur: Plantauerat Deus paradisum a principio. Augustinus aũt super Genesim ad literam, exponit à Principio id est tertia die. Item Augustinus in libro de concordia Euangelistarum asserit, totã negationẽ Petri, factam fuisse in atrio Annæ, & quæ dicta sunt inde post missum Iesum ad Caiapham, recapitulando dicta esse. Hieronymus aũt super Matthęũ, uidetur uelle, quòd Petrus in atrio Caiaphæ negauerit. cui Beda in Lucã consentire uidetur. Item Hieronymus super illud Abauch. Mundi sunt oculi tui: negat singulos angelos præpositos singulis corporalibus creaturis. & Augustinus in 83. quæstionibus, tenet quod sic. cui consentiunt Origenes & Damasconus. Item Hieronymus super illud Ionæ. Tollite me, & mittite in mare. dicit, ꝙ licet propria perire manu, ubi castitas periclitaẽ. Augustinus uero in libro de ciuitate Dei, cõtrarium affirmat. Multa deniq; reperiũtur talia, quibus sancti doctores inter se, salua fide cõtraria conscripserunt Sed nec omnia succurrũt, properanti maximè. neq; enim elaborari hoc à me opus potuit exactiore diligentia, quod uolui uenienti statim iniustæ infamiæ morbo occurrere, scripturus aliàs, super hac re, ut maiore ocio & cura, ita & plura & fortasse meliora, addam tamẽ & illud, quod nũc occurrit Hieronymi in epistola ad Augustinũ sic dicentis. Nec mireris, si in tuis libris & maximè in scripturarũ expositione, quæ uel obscuriſsimæ sunt, quædam à recta linea discrepare uideantur, & hoc dico nõ quòd in operibus tuis quædã reprehendenda iam censeam, neq; enim lectioni horum unquã operã dedi, nec horũ exemplariorum apud nos copia est, præter soliloquiorum tuorum libros, & quosdam cõmentarios in Psalmis: quos si uellem discutere, non dicã à me quid nihil sum, sed à ueterũ Græcorum docerem interpretationibus discrepare, hæc ille. Sicut ergo ipsi ad se inuicem, ita & nos ab eis in multis salua fide & ueritate scripturæ, & sanctæ ecclesię determinatione, dissentire possumus. Tertia probatio sumitur ex speciali prærogatiua sacræ scripturæ, &

ræ, & ſanctionum uniuerſalis eccleſiæ, quibus ſolis concedimus infallibi
lis ueritatis excellentiã. Vnde Auguſtinus contra Hieronymum in epiſto
la ad eũ ſic dicit. Ego enim fateor charitati tuæ ſolis ſcripturæ Libris, quę
iam canones appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nul
lum horum authorum ſcribendo erraſſe firmiſsimè credam, aut ſi aliquid
in eis offendo literis, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud quàm
mendoſum eſſe codicem, uel interpretem non aſſecutum eſſe, uel me mi-
nimè intellexiſſe, non ambigam. Aliorum aũt ſcripturas ita lego, ut quan
talibet ſanctitate & doctrina polleant, non ideò uerum putẽ, quia ipſi ſen-
ſerint, ſed quia uel per alios locos ſacræ ſcripturæ, uel probabili, id eſt eui-
denti ratione, quod à uero non abhorreat, perſuadere potuerũt, nec te Fra
ter mi, arbitror ſic libros tuos legi uelle, tanquam Prophetarũ & Apoſto-
lorum, de quorũ ſcriptis, quòd omni errore careãt, dubitare nephandum
eſt. abſit hoc à pia humilitate & ueraci de temetipſo cogitatione. Et ipſe
Auguſtinus 3. de Trinitate, Sane cum in omnibus literis meis, non ſolum
pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſiderem. Veruntamẽ ue
lut lectorem meum uolo mihi eſſe deditum, ita correctorem nolo, ſibi. &
ſicut illis dico, nullis meis literis quaſi ſcripturis canonicis inſeruire, ſed
in illis, & quod non credebas cum inueneris, incunctãter crede, in iſtis au-
tem literis, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmi-
ter tenere, ita illi dico noli meas literas ex tua opinione uel contentione, ſed
ex diuina lectione, uel inconcuſſa ratione corrigere. Et Auguſtinus in Epi
ſtola ſiue libro ad Vincentium, Noli ergo frater cõtra diuina tam multa,
tam clara, tam indubitata teſtimonia colligere, uel calumniari Epiſcopo-
rum ſcripta minorum, ſicut Hilarij, Cypriani, uel Agrippini, nam hoc ge
nus literarum, ab authoritate canonum diſtinguendum eſt: non enim ſic
leguntur, tanquam ex eis ita teſtimoniũ proferatur, ut contrà ſentire non
liceat. Et in epiſtola ad Fortunatum idem Auguſtinus. Nec quorumlibet
diſputationes, quãuis Catholicorũ laudatorũ hominum, uelut ſcripturas
canonicas habere debemus, ut nobis nõ liceat ſalua honorificentia, quæ il
lis debet hominibus, aliquid in eorũ ſcriptis improbare ac reſpuere. Et in
libro de unico Baptiſmo: Quis neſcit canonicã ſanctam ſcripturam, Ve-
teris & Noui Teſtamenti, certis ſuis terminis cõtineri, eãq; poſterioribus
omnibus Epiſcoporũ literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari non
poſsit, utrum uerum aut ratũ ſit, quicquid in ea ſcriptum conſtitit eſſe: Epi
ſcoporũ aũt literas, quæ poſt confirmatũ canonem ſcriptæ ſunt, uel ſcri-
buntur, & per ſermonẽ fortè ſapientioris cuiuslibet, & per aliorũ Epiſco-
porum grauiorem authoritatẽ doctioremq; prudentiã, & per concilia li-
cere reprehendi, ſi quid in eis fortè eſt à ueritate deuiatum. Poſſent infinita
huiuſmodi adduci, ex quibus pateret, dicta ſanctorũ infallibili ueritati, ut
præciſè ſanctorũ ſunt nõ inniti. Vnde & ſæpe inuenies, modernos docto-

res discedere à dictis sanctorum. dicit enim Robertus Olchot, quòd sanctus uir Anshelmus, in multis deceptus, propter ignorantiam logicæ. & Ocham de actib. Hierarchicis non sentit cum Dionysio, & Scotus in 3. sententiarum quasi destruit totum processum Anshelmi, in libro cur Deus homo. & ita sæpè alibi inuenies de alijs doctoribus. Volui autem hæc hic adducere, non tàm ob Durandi opinionem, quam ego nec teneo, nec unquam tenui, quapropter id quod mox in principio secundæ. quæst. tractabitur. Ex his omnibus concludo, quòd si non inuenitur expressa determinatio, uel scripturæ sanctæ uel uniuersalis ecclesiæ contra opinionē Durandi, præsumptuosum est ipsam dicere simpliciter hæreticā: si autem inueniatur, ferat oportet Durandus patienter hāc notam. Sed dicet aliquis, esto, quòd sensus tuus (quem declarasti, te prætendere, per illam propositionem) sit catholicus, esto, quòd illum etiā permittat uis uerborū nónne & propositio tua potest facere illum sensum Durandi, quem tu etiam detestaris, & propterea tu errasti, ponens conclusionem, quæ scandalū posset facere in mentib. fidelium? ad hoc ego dico primo, quòd alia est ratio eorū, quæ proponuntur disputāda, alia eorum, quæ ad doctrinam in scriptis traduntur legenda. Cum enim quid disputādum proponitur, breuis & concisa, & inexplicita proponitur propositio, in se & uerborū & sensuū multiplices implicans difficultates, in ipso disputandi congressu dissoluendas, alioquin si omnia ibi explicarentur, disputationi locus non relinqueretur: propterea ambiguam, obscuram uel æquiuocam propositionem ponens disputandam, ideo excusatur, quia futurū est, ut inter disputandum ipsam distinguat, & declaret: qui uero doctrinaliter aliquid literis mandant, id faciunt scribendo, quod hic fit disputando, quare ibi omnia clara, dilucida & expedita esse debent. Secundo considerent seueriores isti censores, nō solum difficilè, sed penè impossibile esse, ita librare & examinare uerba omnium propositionum, quas quis proponit, ut nulla possit esse in sensu ambiguitas, & erronea inde opinio nulla elici possit, nec ego profectò, meis propositionibus arrogare uolo, quòd euāgelicæ & Apostolicæ multæ propositiones non habent, multas enim & inter illas est reperire, quæ & multiplices habent intelligentias, & ad erroneum sensum transferri possunt, imò quæ & prima facie sonare hæresim uidentur. Hinc omnes hæreses pullularunt, dum scilicet aliqui, non tàm profunditatem sensus introspiciebant, quàm quid cortex uerborū Euangelicorum sonet, attendebāt. hinc Arrius audiens, Pater maior me est: patrem credidit esse maiorem filio, & filiū dixit esse creaturam. hinc Heluidius audiēs, Quòd Ioseph non cognouit Mariam, donec peperit primogenitū suum: attendens potius uim grammaticalem illius dictionis donec, q̄ ueritatem sensus Euāgelici, de perpetua uirginitate Mariæ dubitauit: hinc Marcion illud Pauli legens. Lex autem subintrauit ut abundaret delictum, credidit

legem

legem Moysi esse malam, & à malo principio. Iuxta Manicheum, & Basilides illud legens. Ego aliquando sine lege uiuebam: credidit animam Pauli, in alio corpore aliquando uixisse. Hinc Eunomius audiens Christum respondentem Iudæis accusantibus eum, quod se diceret filium Dei, scriptum esse, & illud, Ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes. rem potius dictam, & id quod secundū se responsum est attendens, quàm intentionem & propositum respondentis, credidit eo modo Christum filium Dei dici, quo & quilibet sanctus dicitur Dei filius. Similiter & hæc propositio, Illam diē neq; filius nouit. multis fuit occasio credendi, plura intelligere patrem quàm credat filius, quam si secundum sensum quem communiter faciunt uerba etiam interpretemur, id uidetur præ se ferre, cum tamen alia sit latentis sensus ueritas. Possem infinitas similes propositiones adducere, ex canone scripturarū, & ideò benè dixit Hilarius, Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia nō sermoni res, sed rei est sermo subiectus. Et glosa super istum textum, inquit: Non semper debemus intelligere, ut uerba prima facie sonare uidentur, maximè ubi ambigua sunt, sed debemus recurrere ad intentionem loquentis. Et Gregorius (inquit) plerunque dum proprietas uerborum attenditur, sensus ueritatis amittitur. Et Gregorius 26. libro Moralium. Non debet aliquis uerba considerare, sed uoluntatem & intentionem, quia non debet intentio uerbis deseruire, sed uerba intētioni. Et Hieronymus super epistolam ad Galatas testatur, Non in uerbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, nō in sermonum foliis, sed in radice rationis. Propterea Ocham in dialogo falsificat hanc cōmunem propositionem, uerba non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu accipienda sunt, maxime in secunda parte. dicit enim, Quòd in uerbis ambiguis & multiplicibus, non est recurrendum ad communem intelligentiā, sed potius ad intentionem loquentium, & ita dum est ambiguitas in doctrina alicuius dicentis uel scribentis, similiter recurrendum est ad intentionem dicentis, ut ipse se exponat, & exprimat uerū sensum, quem permittat uis uerborum. nec est reprobandus, nisi posset conuinci, q̄ talis sensus uerus aliis dictis suis esset contrarius, uel esset impertinens proposito suo, & ita etiā in simplici loquela ad intentionem loquentis recurrendum esse, dicit idem doctor, & standum esse interpretationi eius, nisi constat aut probabiliter, uel uiolenter præsumatur, quòd tali modo loquendi ambiguo usus est, ad decipiendum, uel ad alium malum finem. Ex quibus omnib. cōcludo, quòd non ego erraui, qui cum protestatione probabiliter multiplicem proposuerim propositionem, inter disputandum declarandam, quę tamē etiam nullum potest facere sensum, quem etiam aliquis doctor non reprobatus, aut pro tali nondum per ecclesiam declaratus tenuerit, sed errauerunt potiùs, qui propositionem habentem sensum catholicū, quem permittit uis

uerborum, & quòd est magis in eo, sensu catholico iam eis à proponente declaratam, simpliciter hæreticam esse iudicarunt. Quod etiam si ante declaratum sensum meum feciſſent, licet forsitan excusabilius erraſſent, tamen quia si uerè docti sunt, per se etiam poterant cognoscere, habere propositionem duplicem sensum, quod attendentes non solum simpliciter eam damnare, sed in bonũ etiam potius eam sensum interpretari debuiſſent, nam Augustinus in libro de concordia Euangelistarum illud Matthæi exponens: Nolite iudicare & non iudicabimini: inquit, Hoc loco nihil aliud præcipi existimo, nisi ut ea facta, quę dubium est quo animo fiãt, in meliorem partẽ interpretemur: de factis enim medijs, quæ possunt bono & malo animo fieri, temerariũ est iudicare maximè ut condemnemus. Quod ergo de his quæ fiunt dicit Augustinus, dictũ pariter intelligamus de his quæ dicuntur, & ita speculatiuis applicantes sententiam Augustini, concludamus, Quòd in ijs dictis, quæ possunt habere bonum & malum sensum, temerarium est iudicare, maximè ut condemnemus.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE POENA peccati mortalis disputatio.

EST autem secunda conclusio, quam isti damnauerunt hæc. Peccato mortali finiti temporis, non debetur pœna infinita secundum tempus, sed finita tantum. & quia dum pono conclusionem in libello meo, hæc præmittuntur uerba. Nisi essent dicta sanctorum, quę in manifesto sui sermonis uidentur dicere oppositũ, firmiter assererem, infrascriptas conclusiones: assero tamẽ ipsas esse probabiles, & rationabiliter posse defendi. quarum prima est hæc. Peccatum mortale est in se malum finitum. secunda est hæc, Peccato mortali finiti temporis &c. Quidam Magister, de hac mecum cõclusione habens disputationem, Quid, inquit ipse, aliud quærimus testimoniũ, quòd tua conclusio sit hæretica? cum tu ipse met manifestè dicas, eam esse cõtra dicta sanctorũ: ualet enim consequentia, Est contra dicta sanctorum. ergo est hæretica. ostendi ego tunc ei, ut etiam inferius ostendam, quomodo mea conclusio, sententijs sanctorum nihil repugnabat, & quomodo erant intelligenda uerba, sed quando ita fuisset, quod conclusio esset contra dicta sanctorum, quantum ualeret sua consequentia, & quàm docto ut se ipse iactabat Theologo, esset indigna, patere potest unicuique, ex supradictis in prima conclusione. scio quid dicerem hîc de isto Magistro: est enim is, qui toties in patriam literas misit, de me quasi trophæum triumphumq; pollicentes, sed uolo, ut præmisi à principio, rationibus non conuicijs agere causam meam. Venio ad cõclusionem, & quia isti Magistri iudicauerunt, & conclusionem ipsam & responsiones etiam, quas eis super hac conclusione me interrogantibus dedi, esse falsas, erroneas & hæreticas, uolo prius declarare, ipsam conclusionem esse catholicam & consonam dictis ferè omnium doctorum. dico

autem

autem meam, quia si eam in alio sensu capias, quàm in eo quem ego per ipsam intendo, iam non est ista mea conclusio, quam ego proposui. Propositio enim multiplex est, multę propositiones, deinde uolo declarare, ipsas etiam responsiones meas esse tales, tàm de ipsa conclusione, quàm de ipsis responsionibus, declarando semper, quòd sensus meos, id est quos per illas intendo, permittit uis uerborum. Pro declaratione ergo conclusionis, quinque sunt notanda. Primò notandum, quòd in peccato duo possunt considerari, conuersio ad bonum creatum, & auersio à bono incõmutabili & increato. Primo modo peccatum est malum finitum, etiam secũdum omnes doctores, secundo peccatum est malum finitum, secundum cõmunem uiam. & quia conuersio ad bonum creatum, quo peccando abutitur peccator, est de intrinseca ratione ipsius peccati, ideò dicitur, quòd peccatum est intrinsecè malum finitum. auersio autem à bono increato, facit ipsum esse extrinsecè infinitum, quia solum pro tanto dicitur infinitum malum, quia est auersio ab infinito bono, & ideo solum relinquitur, quòd sit extrinsecè & obiectiuè infinitum malum. Secũdò nota, quòd per tempus possumus intelligere solum tempus uiæ, & hoc modo certum est, quòd neque peccatum, nec quicquam aliud ad hominem pertinens, possit esse infinitum secundum tempus, cum tempus uiæ cuiuslibet uiatoris sit, non solum duratione & finitum, sed etiam breue. alio modo possumus intelligere per tempus, tempus uiæ & termini, & hoc modo accipitur in cõclusione, & sic aliquid potest in homine durare per tempus infinitũ ut patet. Tertiò nota, quòd peccatum mortale potest capi dupliciter. Vno modo, pro actu prohibito, uel obmissione actus præcepti à Deo. alio modo pro reatu derelicto ex prędicto actu prohibito, uel dicta obmissione actus, qui quidem reatus, in multis locis sacræ scripturæ dicitur peccatũ. & per tale peccatũ, denominatur aliquis peccator, cessante uel transeunte actu peccati primo modo dicti. Ex quo tertio notando patet, quòd rationabiliter est dicendum, quòd licet in isto qui damnatur pro peccato mortali, aliquando finiatur ipsum peccatum, pro quo damnatur, quantum ad entitatem intrinsecam ipsius actus, qui primo modo denominatur peccatum, non finitur tamen, quantum ad reatum. imò si sic finiretur, non deberetur ei pœna æterna, & ita peccatum, cui debetur pœna, infinita est, infinitum secundum tempus quantum ad reatum. Quartò est notãdum, quòd deberi capitur dupliciter, uel dupliciter potest intelligi, quòd alicui peccato debeatur aliqua pœna. uno modo, dicitur id alicui deberi, quod ei aliquando reddetur, & sic dicitur rationabiliter & catholicè, quòd peccato finiti temporis, quantum ad entitatem intrinsecam & reatum non debetur pœna infinita, secundum tempus, & isto modo intelligitur conclusio præsens, quòd peccato finiti temporis non debet, &c. Omne enim peccatum, cui debetur isto modo, id est pro quo aliquãdo reddetur pœna

infinita est, dicto modo infinitum, nec unquã aliquis damnatur, nisi peccatum, pro quo damnatur sit illo modo infinitum, secũdum tempus. Habet autem conclusio, & alium sensum Catholicum, hunc scilicet quòd nũquam debetur ita, scilicet quòd reddatur alicui pœna infinita, secundũ tempus, nisi ipse sit finaliter impœnitens, & sine fine obmittat pœnitere, de illo peccato quod obmisit uel commisit in uita: ita quòd pro temporali peccato, prædicto modo debetur pœna infinita, si non redeat peccator ad iustitiam. Sicut enim pœnitentia finit peccatũ, quantum deacceptationem, scilicet, iuxta illud: Quacunq; hora ingemuerit peccator: &c. ita inpœnitẽtia de aliquo peccato, perpetuat ipsum in reatu & deacceptatione ad pœnam infinitam. & sic nunquam alicui pœna infinita debeẽ, illo primo modo, nisi habeat peccatum infinitũ secũdum tempus. Vindicta enim, quam de peccatore petit Deus, est quod redeat peccator sponte ad debitum obedientiæ, dolendo de cõtemptu, aliâs torquebitur quousque sic uelit. Alio modo potest intelligi, aliquid alicui deberi, quo meritoriè uel demeritoriè dignus est, & quod ei etiam reddetur, si in illo decedat, & sic pro peccato mortali finiti temporis, debetur pœna infinita: quia qui mortaliter peccat, in tempore unius horæ, est dignus pœna infinita, ipsaq; ei reddetur, si in isto finaliter decedat, etiam posito, quòd non habet aliud peccatum infinitum secundum tempus. hæc distinctio huius distinctionis deberi, est in frequenti usu apud Theologos, unde iuxta istam distinctionẽ dicunt doctores. quòd præscito pro actu meritorio, quem dum est in gratia elicit, non debetur uita æterna. capiendo deberi primo modo, quia nũquam ei reddetur, & similiter dicetur quòd prædestinato, dum est in peccato mortali, non debetur pœna ęterna, quia nunquam ei reddetur, eo quòd peccatum illud finietur, & in eo non morietur, sed in gratia. Ex prædictis patet, quòd ipsa conclusio mea, habet sensum Catholicum etiam secundum usitatum modum loquendi catholicorum doctorum, nec fuit damnãda pro hæretica, falsa & erronea, cum oppositum eius potius falsum sit & erroneum. ruditatis aũt maximæ erat credere, quòd ex prædicta conclusione, ego intendebam negare pœnam æternam damnotorũ, quinimò ex conclusione mea habetur perscrutatio causæ, qua damnati in æternũ puniuntur, quam causam ego dixi esse perpetuationem reatus, in anima peccatoris, per finalem eius impœnitentiam, & perpetuam obmissionem ingemiscendi de suo peccato, quæ opinio non solum uidetur nõ esse hæretica, sed ita Catholica, ut nemo eam si sit Catholicus, & in sacris literis exercitatus, rectè et rationabiliter negare possit. Quod autẽ & propositio ex ui terminorum hunc sensum prætendat, patet, sic enim dicit propositio. Peccato mortali finiti temporis, non debetur pœna infinita secundum tempus. in qua propositione, ego accipio deberi, pro eo quod aliquando persoluetur, quod usitatissimũ esse apud doctores iam patuit supra, & accipio

pecca-

peccatum pro offensa & reatu, quæ acceptio non solum impropria est uel abusiua, sed frequens in sacris literis. Postquam enim Magister sententiarum in secundo inquirit, An transeunte actu, peccati, peccatum sit in eo qui peccauit, donec ipse pœniteat: sic respondet. Non est ignorandum, peccata duobus modis esse in aliquo, & transire actu, scilicet & reatu. Dicit etiam Durandus ibidem, quòd dupliciter intelligitur finiri peccatum, uno modo per solam actus cessationem, alio modo, per peccati dimissionem. quod autem etiam reatus dicatur aliquãdo peccatum, expresse dicit Thomas ibidem sic dicendo. Reatus medians inter culpam & pœnam, sortitur nomen utriusque extremi. sed nónne etiam accipitur peccatum pro reatu ibi? Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur. Illi enim defuncti, pro quibus est orandum, ut à peccatis soluantur, non sunt in peccato, capiendo peccatum pro culpa mortali, neque à tali peccato soluuntur post mortem, sed solùm à peccato capto pro pœna uel reatu pœnæ. isto modo etiam, accipitur peccatum ibi: Peccata tua eleemosynis redime: & ita in multis alijs passib. scripturæ. Si ergo & sensus propositionis catholicus, & acceptio terminorum in propositione catholica & probatissima, quid erat, cur hanc conclusionem meam, pro hæreticica damnarent? Nunc uenio ad responsiones meas, & primo dixi, quòd si aliquis perseuerabit tantum per tempus finitum in peccato mortali, iste non punietur, nisi per tempus finitum, quod dictum tripliciter uerificatur. Primo cum peccatum mortale pro reatu accipimus, & non pro actu commissionis uel obmissionis, ut dictum est in declaratione conclusionis. secundò aduertendum, quòd Li peccato mortali de rigore logicæ accipit confusè & nõ determinatè. Tertio quia uerum sit, quòd si iste qui peccauit, perseuerauerit tantum per tempus finitum in determinato peccato, puta in obmissione pœnitendi de suo peccato, ita, quòd aliquando pœnituerit de ipso, iste non punietur de ipso, nisi per tempus finitum. & quòd hos catholicos sensus, & nullum à fide dissonum intenderem, patet per id quod subiunxi in responsione, cum dixi stare cum ueritate conclusionis, quòd quilibet decedens in peccato mortali, punietur inæternum. Cum autem ulterius quæreretur à me, an aliquis qui peccat, tantùm per tempus finitum uno peccato mortali, & moriatur impœnitens, puniatur in æternum? Respondi, quòd sic: sed dixi quòd talis non punietur, pro illo actu solùm, quod uerè responsum est ad quæstionem factam, quanquam etiam uerum sit, quod si solum peccasset isto actu, puniretur æternaliter: sed ex quo quæstio ponit, istum mori impœnitentem, ipse punietur etiam pro ipsa impœnitentia, imò pro infinitis obmissionibus pœnitendi, & pro infinitis actibus, alijs malis totalibus uel partialibus, in quibus persistit damnatus. Sicut enim continuè male uult damnatus, & ita continuè peccat & demeretur non quidem

dem aliam & aliam pœnam, essentialem saltem, & quæ non est ipsa culpa, sed eandem multiplicius, ita punitur pro illis actibus malis, in quibus continuat. quia uero id uidetur esse contra communem modum dicendi sanctorum, licet non contra rem dictam & sensum suum, ideo tam scripto, quàm uerbo dixi me non asserere istam opinionem, scilicet in tali modo dicendi, propter reuerentiam sanctorum, sed dixi eam posse probabiliter defendi. Finaliter etiam ultra prædicta addidi, quòd quilibet decedens in peccato mortali, ex reatu istius peccati, ideo punitur in æternum, quia ex hoc quòd decedit in isto reatu, ponitur in tali statu, quòd necessitatur ad peccandum in æternum, peccato saltem perpetuæ obmissionis pœnitendi, & disponendi ad gratiam. Prædictas autem responsiones meas dixerunt isti Magistri non esse satisfactorias argumentis & iuquisitionibus suis, imò quòd errorem errori superaddidi, per talem responsionem, propter quod, responsiones & declarationes dixerunt esse falsas, erroneas & hæreticas. quod autem in hac tam reprobanda damnatione sua, errorem errori ipsi superaddant, & nõ ego, quis non uideat, nisi qui catholicas ueritates simul cum eis oderit uel nõ intellligat? Breuiter autem recapitulando, id quod intendo in hac conclusione, est hoc quòd uerum est quidem, quòd mortale peccatũ, finiti temporis est dignum pœna æterna, & ei debetur, & etiã aliquando persoluetur pœna æterna, si non fuerit dimissum ante mortem. Tamen si peccatum mortale est finitum secundum tempus, non solum quantũ ad entitatem intrinsecam, positiuam actus prohibiti à Deo uel priuatiuã obmissionis actus à Deo præcepti. Sed etiam quantum ad imputationem uel deacceptionem, reatum quoq; & maculam, quæ in multis locis scripturæ, & in communi modo loquendi doctorum sæpe dicitur peccatũ, & quæ sic est de ratione peccati, æternaliter puniendi, quòd si non maneat dicta imputatio, uel macula, nũquam peccato debebitur, & aliquãdo persoluetur pœna æterna. de tali, inquam, peccato, quantum ad omnia prædicta finito quæ quidem finitio fit per pœnitentium, saltem de mortali actuali. Dico quòd ei nõ debetur pœna æterna, intelligendo debere alicui, quòd ei aliquando reddetur uel persoluetur, imò quibuscunq; reddetur pœna æterna pro peccato mortali, illi sine fine fuerunt in isto peccato modo superius dicto. & hoc est quòd intendit Gregorius dicere, Peccatorem puniri pœna æterna, quia peccauit in suo æterno, id est sine fine. & sic nos dicimus omnem hominem qui dãnatur, mori in peccato pro quo damnatur. Consentit & Thomas in quarto sententiarum, dicens, Ideò durare pœnam damnatorũ in æternũ, quia culpa durat in æternũ. Dico propterea quòd in omni isto, qui damnatur, est unum peccatum infiniti temporis, tàm loquendo de tempore uiæ, quàm termini, scilicet obmissio pœnitendi, quæ in damnato nunquam habet finem: & ita patet, quòd infinitas durationis peccati istius, qui damnatur infinitas, dico quãtum ad imputationis

putationis reatum uel maculam, & impœnitentiã uel obmissionem pœnitendi, de isto est causa, quod ei debebitur, & aliquando persoluetur pœna æterna. Et hæc satis de ista conclusione.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE ADORAtione Crucis disputatio.

TErtia conclusio quã damnauerunt fuit hęc. Nec crux Christi, nec ulla imago adoranda est, adoratione latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas. Hanc conclusionem, per istos damnatam, ego non solùm credo esse Catholicam, sed etiam ueriorem sua opposita, quæ est hæc: Crux Christi & imagines sunt adorandæ, latria, eo modo quo ponit Thomas. minus enim mihi uidetur rationabilis in hoc opinio Thomę, quàm sit opinio Durandi & Henrici de Gandauo, Ioannis de Guarra, Roberti Olchot, Petri de Aquila & aliorum complurium, quos ego sequor in conclusione. Quod ut manifestum fiat, ponam primo opinionem Thomæ, quam ego non teneo, deinde opinionem doctorum quos sequor, ex quibus patebit, determinationem istorum Magistrorum de mea conclusione, præter id quod nec recta sit nec iusta, totum etiam oppositum, præsupponere eius quod intendo in conclusione. Dicit ergo Thomas, Quòd quia (sicut dicit philosophus in libro de memoria & reminiscentia) duplex est motus animæ in imaginem, unus in ipsam imaginem, secundum quod est res quædam: alio modo, in imaginem, ut est imago alterius: Inter hos duos motus est differentia, quia primus motus, quo aliquid mouet, in imaginem, prout est res quædam, est alius à motu, qui est in rem cuius illa est imago. secundus autem motus, qui est in imaginem, inquantum est imago, est unus & idem cum illo qui est in rem, & ideo cõcludit, quòd licet imagini Christi, ut est res quædam in se non debeatur adoratio ei, tamen ut est imago, debetur eadem reuerẽtia, quæ debetur ipsi Christo: quæ est adoratio latriæ. Iste est modus Thomæ, qui alijs doctoribus merito uidetur extraneus & periculosus, nam ipsa imago etiam ut imago, ut sic est distincta ab imaginato, ut sic enim refertur ad imaginatũ, tanquam ad aliquid à se distinctũ. quare etiam si ut sic terminabit adorationẽ latrię, uidetur sequi, quòd aliquid aliud à Deo adorabit latriæ, quod est absurdũ nec potest dici ut dicit Capreolus (uolens saluare dictũ Thomæ) quòd ipsa imago non adoretur seorsum, sed imago & imaginatũ sint unum totale obiectũ adorationis. quia aut huius totalis obiecti, altera pars est ipsa imago, quæ est ens creatum respectiuum aut non: si non ergo nõ debet dici, quòd ex illis duobus fiat unum obiectũ totale, quia ex tali dicto sequit, ꝙ utrũq; illorũ sit obiectũ partiale, licet alterum illorũ principalius, si sic sequitur, ꝙ aliqua res creata, de genere relationis saltem partialiter terminabit adorationẽ latriæ, quod certè dicere, uidet malè catholicũ, eo magis

quòd

quòd non ſolum hoc nõ poteſt dici de re creata, ſed etiã ipſę perſonę in diuinis, ratione proprietatis, relatiuè non ſunt formalis terminus adorationis. Fundamentum autem Thomæ parum efficax uidetur: nam cum dicit Philoſophus, Quòd idem eſt motus animæ in imaginem & imaginatum, non ſic intelligit, quod anima dicat imaginem ut imago eſt, eſſe idem cum exemplari, & ita quicquid uni debetur, etiam alteri deberi, ſed ſolùm intendit hoc Philoſophus, quòd motus recordatiuus, quo anima recordatiuè mouetur in imaginem, ut etiam imago, etiam terminatur ad imaginatum. Habet & alium ſenſum uerum & eſt, Quia ſi ego habeo conceptum definitiuum unius relatiui, intelligo etiam alium, ſed quòd omnis motus animæ & maximè uoluntatis, ſit idem in imaginem & imaginatum, hoc nullo modo intendit Philoſophus: patet à ſimili etiam ſecũdum modum loquendi, quo utitur ipſe Thomas. Sæpe enim ipſe dicit, quòd idẽ eſt motus uoluntatis quo uoluntas fertur in finem, & in ea quę ſunt ad finẽ, cum uult ea propter finem, & tamen certum eſt etiam, ſecundum eum, quòd ille motus ut attingit finem, eſt fruitio, ut autem attingit ea, quæ ſunt ad finem, eſt uſus & nõ fruitio. Videtur ergo de alijs doctoribus, nullo modo dicendum, quòd imaginem Chriſti, etiam ut eſt imago, adoremus adoratione latriæ, quia, ut ſic eſt res creata diuinitati non unita, & quòd magis eſt, ut ſic eſt entitas reſpectiua. propterea dicit Durandus, quod iſta propoſitio Crux Chriſti adoraẽ latria. in ſenſu proprio eſt falſa, habet autem ſenſum improprium uerum, & eſt iſte. Chriſtus ut rememoratus per crucem, uel ut præſens in cruce, ſicut imaginatum eſt, præſens in ſua imagine adoratur, eadem adoratione ac ſi eſſet præſens in ſe: & ſecundum hunc ſenſum concedo ego, etiam iſtam propoſitionem. Crux adoratur adoratione latriæ: hoc eſt ergo quod dicit Durãdus, quòd adoraẽ rememoratiuè, & eandem ſententiam intendit Robertus Olchot, cum dicit: Quòd magis proprius modus eſt loquendi, dicere: Adoramus ante crucẽ, quàm dicere: Adoramus crucem. eandem deniq; ſententiam intendunt Henricus & Ioannes de Guarra, Cum dicunt, Quòd adoratur per accidẽs. & idem dicit Petrus de Aquila. Verum id, quod plus addunt Henricus & Ioãnes de Guarra, qui in hac materia completius loquuntur, eſt hoc. Dicũt enim iſti, Quòd imagini per accidẽs ſiue rememoratiuè debeẽ ille honor, qui per ſe debetur imaginato & rememorato. certum eſt autem, quòd nihil eſt, cui per ſe debeatur latria, niſi Deus trinus & unus & Chriſtus propter unitatem ſuppoſiti Dei autem imago eſſe non poteſt. reſtat, ut ſiqua eſt imago, cui per accidens & rememoratiuè debeat latria, ſit imago Chriſti: uerum quia talis imago, principaliter nobis repreſentat humanitatem Chriſti, ſecundario autem diuinitatem, uidetur quòd primario per accidens ei talis honor debeatur, qualis debetur per ſe humanitati Chriſti. Humanitas autem Chriſti per ſe ſumpta, ſolum adoratur ὑπερδουλείᾳ, ergo & tali imagini,

primæ

primario per accidens solùm debebitur adoratio ὑπερδουλείας: secũdario autem per accidens debebitur adoratio etiam latrię, eo scilicet modo, quo dictum est, quia & ipsa imago secundario nobis repræsentat & rememoratur diuinitatem etiam ipsam Christi, & in hoc habent conuenire, cũ Henrico Franciscus de Mayronis, & omnes Scotistæ, qui dicunt, quòd humanitati Christi non debetur latria. Thomas autem quia uidet̃ tenere oppositum de adoratione humanitatis Christi, fortè etiam in isto casu ab Henrico dissentiret, & uerè opinio Thomæ, ut dicit Franciscus in tertio, est aliqualiter periculosa, & in ista materia de adoratione, non uidet̃ mihi esse eius uia bene tuta, eo enim usq; processit, ut etiã in tertio sentẽtiarũ diceret, Quòd cruci Christi in qua pependit, etiam ut rei inanimatæ, deberetur aliqua adoratio: & tamen scimus secundum omnem theologiam, quòd id quod non potest esse subiectum susceptiuum sanctitatis uel uirtutis, non potest esse terminus alicuius adorationis. & ille Ioãnes Capreoli defensor Thomæ, ipse etiam fatetur in dictum Thomæ, non posse defendi, nec habet aliam uiam saluãdi Thomam, nisi quòd dicit, quòd ipsemet Thomas uidet̃ deinde aliter sensisse, in Summa. Ex his ergo patere potest quàm sit catholica conclusio mea, & rationabilior sua opposita, & communi uiæ theologorum magis consona, cuius sensum breuiter recapitulando dico, quòd hæc propositio, Crux Christi adoratur, potest habere duos sensus: unus est proprius, scilicet. Quòd Crux Christi, siue ut res, siue ut imago, siue ut partiale, siue ut totale obiectum adoratur tanquam terminus adorationis, & iste est sensus quem intendit Thomas, & quem ego nego: alius est sensus improprius dictæ propositionis, & est: Crux Christi adoratur, id est Christus in ea, ut in suo rememoratiuo adoratur, ac si esset præsens in se, & istum sensum ego concedo, & cum Ecclesia oro dicens. O Crux aue spes unica. &, Crucem tuam adoramus Domine. Ex dictis iam patere multa possunt. primo patet, quod ego intelligerem, cum dixi aliàs, quòd sequendo opinionem Henrici & Ioannis de Guarra, imagini crucifixi debeatur yperdulia quod erat intelligẽdum ratione eius, quod primario nobis rememoratur, & est humanitas Christi: & truncatè hoc dixi, quia ad authores illos me referebam, quos istis Magistris utpote ueteranis, & lectos iam decies & perlectos existimabam. Secundo patet, quòd falsè ipsi dixerũt, me negare omnem modum adorationis latriæ, cum expressè ego dicam, in conclusione, me negare modum Thomæ, quod etiam si non dixissem, sed simpliciter sic staret propositio, Nec crux nec ulla imago adoranda est latria. adhuc de uirtute sermonis ista propositio nõ negaret omnem modum adorationis latriæ. nam patet secundum bonam logicam, quòd negatio uel distributio termini multiplicis, non negat, aut distribuit ipsum, pro omni supposito cuiuslibet significati. aliâs ista propositio. Omnis canis est stella: esset simpliciter cõcedenda uel simpliciter negãda.

ſicut ergo non dicit copulatiuè, Quòd omnis canis cœleſtis, & omnis canis marinus, & omnis canis latrabilis ſit ſtella: licet de omnibus prędictis inconiunctim id dicatur, ita in iſta negatiua, crux non adoratur adoratione latriæ. ubi Lì adoratur, eſt æquiuocum ad adorationem per modū termini, & ad adorationem, per modū rememoratiui, non negatur copulatiuè omnis modus adorationis, inconiunctim tamen. Tertiò patet, quòd iſta propoſitio, etiam ſic abſolutè & indiſtinctè potuit poni. Crux nō eſt adoranda adoratione latriæ: quia in ſenſu proprio eſt uera, aut ſaltem probabilior ſua oppoſita, qui ſenſus magis eſt attendendus de rigore ſermonis, cȝ ſenſus improprius, in quo eſt falſa, ſicut enim terminus analogicus per ſe poſitus, ſtat pro famoſiori ſignificato: ita oratio habens ſenſum proprium & improprium, ſi ſine ſpecificatione dicitur, magis eſt accipienda ſecundum ſenſum propriū, cȝ impropriū: & ideo eam ut dixi, etiam indiſtinctè potui poſuiſſe, ſenſum in quo eam intelligo, declaraturus inter diſputandum. ex quo infero, quòd licet in propoſitione multiplici, fortè melius ſit facere, ſicut ego feci in iſta determinare, id eſt ſenſum, in quo ponitur, quàm ipſam indiſtinctè ponere, maior tamen eſt defectus in damnando indiſtinctè & ſimpliciter, propoſitionem ueram in ſenſu proprio, propter falſitatē ſenſus impropriȷ̄, quàm ponendo indiſtinctè illam propoſitionem, propter ueritatem ſui ſenſus propriȷ̄, quod non ſolum uolui hic annotaſſe, pro iſta concluſione tantum, in qua ego determinatè nego modum Thomæ, quàm propter alias, quæ licet habeant ſenſum catholicum, quem ſemper promiſi me declaraturum, ut modo etiam declaro. Damnatæ tamen fuerunt ſimpliciter & indiſtinctè. Verum, quòd qualitercunque ſit, de mea concluſione, damnationem ſuam ab errore excuſare non poſſunt, ſic euidenter declaro, hæc formaliter fuit ſua determinatio, quia ipſe negat omnem modum adorationis latriæ ad crucem, ſecundum uiam catholicorum doctorum, & orationem quam facit uniuerſalis Eccleſia ad crucem. Ideo dicimus præfatam concluſionem eſſe ſcandaloſam, piarum aurium offenſiuam, & contra conſuetudinem uniuerſalis eccleſiæ hæc præciſè fuit illorum ſententia. primò, dicant mihi, ubi uidetur eis, quòd ego negem omnem modum adorationis latriæ ad crucem, ſecundum uiam catholicorum doctorum: non utique habent hoc ex concluſione, in qua expreſsè & ſpecificatè dico, me negare modum Thomæ, niſi fortè quod credere non poſſum, propterea, quòd nullum aliū doctorem uiderint, exiſtimarent modum Thomæ eſſe omnem modum. Ex reſponſione item mea, hoc habere non poterant, me negare omnē modum adorationis latriæ, ſecundum uiam catholicorū doctorum, cum expreſsè dicam in reſponſione, me eum modū concedere, quem concedit Ioannes de Guara, qui fuit præceptor Scoti, & ſolennis doctor Henricus de Gandauo, niſi fortè & Henricū & Ioannem uelint dicere non eſſe catholicos,

quod

quod necessariò sequitur ex dictis suis. nam cum ego eis dixerim, me sequi Henricum & Ioannem, & ipsi deinde dicant, me non sequi catholicos doctores, quis ex hoc non inferat, non esse illos, quos dixi me sequi doctores catholicos? Quis autem hoc ferat? quis æquo animo patiatur? Henricū & Ioannem, tàm præclaros tam excellentes doctores Ecclesiæ lumina, fidei propugnacula, pro non catholicis, & consequenter hæreticis & infidelibus reprobari, non possum non stomachari aliquando, sed tamen mereprimam. Attendamus autem ad secundum errorem. dicunt, Quòd cōclusio est scandalosa, & piarum aurium offensiua: & contra consuetudinem uniuersalis Ecclesiæ: ô damnatissimum iudicium, uideant ut laqueos effugere non possunt, aut enim conclusio mea, non negat nisi modum Thomæ, modo supra exposito, & tunc patet conclusionem meam nō esse contra cōsuetudinem Ecclesiæ (ut diffusissimè fuit declaratum) aut ut ipsi uolunt, negat omnem modum adorationis: & negat adorandas esse imagines forma ecclesiæ consueta, & tunc conclusio non est scandalosa, uel piarum aurium offensiua, sed simpliciter hæretica. Cum enim iuxta Damascenum, honor secundū ritum ecclesiæ imagini exhibitus, perueniat prototypon qui modum ecclesiæ in adorandis imaginibus non obseruat, ipsum imaginatum & representatum quod est Deus, latria nō adorat: quare qui conclusionem hoc negantem iudicat scandalosam, & non simpliciter hæreticam, ipse est simpliciter dicendus hæreticus.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE, A DEO AN SVpositari natura irrationalis possit disputatio.

QVarta conclusio damnata per istos est hæc. Non assentior communi sententiæ theologorum dicentiū, Posse Deum quamlibet naturam suppositare, sed de rationabili tantum hoc concedo. Per hanc conclusionem, ego non intendo negare Deum, posse quamlibet naturam suppositare: sed solùm intendo, negare assensum particularem, & explicitum huius assertionis. Deus potest quālibet naturam suppositare, & inter has duas intētiones magna est differentia: quia etiam si hoc esset de possibilibus secundum potentiam absolutam Dei, propositio tamen de uirtute, sermonis solum negans assensum positiuum, explicitum in particulari illius dicti, non derogat omnipotentiæ Dei de uirtute sermonis, nec de uirtute sermonis hæresim aliquam sapit. & ratio est, Quia non omnis fidelis tenetur assentiri explicitè, & in particulari, omnibus possibilibus secūdum omnipotentiam Dei absolutam, aut ista explicitè & in particulari profiteri: sed quædā talia sufficit credere in generali & simplicitè, & nulla pertinaciter discredere. Ideo ego non sine mysterio, non posui conclusionem in istis terminis: Deus non potest quamlibet naturā suppositare. sed in istis non assentior sententiæ dicenti, Quòd Deus potest quamlibet naturam suppositare. ex qua conclusione, de uirtute ser-

monis, non potest inferri, quòd Deus hoc non potest. nec potest dici hęc à me asseri in conclusione, non enim in prima parte quæ est negatiua, nec in secunda, ex qua solum sequitur, quòd tantum habeatur actus concessiuus, de natura rationabili distinctè, scilicet & in particulari: nego igit assensum particularem & explicitum huius assertionis in me. Deus potest quālibet naturam suppositare. & negare possum rationabiliter, tùm quia oppositum etiam si sit uerum, quia tamen nobis ignotū esse potest in particulari, & explicitè, uidetur quòd non obligor explicitè credere. tùm maximè, quia non est facilè falsificare aut conuincere assertionē illam. Deus non potest. &c. omnipotentiæ Dei derogantem, quod maxime confirmatur authoritate solennis doctoris Henrici de Gandauo: qui postquā oppositæ fuit opinionis, Quòd scilicet quælibet natura posit assumi, ad istam deinde declinauit, quòd solum rationabilis potest assumi: sic enim scribit Henricus: Quia de naturę assumendæ possibilitate non est dubitatio, an Deus possit sibi assumere quamcunque naturam assumptibilem, ideo tota difficultas huius quæstionis uertitur, circa possibilitatem naturæ assumēdæ. & sunt circa hoc duæ positiones solennes. Dicit enim positio communior & solennior, cui quandoq; aliquantulum assentire cōsueui: Quòd quælibet natura subsistens in creaturis, potest assumi. & isti tenent, quòd aliqua natura sit eleuabilis. cui correspondens: potentia non sit eleuabilis, quod mihi non uidetur posse rationabiliter poni. ad cuius intellectum est aduertēdum, Quòd Deus dupliciter habet esse in creaturis, uno modo naturaliter & modo congruenti naturæ, alio modo uoluntariè, & modo supergredienti limites naturæ. Primo modo, habet esse per illapsum in omni natura: secundo modo habet esse, solummodo in natura assumpta per circumincessionem. & licet per illapsum Deus sit intimus omni creaturę, & intimior quām ipsa sibi aut forma materiæ per circumincessionem, tamen sit intimissimus omni naturæ assumptæ, & intimior quàm in sit alicui naturæ per solum illapsum. Per intimationem enim circumincessionis naturæ assumptæ, assumens uniter, ineffabiliter, & incomprehensibiliter naturæ assumptæ, quod necesse est naturam assumptā amittere, proprium esse subsistentiæ, si quod ante assumptionem in ea fuit, uel si nunquam ipsum habuit subintrare esse subsistentiæ naturæ, ad quam assumitur, ut sit idem suppositum subsistēs in duplici natura, utraq; enim illarum naturarum, in unione earum, retinet suum proprium esse essentiæ, per illapsum autem Deus intimatur omni creaturæ naturaliter, & modo congruenti naturæ, ad duo, scilicet ad actum naturæ primum, quod est esse stabiliendum ut persistat: & ad actum naturæ secundum, quod est operari producendū ut existat, sine illo enim illapsu, non potest creatura in esse persistere, neque propriam operationem elicere. quia per illapsum Deus creaturam in esse conseruat, & cooperando omnem suam actionem siut

opera-

operationem illi miniſtrat, dicẽte Gregorio lib. 16. Moraliũ. Super id Iob 23. Ipſe ſolus eſt, nũquid nõ ſunt angeli, & homines, cœlum & terra? utiq;. Sed aliud eſt eſſe, ſcilicet abſolutè, & aliud principaliter eſſe. ſunt enim hæc, ſed principaliter non ſunt, quia in ſemetipſis non ſubſiſtunt, ex quo creata ſunt. cuncta quippè ex nihilo facta ſunt, eorũq; eſſentia rurſum ad nihilum tenderet, niſi eam author regiminis manu teneret. Ecce primum dictorũ, & ſequitur de ſecundo, & ſimul per ſe nec ſubſiſtere ualerent nec moueri, in tantum ſubſiſtunt, inquantum ut eſſe debeãt acceperunt: in tantum mouentur, inquantũ occulto inſtinctu diſponũtur. areſcit terra, concutitur mare, igneſcit aër, obtenebreſcit cœlum, inardeſcunt homines, mouentur angelicæ uirtutes, num hæc ſuis inſtinctionibus, & non magis diuinis impulſionibus agitantur? Per circumínceſsionem uerò Deus intimatur ſoli naturæ, quam uoluntariè aſſumit, ſed modo ſupernaturali. & hoc ſimiliter ad duo, ſcilicet ad ſublimandum naturã, ad actum primũ, qui eſt eſſe ſubſiſtentiæ diuini ſuppoſiti, & potentiam ad actũ, ſcilicet qui eſt operari, actum beneficũ intelligendi & uolendi. Sine dicta enim, circũinceſsionem non poſſet natura, in eſſe diuinæ ſubſiſtentiæ ſublimari, neq; differentiam operationum percipere, uidendo, ſcilicet & amando diuinã eſſentiam, modo cõgruenti creaturæ. Sed per circumínceſsionem Deus naturam aſſumptam, ad diuinum eſſe ſubſiſtentiæ ſubleuat, & ad operationem diuinam promouet: dicente Damaſceno lib. 13. cap. 16. Caro domini deificata dicitur eſſe. & ideo communi diuiduali, non ſecundum trãſmutationem naturæ, ſed ſecũdum diſpenſationem unionis, ſecundum quam indiuiſibiliter Deo uerbo unita eſt caro. per eã quæ inuicem naturarũ circumínceſsionem, & ita diuina caro, diuinis actionibus ditata eſt, propter ſinceriſsimã ad uerbum unionem. ſumit ibi carnem pro tota humana natura. Ex his arguo. Sicut ſe habet Deus in omni creatura, per illapſum naturalem, ad duas actiones prędictas ſupergrediẽtes limites naturæ (ut iam patet ex dictis Damaſceni) nec poteſt negari ſimile quo ad aliquid: quia ſicut illapſus, inquantũ natus eſt, operari in eo cui Deus illabitur, dicta duo. ſic circumínceſsio nata eſt, quantum ex ſe ſemper operari illa duo. Sed nulla creatura naturæ eſt ſuſceptibilis, neque poteſt eſſe ſuſceptibilis illapſus Dei ad ſuſcipiendum in ſe, modo congruenti naturæ, primã Dei operationem prædictã, quinetiã ſit ſuſceptibilis in ſe, operationis ſecũdæ: quia nulla creatura poteſt eſſe per ſubſtantiam, cui nõ poſsit conuenire aliqua operatio, per potentiam. quia ſecundum Philoſophum in fine 4. Metereorum omnia opere determinant, & ſunt propter ſuas operationes, & tãdiù ſunt quamdiù poſſunt agere ſuas proprias operationes, & cum deſinũt poſſe ſe operari ſuas proprias operationes, tunc ſimul deſinunt eſſe. Vt enim dicit Damaſcenus ibidẽ cap. 17. Intellectus inſipiens & priuatus cognitione, non utiq; erit unquã. ſi enim inoperabilis & immobilis eſt, inexiſtibilis

omninò est, Per hoc apertè insinuans, quod si non posset eleuari propter intellectū non esset assumptibilis ipsa substantia intellectus, nec ipse homo, quia nec esset homo secundum quòd præmittit ibidem. quoniam aut rationale, intellectuale, aliàs homo, qualiter ergo homo actus est Deus si carnem inanimatam uel animam ἄνουν, id est sine intellectu assumpsisset. Non hoc enim homo, ergo similiter nulla creaturæ natura est susceptibilis, aut possit esse susceptibilis circumincessionis Dei, ad suscipiendum in se, supra limites naturæ, primam Dei operationem prædictam: quinetiam sit susceptibilis in se operationis secundæ, secundæ autem non est susceptibilis, nisi per potentias intellectus & uoluntatis, ergo &c. Iccircò licet argumentatio Augustini tacta in prima ratione, non tenet de forma, tamen nō fallit in aliqua materia, quin sequat. Si natura ista (puta hominis) est eleuabilis secundùm essentiā, quin sit necessariò simul eleuabilis, secundum potentiam. & si non secundum potentiā, nec secundum essentiam. quemadmodū sequitur, Si anima fortis est immortalis, & cuiusq; hominis anima est immortalis. & si non cuiuslibet, nec fortis, quia eadem ratio immortalitatis uel mortalitatis est in omnibus & ideo talis argumētatio, ratione materiæ talis, benè tenet, ac si teneret secundū formam argumenti, quæ reuera tenet uirtute formæ habēdo, scilicet aspectum ad communem rationē, quæ conuenit alicui naturæ, puta immortalitas animæ. Illa enim eadem est, in omni anima: uideamus ergo de possibilitate & impossibilite huius assumptionis: & ex parte quidem, ut diximus, non est dubitatio: sed quia nobis incognita est, ex parte susceptibilis, iccircò nobis est difficilis intellectus ueritatis, in dicta quæstione. Propterea hic est alia positio à prædicta. licet minus solennis, quia tamen magis applicabilis est animo, licet non uideatur ita uera, propter inconsuetudinem, tamen fortè uerior est, quòd scilicet nulla natura susceptibilis à Deo, sit dicto modo, per circumincessionem, nisi natura intellectualis, magis mihi placet, tenendo igitur hanc opinionem ad præsens, dico, ad primū in oppositum, Incorpoream animæ rationalis, uel angeli, & in homine naturā corporis, inquantum ordinat ad animam, ut perfectibilè ad perfectionem. & in quo anima suam operationē intellectualem efficacius operatur, amota ab ipso omni dispositione accidentali impediente, quam cū est separata, ut totū compositum ex corpore & anima, cū sua intellectiua sit ipsum susceptibile, & corpus mediante substantia animæ, & in ordine ad illam substantiā animę, ut ipsa est potētia intellectiua. ita, quòd nullo modo susceptibile sit, id in quo non est potentia intellectiua, & hoc sub potentia intellectiua comprehendendo, totum id, in quo principaliter consistit ratio imaginis, existens in substantia animę, ut nihil sit susceptibile, nisi ratione imaginis Dei, quę est in illo, ut per circumincessionem, uel secundùm substantiam & secundum potentiam simul. ut in solo Christo, uel secundum potentiam solùm, ut in

omnibus

omnibus his ipsa imago Dei quasi reimprimitur suo prototypo, quasi denarius figuræ, à qua sibi imago sua impressa est. Hinc dicit Damascenus in ca. prædicto: Quod secundum imaginem est in re uolente uolens, Deus uerbum factum, est homo, imago Dei est secundū intellectum. quid autem, quòd secundum imaginem, nisi intellectus, quod melius igitur derelinquens, quod deterius est assumpsit. quasi diceret, nequaquā hoc possibile fieri est, nisi ratione ordinis, quem habet ad intellectum: & loquitur contra illos, qui posuerunt corpus humanum assumptum in Christo absque anima rationali, & comprehendit sub intellectu etiam substantiā animæ, cuius uim & potestatem etiam in assumptione ostendens, subdit. Intellectus enim est in medio Dei & carnis, huius autem inhabitator Dei imago. Intellectus igitur intellectui miscetur, & mediū intellectus puritati & & carnis grossitudini. Intelligo aūt per mixtionem dictam, unionem per circuminceſsionem intellectus diuini cū humano, qui secundum tres potentias, quæ sunt memoria, intelligentia & uolūtas, existente sibi uuita esse animæ, unitur per circuminceſsionē quandam trinitati personarum in unitate diuinæ naturæ: ut sic per se, & proxima causa, siue ratio, propter quam aliquid sit assumptibile à Deo, sit ratio imaginis Dei, quæ nō est nisi in substātia intellectuali, ut propter ipsam sola substantia intellectualis sit susceptibilis, & secundū hoc in glorioſa assumptione, per circūinceſsionem qua natura diuina subintrat, naturā assumptam. Imago quæ est natura intellectuali assumpta, unit intimè ipsi quod est in natura diuina, quemadmodū si ceræ, in qua est impressa figura sigilli. ipsum sigillū reapplicet, secundum eundem modū, quo ipsum impreſsit subintrando omnes angulos eius, quali modo nō posset applicari illi, in quo non fuisset figura sua prius impressa: sed solūmodo effigies aliqua, quale est uestigiū Dei in omni creatura nō intellectuali, ut secundū hoc, nulla natura nō intellectualis, nisi mediāte intellectuali secundū dictum modū possit assumi. Ad secundum, ꝙ ad Deū possit fieri assumptio, quia in ipso est ratio esse, & subsistentiæ, quæ est in natura assumpta, dico quòd uerū est, quòd, id est cōcausa. Nisi enim illud esset, nihil posset ad Deū assumi, sicut nec una creatura potest assumi ad alteram: sed hæc non est tota causa: licet enim sit causa ex parte assumētis, quia propter id, ad ipsum possit fieri assumptio, nō tamē ex parte assumptibilis, in quo tota causa assumptibilitatis est, ꝙ est imago & per hoc solū circūinceſsibilis à Deo & eleuabilis ad dictā unionē, in diuina essentia, in unitate personæ secūdum dictū modū. Vnde nec aliqua causa finalis, propter quā faciēda esset à Deo alterius naturæ assumptio, possit esse in assumendo aliam naturam, quàm intellectualem, quia nō est naturæ assumptio, finaliter, nisi ad illius aliquā promotionē & perfectionem in sua eleuatione, qualem non potest habere, nisi natura intellectualis. Hæc Henricus quasi ad uerbum. Non rectè ergo determinatum fuit,

meam conclusionem, de uirtute sermonis, sapere hæresim, quæ solum negat positiuum assensum contradicenti Henrico: cuius opinionis damnationem nec ego unquã legi, nec credo ipsi unquã legerunt, hoc scio, quòd nec Scotus nec Gotfredus, nec Ioannes de Guarra nec Durãdus, nec Thomas Anglicus, nec Robertus de Collotorto, nec Bernardus de Gannaco (quos omnes uidi recitãtes opinionem Henrici) ipsam unquã hæreticam uel hæresim sapere iudicauerunt. quod ne ipsi etiam irrationabiliter fecisse uideant, uolo breuiter ponere modum secundum, quo uidetur Henricus tutari positionem suã. sunt aũt duæ præcipuæ rationes contra Henricũ. Prima ratio in hoc stat, quòd in Deo est omnis ratio substãtiandi, quia plenitudo est omnis esse, ergo uidetur, quòd quamlibet naturam possit substantificari & supposĩtare. secunda ratio est, quia Deus in triduo supposĩtauit corpus, quod erat in sepulchro, quod tamen nõ erat rationabile, & sicut supposĩtauit pro triduo, poterat supposĩtare & pro quantocunque uoluisset tempore. hæc sunt duo præcipua fundamenta opinionis oppositæ, & istamet ut uisum est in recitatione, opinionis eius adducit Henricus contra se. Ad primam rationem (ut uidimus) respondet: quod uerum est, Quod plenitudo totius esse est in Deo, & omnis ratio substãtiandi & supposĩtandi plenissimè in eo reperiatur, sed hæc non est totalis causa assumptibilitatis alicuius naturæ, sed est concausa. Nisi enim id esset assumens, non posset assumere, sed ultra hoc aliquid requiritur in assumendo, per quod sit assumptibile, & hoc est ratio imaginis, & finaliter aptitudo super naturalis eleuationis, ad beatificam operationem, quæ cum in sola natura intellectuali reperiatur, conueniens uidetur, quòd ipsa sola sit assumptibilis, cum uideatur rationabile, quòd natura quæ non potest eleuari, ad actum secundum, non possit etiam eleuari ad primum: Ex qua responsione uidet uelle Henricus saluare, quòd nihil derogetur diuinæ omnipotentiæ, quando quidem totum id, quod illi in Deo ponunt esse, tãtum concludunt ipsum posse sic supposĩtare, totum id etiam tribuit Henricus Deo. nec negat, quin ratione eius quod requirit ex parte assumentis, non possit assumere quamlibet naturã plenissimè non sit in Deo, sed hoc dicit esse, quia natura ipsa irrationalis, non est assumptibilis, non propter defectum diuinæ omnipotentiæ, sed potius propter diuinæ naturæ excellentiam, & irrationalis naturę deformem deficientiã: ad secundam rationem uidet multipliciter posse dici. Primo est respõsio Henrici, qui dicit, Quòd naturam istius corporis assumpsit in quantum ad animam ordinabatur intellectualem, ratione cuius ordinationis, etiam ipsum corpus potest dici intellectuale ministraliter, scilicet & dispositiuè. Et ut cõpletius respondeatur est dicendũ, Quòd cũ dicitur non posse à Deo assumi, nisi naturam intellectualem, intelligitur, quòd nihil prętter illam sic possit assumi, quòd sit primo assumptum, & totum ac adæquatum assumptibile. Corpus autem in

tem in triduo, nõ sic fuit assumptum ut patet, sed solum ut pars naturæ ra. tionalis, quæ erat totale & primo assumptum. Præterea etiam fortè dice ret aliquis, quòd non propriè dicebatur suppositari in triduo id corpus, quia nõ est natura suppositabilis, supposito proprio. Vnde & consequen ter dici posset, non improbabiliter, quòd terminare dependentiã naturæ istius corporis, non est eam suppositare, aliâs totum terminãs dependen tiam uel innitentiã partis, suppositaret eam, quod nõ dicitur: & ita licet uer bum in triduo terminaret dependentiam istam corporis, quam terminas set tota humanitas, uirtute cuius corpus in triduo communicabat Christo id idioma suum, iacere in sepulchro, non tamen propriè suppositabat cor pus, sicut suppositaret naturã humanam. Cuius signum euidentissimum est, quòd natura istius corporis, non cõmunicauit Christo id idioma cor pus in triduo, sicut natura humana communicauerat sibi. & adhuc cõmu nicat concretiuè id idioma homo. Et sic patet responsio, ad prædicta obie cta, contra opinionem Henrici, qui de alijs naturis irrationabilibus uide tur quasi hoc dicere, quòd uerbũ non posset eas assumere per circũincessionẽ, aut suppositare suppositatione, prçsertim habente causam finalem. Inquit enim sic ipse, nec aliquis finis possit esse assumptionis alterius natu ræ, quàm intellectualis, quia assumptio nõ est, nisi propter promotionem naturæ assumptæ, qualem non potest habere nisi natura intellectualis, un de Augustinus super Ioannem. Verbum uoluit nasci ex homine, ut tu se curus nascereris ex Deo. Vnde uidetur, quòd de alia natura quæ nõ nasci tur ex Deo per gratiã, de ea frustra nasceretur Deus. Ex his patere potest, quòd non irrationabiliter possum ego non habere actum explicitũ con tradicendi, huic opinioni in particulari. & quia isti Magistri, in hoc etiam præcipuè instabant, quòd tales conclusiones saltem non disputarentur propter scandalum, hoc uolo dicere de ista conclusione, quòd etiam si sua opposita sit uerior, & magis secundum communem uiam, tamen si publi cè disputetur, scandalosa magis erit apud uulgares & piarum aurium of fensiua. quis enim rudis & simplex non offendatur, si audiet aliquem di centem, possibile esse, quòd istæ propositiones sint ueræ. Deus est asi nus: Deus est lignum. Quid si etiam illas, quas multi sequentes prædi ctam opinionem concedunt, Deus potest esse damnatus ad infernum, Deus posset torqueri à diabolo in inferno: Diabolus potest esse Deus. quæ licet apud multos doctos loquendo, de potentia absoluta, nullius sint scandali, tamen uulgares & simplices, certè multo magis offenderen tur, quàm si audiant, quòd asinus non potest uniri naturæ diuinæ. in u nitate suppositi: ut dicitur modo declarato, in conclusione mea, quam isti patres dixerunt, ex ui sermonis derogare diuinæ omnipotentiç, & per hoc sapere hæresim, Nescio cui logicæ imò cui theologiæ iunitẽtes. Nã dicant quæso, an ille, qui dicit, se non assentiri alicui propositioni, dicat de rigore

sermo-

sermonis oppositum istius cõclusionis, cui nõ assentitur, Dicantq; Vtrũ ualeat consequentia: non assentior, aut non habeo assensum huius conclusionis: Papa sedet, ergo credo istam: Papa non sedet, nónne antecedens esset uerum indormiente, & qui nullum omnino nõ haberet actum, in quo consequens posset esse falsum. Præterea si præsens conclusio derogaret diuinæ omnipotentiæ, secundum ueram theologiam, non solùm saperet hæresim, sed hæretica esset iudicanda, imò etiam Catholicus, dormiens, aut paruulus non habens rationis usum, & qui non haberet assensum illius propositionis: Deus potest quamlibet naturam creatam supposítare, esset hæreticus, aut saltem erraret in fide. quod nemo diceret. ex quibus patet non esse erectam damnationem ipsorum, fuit enim hæc formaliter determinatio sua, considerata responsione ipsius proponentis & opinione, ac motiuis & rationibus Henrici, cuius opinioni innititur ponẽs conclusionem. Visum est nobis, præfatam conclusionem ex ui sermonis derogare diuinæ omnipotentiæ, & per hoc sapere hæresim. Primo enim decepti sunt, quòd cum dicerem ego me sequi in hoc Henricum, non intellexerunt, quòd per pronomen hoc denotabam ipsam conclusionem, de qua quærebant ut exponeretur. In hoc ergo, id est in ipsa conclusione, id est in nõ assentiendo huic. Deus potest quãlibet naturam, &c. dixi me sequi Henricum, & non denotaui per hoc opinionem quæ dicit, Deus non potest quamlibet naturam supposítare. Sed ipsi fortè crediderunt inter unum dictum & aliud non esse differentiam, cũ tamen si docti sunt Theologi, sciri debeant, quid interfit inter aliquod posſibile de potentia Dei explicitè non credere, & ipsum explicitè discredere. Secundo debent meminisse, quod ex eorum dictis sequitur, quòd Henricus ille, qui per excellentiam doctrinæ solennis Doctor uocatur, mortuus sit hæreticus: qui ut supra uisum est, in senectute sua ad istam opinionem declinauit, & in ipsa permansit, quòd non quælibet natura à Deo sit supposítabilis. Tertiò sicut & in damnatione præcedentis conclusionis, ita & in ista, qualitercunque sit de conclusione ipsi omnino errant, quia si uerum est ut ipsi dicunt, quòd conclusio sit contra omnipotentiã Dei, tunc conclusio est simpliciter hæretica, & non hæresim sapiens, ut ipsi dicunt. Quartò & ultimo errarunt, quia si etiam opinio Henrici esset hæretica, omnino conclusio de uirtute sermonis non esset hæretica, quia de uirtute sermonis, non infert illam opinionem, ut diffusissimè est declaratum, & tamen ipsi specificate damnarunt ipsam, de uirtute sermonis.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE MAGIA naturali & Cabala disputatio.

QVarta cõclusio, per istos dãnata fuit hæc. Nulla est scientia, q̃ nos magis certificet de diuinitate Christi, q̃ Magia & Cabala. Hanc conclusionẽ ego declarãdo dixi, quòd inter scientias, quę ita sunt

sunt scientię, ꝙ neꝙ ex modo procedẽdi, neꝙ ex suis principijs, neꝙ ex suis conclusionib: innitunt reuelatis, nulla est, quæ nos magis certificet eo modo, quo de hoc certificare possunt, scientiæ humanitus inuentę, ꝙ Magia illa, de qua ibi ponunt cõclusiones, quæ est pars scientiæ naturalis: & pars illa Cabalæ, quæ est scientia, & nõ est Theologia reuelata. Dixerũt isti Magistri, ꝙ declaratio mea nõ erat ad propositũ uerborũ prędictę cõclusionis, & ꝙ præfata conclusio de uirtute sermonis, erat falsa, erronea & hęretica: in qua sua damnatione, quot sint dãnanda, quęso sigillatim uideamus. Primò dicãt mihi, quomodo esse potest magis declaratio mea, ad propositũ uerborũ cõclusionis meæ. quid enim est in illa declaratione aliud, ꝙ explicitè declarare, uim singulorum terminorum, in cõclusione positorum. Ibi enim primo exponitur, quid intelligã per scientiã, cũ dico nulla scientia: & quid pro certificare, quid per Magiã, quid per cabalam, nec uideo ego quid ulterius restet declarandum. Secundò uolo ostendere, quòd de uirtute sermonis non solum est falsa & hæretica, sed imò sua oppositа est falsa, & secundum ipsos totaliter hæretica. dicta enim conclusio est una negatiua, quæ exponitur disiunctiuè, per tres cathegoricas sic: nulla scientia non reuelata. &c. Alia à Magia & Cabala certificat de diuinitate Christi. uel Magia & Cabala non certificant. &c. uel Magia & Cabala magis nos certificant de Deitate Christi, ꝙ alia scientia nõ reuelata. Ista aũt disiũctiua est uera & catholica, quia saltem habet unã partem uerã, & ita patet iam, ꝙ de uirtute sermonis non est falsa, sed ꝙ sua oppositа secundũ eos sit hæretica patet. nã oppositа huius, Nulla scientia non reuelata. etc. Magis certificat. &c. est ista Aliqua scientia nõ reuelata, Magis certificat de Deitate Christi, quàm Magia & Cabala: ad quã sequit de uirtute sermonis, ꝙ Magia & Cabala certificant de diuinitate Christi, quod ab eis reputatur pro hæretico: & ita patet, ꝙ dũ uolũt damnare de uirtute sermonis istam negatiuã, Nulla scientia magis certificat diuinitate Christi ꝙ Magia & Cabala: cogũtur per suũ iudiciũ ipsimet habere pro catholica istam affirmatiuã, Magia & Cabala certificat nos de diuinitate Christi. Quàm aũt in se sit ipsa cõclusio uera, profectò euidẽtissimè potest declarari, licet enim nulla sit scientia humanitus inuenta, quę nos certificare possit de diuinitate Christi, quia certificationem de diuinitate eius, ut in præcedenti diximus cõclusione, non habemus nisi ex modo faciẽdi miracula, quæ fecit: quæ miracula, & esse facta ab eo, & esse taliter facta, non nisi ex testimonio scripturæ scimus. Tamen si quid ad hoc nos possunt adiuuare scientiæ humanæ, sicut & adiuuant in cognitione multarum ueritatũ supernaturalium, nulla est, quæ magis nos possit adiuuare, ꝙ Magia & Cabala quas diximus. Ad hoc enim, ut miracula Christi nobis suã testẽtur diuinitatẽ, oportet cognoscere primo, quòd non potuerunt fieri in uirtute naturali, sed solum in uirtute Dei. Secundò oportet scire, quòd illam uirtutem à se habuerit Christus & non

aliunde

aliunde. In primo nulla scientia humana nos potest adiuuare magis, quàm illa qua cognoscuntur uirtutes & actiuitates agentium naturalium, & earum applicationes proportionesq; adinuicem, & ad sua passa naturalia, & quid possunt uirtute propria, & quid non. hoc autē inter scientias humanas, magis cognoscit ista scientia, quam ego uoco Magiam naturalem, de qua positæ sunt conclusiones, & illa pars Cabalæ, quæ est de uirtutib. corporum cœlestium, per quas, quia cognoscitur, non posse per uirtutes naturales illa opera fieri quæ fecit Christus. Ideò ergo inter Magicas conclusiones istam propositionem posui. Miracula Christi non potuerunt fieri per Magiam. utpote illam conclusionem, scilicet cuius ueritas ex ista scientia possit haberi, & ita patet, iudicium istorum Magistrorum non benè fuisse magistrale, & præsertim, cum ipsi de uirtute sermonis damnēt eam, quę est talis, quòd etiam si sensus eius quem diximus non esset catholicus, adhuc ipsa non esset in se damnanda, quia de uirtute sermonis, non infert illum sensum, cum sit propositio negatiua exponēda disiunctiuè, per tres cathegoricas, ut dictum est supra. Et ad pleniorem huius cōclusionis declarationem, primo est sciendum, quòd sicut supradixi, per hanc conclusionem non intendo comparare Magiam & Cabalam ad scientias reuelatas, quia non accipio in cōclusione scientiam generaliter, sed pro scientia, quæ neque ex modo procedendi, neque ex suis principijs, neque ex cōclusionibus innititur reuelationi. neque etiam in præsenti cōclusione, loquor de certitudine scientiæ habitæ ex reuelatione modo prædicto, sed de certitudine scientiæ inuentæ, uel acquisitæ per demonstrationem, non à priori sed à posteriori per effectus, scilicet quare intendo dicere, quòd si aliqua scientia humanitus adinuenta, & non reuelata certificet de diuinitate Christi per miracula eius, hoc maximè facit scientia, qua cognoscuntur uirtutes & actiuitates agentium naturalium, & eorum applicationes ad inuicem, & ad sua passa nuturalia, & per quas cognoscit, quid possunt agentia naturalia uirtute propria, & quid non. Nam hoc cognito, uidentes deinde opera Christi excedere gradum & terminum illorum, quæ possunt fieri per agentia naturalia, concludimus necessariò, quòd fuerūt facta uirtute diuina, quod scire non possemus illo non cognito. Nā ignoratis terminis potētiæ, & uirtutis rerum naturalium, stat nos dubitare, illa eadem opera quæ fecit Christus posse fieri per media naturalia. Cum ergo talia maximè cognoscat illa pars Cabalæ, quæ est de uirtutibus corporum cœlestium, & illa pars scientiæ naturalis, quam ego nunc uoco Magiam naturalem (& plures etiam catholici doctores sic nominauerūt, qualitercūq; alij ipsam nominare uelint) ideò non hæreticè, non superstitiosè, sed scientificè, sed ueriſsimè, sed catholicè dixi, per talem Magiam & Cabalam, adiuuari nos in cognoscenda diuinitate Christi. De ista autem Magia naturali facit mentionem etiam summus theologus Guilielmus Episcopus Parisiensis

risiensis coætaneus Roberti Inconiensis: qui dicit, quòd Magi prohibiti, dicuntur Magi, quasi mali, quia mala faciunt: magi autē naturales dicuntur Magi quasi magni, quia magna faciunt: & quia isti tollerare non poterant, hoc nomen Magiæ, & tota urbe exclamabant me approbare Necromantiam, quam tota Ecclesia damnabat. Dico iterum & iterum dico, quòd hoc nomen Magia, est nomen æquiuocum, ad id quod dicitur Necromantia, quæ fit per pacta & fœdera cum dæmonibus, & ad partē practicā sciētiæ naturalis, quę nihil aliud docet, cę facere opera mirabilia, mediantibus uirtutibus naturalibus, per applicationem earum adinuicem, et ad sua passa naturalia, & hanc nunquam damnauit Ecclesia, nec damnare potest, sed plures Ecclesiastici doctores & catholici, eam approbauerūt & secuti sunt. De hac ut dixi tractat Guilielmus Parisiēsis in suo de uniuerso corporali & spirituali: & dicit, Quòd illa Magia prohibita, maximè abundauit in Aegypto, quia ibi uigebat cultus dæmonum, ista autem naturalis in Aethiopia & India, quia ibi est maxima copia herbarum & aliarum rerum naturalium, habentium efficaciam in ista naturali Magia. & alibi etiam in suo lib. de legibus, eiusdem scientiæ meminit, eā asserens esse partem scientiæ naturalis. Hanc naturalem Magiam non erubescit uir catholicus, & sanctissimus Albertus Magnus dicere se fuisse secutum, & experientijs in ea multa comperijsse. & quid oportet plura dicere? Dicant mihi isti Magistri, utrū hoc quod ego uoco Magiam naturalem, sit res prohibita: aut aliquid continens, quod sit contra fidem? hoc dicere non possunt, etiam uolentes. At dicent in hoc te reprehendimus, quòd eam uocas Magiam, & æquiuocatione uocabuli, scandalum facis in mentibus fidelium. Item habemus apud Doctores nostros, quòd omnis Magia est prohibita. si ergo omnis prohibita, sequitur quòd nulla concessa, sed tu dicis quòd aliqua est non prohibita, ergo contradictoriè sentis ad doctores ecclesiæ. Mira profectò est ruditas sic dicentium. Primo enim impositio nominum, non fit nunc à nobis, sed utimur nominibus & significationibus eorum, ex antiquorum consuetudine: si ergo ipsi hanc partem scientiæ naturalis Magiam uocare uoluerunt, quid meuis nouare nomina? & quòd illi Magiam nominauerunt, à me uocari Geometriam uel arithmeticam? nec ego primus nec nouus istam scientiam uocaui Magiam, sed multi ante me, & sancti & docti uiri, illi in ius trahantur, illi damnentur, si damnabile est istam scientiam hoc nomine nuncupari. quam tamen nobis impositionē rectè fuisse institutā, si recte Paulū considerauerimus, possumus facilitèr intelligere. Vocabulū enim hoc Magus, nec Latinū est nec Græcū, sed Persicum, & idem lingua Persica significat, quod apud nos sapiens. Sapiētes aūt apud Persas idem sunt, qui apud Græcos philosophi dicunt, sic uocari à Pythagora, qui prius dicebantur sapientes. Ferè enim apud diuersas gentes, diuersis nominibus sapientes eorum nuncupabantur, ut Druides.

des apud Gallos: prophetæ apud Hebrẽos: uel Senedrim, uel phariſẽi, uel Cabaliſtæ, apud Indos Gymnoſophiſtæ: apud Aegyptios Sacerdotes: apud Græcos philoſophi: apud Perſas Magi: & ſic de alijs. Sicut etiam regia dignitas peculiaria, apud diuerſas nationes habet nomina, ut rex Aegyptiorũ, qui prius Pharao, poſtea Ptolemæus: Perſarum, Artaxaxerſes: Romanorum Cęſar: Indorum Præſtan: & eſt qui nunc corrupto uocabulo à nóſtris uulgaribus dicitur Præsbyter Ioan. & ſic de alijs. Si ergo Magia idem eſt quod ſapientia, meritò hanc practicã ſcientiæ naturalis, quæ prę-ſupponit exactam & abſolutam cognitionem omnium rerum naturaliũ, quaſi apicem & faſtigium totius philoſophiæ, peculiari & apropriato nomine Magiam, id eſt ſapientiam ſicut Romam urbem, Virgiliũ poëtam, Ariſtotelem philoſophum dicimus, appellare uoluerunt. Quod ſi hoc nomen Magi ita abhorremus, utiq; neq; Euangelium patienter audiemus dicens: quòd Magi uenerunt ab oriente, adoraturi Chriſtum. Non erant illi Magi Necromantes, & cũ dæmonibus confœderati, qui hoſtem dæmonum, imò dominũ, & de eis mox triumphaturũ uenerunt adorare, ſed erant uiri ſapientes, cœleſtium & terrenarum rerum ſcientia edocti, qui ipſam patris ſapientiã, in humano corpore factam uiſibilem coluerunt & uenerati ſunt. Hanc autem differentiam, apertiſsimè dat intelligere Hieronymus in epiſtola ad Paulinum, in qua mentionem faciens de Apollonio Tyanëo ait: Apollonius Tyanëus ſiue Magus ut uulgus, ſiue philoſophus ut Pythagorici dicunt, in quibus uerbis expreſsè ſignificat Hieronymus quòd illud quod eſt uera Philoſophia à uulgaribus, quandoq; creditur eſſe illud, quod ipſi appellant Magiam. Non ergo ego ſum reprehendendus, qui ex proprio & uſitato modo loquendi, non ſolum doctorum Eccleſiæ, ſed etiã ipſius Euangelij hanc ſapientiã naturalem Magiam uocauerim. ſed neq; æquiuocatione uocabuli ſcãdalum fecerim fidelibus, quia in concluſionibus meis, non ſum uſus hoc nomine indiſtinctè & ęquiuocé, ſed ad tollendam omnem cuiuſcũq; ſiniſtrę opinionis occaſionem, diſtinxi Magiam licitam ab illicita, & naturalem à ſuperſtitioſa, declarans quid ſit iſta naturalis, & quid poſsit, & quid non poſsit. taliter, ut etiã ſimplices & rudes impium aliquid uel erroneum in fide de meis concluſionibus ſuſpicari non poſſunt, in quib. Magiam prohibitã omninò refellens & deteſtans, poſui hanc primam concluſionem præciſè in ijs uerbis. Tota Magia, quæ in uſu eſt apud modernos, & quam meritò exterminat Eccleſia, nullam habet firmitatem, nullam ueritatem, nullum firmamentum, quia pendet ex manu hoſtiũ primę ueritatis, poteſtatum harum tenebrarum, quæ tenebras falſitatis male diſpoſitis intellectib. offundunt. Et poſt iſtam concluſionem, pono ſecundam, quæ dicit, Quòd Magia naturalis eſt licita & non prohibita: & proteſtor de me iſta tantum locuturum, quo facto, quæ amplius ſuſpicio remanere poteſt, aut quod ſcandalũ fieri

per æquiꝰ

per æquiuocationem huius nominis Magia, quam sic distinxisse, & cum reprobatione illius superstitiosæ & diabolicæ, istã naturalem approbasse non solùm, non ad scandalum, sed ad ædificationem potest esse simplicibus. Ex quibus ego multos uidi, qui audientes, quòd Magi uenerunt adorare Christum, credentes nihil aliud significare hoc nomen Magos quàm Necromantes. hinc sumunt argumentum, quòd Magia nõ sit prohibita, nec cõtrà fidem Christi, quando ipsum Christum Magiæ cultores primi adorauerunt. Vtile est ergo docuisse fideles, ne cum Magum audiunt, dæmonum cultorem semper intelligant, & cum audiunt, apud Persas Magos in summo honore & reuerentia habitos, propter eorum doctrinam et sapientiam, sciant philosophos illos fuisse, non Necromantes, quos utpote populis exitiales & damnosos, imò pestiferos, omnes gentes semper eiectos & malè habitos, persecutæ & detestatæ sunt. Similiter cum legunt Albertum in experimento Magiæ multum temporis consumpsisse, de Magia naturali hoc intelligant, non de prohibita, ne exemplo tanti uiri, illi se dedant, quod illi licuit sibi quoque licere præsumentes. Scandala ergo tollunt, non generant, de mentibus fideliũ nostræ Magicę conclusiones: quod si quando legunt apud doctores, omnem Magiã esse prohibitam, statim utiq; ex causis prohibitionis intelligent ipsos, de ea solum loqui, quæ habet commertium cum dæmonibus, & de naturali nihil eos intendere. Est autem (ut dicit Hilarius) intelligentia dictorum, ex causis assumenda dicendi: quod si ad uim uerborum uolunt recurrere, possunt scire ex dialectica, quòd negatio uel distributio termini multiplicis, nõ negat aut distribuit ipsum pro omni supposito cuiuslibet significati copulatiuè. Quare cum iste terminus Magia sit æquiuocus, ad superstitiosam, & ad naturalem distributio addita, ei non distribuet ipsum pro quolibet supposito, cuiuslibet significati copulatiuè, sed ex dictis quòd omnis Magia prohibetur, habebitur solum, quòd omnes species Magię superstitiosæ, quæ omnes secundum unum nomen, & unam rationem dicunt. Nam multæ sunt prohibitæ, & hæc omnia sunt clara & dilucida etiam mediocriter eruditis. nullo ergo modo, debuerunt istis Magistris esse suspectæ conclusiones meæ Magicæ, cum sicut dixi in prima conclusione, refellam omnem Magiam prohibitam ab Ecclesia, illam damnans & detestans, protestans me solum loqui de Magia naturali, & expressius per specialem conclusionem declarans: quòd per istam Magicam nihil operamur, nisi solum actuando uel uniendo uirtutes naturales. Sic enim dicit conclusio undecima conclusionum Magicarum. Mirabilia artis Magicæ, non sunt nisi per unionem & actuationem eorum, quæ seminaliter & separatè sunt in natura. & idem est, quod dixi in 13. conclusione Quòd Magiam operari non est aliud, quàm maritare mundum. Prædictam autem specifica-

tionem, & restrictionem intentionis meæ, in conclusionibus Magicis, ad Magiam naturalem intendo esse applicandam, cuilibet conclusioni particulari, & ita cū dico, de actiuitate characterum & figurarū, in opere Magico loquor de uera actiuitate sua & naturali. patet enim, quòd talem habent secundum omnes philosophos tàm in agendo, quàm in modo agendi & patiendi. Et licet secundum peripateticos longe minoris sint actiuitatis & uirtutis, quàm sint qualitates materiales, tamen dicerent Pythagorici, quorū ego Philosophiam in conclusione 24. uoco secretiorem Philosophi ī, quia est minus nota, & minus in usu, quòd sicut mathematica sunt formaliora physicis, ita etiam actualiora. & sicut in suo esse minus dependet, ita etiam in suo opere. & ita quòd dixi de plus posse eorum, quamuis discordia Pythagoricorum & Peripateticorum sit indifferens ad fidem, tamen non dixi, ut in se & absolutè uerum, sed ut consequens ad secretam philosophiam Pythagoricorum modo prędicto intelligendam, quorum etiam sententia est, inter omnia Mathematica, numeros ut formaliores, ita etiam esse actualiores, & inter numeros impares, ternarium. Quia sit primus impar, & primum in unoquoq; genere, est perfectissimum in illo genere, & inter numeros pares, denarium qui est omnis numerus, ut patet. abeo enim ultra numeramus per replicationem, & hoc intēdebam, per id, quod dixi de ternario & denario, in Magia naturali. numerus autem etiam efficientiam & uirtutem, tàm ad bonum quàm ad malum attribuunt doctores catholici. Vnde Hilarius in commento suo, super Psalmos inquirendo causam, cur Psalmorum ordo, non sit secundum Historiam, sed sæpè Psalmus, qui prius fuit compositus, posterior in ordine collocatur: sic inquit. Non est aūt ignorandum, indiscretum apud Hebræos esse numerum Psalmorum, & sine ordinis annotatione esse conscriptos. non enim illic primus, aut secundus, aut tertius, aut quinquagesimus, aut centesimus prænotantur, sed sine præscriptione aliqua ordinis, in unum permixti sunt. Esdras enim, ut antiquæ traditiones ferunt, incompositos eos, & pro authorum ac temporum diuersitate dispersos, in uolumen unum collegit & retulit. sed 70. seniores secūdum Moysi traditionem, ad custodiam legis atq; doctrinæ in synagoga manentes, posteaquam illis à rege Ptolomæo transferendæ ex Hebræo in Græcū sermonem, totius legis cura mandata est, spiritali & cœlesti scientia uirtutes Psalmorum intelligentes, in numerum eos atque ordinem redegerunt, singulis quibusque numeris, pro efficientia sua & absolutione perfectis perfectorum & efficientium Psalmorum ordine deputantes. hæc Hilarius ad uerbum. ex quibus apertissimè patet, quòd numerus uirtutem dat & efficientiā. Hieronymus quoq; contra Iouinianum, infaustum dicit esse numerum 20. in quo seruiuit Iacob, & uenditus est Ioseph. & quem dilexit Esau, in eo quædam munera accipiens,

piens, & in eodem loco laudat denariū dicens, de eius laudibus, se sæpius dixisse. Et in eodem lib. cap. 7. dicit, quòd ideo in secunda die, non fuit dictum, & uidit Deus quoniam bonum, quia binarius numerus sit malus: quinimò ex numero binario, sumit argumentum contra bigamos, & propter hoc dicit, omnia animalia immunda, in archam Noë bina ingredi, septena autem quæ sunt munda. Similia centies inuenies apud Basilium, Nazanzenum, Ambrosium, Origenem, Augustinum & alios. Quin Rabanus insignis doctor ecclesię, de numerorū uirtutibus, specialem librum composuit, & obseruare ubique proprietates ipsorum numerorum, inuenies semper ecclesiasticos doctores etiam quandoque, quasi usque ad curiositatem si dici potest, dum nunc ad binarium duo testamenta, duo cherubin, duo charitatis præcepta, duas primas dignitates, duos primos populos referunt. Nunc ternarij mysterium, insuper substantiali diuinitate in triduo sepulchri, in tribus theologicis uirtutibus, in tribus temporibus naturæ, legis, & gratiæ. in tribus statibus perfectionis contemplantur. Nunc non sine mysterio, sed propter occultam etiam ipsius numeri proprietatem esse uolunt, quòd 40. dies Moyses. 40. Helias, 40. Christus ieiunauerit. & per 40. dies post resurrectionē ascenderit, & per 40. horas fuerit apud inferos, & post 40. dies, Niniue quæ est typus figuræ huius mundi subuertetur, & per totidem dies noctesq; pluit super terram Dominus. Magnum item dicunt continere sacramentum, quòd in quinquagenario numero, in quo fit remissio peccatorum: in eodem etiam descenderit spiritus sanctus. Et in eodem numero positus sit Psalmus. Miserere mei Deus. quod maximè notant Hilarius & Origenes. & his per omnia multum concordant mysteria Cabalistarum, qui quinquagenariū numerum attribuunt spiritui sancto, qui spiritus sanctus apud eos, etiam per ignem significatur, in qua forma, & in quo numero dierum descendit super apostolos. Estq; & apud eos spiritus sanctus tertia persona, siue proprietas in diuinis, procedens à prima & à secunda, quæ secunda dicitur sapientia, & procedit à prima, & differt ab utraque solum ratione processionis: sicut scilicet id quod procedit, differt ab his à quibus procedit, cum sit tamen per substantiam & essentiam idem cum illis. hæc expresse dicunt Cabalistæ: quorum dicta isti Magistri à me contra Iudæos allata, ut suspecta de fide abominabantur. Vocant autem & eandem tertiam proprietatem pœnitentiam, quod concordant modo dictis, ut idem sit numerus attributus Spiritui sancto, qui & pœnitentiæ sacramento. Vnde & illud possumus colligere, peccatū in spiritum sanctum, propriè peccatum esse in pœnitentiæ, quod non remittitur in hoc sæculo neque in futuro. sed de his aliâs. Duodenarij etiam secretam aliquam proprietatem, in 12. tribubus Israël, in 12. Apostolis, in 12. lapidibus cœlestis Hierusalem speculantur, credunt etiam, non sine causa neque casu, in denarium numerum co-

incidisse, & præcepta legis, & decem chordas psalterij, & apud Hebræos ut habetur in מדרש תילים Midrasch tillim, cantores Psalmorū decem, qui sunt Adam, Abraham, Melchisedech, Moyses, Asaph, Dauid, Salomon, & tres filij Roræ, quamuis aliter à nostris enumerentur. & correspondent decem organa, id est decem instrumenta, uel decem modi musicæ, quibus canebantur, sic dicti apud Hebræos נשא נאם מזמור שיר תפילה ברכה הלל ידידיה אשרי הללויה id est, nesa, neym, mismor, schir, tephilla, beracha, hillel, iedidia, aschre, halleluia, quæ ego obseruaui sic distinguenda, ut per primum canantur odæ, secundum idem est quod organum, per tertium Psalmi, per quartum cāntica, per quintum orationes, per sextum benedictiones, per septimum laudationes, per octauum gratiarum actiones, per nonum felicitas alicuius: per ultimum laudes Dei tantum. Addas tu & מַשְׂכִּיל Maskill, quo canuntur contemplationes, & erit halleluia quasi eisoph, non ponens in numerum cum alijs. Addunt & decem dies, quibus post ascensum Christi descendit spiritus, & decem cortinas in templo, & similia innumera & infinita, illud dicentes semper, quòd nihil casu, sed omnia Deus per suam sapientiam, ut in pondere & mensura, ita in numero disposuit. Taceo quot, & quanta obseruent in nouenario, ut præter Ierarchias angelorum, & nouem beatitudinum gradus, iuxta Moysen etiam longitudinem cubitorum: O gregis Basan, qui typus est diaboli, non credant esse casualem, & sine mysterio. illud enim obseruantes, quòd dominus hora nona clamauit. Nónne etiam in quatuor euangelijs, quatuor fluminibus paradisi, quatuor animalibus Ezechielis, quaternarij perfectionem considerant? & senarij, in sex diebus creationis mundi, & in sex ætatibus, siue septima sit futura uita: ut uult Augustinus siue octaua ut Hieronymus. Quin & illud non prætermittit, quòd dominus sexta feria passus est. Quid de septenario? cū magna dicerent attentione dignum, quòd die septima Dominus quieuit, quòd septem dona spiritus sancti. & in Apocalypsi septem signacula libri, septem cornua, septem oculi, septem angeli, septem ecclesiæ, septem candelabra, septem stellæ, septem spiritus nequiores, & septem nequitiæ apud Salomonem. & septies in die Deo canit Dauid propheta. Quartumdecimum autem numerum ita uidimus obseruatum à Matthæo, ut ad hoc, quòd posset eum ubique in Generationibus Christi retinere, nonnullas etiam generationes prætermiserit. De medicis, de Astrologis, de Philosophis maximè Platonicis & Pythagoricis nihil affero, sed solum de nostris Ecclesiasticis doctoribus. Cum de hoc agatur, utrum credere esse proprietates in numeris, & uirtutes aliquas naturales aliquo modo ueritati fidei catholicæ repugnet. quas cum uideamus etiam, ut dixi, fortasse usque ad curiositatem à Catholicis authoribus obseruatas, nihil est amplius cur dubitemus non esse talem opinionem pro hæretica

reijciendā

reſciendam. Cum ergo in concluſionibus meis de figuris, de numeris loquor, non loquor quantum ad ſuperſtitioſum uſum ſuum, per pacta & conuentiones cum dæmonibus, quia hæc omnia reprobaui, in prima concluſione mea: ſimiliter de nominibus quòd habeant aliquam actiuitatem naturalem, etiam notum eſt omnibus. quam quidem actiuitatem naturalem, non habent, ut ſignificatiua ſunt ad placitum, ſed ut ſunt in ſe quædam res naturales, ideo dixi, nomina illa habere uirtutem in Magia naturali, non ut ſignificatiua ſunt, niſi fortè eſſent aliqua, quibus ſignificatio eſſet naturalis, ſicut Stoici dicunt de omnibus nominibus, quibus ut aduerſantur Peripatetici, ita Plato in Cratilo aſſentitur, de his quæ ſunt rectè impoſita, Origenes autẽ de Hebraicis hoc ſentit, & ideo dicit, quòd quædam nomina Hebraicis in ſacris literis, ſicut Oſanna, Sabaoth: halleluia & ſimilia fuerunt ſic reſeruata, & non mutata in aliam linguam in qua non retinuiſſent ſuam naturalem ſignificationem, & conſequenter uirtutem. & hoc ſolum intendebam dicere, dum comparabam nomina ſignificatiua non ſignificatiuis, & nomina Hebraica alijs in ſua efficacia in Magia naturali. &c. Volo autem & aliquid dicere latius de iſta Cabala, quanquam & ſupra, in prima parte Apologiæ noſtræ multa dixerimus. ſed illa forte non magis ab iſtis Magiſtris intelligentur, quàm intelligantur barbara ab eruditis. quare & hic aliquid ſecum hoc, Pariſienſi ſtylo, dicemus de iſta Cabala: horrendum enim iſtis patribus uidetur hoc nomen, & ex ipſo penè ſono timendum, ita ut forte ſint ex ipſis, cui cabaliſtas non homines, ſed hircoceruos potius uel centaurum, uel omninò monſtruoſum aliquid eſſe ſuſpicentur. quinimò audi rem ridiculam, cum ſemel quidam ex eis interrogaretur, quid eſſet iſta Cabala? Reſpondit ille, fuiſſe perfidum quendam hominem & diabolicum, qui dictus eſt Cabala. & hunc multa contra Chriſtum ſcripſiſſe, inde ſequaces eius dictos Cabaliſtas. Quis quæſo hic riſum tenea? eſt ergo ſciendum opinionem eſſe non ſolum Rabi Eliazar: Rabi Moyſis de Aegypto, Rabi Symeon Benlagis, Rabi Iſmahel, & Rabi Iodam, & Rabi Nachinan, & aliorum quamplurium ex ſapientibus Hebræorum, ſed noſtrorum etiam Doctorum, ut infra oſtendam, præter legem, quam Deus dedit Moyſi in monte, & quam ille quinque libris contentam, ſcriptam reliquit, reuelatam quoque fuiſſe eidem Moyſi, ab ipſo Deo, ueram legis expoſitionem, cum manifeſtatione omnium myſteriorum & ſecretorum, quæ ſub cortice & rudi facie uerborum legis continerentur. denique duplicem accepiſſe legem Moyſen, in monte, literalem & ſpiritalem, illam ſcripſiſſe, & ex præcepto Dei populo communicaſſe, de hac uero mandatum ei à Deo, ne ipſam ſcriberet, ſed ſapientibus ſolum qui erant ſeptuaginta communicaret, quos idem Moyſes ex præcepto Dei elegerat ad cuſtodiendam

legem, eisq; itidem præciperet, ne eam scriberent, sed successoribus suis uiua uoce reuelarent, tum & illi alijs & sic ordine perpetuo. Ex quo modo tradendi istam scientiam per successiuam, scilicet receptionē, unius ab altero dicta est ipsa scientia, scientia Cabalæ, quod idem est, quod scientia receptionis, quia idem significat Cabala apud Hebræos, quod apud nos receptio. Fuerunt autem postea hæc mysteria literis mandata, tempore & causa infradicendis, & illi libri dicti sunt libri Cabalæ, in quibus libris, multa imò penè omnia inueniuntur consona fidei nostræ. Fuerunt enim & ab ore Dei traditi, & à Iudæis ante Christum scripti, quo tempore nulla passione moueri poterant, ad uiciandam uel corrumpendam ipsam ueritatem. Ex istis libris & authoribus huius scientiæ, ego multas posui conclusiones, ad confirmationē fidei nostræ contra Iudæos, quas cum isti Magistri fortè non benè considerassent, suspectas esse dixerunt in fide, & Iudaicam perfidiam sapientes, quod tamen posteaquam intellexerunt, quid esset Cabala, multos ex eis puduit dixisse, Quod autem ita sit, ut supra diximus, quòd Deus Moysi præter literalem legem, quam ipse scripsit, dederit etiam & reuelauerit mysteria in lege contenta, habeo ex nostris quinque testes, Esdram, Paulum, Origenem, Hilarium, & Euangelium. Primo enim habemus hoc ex textu 4. Esdræ 14. apud quem loquens dominus sic inquit: Reuelans reuelatus sum super rubrū, & locutus sum Moysi, quando populus meus seruiebat in Aegypto, & misi eum, & eduxi eum de Aegypto, & adduxi eum super montem Synai, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta & finem, & præcepi ei dicens: Hæc in palàm facies uerba, & hæc abscondes. Secundo habemus authoritatē Origenis (cuius testimonium in his in quibus ab Ecclesia recipitur est ualidissimum, quia ubi benè nemo melius) hic ergo, super illud Pauli ad Roman. 3. Quid ergo amplius uideo, aut quæ utilitas circumcisionis, multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei, dicit Origenes, Considerandum est, quia non dixerit literas esse creditas, sed eloquia Dei. Ex quo dicto Origenis habes, quòd præter literalem legē aliud quid traditum fuit Iudæis, quod hic uocat Paulus eloquia Dei. Literas enim, id est literalem legem eis fuisse traditam, nemo negat, sed non imputatur eis ad prærogatiuam, quia litera per se occidit, & nisi adsit spiritus uiuificans, omninò per se est res mortua. Sed præter has literas tradita sunt eis eloquia Dei, de quibus merito gloriantur, quæ nihil aliud sunt quàm, quòd apud Hebræos dicitur Cabala, id est uerus legis sensus ab ore Dei acceptus: unde & apud Hebræos quandoq; uocatur, תורה בעל פה quod idem est, q̄ lex de ore nata. quæ propter illam successiuam receptionem, deinde dicta fuit Cabala. Et q̄ istam scientiam deinde Moyses, iam à Deo acceptā 70. senioribus tantū cōmunicaret, apertè testatī Hilarius, qui

in ex-

in expositione Psalmi secundi. Quare fremuerunt gentes. &c. sic scribit. Erat autem iam à Moyseante institutum, in omni synagoga 70. esse doctores: nam idem Moyses, quamuis ueteris testamenti uerba, in literis condidisse, tamẽ separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria, 70. senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimauerat. cuius doctrinæ etiam Dominus in Euangelijs meminit dicens. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint uobis facite & seruate: secundum uero facta eorũ nolite facere. doctrina uerò eorum, manſit in posterum. hæc Hilarius ad uerbum. ecce quòd Hilarius expresse testatur, fuisse præter legem scriptam, doctrinam quandam aliam secretiorem, quam Moyses ipsis 70. sapientib. intimabat. Quod autem & ista secretior & uerior de mysterijs legis expositio, omnibus passim nõ publicaretur, sed solum Moysi specialiter à Deo, & abeo alijs tantũ 70. sapientibus fuerit reuelata, testatur etiã Origenes in loco præallegato sic dicens. de Moyse prophetisq; & cæteris horum similibus, hæc intelligenda sunt dici, quibus sunt credita eloquia Dei: adde, & si quis apud eos sapiens & intelligens auditor, & mirabilis consiliarius fuit. hæc Origenes. Per hos autem mirabiles consiliarios, illi intelliguntur, quos uocant Hebræi Senedrim, id est 70. illos seniores quos elegit Moyses ex præcepto domini, quorum locũ mihi uidentur tenere Cardinales in nostra ecclesia, & ad imitationem numeri illorum 70. seniorum (ut nunc declarabimus) fuerunt redacta mysteria Cabalæ in 70. libros principales tempore Esdræ. Vsque enim ad tempus Esdræ, de ista doctrina nihil erat scriptum, sed solum (ut dixi) per successiuam receptionem tradebatur, unde Cabalisticè nomen accepit. Postquam autem à Babylonica captiuitate restituti fuerunt per Cyprum, & sub Zorobabel instauratum fuit templum, tunc Esdras, qui fuit præfectus synagogæ, postquam reparauit legem scriptam Moysi, & correxit testamentum uetus. Voluit etiam ut ista secreta Dei eloquia, quæ usque ad illud tempus scripta non fuerant, scriberẽt. & hoc quia propter captiuitatem gentis non poterant seruare illum ordinem tradendi sibi illam doctrinam per manus, & merito erat dubitandũ, ne propter dispersionem eorum, si non inueniebantur scripta tandem perirent. Statuit ergo Esdras, ut scriberẽt adhibitis ad hoc specialiter notarijs, & quia erãt 70. seniores siue consiliarij, inter quos erat hæc doctrina, iussit ut redigerentur omnia illa secreta in 70. uolumina principalia, quæ tamen deinde, etiam non nisi sapientibus communicarent. & hoc est quod apud Esdram legit his uerbis. Exactis 40. diebus, locutus est altissimus dicens: Priora quæ scripsisti in palàm pone, legant digni indigni, nouissimos autem 70. libros conseruabis, ut tradas eos sapiẽtibus de populo tuo. In his enim est uena intellectus & sapientiæ fons, & scientiæ flumen, & sic feci.

Hæc

hæc Esdras ad uerbum. Habetur autem de isto Concilio, in quo fuerunt scripti isti libri mentio lata & diffusa, apud Hebræos in libro qui dicitur Sederolam, id est Liber sæculorum, ubi habetur qui sederunt in concilio, & denique totius concilij gesta & ordo. ex quibus omnib. satis patere potest, non esse confictum à me quòd præter legem scriptam, Moyses ueram quoq; legis expositionẽ à Deo acceperit, & quòd illa deinceps per successionem à Moyse 70. senioribus, & ab illis alijs suis successoribus fuerit reuelata. Vnde & nomen accepit, ut diceretur Cabalistica, & tempore Esdræ in plures libros fuerit redacta, qui dicuntur libri Cabalæ. quos ego libros summa impensa mihi conquisitos (neque enim eos Hebræi Latinis nostris cõmunicare uolunt) cum diligenter perlegerim, inueniens ibi multa, imò penè omnia cõsona fidei nostræ, uisum est mihi habere posse Christianos, unde Iudæos suis telis confodiant, cum ab eis authoritas Cabalistarum quos habent in magno honore & reuerentia negari non possit. Est autem ulterius sciendum, quòd ista expositio Bibliæ proportionatur modo exponendi bibliã, qui apud nos dicitur Anagogicus: sicut enim apud nos est quadruplex modus exponendi Bibliam, literalis, mysticus siue allegoricus, tropologicus & anagogicus. Ita est & apud Hebræos. literalis apud eos dicitur Pesat, quemadmodum tenent apud eos Rabi Salamon, Chemoy & similes. allegoricus Midras, unde sæpe apud eos audies Midras ruth, Midras tillym, Midras coëleth, id est, expositio per Midras, id est mystica super Ruth, super psalmos, super ecclesiasten: & sic de alijs. & istum modum sequuntur maximè doctores Talmutici. Tropologicus dicitur Sechel, quem sequuntur Abraham Abnazara, ubi literaliter non exponit, & Leui Bengerson & multi alij, & ante omnes Rabi Moses Aegyptius. Anagogicus dicitur Cabala, & hoc quia illa expositio quæ dicitur ore Dei tradita Moysi, & accepta per successionem, modo prędicto, quasi semper sensum sequitur Anagogicum. qui etiam inter omnes est sublimior & diuinior, sursum nos ducens à terrenis ad cœlestia, à sensibilibus ad intelligibilia, à temporalibus ad æterna, ab infimis ad suprema, ab humanis ad diuina, à corporalibus ad spiritualia: & hinc est, quòd ualidissima inde argumenta habentur contra Iudæos, quia discordia quæ est inter eos & nos, ut maximè patet ex epistolis Pauli, hinc tota præcipuè dependet, quòd ipsi sequuntur literam occidentem, nos autem spiritum uiuificantem: quod unico exemplo sufficiat nunc declarasse. Nam cum eis in eis prophetijs promittitur, quòd Messias eos liberabit de captiuitate, & adducet in terram promissionis, & in Hierusalem, & in templo gaudebunt & congregabuntur: ipsi hæc literaliter intelligentes, dici de captiuitate mundana, & de terra promissionis, quæ est Iudæa terrestris, similiter de materiali ciuitate Hierusalem & templo, non possunt credere illum

fuisse

fuisse Messiam, per quem eiecti sunt de illa terra promissionis, & ciuitas destructa, & dirutum fuit templum. Quod si uoluerint simul cum Cabalistis anagogicè exponendo scripturam intelligere, illa de cœlesti Hierusalem, de captiuitate spirituali, de cœlesti terra uiuentium cognoscant, & confiteantur necesse est, illum uerum fuisse Messiam, per quem totus penè orbis, de manu dæmonis, cui per idolatriam seruiebat, fuit liberatus. quem fore effectum præcipuum aduentus Christi, ipsorum Cabalistarum firma est opinio. ita cognosceretur esse de omnibus alijs, si conclusionum mearum Cabalisticarum probationes uiderentur, nullum esse scilicet penè articulum, in quo nobiscum Iudæi per Cabalistarum authoritatem sentire non cogantur. At statim insurgunt isti patres, & cur omnes Iudæi non fiunt Christiani, & cur Augustinus & Hieronymus & alij doctores Ecclesiæ huius doctrinæ, non meminerunt: Miror de sapientia istorū patrum, & quæso dicāt mihi ipsi, uera fuerint ne miracula Christi, an nostris falso conficta? Si uera dicunt, dicant & mihi, Cur tunc nō omnes Iudæi facti sunt Christiani? nam etiam si Cabalistas ipsos præsupponamus eadem penitus scribere, quæ Augustinus scribit, dubitandum tamen non est, maioris fuisse efficaciæ miracula uiuentis Christi, ante eorum oculos quotidie facta, quàm authoritatem cuiuscūq; authoris, quanquam apud eos maximè authentici. Sciant aūt prohibitū Iudæis legere illos libros, antequam attigerint annum quadragesimum suæ ætatis, & si quando legunt & non credunt, sicut & in Christum ipsum, quem uiderunt non crediderunt, dicò cum Origene, quòd facti sunt de illis qui legunt & non intelligunt, legunt & non credunt. Obscuratum est enim insipiens cor eorum. & sicut de illis eloquijs Dei, quæ supra declarauimus esse istam cabalisticam traditionem, dicit Paulus in hunc modum. Quid enim si quidam illorū non crediderunt, nūquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? absit. Est enim Deus uerax: omnis autem homo mendax. Ita & nos dicamus, quid si multi non credunt, nunquid illorum incredulitas huius scientiæ ueritatem & nobilitatem euacuat? absit. sunt autē maxime digni Christiani hac scientia, quia sicut ipsa est lex spiritualis non carnalis, ita nos spirituales sumus Israëlitæ, non carnales. pertinet autē lex spiritualis ad eum, qui iuxta Paulum in abscondito uidens est, non ad eum qui in manifesto. Quod autem dicant se mirari doctores Ecclesiæ de ista doctrina nunquam fecisse mentionem, satis nos supra ostendimus, & Hilarium & Origenem, & Esdram, & iuxta hos Paulum & Euangelium huius scientiæ meminisse. Est autem & aduertendum, quòd nunquam inuenies aut rarissimè doctorem aliquem, ex nostris, loquor de antiquis, aliquem ex Hebræis nominatim allegantem, sed in uniuersali tantum uidebis dicentes. Sic dicunt Hebræi. Hæc est sententia Hebræorum. & ego quidem, non memini me hoc nisi semel inuenisse apud Origenem, qui allegat

Huillum

Huillum pàtriarcham coætaneum ſuum, quare nihil mirum, ſi & author
res Cabalæ ab eis nunquam audias nominatim allegari. Verum cum de
Hebræorum teſtimonio uideamus, quandoque doctores noſtros ita con
fidere, ut ſicut noſter Hieronymus dicit: Cum uolunt approbare quod di
cunt, Euſebius maximè, Origenes & Clemens, & quamplures alij. ad He
bræos ſe ſemper referunt dicentes. Referebat mihi Hebræus, Audiui ab
Hebræo. Hebræorum iſta ſententia eſt. Et ipſe Hieronymus etiam eos
Magiſtros uocet dicens, Hæc eſt ſententia Magiſtrorum. nihil dubitan
dum eſt de doctoribus Cabalæ, eos intelligere, quod euidenti ratione po
teſt demonſtrari, eſt enim omnis ſchola Hebræorum in tres ſectas diuiſa,
in philoſophos, in Cabaliſtas & in Talmuticos. Talmuticos allegari ab
antiquis doctoribus noſtris, non eſt credendũ, tùm quia Clemens & mul
ti alij, qui Hebræos allegant, fuerint ante compoſitionem ipſius Talmu,
quæ fuit poſt Chriſti mortem, plus quàm per 150. annos, tùm quia doctri
na Talmutica eſt totaliter contra nos, conficta ab ipſis Hebræis iam con
tra Chriſtianos pugnantibus, quare illi doctrinę talem honorem non de
tuliſſent noſtri, ut tunc maximè aliquid dictum ab eis firmum putarent,
cum Iudæorum teſtimonio corroboratur. Philoſophos pariter certum
eſt eos non allegare, quia & iſti qui, ſcilicet ſecundum philoſophiam expo
nere ceperunt Bibliam ceperũt, à modico tempore. Primus enim fuit Ra
bi Moyſes de Aegypto, quo adhuc uiuente floruit Auerrois Cordubẽſis,
nondum autem fluxerunt trecenti anni à morte Auerrois. Relinquitur er
go, ut hæc Hebræorum doctrina, cui doctores Catholici ex Hieronymi
teſtimonio tantum deferunt, & quam adeò approbant, ſit illa, quam ipſi
ſimet noſtri doctores fatentur, & credunt à Deo Moyſi, & à Moyſe per
ſucceſsionem alijs ſapientibus fuiſſe reuelatum, & eſt illa quæ ex hoc mo
do tradendi, dicitur Cabala, quam ſępè etiam uideo à noſtris authoribus,
hoc modo deſignari, dicendo: Vt dicit antiqua traditio. Hæc eſt prima &
uera Cabala, de qua credo me primum apud Latinos explicitam feciſſe
mentionem, & eſt illa, qua ego utor in meis concluſionibus, quas cum ex
preſsè ponam contra Hebræos, ad confirmationem fidei noſtræ, neſcio
quomodo iſti Magiſtri habere potuerunt pro ſuſpectis in fide. Verũ quia
iſte modus tradendi per ſucceſsionem, qui dicitur Cabaliſticus, uidet con
uenire unicuiq; rei ſecretæ & myſticæ, hinc eſt quòd uſurparunt Hebræi,
ut unamquanq; ſcientiam, quæ apud eos habeatur pro ſecreta & abſcon
dita, Cabalam uocent, & unumquodq; ſcibile, quod per uiam occultam
alicunde habeatur, dicatur haberi per uiam Cabalę. In uniuerſali aũt duas
ſcientias, hoc etiam nomine honorificarunt, unã quæ dicitur ars cõbinan
di, & eſt modus quidam procedendi in ſcientijs, & eſt ſimile quid, ſicut
apud noſtros dicitur ars Raymundi, licet fortè diuerſo modo procedant.
Aliam quæ eſt de uirtutibus rerum ſuperiorum, quę ſunt ſupra lunam, et

eſt pars

est pars Magiæ naturalis suprema. Vtraque istarum apud Hebræos etiam dicitur Cabala, propter rationem iam dictam, & de utraque istarũ etiam aliquando fecimus mentionem in conclusionib. nostris: Illa enim ars combinandi, est quam ego in conclusionibus meis uoco, Alphabetariam reuolutionem. est ista quæ de uirtutibus rerum superiorum, quæ uno modo potest capi, ut pars Magiæ naturalis, alio modo, ut res distincta ab ea: est illa de qua loquor in præsenti conclusione, dicens: Quòd adiuuat nos in cognitione diuinitatis Christi ad modum iam declaratum, & licet istis duabus scientijs nomen Cabalæ, ex primaria & propria impositione non conueniat, transumptiuè tamen potuit eis applicari. Verum sicut, cũ olim Magi tantum dicerentur Sapientes Necromantes, deinde & diabolici uiri, Sapientis sibi falso nomen uendicantes, Magos se uocauerunt, ita & quidam apud Hebræos, res diuinas falsis & uanis superstitionibus polluentes, imo in rei ueritate, quasi nihil à Necromantibus differentes, dixerunt se habere secreta Dei nomina, & uirtutes quib. dæmones ligarent, & miracula facerent, & Christum non alia uia fecisse miracula. & isti falso sibi Cabalistarum nomen uendicauerunt, dicentes, artem suam esse illam ueram Cabalam quam reuelauit Deus Moysi. sicut etiam dicunt Necromantes, quòd illas suas incantationes & bestialitates habuerunt à Salomone & ab Adam & ab Henoch, & à similibus. hanc autem falso uocatam Cabalam, non solùm ego non approbaui in conclusionibus meis aut sequutus sum, sed expresse reprobaui, ponens conclusionem specialem de directo contra istam, quæ dicit quòd miracula Christi non potuerunt fieri per uiam Cabalæ. Hæc sufficiant de præsenti conclusione, quæ specialem librum exigeret, si quid sit naturalis Magia, quid Cabala exactè uellemus declarare. hîc sufficit ostendisse, nihil contineri in eis, quod Catholicæ & orthodoxæ fidei repugnet.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE EVCHARISTIÆ sacramento disputatio.

SI teneatur communis uia, de possibilitate suppositionis, respectu cuiuscunque creaturæ: Dico quòd sine conuersione substantiæ panis in corpus Christi, uel paneitatis annihilatione, fieri potest, ut in altari sit corpus Christi secundum ueritatem sacramenti, quod sit dictum, loquendo de possibili non de sic esse. Per hanc conclusionem, non intendo dicere, quòd panis non conuertatur in corpus Christi, & quòd de facto sit corpus Christi in sacramento, de facto instituto à Christo, aut illius sacramenti ueritas actualis, sit præsentialitas corporis Christi ad panem de facto assumptum, uel suppositum à uerbo. Ista enim de inesse, reijcio expresse in fine conclusionis, ibi quod sit dictum, de possibili, non de sic esse. ubi Ly possibile referre uolo: non solùm ad dictum præcedens de suppositione panis à Christo, sed ad ueritatem sacramenti Eucharistiæ, &

etiam ad ipsum sacramentum, imò etiam ad præsentiam corporis Christi simul cum pane assumpto. ita quòd forsan non esset necessarium, ꝙ uirtute istius assũptionis panis, à uerbo incarnato esset corpus Christi quod iam assumpsit de uirgine cum pane: sed tamen possibile est, quòd in altari esset simul cum pane, si esset assumptus à Christo. Loquor igitur in præsenti cõclusione, De sacramẽto possibili & possibili eius ueritate, & possibili præsentia corporis Christi, simul cũ isto pane assumptibili. Ideò miror, ꝙ dãnata sit præsens conclusio pro erronea, ex eo ꝙ prædicta sint falsa de sacramento Eucharistiæ iam instituto, de quo dicunt me loqui, cum tamen de possibili sacramẽto, & possibili eius ueritate expresse loqui profitear in conclusione. Attentius igitur considerent uerba cõclusionis, antequam damnent conclusionem tàm expressè refellentem sensum quem damnant, imò considerent, quòd determinatio sua malè potest defendi ab errore, quia si sic esset, quòd conclusio uellet saluare ueritatem sacramenti secundum institutionem Christi quã tenet ecclesia, ut ipsi dicunt, tũc non solùm est erronea, sed simpliciter hæretica. si autem sensus cõclusionis est ille per me explicatus, nõ solum non erronea in fide, sed imò est erroneum dicere oppositum. Multa enim sunt, quæ de sic esse sunt hæretica, quorum oppositum de possibili esset hæreticum, sicut dicere patrem incarnatum de sic esse est hæreticum: patrem autem posse incarnari non solum non est hæreticum, sed hæreticum est eius oppositum: & hæc sufficiant pro declaratione conclusionis & defensione eius. Sed nos scholasticæ exercitationis gratia, relinquentes conclusionem meam uideamus, an hoc sit uerum, Quòd possit per alium modum saluari, Corpus Christi posse esse in altari, quàm per conuersionẽ panis in ipsum, scilicet per substantationem paneitatis, in diuino supposito, una cũ humanitate assumpta: ita quòd esset unum suppositum in tribus naturis, scilicet Deitate, Humanitate & Paneitate. & ratione suppositi, esset prædicatio cuiuslibet naturæ in concretione, ad suppositum sumptæ de alia. & communicatio idiomatum Deus est panis & homo, & econuerso. & Christus homo est in altari, sicut Christus panis est in altari: & sic de consimilibus. & hoc esset sacramẽtaliter siue uirtute sacramẽti, si uirtus ad hoc esset data diuinitus uerbo sacramẽtali, nec intromittamus nos, utrũ ad hoc sufficeret uerbũ istud, cum prædicta uirtute, hoc est corpus meum. uel aliquid aliud requireretur. Et primò pro parte affirmatiua arguitur, quòd hoc sit tenendum, quia uidetur Damascenus hoc tenere de facto, hoc scilicet sacramẽtum esse per assumptionem. Sic enim dicit, nunc interrogatus, qualiter panis corpus Christi sit, & uinum & aqua sanguis Christi, dico tibi & ego, spiritus sanctus superueniet, & hoc facit, quod est super rationem & intellectũ: panis autem & uinum assumũtur, & infra ibidem, & quemadmodũ in baptismate, quia consuetudo hominibus aqua lauari, & oleo ungi, iugauit Deus

aquam

aquam & gratiam ſpiritus ſancti, & fecit idem lauacrum regenerationis, ita quia conſuetudo hominibus panem & uinum comedere & bibere, iungauit eis Deus deitatem, & facit ea corpus & ſanguinem eius. & infra eodem capite loquens de hoc altaris ſacramento, Carbonē uidit Eſaias, carbo autem lignum ſimplex non eſt, ſed unitum igni. ita & panis cōmunionis, non panis ſimplex eſt, ſed unitus deitati. Dionyſius autem de eccleſiaſtica Hierarchia 3. capite uocat iſtud ſacramentum aſſumptionem. Quod ergo iſti doctores dicere uidentur, de ſic eſſe, multo magis poteſt teneri de poſsibili. Secundo arguitur, quia cum ſecundum Auguſtinum ad Volusianum, in rebus mirabilibus, tota ratio facti, ſit potentia facientis, ſic artare hoc mirabile ſacramentū, ad determinatū defenſionis modū, qui ex canone ſcripturæ aut Eccleſiæ determinatione non habeat expreſſus, eſt diuinam potentiā artare, ad intellectus noſtri capacitatem: quod eſt periculoſum, & contra Auguſtinum ibidem dicētem hoc. Si ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum ponitur, non erit ſingulare: demus Deum aliquid poſſe, quòd nos fateamur inueſtigare non poſſe, Tertiò arguit, quia illud cuius oppoſitum, etiam de ineſſe nō habetur euidenter ex dictis ſanctorum, multò magis poteſt teneri de poſsibili: ſed oppoſitū huius, quòd de facto remaneat paneitas in altari ſubſtantiata à ſuppoſito diuino, non habet euidēter ex dictis ſanctorū, ergo. &c. Probatur, quia illud Gregorij in Omelia Paſcali dicētis: Species & ſimilitudo illarū, uocabula ſunt rerū, quæ ante fuerūt ſcilicet Panis & uini: hoc quod ante fuerunt exponūt, tenentes opinionem quæ ante fuerunt ſola, nunc aūt non ſunt ſola, quia ibi latet corpus Chriſti. Item illud Ambroſij, Quòd uirtus Dei, quæ creaturas ex nihilo creat, hic creaturas mutat: & aliæ, quæ dicunt panem & uinum non remanere poſt conſecrationem, ſed conuerti, ſic exponentur, q̄ panis non remanet qui panis fuit, licet eadem ſit paneitas: & hoc propter aliud ſuppoſitum. Hæc autem dictio panis, dicit ſuppoſitum in natura paneitatis, & hoc nō remanet. multum autem intereſt dicere, quòd remaneat paneitas in diuino ſuppoſito hypoſtatizata, & quòd remaneat paneitas in proprio ſuppoſito, quia hoc ſecundo modo non fieret cōmunicatio idiomatum, quæ fit primo modo. has autem authoritates, omnino ego credo eſſe contra ſic ponentes de facto, & de ſic eſſe, & non de poſsibili tantum. Quartò ſic arguitur: Iſta opinio approbatur, de ſic eſſe, in confeſsione Berengarij approbata per Papam Nicolaum Romæ, coram 114. epiſcopis: ergo multo magis poteſt teneri de poſsibili, antecedens ſic deducit. Quia Berengarius confitetur, poſt conſecrationem non ſolùm ſacramentū, ſed etiam uerum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe in altari, & ſenſualiter non ſolum ſacramentaliter: ſed in ueritate, manibus ſacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri. quæ uerba, uidentur non poſſe planè accipi in ſenſu claro & expedito, qualis debet eſſe uerborū confeſsionis,

feſsionis, ſic ſolenniter approbatæ, niſi per ſubſtantationem paneitatis in ſuppoſito Dei, cum corpore Chriſti, modo prædicto. Ita ꝙ ſit idem corpus Chriſti hominis & panis, & ita ſit integrum inquantū corpus hominis, & atteratur inquantū panis, ſicut Chriſtus in Cruce moriebatur & uiuebat. ſed hoc ut homo, & illud inquantum Deus. Et quòd quidam ita acceperint uerba prædictæ confeſsionis, patet per Magiſtrū ſententiarū. 4° libro di. 7. Cuius uerba ſunt hæc. Alij tradunt corpus Chriſti eſſentialiter frāgi, & diuidi, & tamen integrū & incorruptibile exiſtere, quod ſe colligere aſſerūt, ex confeſsione Berengarij, qui confeſſus eſt coram Nicolao Papa & pluribus epiſcopis, panem & uinū quę in altari ponunt poſt conſecrationē, non ſolum ſacramentū, ſed etiā uerū corpus & ſanguinē Chriſti eſſe, & ſenſualiter, non ſolum in ſacramento, ſed etiā in ueritate, manib. ſacerdotum tractari & frangi, & fideliū dentibus atteri. Ecce quòd cōfeſſio Berengarij attentata & examinata per Eccleſiā, continet corpus Chriſti, non in ſacramēto tantū, ſed in ueritate dentibus fideliū atteri. quod plane acceptū, ueritatem haberet per communicationē idiomatum, quia atteritur dentibus, ſecundum paneitatem, & integrum manet ſecundū humanitatem. Quod ſi aliquis uelit exponere dictā confeſsionem dicens, ꝙ Lia in ueritate, & nō in ſacramento tantū, refert ad immediatū uerbum tantū, ſcilicet manib. ſacerdotū tractari, & ſequentia uerba ad ſpecies, ſiue ad exterius ſacramentū, ſub quo fracto & attrito corpus Chriſti integrū ſumitur, uidet quòd non accipiātur uerba confeſsionis planè ut iacent, & ut de plano ſonant, cū tamen uerba confeſsionis ſic examinatæ debeant accipi, abſq; expoſitione uiolenta & extorſione, ſecūdum ſenſum quē in aperto faciunt. ſed contra arguitur ad oppoſitū: quia iſta opinio de remanētia ſubſtantiæ panis, in altari, eſt dāmata ab Eccleſia: ergo uitanda ut hæretica. reſpondetur ſecundū ſic opinantes ad hoc primo, Quòd damnata eſt, de ſic eſſe, nō de poſsibili. ſecūdò quòd opinio dāmata, differt ab iſta, quæ ponit paneitatē remanere hypoſtatizatam à uerbo homine. Illa enim ponit poſt conſecrationē plura ſuppoſita, hominis, Chriſti & panis. hæc unū ſuppoſitum in tribus naturis, ſicut in diuinis eſt una natura in tribus ſuppoſitis. illa ponit ſubſtantiā panis manere poſt conſecrationē, hæc uerò non per modum ſubſtantiæ, ſed per modum accidētis. ſicut eſt de humanitate aſſumpta. illa ponit panem et uinum remanere, hæc uerò nō, ſed alium panem, licet ſit eadem paneitas. Ex illa ſequitur corpus Chriſti non poſſe eſſe in altari ueraciter ſub ſacramēto, cum panis in nullo mutet. ex hac uerò nō, cum ponit panem mutari, et etiā paneitatē, quo ad eſſe, ex illa non uerificat quòd panis ſit corpus Chriſti, cum ſint duo ſuppoſita. ex hac uerò uerificatur, propter unitatem ſuppoſiti quod eſt, unū in duabus naturis. ex illa ſequitur quòd quicquid eſt in hoc ſacramento, non eſt adorandū latria, cum ſint duo ſuppoſita Chriſti & panis. hæc uero ponit unica adora-

tione

tione adorari, quicquid est sub sacramento propter unitatem suppositi. Secundo arguitur, Quòd nullo modo potest saluari, Quòd per illum modum, possit corpus Christi esse in altari, quia cū quæritur, Vtrum corpus Christi possit esse in altari &c. non intelligitur de corpore, quod Christus est, & accipitur pro genere, sed intelligitur de corpore, quod est pars, & non prędicatur de homine in recto. tale autem corpus, quod est pars, non communicat idioma naturæ coassumptæ, neq; suppositо, neq; econtrà. Licet enim Deus sit homo, & econtra: nō tamen Deus est caput Christi & econtra: & licet Christus homo sit ubiq;, ratione suppositi: nō tamen caput Christi hominis est ubiq;: quia partes naturæ assumptæ, nō cōmunicant idiomata suppositо, nec de eo prædicantur uel econtrà. Quamuis ergo paneitas assumatur à uerbo, unà cum corporeitate, non tamen dicetur, quòd corpus Christi est panis, uel quòd corpus Christi sit in altari, si panis est in altari, licet dici posset & uerificari, q; panis sit corpus, quod Christus est secundum quod accipitur ut genus. Quod autem aliter non accipiatur, in quæstione & in sacramento apparet, tum quia corpus, genus quod dicitur, in recto de Christo non dicitur corpus Christi, sicut animal, uel homo quod Christus est: non dicitur homo uel animal Christi: tum quia forma uerborum in qua institutum est hoc sacramentū est hęc: Hoc est corpus meum. constat autem, quòd ueritas illius uerbi, non saluatur de corpore, quod est genus. Animal enim, quod de me in recto prædicatur, non est animal meum, sed animal quod ego sum: tum quia sit in triduo mortis Christi fuisset consecratum, fuisset in altari nō corpus genus, sed corpus pars tātum. Corpus enim est corpus animatum, quod tūc non erat. igitur corpus Christi, ut hîc quæritur, & de quo agitur in sacramēto, est corpus pars tantùm, quod non prædicatur de pane, uel Deo, uel homine: nec enim communicat idiomata cęterarum naturarum. non ergo esset uerum dicere, quòd corpus Christi, esset in altari modo prædicto, ratione panis uel suppositi. Præterea dato, quòd ratione dictæ substātificationis, in uno suppositо, panis esset corpus: non tamē, ubi panis in altari, ibi corpus Christi: sed panis in altari erit corpus Christi in cœlo, sicut in triduo, anima & corpus erāt substētata in suppositо: nec tamē propter hoc anima erat in sepulchro cum corpore, nec corpus in inferno cū anima. Præterea si esset substentificatio ista, ipsa terminaret ad illud, ad quod dicimus conuersionem panis terminari: hoc autem est corpus Christi, ad quod terminari nō potest substentificatio naturæ alienæ, hoc enim soli suppositо increato est proprium, secundum communem uiam. ergo non potest fieri substentificatio paneitatis in suppositо alterius naturæ in hoc sacramento. Item sic arguitur, quia secundum prædictum modum substentificationis paneitatis in uerbo una cum corpore Christi dudum assumpto, non incipiet corpus esse in altari, sed aliquid de nouo incipiet esse corpus Christi. si

sti. si autem non incipit cum prius non fuerit, sequitur, quòd non erit in altari. Item arguitur quòd licet posset suppositum uerbi assumere paneitatem, quam assumẽdo crearet, sicut de humanitate Christi tenemus, tamen nõ potest assumere paneitatem existẽtem in proprio supposito, quia hoc esset paneitatem corrũpere non assumere. Præterea uidetur quòd nõ possit conferri uirtus uerbo, respectu unionis paneitatis ad uerbum, quia maioris difficultatis est, assumptio paneitatis in supposito uerbi, quàm creatio: eò, quòd magis distat esse diuinum, à natura paneitatis, cui dicit communicari in assumptione, quàm ens à non ente: & tamen nõ potest communicari creaturæ uirtus ad creationem, operando uel cooperando. ergo nec ad assumptionem. Cõfirmatur authoritate sancti Thomæ in 3. qui dicit, Quòd ad unionẽ creatura cooperari nõ potest. Prẹterea illo dato, post sumptionem sacramenti, sacerdos non esset ieiunus, & non esset ibi cibus spiritualis tãtum, sed etiam corporalis, quod est contra dignitatem sacramenti. Item Christus aliquid dimitteret, postquam assumpsisset in unitate suppositi, quia assumeret paneitatem, quam dimitteret pane cõuerso in membra. Ad ista autem sic forte diceret primò, saluando hoc dictũ, Quòd sine confessione panis in corpus Christi potest fieri, ut in altari sit corpus Christi modo prẹdicto, per substentificationẽ paneitatis in uerbo, unà cũ humanitate dudum assumpta de corpore: ut est genus, non ut est pars, & ita de corpore, quod est Christus, & sumitur à corporeitate, quæ est natura, & est prædicabilis in recto. Et cũ arguitur, quod de corpore ut genus, nõ diceretur corpus Christi, dicetur ꝙ imò: sicut etiam dicitur creatura salis, id est quæ est sal, & uerbum Dei, id est quod est Deus: sicut cũ dicitur, Verbo Domini, id est uerbo, quod est Deus, cœli firmati sunt. & dicimus substantiã materiæ manere, per totã transmutationẽ naturalẽ, id est substantiã quæ materia est. sicut etiam dicitur ab aduersarijs, Quòd substãtia panis, cõuertitur in corpus Christi, utiꝙ substantia quæ est panis, nõ quæ est pars panis. Sic etiã Damascenus li. 3. 17. cap. accipit carnẽ Christi, id est carnem quæ Christus est pro genere dicẽs: quòd caro Domini Deificata esse dicitur, & Deo consubstãtialis. Et cũ arguitur, quòd non esset cõueniens forma uerborũ: Hoc est corpus meũ, est corpus pars mei, dicetur, ꝙ fortè non fieret per talem formã uerborũ, & fortè daretur uirtus diuinitus sacramẽtalis, uerbo cuicũꝙ, & fortè etiã omnem uirtutem, quã dare posset Deus cuicũꝙ uerbo, posset Deus dare isti uerbo. Hoc est corpus meũ: uel etiã non significatiuo de absoluta potentia, quia uirtus Dei non est adstricta significationi uerborũ. Et cum arguitur, quòd dato, quòd panis sit corpus & econuerso, non tamen sequitur, quòd ubi panis ibi corpus in altari dicetur, quòd imò sequitur, quia quicquid dicit de prædicato, dicitur & de subiecto. sicut enim, quia Deus est homo, & Deus est ubiꝙ, sequitur, quòd homo Christus sit ubiꝙ Deus, & quòd Deus includitur in cunabulis, &

lis, & est filius uirginis, & sugit ubera, sicut homo Christus, sic sequitur, si Christus, homo est panis, et ecõuerso: ꝙ si panis est in altari, ergo & Christus homo, non solum ea ratione, qua est ubiqꝫ inquantum Deus, sed quia panis in altari est. communicãtenim naturæ assumptæ idiomata ex parte subiecti præcipuè, quia in subiecto tenetur pro suppositо. dicit autẽ rex parte subiecti, quia ex parte prędicati, fortè non cõmunicant sibi idiomata necessariò, quia ibi tenetur pro natura. Vnde forte nõ oportet, ꝙ Christus sit homo ubiqꝫ, cum sit Deus ubiqꝫ, licet ex parte subiecti, homo Christus sit ubiqꝫ. Nec ualet quod adducit de anima & corpore in triduo, quia non sic uniebantur suppositо, quod de suppositо prædicarentur, uel de se inuicem, cũ unirentur ut partes unius naturæ, & ideò nõ oportet ea inter se communicare idiomata, sicut illæ naturæ, quæ de se inuicẽ dicunt. certũ est autem, quòd si nõ sequitur necessariò, sequit saltem de possibili. Quod autem dicitur, Quòd si est paneitatis substentificatio, oportet eã terminari ad id, ad quod dicimus, conuersionem terminari ad corpus, respondet, Quòd hoc nullam habet necessitatẽ: sed dicere possumus, substẽtationem fieri in suppositо simpliciter, quamuis ponentes conuersionem, dicãt eam terminari ad corpus partem. Posset etiam fortè dici, ut infra dicet: Quòd substentificatio terminari potest ad corpus, non ut humanũ, sed ut unitũ: quasi si suppositum diuinum habet aliam naturã in se substentare, inquantum eam trahit ad suum esse, cuicunqꝫ communicat suum esse infinitum, eidem communicare posset, in illo esse, substentare aliam naturã sibi unitam. & de hoc infra. Cum uerò opponitur, quòd secundũ modum istum, non inciperet corpus Christi esse in altari, sed aliquid inciperet esse corpus Christi, uel corpus Christus, diceretur, quòd sicut si Christo dudũ homini, adueniat paneitas incipiet Christus homo esse panis, sic incipit per accidens, nouo modo esse in altari, quòd pani conuenit, secundum se incipiet scilicet Christus homo esse in altari uisibiliter, & ut cibus fidelium ratione paneitatis assumptæ, sicut Christus Deus incipit esse in gremio uel utero matris, nouo modo, ratione humanitatis assumptæ. Ad id quod dicitur, de assumptione paneitatis præexistentis in suppositо proprio. Respondetur, quòd Deus potest assumere omnem naturam assumptibilem, præexistente in proprio suppositо, & eam in assumptione priuare ratione suppositi, & trahere ad proprium esse: constat enim, quòd uerbum naturam humanã posset dimittere, quæ statim haberet propriã substistentiã, & rationem suppositi & personæ, licet hoc non habeat unita uerbo, & esset quo ad essentiã eadẽ humanitas, quæ prius erat unita. posset ergo modo simili, humanitatem prius existentem in proprio suppositо assumere, modo iam dicto: & esset eadem natura nunc assumpta, & prius non assumpta. cum aũt arguitur, Quòd ad hoc nõ potest cõferri uirtus uerbo, fortè potest, & fortè non potest. & si nõ potest dari uirtus inhęrẽs, qa talis

uirtus esset creata, fortè potest dari uirtus assistens, quia talis esset increata & non creata, & hoc modo esset sacramẽtaliter uirtute uerbi assumptio paneitatis, quomodo etiã ponũt magni uiri, Virtutem conferri sacramentis nouę legis. & fortè si potest conferri uirtus, inhęrens uerbo sacramẽtali ad conuertendũ totũ in totum, & prȩcipue in præexistens, sine eius augmento, potest etiam conferri ad effectum prædictũ, quia fortè alicui uidebitur, quòd hoc sit tantæ difficultatis sicut illud. Ad id quod dicitur de solutione ieiunij, responderet quis, illud de non soluendo ieiuniũ naturæ sequi ad modum, qui communiter ponitur, scilicet, Quòd substantia panis nõ remaneat. quòd si ponamus substantiã remanere, aliud dicemus uel fortè dicetur, quod non propter hoc dicitur sacerdos post sumptionẽ ieiunus, quia ibi non est substantia panis, quia quantũcunq; non sit substantia panis, si Iudæus uel Christianus sumeret species sacramentales, per modum cibi corporalis, & intentione cibandi, solueret ieiuniũ: sed ideo, quia sacerdos non sumit per modum cibi corporalis, sed per modũ sacramenti, ideo non soluitur ieiunium. & consimile esset, quia si substãtia panis remaneret, adhuc non solueret ieiuniũ naturæ, dummodo non sumeret, per modum cibi corporalis. Ad aũt quod dicitur, Quòd Christus nõ dimittit quod assumpsit semel, dicitur, præsupponendo quòd teneatur solam naturã humanã assumpsisse, sicut de facto ipsam solam assumpsit, posset tamen aliam naturã assumere & eam dimittere. Potest etiam dici, Quòd si paneitas assumeretur à uerbo, nunquã dimitteretur à uerbo per se, & ex parte sui, sed per accidens, ex conditione naturæ assumptæ, cum suis naturalibus defectib. eam dimitteret, propter naturæ assumptæ corruptionem, sicut dimisit humanitatem in triduo. Sed rursum disputãdo inquiramus, An possit saluari corpus, quod est pars esse in altari ueraciter absq; conuersione panis in ipsum? & uidetur, quòd sic: quia sicut color substentatur in substantia, ut in subiecto mediante alio accidente, uerbi gratia, superficie non quidem, quòd superficies sit subiectum coloris, quia unum accidens, alterius non est subiectum: eò, quòd ut dicitur à Philosopho, qualitatis nõ est qualitas. sed ideo, quia color non inest subiecto, nisi in ordine ad superficiem, sic paneitas potest substentari in uerbo, mediãte corpore, non quidem quòd corpus sit immediatum substentatiuum, & substentificatiuum paneitatis assumptæ, & uerbum primum, sed quia non substentificatur paneitas in suppositio uerbi, nisi in ordine ad corpus Christi partem. Hunc enim ordinem, potest Deus ponere inter naturas assumptibiles, licet in natura sua non habeant illum ordinem, sicut auferre potest ab aliquibus naturalem ordinem, quem habent inter se, ut inter calorem & actum calefaciendi, in fornace Chaldæorum, & in alijs multis. Sicut ergo color, quia substantiæ inest, in ordine, ad superficiem, dicitur, de superficie in concreto, per modum qualis accidentalis dicendo su-

dò, ſuperficies eſt colorata: ſic paneitas, quæ eſt ſubſtantia, dicetur de corpore Chriſti in concreto, ſumpta per modum qualis ſubſtantialis, ſiue per modum quid, dicendo, Filius Dei eſt panis & econuerſo: ſicut & humanitas de ſuppoſito dicit, in quid, dicendo, Filius Dei eſt homo & econuerſo: ſicut ergo, quia Deus homo eſt & ecõuerſo, inde communicãt ſibi idiomata, ubi Deus ibi homo, & ſimiliter de ſuperficie & albo, ſic de pane & corpore: nam ſi panis eſt in altari, corpus Chriſti eſt in altari. fortè aliter dicendum, quòd naturæ aſſumptæ habent modum accidentis, ut dicebant antiqui Theologi, inquantũ adueniũt ſuppoſito ſubſiſtenti in actu, & nõ conſtituũt ſuppoſitũ, ſed magis conſtituuntur in eſſe, per ipſum. Sicut ergo in accidentib. inuenitur unũ eſſe ſubiectum alterius, licet nõ ultimatũ, ſicut dicimus, potentiã animæ eſſe ſubiectũ uirtutum & habituũ, inquantum eſt ſubſtentata per animã, & ſimiliter ſuperficies reſpectu coloris, aliquo modo ſubiectũ dicit, ſic licet, una natura aſſumpta non poſsit per ſe, & primo ſuſtentare aliam naturã, tamen inquantũ eſt uerbo unita, & in ipſo ſubſtentata, poteſt aliã ſubſtentare in ſe, & habere modũ quaſi ſubiecti reſpectu illius, & illa quaſi modũ accidentis reſpectu illius, quo ad hoc ſolum, quòd una in alia ſuſtentet, ut ipſa eſt uerbo unita, & ab eo ſubſtentata. Si enim ſuppoſitũ non ſubſtentificat naturã aſſumptã, niſi ratione ſui eſſe infiniti, ad quod trahit naturam ſibi unitã & aſſociatam, cuicunq; naturę cõmunicat ſuũ eſſe infinitũ, eidem communicat poſſe aliam naturam ſibi unitã ſubſtentare. ſic etiã ſubſtantia, inquantũ trahit unum accidẽs ad ſuũ eſſe, eo quòd accidens non eſt ens, niſi quia eſt entis, intantum datei, ut poſsit aliud accidens ſibi adueniens (ut actus aduenit potẽtię) ſubſtentare in ſeipſo, & in ſuo eſſe. Corpus ergo, pro parte acceptũ ut unitum & ſubſtentatum à uerbo in ſuo eſſe, quod eſt eſſe uerbi ſibi communicatum, poteſt naturam panis aſſumptibilem, & modum accidentis habentem, ſubſtentificare in ſeipſo. Hoc enim ſupponitur, quòd ſicut Deus dat accidentibus modum ſubſtantiæ, ſic paneitati poteſt dare modum accidẽtis, ſubſtentando ipſam in alio, quod ad eam ſe habebit quaſi ſubiectum, nec differt, quo ad hoc, utrũ ſit perfectum in ſpecie uel non, quia quandoq; ſubiectum accidentis, eſt imperfectũ in ſpecie: ſicut caput, uel manus. Sicut etiã Deus producit aliquas creaturas immediatè, & aliquas mediantibus aliis, & ſicut in ſeipſo terminat, ut in fine aliquas creaturas per alias, ſic etiam poteſt uerbum in ſeipſo terminare, ut in ſuppoſito ſubſtentante, aliquam creaturam mediante alia. & ſicut creaturæ, per quas Deus producit, dicuntur producentes, & creaturæ per quas in ſe terminat, ut in fine dicuntur fines ſiue ſubfines, ſic creatura, per quam uerbum in ſe aliam ſubſtentificat, dicetur ſubſtentificare. ratione ergo talis ſubſtentificationis in corpore Chriſti, ut in quaſi ſubiecto & immediato ſubſtentamento, dicetur, in concreto panis eſt corpus, & econuerſo. ſicut filius Dei eſt

homo

homo & econuerſo. & communicabunt ſibi idiomata, modo prædicto, ſicut ſuperficies & coloratum. ſnpponit enim panis pro ſubſtentante paneiatem, ſicut album pro ſubſtentante albedinem. ſicut enim dicit philoſophus in primo Topicorum: Quòd album eſt corpus talem colorem ſic habens. dicit Damaſcenus lib. 3. cap. 11. Deus eſt, qui habet diuinam naturam, & homo qui habet humanã naturã, & ſic de cæteris: & ſicut nõ differt ad hoc, quòd aliquid ſit album, quòd ipſum in quo ſubſtentatur albedo, ſit perfectum in ſpecie uel non, ſic non differt ad hoc, quòd aliquid dicatur panis, quòd ipſum quod eſt paneitas quaſi ſubiectum, in quo ſcilicet immediatè ſubſtentificatur paneitas, ſit perfectum in ſpecie uel imperfectum, ſiue natura uel pars naturæ. contrà, quia natura aſſumpta uel pars naturæ aſſumptæ, non habet rationem ſuppoſiti, nec habet eſſe ſubſiſtentiæ in ſe, quia licet communicetur ei eſſe uerbi, tamen ut eius eſt, nõ eſt eſſe ſubſiſtentiæ, ſed exiſtentiæ in alio. non ergo natura aſſumpta ut unita eſt, poteſt ſubſtentare aliam naturam in ſe, nec trahere eam ad ſuppoſitũ, cum non habeat ipſa rationem ſuppoſiti. Sed ſi hoc concludit, nunquid etiam concludet, quòd ſuperficies non poteſt in ſe ſubſtentificare colorem, cũ eſſe, quod eſt ſubſiſtentiæ reſpectu, ſubſtantiæ ut communicatum accidenti ſit exiſtentiæ? & ita non poterit eſſe ſubiectum coloris, eo quòd ipſa ſuperficies ſit accidens. nunquid dicendum, Quòd eſſe uerbi, ut eſt humanitatis aſſumptæ, in habitudine ad uerbum eſt exiſtentiæ: ſed ut eſt eiuſdẽ humanitatis in habitudine, ad paneiatem eſt ſubſiſtentię, ut autem eſt ultimo aſſumptæ naturæ, eſt exiſtentiæ ſimpliciter, ſicut de ſuperficie poſſet dici. Sed adhuc contra prædicta ſic arguitur, Natura immediate unitur ſuppoſito, non ergo eſt poſsibile, quòd paneitas ſuppoſito uerbi uniat̃ mediante alia natura, cum inter naturã & ſuppoſitum, nõ poſsit cadere medium. ſed fortè natura proprio ſuppoſito immediatè unitur, ſed de ſuppoſito extraneo, reſpectu cuius habet modum aliquem accidentis, non oportet, ſed una poteſt uniri, ſuppoſito mediante, altera modo prædicto. Contrà, ſi tenet ſimilitudo de ſuperficie, ſequeret̃ quòd ſicut ſuperficies ſeparata à ſubſtantia eſt ſubiectũ coloris & eſt colorata, ſic, ſi corpus ſepararetur à ſuppoſito uerbo, ipſum eſſe poſſet quaſi ſubiectum paneitatis, & adhuc dicetur panis, quod eſt abſurdũ. hoc nõ erit, ſi dicamus, quòd ſicut dicit Hilarius, ſuperficiei ſeparatæ à ſubſtãtia, poteſt conferri eſſe, & modus eſſendi ſubſtantiæ, ratione cuius ſubiectũ erat accidentibus, ſed nõ humanitati ſeparatæ, cõferri poteſt eſſe ſuppoſiti uerbi infinitũ, ratione cuius poterat ſubſtentare naturã ſubſtantialem aliã. Et tu nota, quòd in his omnibus inquiſitionibus, ſemper fuit præſuppoſitũ, quòd ſuppoſitare alienã naturã, ſit propriũ eſſe infiniti. ſed adhuc contra arguit̃ ſic. Verbũ aſſumpſit carnem mediante anima, nec tamẽ propter hoc anima dicit̃ de carne uel econtrario. ergo dato, ꝙ uerbũ aſſumpſiſſet paneitatem mediãte corpore, non

propter

propter hoc, unū diceret de alio. sed forte nō est simile, quia uerbū dicitur assumpsisse carnē mediante anima, tanq̄ anima existēte media, quo ad esse naturę. Itē mediante anima, quo ad fieri assumptionis, sed nō assumpsit carnē mediāte anima, quasi anima primo subsistētata, & anima deinde substentet carnē, sicut dicitur de humanitate & paneitate, sed ideo, quia nō assumpsit carnē, nisi in ordine ad naturā humanā, cuius est pars per animam sibi unitā. Rursus pro parte falsa arguitur, q̄ cōuenientius sit ponere, etiā de facto, corpus Christi esse in altari per hypostatizationem paneitatis, in suppositō Christi Dei, q̄ per conuersionem: quia si illud reputat, inconueniens est, qa est cōtra determinata ab Ecclesia: sed probatur, q̄ hoc nō est: nam si in aliquo uideret ista positio esse cōtra determinata ab Ecclesia, hoc maximè uideret in duobus, q̄ uidelicet panis remaneat, & q̄ accidētia nō sint ibi sine subiecto, sed neutrū dicit ista positio. Concedit enim, q̄ panis non remanet, quia suppositū panis, nō remanet, & potest etiā dicere, quòd accidentia sunt ibi sine subiecto. accidens enim dependet à substātia, quantum ad existentiā tantū, saltē secundū communē uiā, nō secundū essentiā: quare licet remaneat essentia panis, cū tamen desinat ibi esse subsistētia panis, per quā subsistebant accidentia, relinquitur q̄ accidentia per se subsistant, nisi ponamus ea migrare de subiecto in subiectū. Secundò arguit, quia hæc positio sit cōuenientior, quia plures difficultates tollunt per hāc positionē, solum enim difficultas de unione, est hīc, pauciora aūt sunt ponēda in articulis fidei, nisi fides cogat, & assumptio est specialis articulus, ergo nō oportet multiplicare miracula & credibilia supra rationē nostrā, sine euidēti & cogente necessitate. Tertiò quia per istum modū melius saluat apparentia, qa apparet in hoc sacramento esse panis & uinū, quod saluat assumptio & nō conuersio. uidemus enim aliquē nutriri ex hostijs, sicut ex uero pane, & putrefieri hostias, & eis denicq̄ omnia accidere, q̄ accidūt substātię panis. quare si ista omnia possunt saluari, cū hoc nō ueraciter corpus Christi sit in altari, & q̄d ille panis, qui ut dicit Berēgarius, fideliū dentib. atteratur, sit uerū corpus Christi, melius est isti modo adhærere, q̄ modo de conuersione, per quē ista non saluant, sine multiplicatione miraculorū. Quartò, quia dicit Paulus, 1. Corinthiorū 10. Panis quē frāgimus, nonne participatio corporis Domini est? Quintò, qa ibi est Christus sacramentaliter, ubi est uirtute sacramēti directè, sed directius fit Christus in altari per assumptionē q̄ per connersionē, quia forma huius sacramenti, quę efficit significando directius, efficit illud, quod magis propriè significat, & hoc est unio per assumptionē, qua cōmunicantur idiomata, ita ut hoc sit illud, quod sonant uerba formalia, Hoc est corpus meū. non aūt unio cōuersionis, quia per illam panis nō est Christus, nec econuerso. sed panis fit Christus, uel conuertitur in Christum. Sextò, quia ille modus de cōuersione est intricatus, & multas habet difficultates, hic autē est clarus & expeditus:

Assuma

Assumptionem enim credimus iam per alium articulum, quæcunque autem sunt idem suppositio limitata, ubicunq; est unum, ibi est reliquum, sicut ubicūq; est musica sortis, ibi est eius albedo: dico autem limitata, quia si unum esset limitatum, & aliud illimitatum, ubi esset limitatum, ibi esset illimitatum, non tamen econuerso. Sed pane assumpto, corpus Christi humanum, & corpus panis esset unum suppositio, & utrumque esset limitatum. ergo, cū in altari esset panis assumptus, ibi esset per consequens corpus Christi. Item medium est propinquius quàm extremū, sed si Christus assumeret panem uel paneitatem, hoc faceret mediante sua corporeitate, quia indignius assumptibile est mediante digniori, secundum congruitatem assumptionis. Igitur cum suppositum Christi assumens, esset in altari cum pane assumpto, multomagis ibi esset corpus Christi, quod esset medium assumptionis. Vltimò uidetur, quòd nihilominus possint saluari authoritates sanctorum de conuersione, tenendo assumptionem, cum enim esse differat ab essentia, unum potest assumi alio non assumpto, unde non sic est uerbum incarnatum, sicut inpaneatum, quia in illa assumptione præuenta fuit essentia assumpta, antequam haberet esse: unde nunquam habuit esse aliud ab esse diuino sibi communicato, propter quod fuit assumptio sine conuersione aliqua assumpti in assumens, & econuerso. Vnde Ecclesia dicit, non conuersione diuinitatis in carnem (nec supple econuerso) sed assumptione humanitatis in Deum, panis præexistens, habet esse & essentiam, & assumptio ad humanitatem suppositi, consumit ipsum subsistere non per annihilationem, sed per assumptionem essentiæ substantialis, perficitur hoc mysteriū. & sic omnes authoritates de transubstantiatione loquentes, & conuersione, possunt referri ad esse, & non ad essentiam. & authoritates dicentes, quòd post consecrationem non manet panis sed fuit, uerum est secundum esse, quia remanet solum secūdum essentiam. Ex quibus uidetur, quòd ita ueraciter potest esse sacramentaliter in altari corpus Christi sine conuersione per assumptionem paneitatis, sicut modo ponitur communiter per conuersionem, imò istorū trium terminorum assumptio, conuersio, annihilatio, non potest intelligi bona distinctio, nisi præsupponendo modum opinionis istius, dicendo, quòd illud assumitur, quòd ante aliquod ab ipso præhabitum esse suppositabile, ad nouum suppositi esse assumuntur, illud annihilatur, quod simpliciter desinit esse. ita quòd sua reproductio, esset creatio, & impertinens est omnino ad hoc, siue ponatur quòd ei aliquid succedat, siue nihil succedat, quia hoc à re quæ desinit esse, est omnino extrinsecum. illud uerò conuertitur, quod remanens secundum essentiam, amisso proprio esse suppositi, transit ad esse alterius suppositi, & uerè fit illud suppositum. & hæc est uera ratio conuersionis, in qua duo intelliguntur in conuerso, quod scilicet remaneat per essentiam, & per hoc differt ab annihilato, & fiat aliud per rationem

tionem ſuppoſiti, per quod differt à non conuerſo. & dum fit aliud, rationem proprij ſuppoſiti dimittat, & per hoc differt ab aſſumpto. Tenendo autem communem modum conuerſionis, non conuertit̃ panis ſed annihilatur, & qui uolunt ſaluare, quòd ſit conuerſio, ita quòd nõ annihilatio, uidet̃ potius uerbis quàm re ſatisfacere: unde & multi de illa uia conceſſerunt, quòd ſit annihilatio &c. Ad oppoſitum pro parte uera arguit̃, quòd opinio ponens ſacramentum Euchariſtiæ de facto confici per aſſumptionem panitatis, ſit inconueniens & irrationabilis. Primo aũt arguit ſic Durandus, quòd ridiculum eſt, quòd omni die aſſumat̃ una natura, imò multæ à ſuppoſito diuino, & omni die deponantur, quod eſſet, ſi ſubſtãtia panis, in hoc ſacramento de nouo aſſumeret̃, quia quot ſunt conſecrationes, tot aſſumerentur, & quot fiunt aſſumptiones ſacramenti, tot deponerentur. ſed hæc fortè ridiculoſitas, non demonſtrat falſitatẽ ſuppoſiti. Secundo arguitur, quia uidetur impoſsibile, quòd talis aſſumptio fiat mediante aliquo creato, ſicut ponit prædicta opinio, quia illud mediũ, uel ſe habet in ratione efficientis talem aſſumptionem, uel in ratione terminãtis, ſed nihil creatum poteſt ſe habere ad aſſumptionem aliquo iſtorum modorum, ergo &c. Minor probatur, Quòd enim nihil creatum poſsit eſſe cauſa efficiens talis aſſumptionis, patet, quia talis aſſumptio fit per hoc, q̃ res amittit ſuum proprium & naturalem modũ eſſendi & alienum induit. quod non uidetur poſſe facere, niſi author naturæ, qui ſolus naturas rerum inſtituit, ſic ſolus eas mutare poſſe uidetur. Hoc argumentum Durandi, fortẽ oſtendit, quòd illud creatũ non poteſt eſſe cauſa efficiens principalis, per idem uidetur, quòd nihil creatum poteſt terminare ad talem aſſumptionem, quia non poteſt tribui alicui naturæ, quod eſt ſupra naturam, & totum curſum naturæ. hoc autem eſt ſubſtẽtificare aliam naturam, quæ nata eſt in ſe ſubſiſtere, & hæc forte erronea opinio ſupra poſita, crederet ſe euitare per quædam ſupradicta. Non enim de facili ſemper falſum, de ſua falſitate, per euidentes rationes conuincitur, ita eſt debile lumen noſtri intellectus, utpote eius, qui ultimus eſt in natura intellectuali. Præterea arguit ſic Durandus, Quicquid ſit de poſitione talis aſſumptionis, omninò tamen inconueniens eſt, quòd fiat mediante corpore parte: nunquam enim corpus, ut accipitur, ut pars humanæ naturæ, ponendo unam formã tantum in homine, cum non poteſt nominare ſolam materiam, ſed neceſſariò nominet compoſitum ex materia & forma dante eſſe corporeum, neceſſe eſt, ut corpus humanum dicat realiter totum & non partem, licet ſecundum rationem poſsit nominare partem, eo, quòd anima dat omnes perfectiones, quas dant formæ inferiores. & ideo ſi conſideretur compoſitum ex materia & forma, quæ eſt anima, prout dat eſſe corporeum tantum, & comparetur ad idem compoſitum, prout per animam habet nõ ſolum eſſe corporeum, ſed ſenſum, & uitam, & rationem: ſic corpus primo modo

sumitur ut pars, & secundo modo ut totum. sed cum hæc differentia sit so lum rationis, non est ad propositum eorum, cũ dicant realem assumptionem panis fieri mediante corpore parte. (differẽtia enim rationis, nihil facit ad differentiam realis assumptionis) quicquid aũt sit de efficacia istius rationis contra ponentes unam formam, patet, quòd contra nõ tenentes unam formam, non procedit. Item arguit sic. Deficit hæc positio, in hoc, quòd ponit quòd per talem assumptionem corpus Christi sumptũ de uirgine, sit in hoc sacramento per communicationem idiomatũ, quia unum prædicatur de altero, quia qua ratione corpus Christi esset in sacramento altaris per assumptionem substantię panis, eadem ratione sanguis esset in hoc sacramento, per assumptionem substantiæ uini, sed hoc non est uerũ, ut probabitur, ergo &c. Assumptum probatur. quia si sanguis Christi esset in hoc sacramento per assumptionem substantiæ uini, sicut ponitur de corpore Christi per assumptionem substãtię panis, tunc oporteret, quòd sicut panis assumitur mediante corpore, quod pertinet ad unitatem suppositi assumentis, sic uinum assumeretur mediante sanguine, pertinẽte ad unitatẽ suppositi assumẽtis, modo constat, quòd sanguis Christi nõ pertinet ad identitatem suppositi Christi, cum sanguis nondum sit sub forma humana, sed sit humor, in uia ad conuersionem, ut fiat sub forma humana: ergo ipsum non potest assumi à suppposito Christi mediante sanguine, nisi fortè diceretur, quòd in qualibet confectione huius sacramenti, esset assumptio sanguinis Christi immediate, & mediãte sanguine, assumptio uini, & sic omni die esset assũptio nouæ naturæ, scilicet sanguinis, absq; omni ordine ad naturam panis assumptam, quod alij negant: & mediãte ista esset assumptio uini. sed in hoc forte, multi non solum non acceptarent tra tione Durandi, sed non minus eum reprehenderent, quàm supradictã opinionem, scilicet de non assumptione, & non hypostatica unione sanguinis Christi effusi in cruce, & exhibiti in sacramento, ad suppositum filij: quia uidetur, quod secundum hoc, ille sanguis non fuisset sufficiens pretium redemptionis humani generis, cum non esset unitus hypostaticę diuinitati. Vnde sanctus Thomas 6. quolibet q. 6. sic dicit: Sanguis Christi in pasione effusus, humanum genus sanctificauit. secundũ illud Hebræorum ultimo. Iesus ut sanctificaret per sanguinem suũ populum extra portam passus est. humanitas etiam Christi, uirtutem salutiferam habuit, ex uirtute uerbi sibi uniti: ut dicit Damascenus 3. lib. unde manifestum est, quòd sanguis in pasione effusus, qui maximè fuit salus, fuit diuinitati unitus, & ideò oportuit, quòd in resurrectione iungeretur alijs humanitatis partibus &c. hæc ille. Sequitur Durãdus contra prædictam positionem, quia corpus Christi est in altari, uel sacramento altaris per ueram existentiam suæ naturæ, & non propter solam communicationem idiomatum, sicut ponit hæc opinio, quod patet: quia hoc semper refert idem numero

quod

quod præceſsit. Sed Chriſtus inſtituendo hoc ſacramentū dixit hæc uerba Lucæ 22. Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradet̄ &c. Et hic calix in meo ſanguine, qui pro uobis effundetur. Ergo illud idem corpus numero, quod poſtea fuit traditum Apoſtolis in ſacramento ad edendum: ſed corpus quod fuit traditum ad crucifigendum, non fuit de natura panis, ſed fuit corpus pertinens ad naturam humanitatis: ergo corpus traditum Apoſtolis in ſacramento altaris, fuit uerè de natura humanitatis, & pari ratione in ſacramento noſtro, eſt corpus Chriſti pertinens ad eius humanitatem, & non eſt ibi ſolùm per communicationem idiomatū ex aſſumptione paneitatis. Quod ſi quis dicat, quòd relatiuum refert idem ſecundum ſuppoſitum, non idem ſecundum naturam. & ſic poteſt uerè dici demonſtrato pane aſſumpto, hoc eſt corpus meū, quod pro uobis tradetur: quia idem eſt ſuppoſitū, habens paneitatem aſſumptam, & corporeitatem poſtea traditam, & ſic idem ſuppoſitum fuit prius demonſtratū, & deinde traditū, licet ſecundum aliam & aliam naturam non ualet. quia cum dicitur, Hoc eſt corpus meum, corpus non poteſt ibi teneri pro ſuppoſito habēte corporeitatem, ſed potius pro natura habita, ut notat pronomen poſſeſsiuum, cui additur cū dicitur, Corpus meum: hoc eſt, quod habeo. ſed fortè hoc haberet maiorem efficaciam apud Grāmaticos quàm apud theologos. Vlterius arguit ſic, quòd dicta aſſumptio non ſufficit ad hoc, quòd corpus Chriſti ſit in altari, neq; realiter, neq; ſecundum communicationem idiomatum. nō quidem realiter, quia aſſumptio duarū naturarū ab uno ſuppoſito nō ſufficit, ad hoc, quòd ubi eſt una natura ſit alia, quia ſi ſuppoſitum filij à principio aſſumpſiſſet humauitatē, Petri in Roma, & Pauli in Iudæa, non propter hoc ubi eſſet Petrus, ibi eſſet Paulus & econuerſo: niſi quo ad ſuppoſitum, quod de utroq; prædicatur, & de quo utrunq; prædicatur concretiuè. Similiter dato, quòd ſuppoſitū filij aſſumpſerit humanitatem & paneitatem, non oportet, quòd ubi eſt natura panis, ibi ſit natura humanitatis. neq; ratione ſuppoſiti poſſet dici, quòd ubi panis eſt, ibi eſt corpus Chriſti propter communicationem idiomatum, quia ſecundum illam opinionem, nomen ſuppoſiti, non recipit prædicationem panis aſſumpti nec corporis partes. Non enim uerum eſt, dicere ſecundum iſtos, Quòd filius Dei ſit panis uel corpus, quod eſt pars: ergo ratione communis ſuppoſiti, non poteſt unum de altero prædicari, ut ſic dicatur, Vnum eſſe alterū, uel unum eſſe ubi eſt alterum: nec eſt ſimile de dente æthyopis & eius albedine, quia album dicitur dens, & dens dicit̄ albus. & ubi eſt unum eſt alterū, quia hoc eſt, per hoc, quòd ſunt unum ſubiecto, & per conſequēs indiſtincta ſubiecto & loco. Non ſic autem poteſt dici de corpore humano & paneitate aſſumpta, & quicquid ſit de hoc argumento, hoc eſt uerum, quòd ſicut non ſequitur de neceſsitate, ſequitur tamen de poſsibili &c. Petrus autem de palude ſic arguit. Aut aſſumeret

ſubſtantiam pānis cum accidentibus, aut ſine nō ſine, quia hoc eſt impoſſibile, quia quod non eſt per ſe factibile, nec ſubſtentabile quacūq; uirtute, ut relatio uel aliquid huiuſmodi non eſt per ſe aſſumptibile Subſtantia autem corporalis, ſine quantitate fieri non poteſt, quia eſt ſuus terminus, & propria paſsio magis quantitas ſiue figura. hoc aūt multi negarent. Si aūt cum accidentibus, tunc non eſſet in altari ſacramētaliter, ſed localiter, per quantitatem cum ſubſtantia aſſumpta in altari, nec inde mota, ſicut localiter fuit in utero, per quantitatem, cum humanitate ibi aſſumpta. Et forte hoc concludit, ꝙ non eo modo ſacramentaliter quo dicunt Thomiſtæ per conuerſionē, qui dicunt, ꝙ non eſt ibi per ſuam quantitatē, ſed quātitatem panis, quam ſi aſſumat cum pane, iam uidebitur, ꝙ ſit ibi per quātitatem quæ ſit ſua. modus autem Thomiſtarum à multis non tenetur. Secūdo arguit Petrus, quòd nō poteſt intelligi de corpore quod eſt genus, ſed ſolum de corpore quod eſt pars, quia genus nō prædicatur poſſeſsiuè de ſuo inferiori, ſicut pars de toto. cum enim dico, humanitas mea, & manus mea, non autem animal meum, nec homo meus, de meipſo. Hoc autem apparet de conſecratione ſanguinis qua dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei. ſanguis autem non eſt æquiuocū ad genus & ad partem, ſicut corpus, ſed tantum ſumit̄ pro parte. Dato ergo, quòd corpus ꝙ eſt Chriſtus, per aſſumptionem eſſet ex ui ſacramenti in altari, non tamen corpus Chriſti quod eſt pars, niſi tantum ex naturali concomitantia, quia per aſſumptionem non fieret unio in naturis, ſed in perſona tantum. Vnde per illam aſſumptionem fieret, quòd panis eſſet corpus quòd eſt Chriſtus, non autem corpus Chriſti, ſicut nec modo diuinitas eſt humanitas, & de hoc ſatis dictū eſt ſupra ſcilicet de corpore parte, & de corpore quod eſt genus. Tertiò arguit, quia ſicut corpus hominis aſſumptum, non debuit corrūpi nec putrefieri, nec in ſubſtantia nec in quantitate, ſic nec debet corrumpi panis ſi aſſumeret̄: fortè aūt, hæc ſimilitudo nō currit de neceſsitate. Ad argumenta pro parte oppoſita, reſpondetur ad authoritatem Damaſceni, dicitur, Quòd ſicut conſtat, quòd aqua baptiſmatis non aſſumitur in unitate ſuppoſiti diuini, nec gratia ſancti ſpiritus unitur ei ita, ut faciant unum ſuppoſitum, ſimiliter panis & uinum non aſſumuntur ad diuinum ſuppoſitum, nec eis coniungitur diuinitas in unitate ſuppoſiti, ſed ſicut aqua ibi aſſumitur, ut materia ſacramēti permanens, ſic panis & uinū ut materia tranſiens, quia materia ſacramenti conuertitur in corpus Chriſti: & per conſequēs dicitur, aliquo modo uniri diuinitati, non per aſſumptionem manente natura panis aut uini, ſed per trauſſubſtantiationem in humanitatem prius aſſumptam. patet hoc, ex ſequentibus, ubi dicitur ſic, Quemadmodū naturaliter per comeſtionem, panis, & uinum, & aqua per totum, in corpus & ſanguinem comedentis & bibentis tranſmutantur, & non fit aliud corpus quàm prius, ita & propoſitionis panis & uinū & aqua per mutationem, &

nem, & aduentum ſpiritus ſancti, ſupernaturaliter tranſit in corpus Domini & ſanguinem, & ideo non ſunt duo, ſed unum & idem. Ex quib. uidetur, quòd non eſt intentio Damaſceni, per ſubſtantiam panis & uinum remaneant & aſſumantur à diuino ſuppoſito, ſed tranſeunt in corpus & ſanguinem Chriſti, & ſic uniuntur diuinitati. Inſtant autem illi, quærẽtes, Quomodo unitur quod annihilatur, id eſt uerè in ſe deſinit eſſe. & inſtant de illa ſimilitudine carbonis, in qua dicitur, Quòd ſicut carbo lignum ſimplex non eſt, ſed unitum igni, ita panis communionis non eſt ſimplex panis, ſed unitus diuinitati. Et dicitur quòd carbo & ignis, non ſunt ſuppoſito idem, unum tamen, cum ſua corruptione tranſit in aliud, ſic panis cõmunionis, non eſt cum diuinitate unum ſuppoſito, ſed ſua deſitione trãſit in corpus Chriſti, quod eſt unitum diuinitati. Sed contra, quia tunc panis communionis aſsimilaretur igni, in quem uidelicet tranſiuit carbo per ſui corruptionem, & non ipſi carboni, in quo cum ipſius naturæ ligneæ ſaluatione, ſimul inuenitur natura ignis. Quære reſponſionem, & forte eſt hæc, quòd ſimilitudo non currit quo ad omnia, & forte fuiſſet melius, ꝙ Damaſcenus non poſuiſſet illam ſimilitudinem, & cũ dicit idem Damaſcenus. Quòd Deus coniugauit diuinitatem pani. dicẽdum eſt, quòd non per aſſumptionem, licet ſicut cibus coniungitur cibato, quia conuertitur in ipſum. Accipiatur autem inter hanc conuerſionem, & illam, illa ſimilitudo, quæ ibi poteſt cadere. S. Thomas in 4. lib. 11. di. q. 1. dicit, quòd uerbum Damaſceni intelligendum eſt quantum ad ſpecies, quibus corpus Chriſti diuinitati unitum, modo ineffabili coniungitur. hæc ille. & poſtquam modus iſte eſt ineffabilis non oportet ulterius quærere de ipſo. In tertia aũt parte ſummæ, q. 75. dicit: Deus coniugauit diuinitatem ſuam, id eſt diuinam uirtutem pani & uino, non ut remaneant in hoc ſacramento, ſed ut inde faciant corpus & ſanguinem ſuum. Ad authoritatem Apoſtoli dicitur, quòd illa loquutio eſt figuratiua, tàm ex parte ſubiecti, quàm ex parte prędicati. nam pãnis ex parte ſubiecti, ſupponit pro ſacramento ſenſibili, ſcilicet ſpeciebus panis, corpus autem Chriſti, etiam ſumitur figuratiuè. Vnde ſecũdum gloſam, per illam locutionẽ non datur intelligi, ꝙ ſubſtãtia panis aut ſpecies panis, ſit uerè & realiter Chriſtus, aut corpus Chriſti, nec quòd corpus Chriſti prædicetur in recto de ſubſtãtia panis, aut de ſpecie panis, ſed eſt ſenſus, panis quem frangimus in ſacramẽto, id eſt participatio panis fracti in altari, participatio corporis diuini eſt, id eſt facit nos unum eſſe cum Chriſto. Meminerint autem Magiſtri, qui mea damnabant, quòd ſi uerba Damaſceni & Pauli in iſta materia acciperentur, ut prima facie & ſuperficialiter ſonare uidẽtur, multis poſſent facere ſenſum in fide erroneum. cum autem dicitur, quòd ad hanc poſitionem de aſſumptione, minores ſequuntur difficultates, dicendum, quòd in his quæ ſunt fidei, non ſemper eligendum illud ad quod pauciores ſequuntur difficul-

tates, sed id quod est magis consonum traditionib. Apostolicis & dogmati Ecclesiastico, etiam si plures difficultates occurrant. Oportet enim intellectum captiuare, in obsequium fidei, & traditionibus patrum, obedienti se humilitate committere, ut benè & religiosissimè dicit etiam Plato in Timæo. Item dicet aliquis, quòd licet illa assumptio magis saluaret apparentiam ad sensum, tamen conuersio magis saluat apparentiam ad intellectum, id est, uerba Euangelij, quæ melius est saluare, quia nō possunt mentiri, sicut sensus possunt decipi. Sed contrà arguitur adhuc pro parte opposita. quia si hoc non fit per assumptionem, ita quòd includatur in articulo incarnationis, eadem enim esset credulitas, oportuit de ista conuersione esse specialem articulum, qui tamen non est in symbolo. Dicunt quidam, sicut Petrus de Palude, quòd articulus de Eucharistia fortè est specialis, sub illo uerbo, sanctorum cōmunionem &c. Sanctus Thom. in secunda secundæ dicit, quòd in sacramento Eucharistiæ duo possunt considerari, unum scilicet quod est sacramentum, & hoc habet eandem rationem, cum alijs effectibus gratiæ sanctificantis. Aliud est q̄ miraculosè ibi corpus Christi continetur, & sic concluditur sub articulo de omnipotentia, sicut & omnia alia miracula, quæ omnipotentiæ attribuuntur. In 3. aūt sententiarum dicit, Quòd fides de corpore Christi, & de omnibus sacramentis, & clauibus, & omnib. huiusmodi, includitur in articulo, qui est de effectu gratiæ, qui est Sanctam ecclesiam catholicam &c. Ad confessionem Berengarij dicendum est, sicut dicit ibi glosa. Quòd nisi sanè intelligas uerba Berengarij, in maiorem incides errorē, quàm ipse habuit, dicit ergo Petrus de Palude, Quòd cum dicitur corpus Christi frangitur, exponēdum est: id est, manet sub speciebus quæ franguntur, quamdiù manet in quantacunq; parte. Subdit autem Petrus hœc uerba. Sic ergo dico, quòd Deus posset assumere panem & uinum, sicut posset conuertere, & quòd posset uerba instituere, ad quorum prolationem sequeretur assumptio, sicut nūc ad horum prolationem sequitur conuersio, non tamen dedit hanc uirtutem istis uerbis, nec posset saluari sensus modernorum, si fieret assumptio & non conuersio: hæc ille. Quæ uerba efficacissima sunt pro ueritate conclusionis meæ, quæ tota est de possibili, nō de sic esse &c. Ad id quod quotiescūq; sunt duo, idem suppositò limitata, ubicūq; est unum, ibi est reliquum. dicitur, quòd ratio tenet solùm in his, quæ sunt in loco per accidēs, secus autem est de his, quæ sunt in loco per se. Cum autem dicitur, quòd ista, uidelicet panis est corpus Christi: corpus Christi est panis: non possunt uerificari, nisi panis marieret, dicendum, quòd exponēdum est, id est, ubi erat panis, ibi sit corpus Christi. & hæc sufficiat disputasse, de hac quæstione. ex quibus omnibus illa teneo, quæ sunt consona supra explicatæ declarationi conclusionis meæ, quæ autem dissona, censeo abijcienda & reprobanda.

IOAN

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE SALVTE Origenis disputatio.

RAtionabilius est credere Origenem esse saluum, quàm credere ipsum esse damnatum. Dixerunt isti Magistri, quòd hæc conclusio est temeraria & reprehendenda, & hæresim sapiens, & contra determinationem uniuersalis Ecclesiæ. ergo autem ut de eis modestius loquar, uolo ostendere suum iudicium non esse rectum: & quòd hæc conclusio non est contra determinationem Ecclesiæ, & quòd plus est, ꝙ quando etiam quæcunque ipsi contrà me afferunt essent uera, adhuc non potest dici, quòd hæc conclusio sit hæretica uel hæresim sapiat. erunt aũt pro pleniori huius materiæ declaratione, septem articuli. In primo uidebitur, an Origenes unquam hæreticam aliquam de rebus fidei opinionem, scripserit & crediderit? in secundo, dato quòd scripserit, an dogmaticè, uel adhęsiuè, uel inquisitiuè tantum scripserit? in tertio, dato quòd adhæsiuè, an taliter adhæsiuè, quòd illa scribẽdo mortaliter peccauerit, & hæreticus dici possit? in quarto, dato quòd scripserit, & taliter scripserit, quòd scribendo errauerit, an pro talibus unquam pœnituerit? in quintò, dato quòd de eius nec pœnitentia, nec impœnitentia constet, an sit rationabilius ipsum credere esse damnatum an saluum? in sexto, quid ex dictis decretorum, iudicandum sit, Ecclesiam determinasse de Origene? in septimo, quantũ obliget in ista materia, crudelitatẽ nostram determinatio Ecclesiæ? In materia primi articuli, amara fuit inter Ruffinum & Hieronymũ contentio, quibus (ut dicit Augustinus, qui ortam inter eos dissensionẽ deplorat) dederat Deus, ut coniunctissimi & familiarissimi, mella scripturarum sanctarum pariter lamberent. Opinatur Ruffinus hæretica dogmata, quæ in libris Origenis inueniuntur, ab hæreticis falsa fuisse inserta, qui illius depra uerunt libros, & ex Origenis mente non esse. Hieronymus contrà sentit. Sed uideamus, quid utraq; opinio habet probabilitatis, & apparebit fortè, quòd salua fide & plenaria satisfactione eorum omnium, quæ de necessitate salutis tenemur credere, adhuc liberè & probabiliter potest credi, ꝙ principales illæ hæreses, ex quibus peccatum conuincit Origenis, & consequenter damnatio, non fuerint ex Origenis mente, sed ei falso à perfidis hæreticis illius libros deprauantibus impositæ. Est autem pro hac parte, primo authoritas Pamphili martyris, cuius liber fertur in defensionẽ Origenis, in quo glorioſissimus Martyr, ex uerbis ipsius Origenis, ex eius libris ibi recitatis, ostendit ipsum Catholicè sensisse, in his in quibus hæreticus accusatur. Hieronymus autem hunc librum negãs esse Pamphili, in apologia sua ad Occeanum & Pammachium responsiua, sic inquit. Si ab inimicis Origenis libros eius dicitis esse uiolatos, ut infamaretur, quare mihi non liceat dicere, de amicis eius & sectatoribus compositum esse, sub nomine Pamphili uolumen, quod illum testimonio Martyris,

ab infamia uendicaret. Ex quib. uerbis uidetur, quasi satis notari posse, q̄ Hieronymus utrū q̄ ponat probabile, innuens sicut conuinci non potest Ruffinus, q̄ illi libri nō fuerint corrupti, ita nec ipse potest conuinci, quòd ille liber sit Pamphili: & infra subdit Hieronymus. Et ipsum nomē Apologetici ostendit excusationē, nō enim defendit̄, nisi quod in crimine est. Sed diceret fortè quis. ergo & cū hunc ipsum tractatū, in quo hæc scribit Hieronymus Apologiæ titulo notet, in quo defendit se, q̄ Origenis doctrinā, non dogma sit sequutus, pariter se ostendit reū esse criminis, post quā non defenditur, nisi quod est in crimine: & sic nemo iustè poterit excusari, si excusatio semper iustā præsupponit accusationem. Sed uideamus, tunc quib. cōiecturis moueatur Hieronymus, ad credendū librum nō esse Pamphili. primum quòd mouet Hieronymū est, quòd eadem leguntur in primo libro Eusebij illorū sex, quæ scripsit pro Origene: secūdum est, quòd ipse Eusebius scribens uitā Pamphili, dixit ipsum nihil proprij operis scripsisse. sic enim dicit Hieronymus in primo libro contra Ruffinum ad Pāmachium & Marcellū: Sex libros Eusebius Cesarienſis Episcopus, Arrianæ quondam signifer factionis, pro Origene scripsit, latissimum & elaboratū opus, & multis testimonijs approbauit Origenē iuxta se catholicum, id est iuxta nos Arrianū esse. horum tu primū librum uertis sub nomine martyris & infra. Si iste Pamphili liber est, de sex libris, quis erit primus Eusebij? & infra. Item Eusebius amator, & præco, & contubernalis Pamphili, tres libros scripsit elegantissimos, uitā Pamphili continētes, in quorū tertio sic dicit de Pamphilo: Et ipse quidē proprij operis nihil omninò scripsit, exceptis epistolis, quas ad amicos fortè mittebat. In tantū se humanitate deiecerat defensor Origenis. & laudator Pamphili dicit, Pamphilum nihil omninò, nec proprij quicquā condidisse sermonis, & hoc dixit iam Pamphilo martyrio coronato, ne habeas suffugiū, post editos ab Eusebio libros, hoc Pamphilum scripsisse. & infra. Quid facient epistolę Theophili episcopi? quid papę Anastasij in toto orbe hęreticū prosequentes? cū liber tuus, sub nomine Pamphili editus, pugnet contra epistolas eorum: Et in secūdo libro sic scribit Hieronymus. Cum ante annos fermè decem, Dexter amicus meus, qui præfecturā administrauit prætorij, me rogasset ut authorū nostræ religionis ei indicē texerem, inter cæteros tractatores posui, & hunc librū à Pamphilo editum, ita putans esse, ut à te & tuis discipulis fuerat diuulgatum: sed cum ipse dicat Eusebius, Pamphilum nihil scripsisse, exceptis epistolis &c. Et primus liber, sex uoluminum Eusebij, eadem & ijsdem uerbis contineat, quæ sub nomine Pamphili à te ficta sunt, perspicuum est te, idcircò librum hunc disseminare uoluisse, ut sub persona martyris, hæresim produceres. cū & de ipso, quē Pamphili simulas, multa peruerteris, & aliter in Græco, & aliter in Latino sit. In Apologia autem ad Occeanū & Pammachium responsiua, in qua ostendit se doctrinam

ctrinam Origenis, & non dogma sectatũ, sic inquit, de eodem libro Pamphili loquens. Videtur uel Didymi, uel cuiuslibet alterius fuisse opusculum, si cõcedamus ex superfluo, ut Pamphili sit, sed necdum martyris, ante enim scripsit, quàm martyriũ perpetrauit. Et quomodo, inquies, Martyrio dignus fuit, scilicet ut martyrio deleret errorẽ. hęc Hieronymus ad uerbum diuersis in locis, prout allegatum est, de isto libro Pãphili. Ruffinus aũt cõprobans librum Pamphili martyris esse, & ad Origenis facere defensionẽ, in secundo libro inuectiuo cõtra Hieronymũ, postquã dixit, sic de quolibet opere faciliter dici posse, quòd eius nõ sit authoris, cui ascribitur, sic deinde inquit. Sed ponamus, cp non sit martyris libellus iste, sed cuiuscũcp unius de Ecclesia, nunquid suis uerbis usus est, quisquis ille est scriptor, ut meritis cedendum uideatur authoris. De ipsis Origenis uoluminibus, ponit exẽpla. & qd de singulis sentiat, non suis defensoriis uerbis, sed eius ipsius, qui accusatur, ostẽdit. & ideo superflua est de authore quęstio, ubi defensio talis est, quæ assertore non egeat, hæc Ruffinus. Ad ea autem quæ dicit Hieronymus responderet fortè aliquis sic pro Ruffino, primo cum dicit Eusebium sex libros scripsisse, in quibus Origenem probat Arrianum, & horum primum conuersum à Ruffino sub nomine Pamphili. Quomodo hoc potest stare, quòd liber Pamphili sit primus Eusebij, cum diuersa omnino & pugnãtia intendant in illis libris? nam Eusebius per te ò Hieronyme, suis libris conat probare, Origenem esse Arrianum. in libro aũt Pamphili, nihil aliud agitur, quàm ut probetur, Origenem Arrianum nõ fuisse, sed quæcunq hæresim Arrij confirmãtia in eius libris, inueniuntur ab ipsis Arrianis qualis & Eusebius fuit, & multi alij, fuisse inserta. Diuersus ergo omninò sit liber iste ab illo necesse est, q diuersam penitùs, imò contrariã agit causam: nec sufficit, si quis dicat illa, quæ ad Arrianam spectabant hæresim, de libro Eusebij fuisse cõmutata. Nã & quod pertinet ad alias hæreses, nõ potest dicere Hieronymus, Eusebium ostendisse, in illis corruptos esse libros Origenis, quia ipsemet in secũdo libro contra Ruffinum, dicit, quòd pręter id, quod attinet ad filium & spiritum sanctum, in alijs dogmatibus Eusebius & Didymus apertissimè in Origenis sectam concedunt. Quare non benè potest intelligi, quomodo eadem quæ in libro Pamphili leguntur, legi poterant in primo Eusebij, nisi fortè aliqua communia de Origene, & ad articulum huius cõclusionis, de quo agitur non pertinentia, nec uidetur adeò mirandum, ut miratur Hieronymus similia aliqua scripsisse Pamphilum & Eusebiũ, qui ut ipse dicit Hieronymus, fuerant contubernales, quæ potuit Eusebius, uel apud Pamphilum lecta, in suis etiam libris retulisse, uel ut fit quotidie, similis mentis motu, per se inuenisse & excogitasse. Et hæc de primo Eusebij. Quod autem dicit Hieronymus scribere Eusebium in uita Pamphili, quòd propter humilitatem ipse proprij operis, nihil scripsit, exceptis epistolis:

& subi-

& subdit, quòd Eusebius defensor Origenis & laudator Pamphili hoc dicit. fortè responderet Ruffinus, hoc non multum contra se facere, primò, quia & ille tractatulus Pamphili, ad epistolæ potius breuitatem, quàm ad iusti libri magnitudinem declinat. secundò, quia illa breuis pro Origene Apologia, non rectè fortasse dici potest opus proprium, cũ ibi nihil dogmatizet Pamphilus, imò nec quæstio ibi de re, in uniuersum tractẽ aliqua, sed de particulari tantum homine, id est de Origene breuiter agatur, fuerint libri eius corrupti nécne, quod scribere non est proprij operis aliquid condere, nec est ex sua humilitate dogmatistæ, uel authoris nomẽ deuitante, se subleuare. Tertiò possibile est, ꝙ & ad notitiã Eusebij iste liber non peruenerit, tum ob libri exiguitatẽ, tũ ob authoris, quã ipse affert humilitatem, & nihil magnum scribentis, & tenuia etiã illa & minutula quæ scripsit occultãtis, potiùs quàm ostentantis. Quartò dicit Ruffinus, possibile est etiam, quòd Eusebius ut Arrianæ perfidiæ defensor, librum martyris, qui suã sectã Origenis testimonio priuabat, nõ occultare modo uoluerit, sed hac etiã obliqua sua testatione agere, ut non esse Pamphili à posteris crederetur. quare quòd Hieronymus, quasi ad corroborandum rationem suam dicit, Defensor Origenis, dicit Pamphilum nihil scripsisse &c. potius contra ipsum est quàm pro ipso, quia ex quo Eusebius Origenem non ut Catholicum, sed ut Arrianum defendebat, merito in hoc sicut dixi, potuit esse suspectus. Sed quid oportet in his laborare, aut quomodo omninò potest Hieronymus ex Eusebij testimonio probare, illã pro Origene Apologiam non esse Pamphili, cum ipse Eusebius in libro sexto historiæ ecclesiasticæ dicat, à sancto Pamphilo martyre scriptam esse Apologiam pro Origene. Cum autem subdit Hieronymus. Quid facient epistolę Theophili episcopi? quid papæ Anastasij &c? diceret fortè Ruffinus, non pugnare librũ Pamphili contra primariam illorũ intentionem, fuisse enim illorũ propositũ, hæreses illas pessimas, & uenenata dogmata cuiuscunq; essent, extirpare de mundo, quia hoc ad fidem spectabat, ad religionis confirmationem & stabilimentum Ecclesiæ. Origenis autem illa esse, ut credebatur à multis, aut nõ esse, parum curaturos fuisse religiosissimos pontifices. Quinimò optabile fortè illis & acceptissimum fuisse futurũ, si certis & ualidis probari potuissent argumentis, hæreticas illas opiniones non fuisse ab Origene creditas, quia pro fide hoc faceret, non contra fidem, contra hæreticos, & non pro hæreticis, qui non parum tanti uiri, & à Catholicis tantum laudati testimonio innitebantur, & errorem suum illius authoritate defendebant. Quapropter pugnaturum Pamphili librum contra illas epistolas, si in illo hæreses, quas illi accusabant excusarentur. non autem, si id totis in eo agitur uiribus, ut illarum assertores tàm bono patrono priuentur, quem si illæ prosequuntur epistolæ, certum est, quòd non nisi, ut illarum creditum opinionũ hæresiarcham prosequunt.

Ad ea

Ad ea aũt quæ in ſecundo libro affert Hieronymus ſic fortaſſe reſponderetur. Primò, cum dicit, ſe etiã aliquando credidiſſe, & ita ſcripſiſſe illum eſſe Pamphili librũ, priuſquã apud Euſebium legiſſet, Pamphilum nihil ſcripſiſſe & cætera. Ex hoc ſuo dicto, ſorte ſic contra eum argumẽtaretur Ruffinus. Si lectum ô Hieronyme Pamphili librũ, Pamphili eſſe aliquando & credidiſti & ſcripſiſti, dic quæſo, quæ in eo legebas mendaciáne, & hæreſes, aut hæreſum fauores eſſe cognoſcebas? an potius uera uel ueriſimilia, & catholicam fidem nihil lædẽtia? ſi falſa & hæretica, quo pãcto adduci poteras, ut crederes authorẽ libri eſſe catholicũ Martyrem, de cuius teſtimonio & dictis, nihil ſiniſtrè ſine flagitio ſuſpicari quis poſſet? Si uerò & catholica, & denique Chriſtiano martyre digna, cur nunc ipſa damnas & commentitia dicis? & ad introducẽdas hæreſes diſſeminata? & breuiter, cur indigna martyre nunc iudicas? quæ tunc martyre digna iudicaſti: cum eadem ſint, quæ nunc legis, & quæ tunc legebas, quaſi dicamus, ipſum authoris titulum ſecludentes, ipſa, quæ ibi in defenſionem Origenis dicuntur, ſecundum ſe conſideremus. ſi mala ſunt, cur tunc ſancti martyris eſſe iudicaſti? ſi bona, cur etiam nũc cuiuſcunq; ſint, pro bonis non acceptantur? Præterea quomodo potes ô Hieronyme dicere, ad introducendas hæreſes, me librum diſſeminaſſe? cum in eo libro, nihil aliud agatur (ut ſupra etiam dictum eſt) niſi ut hæretici, Origenis teſtimonio, ſe corroborare non poſsint, quod ad euellendam facit, non ad diſſeminandam hæreſim. Præterea non ſolum Latinus inuenitur iſte liber, ſed Græcus. ego Ruffinus Latinum feci ex Græco transferendo, Græcũ quis edidit ſi non Pamphilus? non ego utiq; Ruffinus ſecundũ te, qui me de inſcitia arguis Græcarũ literarum, librum tàm Grecè & tam facundè ſcribere potui, ut Euſebij ſtylum æquaret. ſi alius proferatur ille reſpondet Hieronymus quòd Dydimi eſt, uel alicuius alterius: inſtabat Ruffinus. Quiſquis ſit, ille alius iam, non ego Ruffinus, ſed alter huius criminis reus tenebitur, & ſi Didymus eſt mẽdax ſecundum te, & deceptor eſt Didymus præceptor tuus ô Hieronyme, quem tu & prophetã uidentem, & oculum habentem ſponſæ, de cantico canticorum, & apoſtolicum uirum in tuis libris nominaſti, mendax, inquã, ipſe, qui ipſum Grecũ edendo falſo Pamphilo adſcripſit, non ego, qui inuentum Græcum titulo Pamphili, ſub eiuſdem authoris titulo, transferendo communicaui Latinis. nec mirum tibi eſſe debet, quòd ego Didymo in hac re crediderim, cui tu in ſcripturarum explanatione credidiſti. Quod autem dicit, quòd aliter in Latino ſit, aliter ſit in Græco. Diceret Ruffinus, Cur locos non profers ô Hieronyme male interpretatos, an ideó ne me à culpa aſſerere poſsim, ſicut & tu, cum Auguſtinus ad te ſcribat quædam, de tua ex Hebræo interpretatione damnari, & locos non ponit, dicis ideo factum, ne te poſsis defendere, & ueritatem tuæ interpretationis comprobare. Quare quod tibi, dicere

ceret Ruffinus, licuit de Augustino, liceat & mihi quoque de te ô Hieronyme suspicari. Hæc sunt dicta de dissentione Hieronymi & Ruffini, de libro Pamphili, in qua ego sicut & in alijs omnibus, Hieronymi iudicium, iudicio Ruffini semper antepono. Secundum quod ad possibilitatẽ huius affertur, quòd Origenis libri sint corrupti, hoc est, quòd hoc similiter uidemus accidisse multis alijs libris Catholicorum doctorũ. nam Clemens apostolorum discipulus, qui Romanæ ecclesię post Apostolos episcopus & martyr fuit, libros edidit, qui appellantur Recognitio, in quibus cũ ex persona Petri, doctrina quasi uere Apostolica exponatur, in aliquibus ita Eunomij dogma inseritnr, ut nullus alius quàm ipse Eunomius disputare credatur, filium Dei creatum de nihilo dicens. Item in Clementis Alexandrinæ ecclesiæ presbyteri, uiri catholici, inuenitur scriptũ Dei filium esse creatum. & in Dionysij Alexandrinæ urbis episcopi quatuor libris, ubi cõtra Sabellum disputat, est Arriani dogmatis comprobatio. Et quid oportet apostolicos proferre uiros? cum sciamus ipsa Euangelia, & ipsorum apostolorum dicta, ab hęreticis sæpe fuisse deprauata, ut maximè ex libro Tertulliani contra Marcionem cuilibet cõstare potest. quod ergo illorum contigit libris, cur non & Origenis libris potuit contigisse? & omnino in simili causa, cur per omnia similis non acceptatur excusatio? quæ ideò etiam de Origenis libris uidetur magis acceptanda, quòd ipsemet uiuens adhuc, de hoc in suis epistolis, ut infra patebit conquæritnr, corrumpi, scilicet & deprauari ab hæreticis libros suos. Quod si hoc pro impossibili habet Hieronymus, illud afferẽs, quòd sic quicquid in libris omnium reperitur, ab alijs dici possit esse corruptum, & quòd difficilè est omnia exemplaria posse uitiari: nescio quo pacto ipse respondere poterit, Eunomianis comprobantibus, dogma suum testimonio Clementis apostolorum discipuli, in quibus inuenitur expresè scriptum, filium Dei esse creatum. Nam si ipse ad hæc recurrerit, corruptos libros Clementis, ab ipsis hæreticis, ipsius Hieronymi uerbis hoc arguent esse impossibile, illa & ipsi dicentes sic, scilicet quicquid reperitur in libris omnium, ab alijs corruptum dici posse: & impossibile esse omnia exẽplaria esse corrupta. quare forte cauendum est, ne dum hæreticum omninò facere uolumus Origenem, hæreticos Apostolos, hæreticosq; apostolorum discipulos esse faciamus. nam cum nihil minus detestandæ & execrandæ hæreses, non minus impia dogmata, in illorum inueniantur libris, quàm in libris Origenis, non uideo, cur non uel similiter accusentur, uel excusentur similiter. Hieronymus autem de libris Clementis & aliorum corruptione, his uerbis respondet. Et quomodo, inquies, in libris eorum uitiosa non nulla sunt, si me causas uitiorum nescire respondero, non statim illos hæreticos iudicabo, fieri enim potest, ut uel simpliciter errauerint, uel alio sensu scripserint, uel à librarijs imperitis, eorum paulatim scripta corrupta sint, uel innocenter

nocenter quædam, & minus cautè loquuti sint, & quæ nō possint peruersorum hominum calumniam declinare. Huic autem Hieronymi responsioni, sic fortè responderet Ruffinus: sic, ut non propterea, quòd in eorum libris uitiosa nonnulla sunt, etiam si causas uitiorum nescias, nō statim uis illos hæreticos iudicare, cur uisis aliquibus in Origenis libro uitiosis, quibus etiam alibi ipsum legis contradicentem Origenem, statim hęreticum iudicas? quæ est causa dissimilitudinis maxime cum & in Origene eā ingenij sublimitatem, eum fidei zelum, tale ac tantum scripturarū studium, & tu noueris fuisse, & scripseris & prædicaueris, ut non immeritò in codicibus undecūque potius, quàm in mente eius uitiū fuisse suspicari possis? Præterea sicut fieri potuit, secūdum te, ut illi uel simpliciter errauerint, uel alio sensu scripserint, uel innocenter & minus cautè loquuti sint: cur non fieri potuit similiter ut Origenes uel simpliciter errauerit, uel alio sensu scripserit (ut contendit Didymus) uel innocenter & minus cautè loquutus sit quædam, quæ non possunt peruersorū hominum calumniam declinare? Et sicut à librarijs imperitis dicis, potuisse illorum scripta corrumpi, cur non similiter uel ab imperitis librarijs, uel à perfidis hęreticis scripta Origenis potuerunt corrūpi? omninò dissimilitudinis causa non apparet. Refert etiam Ruffinus, quòd liber Hilarij confessoris, post Ariminensem synodum, fuit falsatus ab hæreticis, & quòd ob hanc causam, cum in concilio episcoporum ei quæstio moueretur, proferri librū de domo sua iusserit, qui nesciente se, in scrinijs suis hæreticus tenebatur. & dicit, quòd cum prolatus fuisset, & ab omnibus hæreticus iudicatus author libri, Hilarius excommunicatus discesserit de concilio. hoc esse falsum & fictum in calumniam Hilarij dicit Hieronymus, nihil aliud afferens. sed uerum fuerit nec ne, non benè scire potest, nec multum ad Origenis attinet defensionem, hoc est uerū, quòd Ruffinus hoc de Hilario recitaturus, hęc uerba præfatur: Et ne quid apertę credulitati desit, res adhuc quæ sunt memoriæ nostræ retexam, quo testimonij ueritas neminem lateat. quare uel uerū fuit, uel magna fuit Ruffini impudentia, in re tàm recētis memoriæ, apertum mendacium & nouam texere fabellam. sed siue uerum sit siue falsum, non uidetur in Hilarij calumniam uel fictum uel recitatum, quia potiùs illos, qui Hilarij librum deprauauerant, quàm ipsum Hilarium calumniatur, quem innocētem hæresis fuisse, & iniustè excommunicatum, & subdolè deceptum attestatur. Post hæc recitat Ruffinus, quòd Tertulliani liber, cuius est titulus de Trinitate, sub nomine Cypriani martyris, Constantinopoli à Macedonianæ partis hæreticis legebatur. Hieronymus dicit quòd nec liber est Tertulliani, nec dicitur Cypriani, sed Nouatiani. neuter eorum aliud pro se affert. nisi quòd Hieronymus dicit, quòd authoris eloquium, styli proprietatem demonstrat. Quanquam & in multis facile est deprehendere, similem styli faciem & tenorem: sed hæc nihil ad Ori

genem. Ipſe autem Ruffinus hoc idē oſtendit accidiſſe Hieronymo, quod & libris Origenis, refert enim, quòd à Damaſco Romanę urbis epiſcopo, ei traditæ fuiſſent Eccleſiaſticæ epiſtolę dictandæ, Appollinariſtæ, Athanaſij librum, ubi dominicus homo ſcriptum erat, ad legēdum acceptum, ita corruperūt, ut in libro id quod eraſerāt, rurſus ſcriberēt, ſcilicet ut non ab illis falſatum, ſed à Hieronymo additum putaretur. & aduerte, q̄ Hieronymus in hac parte Ruffino reſpondēs, cū dicat, Mihi mea ingeritur fabella. uerum tamen fuiſſe non negat, ſed in fine ſic dicit. Eieri poteſt Ruffine, ut etiam ſi à me uerum audiſti, alius qui huius rei ignarus eſt, dicat ad te, eſſe compoſitū & fictum. Tertium, quòd ueriſimile facit, libros Origenis fuiſſe corruptos eſt, quòd de hoc ipſe uiuens cōquęſtus eſt, extat enim in libro quarto Origenis, epiſtola eius ad quoſdā caros ſuos in Alexādria, in qua conqueritur his uerbis: Sed nihil mirū mihi uidetur, ſi adulteret doctrina mea ab inimicis, & tali adultetio corrumpatur, quali adulterio corrupta eſt epiſtola Pauli apoſtoli. quidā enim ſub nomine Pauli falſam epiſtolam conſcripſerunt, ut conturbarent Theſſalonicenſes, quaſi inſtaret dies Domini, & ſeducerent eos, propter hāc ergo epiſtolā, in ſecunda epiſtola, quā ad Theſſalonicenſes ſcribit, hæc dixit. Rogamus autem uos fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, ut nō cito moueamini à ſenſu ueſtro, neq̄ terreamini, neq̄ per ſpiritum, neq̄ per uerbū, neq̄ per epiſtolam, tanquā per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. nemo uos ſeducat ullo modo. Talia ergo quædā, uideo accidere nobis. Nā quidam author Hæreſeos, cū ſub præſentia multorū, habita fuiſſet diſputatio noſtra, accipiēs ſcripta ab his qui deſcripſerāt codicē, quæ uoluit addidit, & quæ uoluit abſtulit, & quæ ei uiſum eſt permutauit, & circumfert tanq̄ nomine noſtro, inſultans & oſtendēs ea, quę ipſe cōſcripſit, pro quibus indignātes fratres, qui in Paleſtina ſunt, miſerūt ad me Athenas hominē, qui acciperet à me ipſa autentica exēplaria, quod ne relectū quidem, uel recenſitū à me antea fuerat, ſed ita neglectū iacebat, ut uix inueniri potuerit. miſi tamen, & ſub Deo teſte loquor, quoniā cum conueniſſem illum ipſum, qui adulterauerat librū, Quare hoc feciſſet? uelut ſatisfaciens mihi reſpondit, quoniam magis ornare uolui diſputationem atq̄ purgare ipſam. Videte quali purgatione diſputationem noſtram purgauit, tali nempe quali purgatione Marcion purgauit Euangelia, uel Apoſtolum, uel qualis ſucceſſor eius poſt eū Appelles. nam ſicut illi ſubuerterunt ſcripturarum ueritatem, ſic iſte ſublatis quæ uerè dicta ſunt, ob noſtri criminationē inſeruit quæ falſa ſunt. Hæc ad uerbum in Origenis epiſtola leguntur, quod ſi uiuente ipſo nō dubitabant hæretici eius libros corrumpere, quanto magis credēdum eſt, hoc ipſos auſos fuiſſe, poſt eius mortem. Conqueritur autem & de alio quodam hæretico in Epheſo, qui conferebat multa falſa tanquam ſua, & extat etiam in alia eius epiſtola,

de ſuo-

de suorum librorum falsitate quærimonia. Quartum, quod eiusdẽ rei maximè fidem facit, quòd scilicet hæretica illa Origenis non sint, sed ab hæreticis inserta est, quòd de illis eisdem inuenitur alibi Origenes piè & catholicè determinare: ex quò, si illa hæretica Origenis sunt, sibijpsi cõtradicet. locos autẽ ubi catholicè agit de illis, plurimos est uidere in apologia Pamphili, & hoc est quod dicit Ruffinus, quòd non est curandum de nomine authoris illius libri, quoniam illa defensio, cuiuscũque sit, per se ualida est, cum ex uerbis & dictis proprijs ipsius Origenis, de eius catholico & orthodoxo dogmate fidem faciat. & per hoc etiam uidetur satisfieri cuidam dicto Hieronymi contra Ruffinum. Nam cum Ruffinus hoc idem diceret, piè scilicet & catholicè de illis, alibi ab Origene determinatũ, sic inquit contra eum. Vbi est illa fiducia, qua inflatis buccis, creberrimè personabas, te quæ in alijs libris Origenis legeras emẽdasse, in libris Persarchon: & non aliena, sed sua reddidisse suis? de tanta librorum sylua, fruticem ac surculum proferre non potes. responderet enim fortè Ruffinus, nõ oportere se de ea sylua surculos proferre, de qua iam Pamphilus multas protulerat integras arbores. locos enim illos copiosissimè recitat Pamphilus, et illo iam præsupposito, hoc agit Ruffinus in libello suo, quem Pamphili libro superaddit. ut ostendat unde hoc prouenerit, quòd in libris Origenis contradictoria inueniantur, assignatq́ illam causam de falsatione per hæreticos. Quintum, quod & multum facit ad asserendum hoc, quòd hæreses illæ non sunt de mente Origenis, est quòd ex testimonio multorum, quibus meritò tenemur fidem adhibere, habemus Origenem in principalibus opinionibus, in quibus errasse dicitur, catholicè sensisse. Duo enim sunt principales hæreses, quæ Origeni obijciuntur. Prima est, de Trinitate, quòd male scilicet de Filio, & peius de Spiritu sancto senserit. Secunda est, de salute Diaboli: quod scilicet pœna eius, & infernale suppliciũ, non sit æternũ futurum, sed ab eo sit aliquando liberandus. Ex qua uidentẽ multæ aliæ dependere eidem asscriptæ. Illa scilicet, quòd pro salute istorũ saluandorum dęmonũ, iterum in sublimiori elemento sit crucifigẽdus Christus. Et illa, quòd omnia restituenda sunt in unum. Et illa, quòd diabolus pœnituere possit. Et illa, quòd pœna damnatorum non sit ęterna. De istis autem duabus hæresibus, quòd non fuerunt de mente Origenis, uidẽtur esse euidentia argumenta. nã de Trinitate non solum Didymus, quo pręceptore tãtum gloriatur Hieronymus dicit catholicè sensisse Origenem, idq́ proprijs in Periarchon editis commẽtarijs, cõprobauit, sed & Athanasius defensor Niceni concilij, libris proprijs, contra Arrianos, uoce clara testem fidei suæ hunc uirum uocauit. & Methodium legimus pœnituisse, quòd Origenem damnasset, dicitq́ eum tandem inuentum, nihil male credentem de sancta Trinitate. quinimò ipsius met Origenis habemus dicta de Trinitate, à catholica fide nihil discrepantia, nam super illud Pauli

ad Romanos. Et spiritus adiuuat infirmitatē nostram, expressè tenet, spíritum sanctum non esse creaturam: & super illud. Qui etiam proprio filio nō pepercit, sed pro nobis omnib. tradidit illum, quomodo nō etiam cum illo omnia donauit? hæc Origenes exponens dicit: Nihil enim est, neq; uisibilis neq; inuisibilis creaturæ, quod filio possit adæquari, nullo enim pacto creatori suo potest creatura conferri, & si creator ipse donatus est nobis, quomodo non cum ipso nobis omnis creatura donabitur? & infra super illud Pauli: Qui est super omnia Deus benedictus, sic inquit Origenes. Christum aliud secundum carnem esse, aliud secundum spiritum: Iam & in prioribus huius ipsius epistolæ partib. designauit, ubi dicit: Qui factus est ex semine Dauid secundū carnem, qui destinatus est filius Dei in uirtute, secundum spiritum sanctificationis. Et quomodo secundum spiritum filius Dei sit, & secundū carnem filius Dauid, ibi plenius exposuimus pro uiribus. quem ergo ibi secundum spiritum filium Dei dixit, hîc procedente doctrina, ordine proficientib. utpote auditoribus, Deum qui est super omnia, ipsum esse pronunciat: & miror quomodo quidam legentes quod idē Apostolus in alijs dixit. Vnus Deus pater, ex quo omnia, & unus dominus Iesus Christus, per quem omnia, negent filiū Dei Deū debere profiteri, ne duos deos profiteri & dicere uideantur: & quid de hoc loco apostoli facient, in quo apertè Christus, Per quem omnia, super omnia Deus esse describit. Sed non aduertunt qui hoc ita sentiūt, quia sicut dominum Iesum Christum non ita unum esse dominum dixit, ut ex hoc Deus pater dominus nō dicatur, ita & Deum patrem non ita dixit esse unū Deum, ut Deus filius nō credat. Vera est enim scriptura quæ dicit. Scitote quòd dominus ipse est Deus. Vnus aūt uterq; est Deus, quia nō est aliud filio diuinitatis initium quàm pater, sed ipsius unius paterni fontis, sicut sapientia dicit purissima est manatio filius, ergo est Christus Deus super omnia, quæ omnia illa sine dubio, quæ & paulo ante diximus super principatus, & potestates, & uirtutes, & omne nomē, quod nominat, nō solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Qui autem super omnia est, super se neminem habet. non enim post patrem est ipse, sed de patre. hoc idem autem sapientia Dei, etiam de spiritu sancto intelligi debet. ubi dicitur. Spiritus domini, repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet uocis. si ergo filius Dei, super omnia dicitur, & spiritus Sanctus continere omnia memoratur, Deus autem pater est ex quo omnia. & sic euidenter ostenditur, natura trinitatis, & substātia una quæ est super omnia. hęc Origenes ad uerbum. & alibi super illud Pauli, Quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur. sic inquit. Sunt enim nonnulli, qui annunciant quidem, & prædicant de Patre & Filio & Spiritu sancto: sed non sincerè non integrè, ut sunt omnes hæretici, qui patrem quidem & filium & spíritum sanctum annunciant, sed non benè neque fideliter annunciant.

Aut

Aut enim male ſeparant filium à patre, ut alterius naturæ patrem, alterius filium dicant, aut male confundunt, ut ex tribus compoſitum Deum uel trinæ tantummodo appellationis faciant. qui aũt benè, bona annunciant, proprietates quidem patri & filio & ſpiritui Sancto, ſuas cuiq; dabunt, nihil autem diuerſitatis eſſe confitebuntur, in ſubſtantia uel natura. hęc Origenes. Quibus uerbis quid magis catholicũ? quid magis expreſſum? neceſſe eſt igitur, ſi cubi aliter ſcriptum inueniatur in libris Origenis, nõ Origenis eſſe illud, ſed hæreticorũ, qui per librorum corruptionẽ, patronum habere uoluerunt Origenẽ, erroris ſui. De ſecunda aũt hęreſi, tàm euidens extat teſtimoniũ, ut meo iudicio, male negare poſsit. nam in epiſtola propria, ipſe Origenes, etiã ſecundum Hieronymi traductionẽ, qui illius epiſtolæ mentionem facit, expreſsè negat, Diabolum poſſe aliquãdo ſaluari. dicitq;, Quòd nec mente quis captus hoc poteſt dicere. Præterea q; etiam extat dialogus inter Origenem & Candidum Valentiani dogmatis ſectatorem, qui Candidus obijciebat eũdem errorem Origeni, & Origenes refutat, negatq; hoc ſe ſentire, & ſupra illud Pauli: Nunquid ſic offenderunt ut caderent? ſic dicit Origenes. Hunc caſum reſpiciens Paulus, de quo dixit Chriſtus: Quia uidebam ſathanã ſicut fulgur cecidiſſe de cœlo, negat cecidiſſe Iſraël. Illorum enim uel in fine ſæculi conuerſio erit, tunc, cũ plenitudo ſubintrauerit, omnis Iſraël ſaluus fiet, iſtius autẽ, qui de cœlo cecidiſſe dicit, nec in fine ſæculi erit ulla conuerſio. hęc Origenes. Quod etiam illa, quæ ei imponitur hæreſis, quòd ſpiritus non intelligit Filium, & filius nõ intelligit Patrem, falſo ei imponatur. patet ex his, quæ ipſe dicit, ſuper illud Pauli. O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei. ſic enim inquit: Hanc altitudinem Dei, inſcrutabilem dicit omni creaturæ, de filio uerò & ſpiritu ſancto dicere iſta, nõ poterat, quia filius in Euãgelio dicit ad patrẽ. Pater omnia mea tua ſunt, & tua mea. & de ſpiritu ſancto ipſe Paulus pronunciat dicens. Nemo ſcit hominũ, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, q; in ipſo eſt: ita & quæ in Deo ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. quin ergo dicit Paulus. Quis nouit ſenſum Domini, de creaturis dicit, naturã uero trinitatis excepit. hæc Origenes. reſtare uidetur una hæreſis Origeni attributa, ſcilicet in opinionibus de anima, Quòd fuerint ab æterno creatæ, & de cœlo delabantur in corpora. & de anima ſcribit quidem ipſe Origenes in cõmentarijs ſuper epiſtolam Pauli, ad Titum, ſe nihil poſſe determinati ex eccleſiaſtico dogmate accipere: niſi, Quòd omnes animæ ſunt eiuſdem ſpeciei, quòd ſunt liberæ uoluntatis, quòd ſunt rationabiles, quòd ſunt immortales, quòd à Deo creatæ, & quòd pœnas habituræ pro malis, & prę mia pro bonis. hæc tantum dicit ſe affirmare de anima. Quia de his in ſcripturis euidentia habeantur teſtimonia, in cæteris autẽ de anima quæſtionibus, dicere ſe, quòd magis ſibi probabile uidetur, & inquiſitiuè non determinatiuè procedere, quia determinatum nihil de illis in ec-

cleſiaſtico habeatur dogmate: Id aũt, quod magis uiſum eſt Origeni fuiſſe, quòd eſſent ante corpora creatæ in cœlis uiuentes, conſentiunt concorditer omnes, & Ruffinus in Apologia ad Anaſtaſium Romanæ urbis epiſcopum, poſtquã tres retulit opiniones de anima, in fine ſic inquit. Ego uerò cum hæc ſingula legerim, Deo teſte dico, quòd uſq; ad præſens certi uel definiti aliquid de hac quæſtione non teneo, ſed Deo relinquo ſcire, quid ſit in uero, & ſi cui ipſe reuelare dignabitur. ego tamen hæc ſingula legiſſe me non nego, & adhuc ignorare cõfiteor, præter hoc, quod manifeſtè tradit eccleſia, Deum eſſe & animarum & corporũ conditorẽ. In libro etiam Pamphili, nõ negatur Origenem illi adhæſiſſe opinioni, ſed ſic in eius ſcribitur defenſionẽ, Nũc uerò cũ diuerſitas ſit apud Eccleſiaſticos, & alij alia de anima ſentiunt, & omnes diuerſa quomodo, hic magis quàm cæteri incuſandus eſt. tum poſt hæc uerba recitantur opiniones de anima, quæ tunc erant: inter quas & illa, quæ nunc tenetur à catholicis, & cum oſtenſum eſt, manifeſtas pro illis probationes ex ſcripturis ſacris adhiberi non poſſe, accidereq; & illarum authorib. magnas difficultates. in fine ſic concluditur. Quod autem ex his omnib. oſtendi uolumus, illud eſt, quòd ſicut eos, qui unam quamlibet de his, quas ſupra expoſuimus opinionẽ ueram putant, non recta ratione hæreticos quis uocat, pro eo, quòd neq; ex diuinis ſcripturis certi aliquid de his, uel manifeſti dictum eſſe uideatur, neq; in prædicatione eccleſiaſtica putatur contineri: ita neq; hunc uirũ culpari iuſtum eſt, differentem quod ſibi magis eſt uiſum. hęc ibi. Ego autem ex omnibus ſupradictis duas infero propoſitiones, prima eſt, quòd ſi Origenes & de Trinitate, & de dæmonum ſalute catholicè ſenſit, ut magis uidetur comprobatum teſtimonijs, ob erroneam de anima opinionem eius, conuincere non poſſumus damnationem. quia Origenes, non omnia tenebatur ſuo tempore explicitè de anima credere, quæ nos nunc tenemur, quia nec in ſcriptura habebantur manifeſta, nec per Eccleſiam ut poſtea fuit, tunc fuerat determinatum. imò non ſolum tempore Origenis, ſed etiam tempore Auguſtini, qui per 200. annos poſt Origenem adhuc fuerat, per catholicos, id eſt per uniuerſalem eccleſiam de anima aliquid determinatũ. Nam ipſe Auguſtinus dubius erat in opinione de anima, ut patet ex eius epiſtola ad Hieronymũ, an ſcilicet ſingulę ſingulis creentur, ut nũc tenet orthodoxa traditio, ex qua opinione uidebatur Auguſtino ſequi, ꝙ Deus eſſet iniuſtus: an ex illa una quæ facta eſt in Adam à Deo. Aliæ deinde ſicut corpus ex corpore, ita animæ ex anima fuerint propagatæ. Nec credas ſolum in iuuentute de hac re dubitaſſe Auguſtinum, quia in primo Retractationũ, qui fuit de ultimis, de hac quæſtione dubitat. ſic enim ſcribit in primo. Sine controuerſia ergo, quædam originalis regia beatitudinis animi Deus eſt, qui eum quidem non de ſeipſo genuit, ſed de nulla re alia condidit, ſicut condidit corpus de terra. nam quod attinet ad eius originem.

ginem, qua sit in corpore, utrum de illo uno sit, qui primũ creatus quando factus est homo in animam uiuentem, an similiter fiant singulis singulæ, nec tunc sciebam nec adhuc scio. hæc Augustinus ad uerbum. Ex quo patet euidenter, propter erroneam opinionem de anima prædictam, hæreticum nullo modo posse dici Origenem. Secunda propositio quam dico, est hæc. Quod si uerum est, quod Thomas in quolibetis dicit, ut in 7. arti. defensionis Origenis patebit latius, & bona dicit Theologia non obligari nos de necessitate salutis credere, nõ solum ecclesiæ doctoribus sicut Hieronymo, sicut Augustino & similibus, sed neque ipsi Ecclesiæ, nisi in his quæ ad substantiam fidei pertinent, adiunxerimusq; ista ad substantiam fidei nihil pertinere, utrum illarum hæresum author fuerit Origenes, aut aliquis alius modo hæreses, illas hæreses esse, id est impia fateamur dogmata. Videtur sequi quòd non teneatur homo fidelis, & uerè Christianus de necessitate salutis, in hac quæstione potius Hieronymo, etiã quod ad ipsum magis declinet ecclesia, quàm Athanasio, Didymo, Methodio, Ruffino: cuius & fides, etiam persecutionis hæreticorum tempore, in sancta Alexandrina ecclesia, carceribus & exilijs dicitur probata: imò ipsiusmet Origenis dictis credere, eò maxime, quòd in multis alijs, quæ etiã ad fidei substantiam magis pertinent, Hieronymum non approbamus: sicut in materia de ceremonialibus. Et sicut etiam Hieronymo pium est nõ credere, ubi Ambrosij commentaria in Lucã nugas uocat, & ipsum Ambrosium nunc coruum, nunc corniculam appellat. & ubi eiusdem de spiritu Sancto librum damnans dicit se de Græcis bonis uidisse latina non bona. Et ubi Basilium Magnum de superbia taxat, & ubi in epistolis Augustini dicit se quædam hæretica legisse: ita fortè, & in hoc quòd potius uelit, illa quæ Origenem demonstrat catholicum esse, ficta & adulterata, quàm illa quæ eum comprobant hæreticum ei penitus non adhærere. Nec impium est, nec fidei apparet pernicioſum, ad quam uidetur potius confirmandam facere Origenis patrocinium, & testimonium adimere hæreticis, quàm ad infirmandam iuxta illud, quod in Pamphili libro his uerbis scribitur. Illud contemplari debuerant, quantã ridendi materiã, quantãq; hæreticis præbeãt, cum eos quos assertores Christiani dogmatis & defensores putant, confutari nũc uideant, & refelli à proprijs, & uelut ciuili bello, gaudeant impugnatũ, quem ipsi hostiliter impugnare non poterant. Fuerunt autem & ex probatis doctoribus Ecclesiæ, etiam Hieronymo posterioribus, qui in hac fuerunt sententia, quòd hæreses illæ non fuerint de mente Origenis, sed ei falso ascriptæ ab hæreticis. Vnde Aaymo, unus ex nobilibus & antiquis doctoribus Ecclesiæ, in libro de Christianarum rerum memoria, sic dicit. Ergo sane, de Origene uiro tam illustri, abstinentissimæ uitæ, & castissimæ, preclaræ doctrinę, puri & lucidi sermonis, salua fide patrum dixerim, quòd hæc omninò non scripserit, sed ab hæreti-

cis ob præclarum nomen eius obfuscandũ, malignè conficta sunt, & conscripta, & nomini suo prætitulata. hæc ille ad uerbum. Hæc dicta sunt de primo articulo examinando, & inquirendo, utrum fuerint hæreticæ illæ duæ opiniones Origenis, néc ne? qua in re, sicut in alijs omnibus, ecclesiæ iudicium, aliorum omnium iudicio & rationibus, semper antepono. Pro secundo articulo uidetur rationabilius ideò excusandus Origenes, quòd si quid scripsit, quod à catholicis non acceptetur, in illis scribendis, neque dogmaticè neq; assertiuè, sed dubitatiuè semper, & inquisitiuè procedit. quare sicut licet in Augustini libris, super Genesim, multa sint quę nõ acceptantur, tamen propterea excusantur à nobis, quòd ut ipsemet dicit in libro Retractationum, plura in eo libro sunt quæsita quàm inuenta: ita & multa esse possunt, in libris Origenis reprobanda & damnãda, quæ quia ipse non determinando, sed inquirendo dixit, nõ propterea hæreticus est dicendus, quando hæresis assertum propriè dicit dogma, contra expressam uel scripturæ ueritatem uel ecclesiæ determinationẽ. Quòd autem sic semper locutus sit Origenes, ex multis patet locis. Nam & post disputationem de anima inquit: Hæc iuxta nostram sententiam non sint dogmata, sed quæsita tantum atq; proiecta, ne penitus intractata uiderentur. & alibi loquens de resurrectione inquit. Si hæc non sunt contraria fidei & cætera: & infra. Triplex ergo suspicio nobis de fine suggeritur, è quibus, quæ uera & melior sit lector inquirat: tum tres subiungit opiniones de resurrectione: & in præfatione librorũ in Genesim inquit. Si profundum aliquid occurrerit, de hoc dicendũ quidem est, sed nõ tamen affirmatiuè: & infra. Nos de rebus magnis quę supra nos sunt, ignorãtiã nostri nõ ignoramus. & super epistola ad Romanos lib. 2. Hæc ea lege dicta sint à nobis, ut si qui melius & rationabilius dixerint, illa magis quàm hæc nostra teneãtur. Et lib. 4. Hæc prout potuimus, in locis tàm arduis & tàm difficilibus prolata, si quis forte animi nostri studium consideret, amplecti poterit: si uerò infirmitatem sensus nostri notare uelit, ueniam petimus, & ei qui melius de his differere uel explanare potuerit, libenter cedimus: & alibi. Probet autem qui legit, quid horum magis sensui conueniat Apostolico, & illud teneat: & libro quinto. Hæc interim nobis in præsenti loco occurrere potuerunt, si quis autem melius aliquid senserit, non pigeat his obmissis illa respicere. & quid plura? Legatur liber Periarchon, uidebimus illũ hoc ordine procedere, quòd primo potuit illa quæ sibi expresse uidebant in scripturis esse determinata, & in illis nihil aberrat ab ecclesia. alia dicit sibi esse dubia, & de illis uelle inquirere, de omnib. asserẽs, illam solum recipiẽdam esse ueritatem, quæ in nullo apostolicis & ecclesiasticis dogmatis aduersetur. Pro tertio articulo, qui est quasi confirmatio secundi, dico istam propositionem, quòd si sit aliquis habens erroneam opinionem de rebus fidei, adhuc per ecclesiam non determinatis, modo in uoluntate eius nulla

sit ma-

sit macula, sed firmum propositum, de illis credere semper consonæ scripturæ & Ecclesiæ, ille nec peccat mortaliter, nec hæreticus propriè est dicendus. Ex qua propositione, sequitur correlariè, possibile esse, quòd opinari aliquam opinionem, aliquo tempore sit peccatum mortale, quod non erit alio tẽpore: & hoc est, quia potest quis sine pertinacia credere aliquid uno tempore, quod alio tempore nõ crederet sine pertinacia, utputa, post determinationem Ecclesiæ, aut sacræ scripturæ dilucidationem. de oppositio crediti, attestat sententia omnium doctorũ, dicentium: Quòd non præcisè error intellectus, facit hominem hæreticum, sed oportet quòd sit malicia & peruersitas in uolũtate. Ideo dicebat Augustinus: Errare possum hæreticus esse non possum. Cõfirmatur hoc ex determinatione uniuersalis Ecclesiæ, quæ multos canonizauit, qui tamen usq; ad mortẽ perseuerauerunt in erroneis opinionibus de fide, & deinde per ecclesiã pro hæreticis reprobatis, quas opiniones nusquam legitur ab illis fuisse retractatas. Tales fuerunt Papias Episcopus Hieropolitanus, Victorinus Pictauensis, Hireneus Lugdunensis, beatus Cyprianus. & multi alij, quos scimus errasse in fide, & eorum opiniones pro hæreticis condemnatas, & tamen ipsi habentur in canone sanctorum, ex quo sequitur, ut necessariò dicendum sit, quòd uel illi etiam, quòd decesserint in illis opinionibus erroneis in fide, non tamen decesserint in peccato mortali. uel quòd ecclesia errauerit in eorum canonizatione, quod si dixerint (ut etiam dixit quidam ex his qui me impugnabant) respondens, Quòd illi fortè non erant benè canonizati: iam non ego, sed ipsi sentiunt contra determinationẽ uniuersalis Ecclesiæ. Ex hac autem propositione infero, ad propositum Origenis sic: Quòd dato etiã, quòd Origenes multas & plurimas habuerit opiniones erroneas in fide, hoc præcisè, si in uolũtate eius nulla fuit macula, aliquo modo non potest esse argumẽtum, quòd anima eius sit damnata. Vt sic arguatur, Aut quantumcunq; magnus error, de quibuscunque rebus fidei, sit in intellectu alicuius, modo in uoluntate nulla sit macula, non impedit salutem eius, aut quantumcunque paruus, & de quacunq; re sit impedit, aut aliquis impedit, & aliquis non impedit. Si quantumcunque magnus sit nõ impedit, ergo etiã, quòd Origenes & in multis errauerit, & in principaliorib. illa tamen, si fuit uoluntas eius benè disposita, & nullo modo maculata, nihil impediuit eius salutẽ. & ita qui uolunt conuincere damnationem eius, non sufficit quòd ostendant errores eius, & perseuerãtiam in eis: sed oportet, quòd ostendant perseuerantiam, cum pertinacia, aut negligentia, uel alia malicia uoluntatis. Si quantumcunq; paruus sufficit, ergo error de rebaptizandis hæreticis, debuit impedire salutem Cypriani, & hæresis illorum, qui dicuntur Chiliastæ, debuit impedire salutem Papiæ, qui fuit author illius hæresis, & cum illa decesserit: & si sic ergo male ab ecclesia fuerunt canonizati. Si aliquis impedit, & aliquis non, dicant

opor-

oportet, qui sunt illi errores qui impediunt, & qui non. & ubi unquam inuenitur facta ista distinctio ab Ecclesia, ut uerbi gratia dicatur, habere errorem in his, quæ pertinent ad talem uel talem articulum, etiam si sit præcisè debilitas & defectus intellectus, & non sit aliqua peruersitas, negligentia, nec pertinacia, nec quæcunq; alia malicia in uoluntate, est peccatum mortale. habere aũt errorem in his, quæ ad talem uel ad talem materiam pertinent, non est peccatũ mortale, nisi sit in uoluntate defectus, & si non inueniatur facta talis distinctio, aut ab ecclesia, aut à doctoribus: nec uideãtur fieri posse, rationabiliter apparet nõ ualere dictum quorundã dicentium, aliam esse rationem de Cypriano & Papia & similibus, & alia de Origene. quia Origenes errauit in principalibus, nam quamtũcunq; magnus sit error, modo sit solum error in intellectu, & in uolũtate nulla sit malicia, non uidetur, quòd taliter errans peccet mortaliter. quapropter cum talem maliciam, in uoluntate Origenis nõ legamus fuisse, dato, quòd etiam in principalibus fidei mysterijs, errauerit grauissimo errore, & merito per ecclesiam damnato, non potest conuinci ipsum esse damnatum in se, & in anima sua. Quod si quis dicat, multos esse gradus propositionum credendarum, præter istum gradum propositionum, scilicet determinatarũ per ecclesiam, & quòd etiam, si non sit pertinacia, signum tamen est pertinaciæ, asserere aliqua, quorũ opposita tenetur asserens, explicita fide tenere & credere, & quòd non solum culpabilis est mortaliter, error propter pertinaciam, sed etiã quandoq; culpatur propter negligentiam inquirẽdi ueritatem, quæ negligentia non est pertinacia saltem propriè dicta, uidetur ad hoc rationabiliter posse responderi. Primò, quòd Origenes de negligẽtia inquirendi in hoc ueritatem, culpari nõ potest, quia ut benè dicit Hieronymus in perscrutatione scripturarũ, diebus sudauit & noctibus. secundò, quòd in nullo errauit Origenes, quod ipse tunc sic teneretur explicita fide credere, quòd oppositum asserens non dogmaticè, sed ut sibi probabilius uisum est, hæreticus dici possit: & hoc euidẽter probo, ex dicto quodam ipsius Hieronymi supra allegato: ubi enim Hieronymus dicit, quòd etiam si in Clementis Apostolorũ discipuli, & aliorum talium inueniãtur aliqua uitiosa, non tamen propterea istos statim hæreticos iudicaret. Subiungit quadruplicem causam. Primò, quòd poterunt libri esse corrupti. secundo quòd alio sensu scripserint. tertiò q; simpliciter errauerint. quarto quòd minus cautè locuti sint. in quibus uerbis, debemus aduertere, quòd dato quòd liber Clementis, in quo dicit Filium Dei esse creaturam, non sit depravatus. & dato quòd author alium sensum nõ intenderit, adhuc statim Clemens non est iudicãdus hæreticus, quia potuit simpliciter errasse: quid est ergo simpliciter errasse, nisi errasse ex intellectus defectu, & erroneo rationis iudicio, & non ex malicia uel peruersitate uoluntatis, quòd si in illa hæresi, quòd filius sit creatura, quæ est maxima, etiam quæ obijciatur Origeni,

geni, potest quis simpliciter errare: quia non stet de ipsa adhuc alia ecclesiæ determinatio, uel per maiorem scripturarum dilucidationẽ certior uerificatio, in qua hoc demum fieri non poterit, & si tùnc illud Clemens non tenebatur sub pœna peccati mortalis, explicita fide credere, quid possumus dicere, obligatum fuisse Origenem credere explicitè, de his in quibus dicitur errasse? Notandum est autem, quòd quia hæresis esse potest, & in uerbis malè & inordinatè prolatis, ut dicit Augustinus, & in sensu. Ideo dans Hieronymus modum excusandi, qui in utroque errauerit, cõiunctim uel diuisim, ex solo intellectus & non uoluntatis defectu, dicit, uel minus cautè locutum fuisse, & hoc si in uerbis appareat hæresis. uel simpliciter errasse, & hoc si sensus hæreticus sit, à simplici & recta uoluntate, sed à debili & errante intellectu prolatus, & benè notanda & pensitanda sunt ista uerba Hieronymi, quia in eis utile & sanum de hæretica pertinacia dogma rectè fundatur. Pro quarto articulo, quidam dicentes Origenem pœnituisse, allegant plãctum Origenis, sed iste liber Apocryphus reputatur: ut habetur in Decretis 15. di. Ego autem testimoniũ allego ipsius Hieronymi, quòd pro Apocrypho haberi non potest, qui expressè Origenem de erroribus suis pœnituisse testatur: quod non ideo affero, quia hoc sit necessarium, rationabiliter ad credendam Origenis salutem, ut patebit sequenti articulo, sed quia isti Magistri nunquam clamare destiterunt, Ostendo tibi Origenem errasse, ostendas tu mihi eum pœnituisse: nũquam hoc ostendes, nunquam inuenies scriptum Origenem pœnituisse de his quæ scripsit. audiant ergo reuerendi Patres, Hieronymum ipsum, cuius authoritate Origenem fulminant, in apologia sua ad Pammachium & Occeanum: in qua se ostendit, doctrinam Origenis non dogma sectatum, postquàm Origenis recitauit errores, hæc uerba subiungentem. Ipse Origenes in epistola quam scribit ad Fabianum Romanæ urbis episcopum pœnitentiam agit: cur talia scripsit, & causas temeritatis in Ambrosium refert, quòd secreto edita in publicum protulerit. hæc Hieronymus ad uerbum. Quid clarius? quid expressius? quomodo iam, aut qua fronte dicere possunt, nusquam inueniri quòd Origenes pœnituerit? Dicam autem, & quia incurrit, quid mihi his diebus cum duobus ex his, qui hanc conclusionem damnabant, in simili proposito contigerit. Cum enim ego ut Origenem de pertinacia defenderem, cuidam multum insistenti, determinatum ab ecclesia, Origenem pro pertinacia in anima damnatum. dicerem, ex Græcis habere historijs, Origenis dogmata, post mortem eius, post multos annos fuisse damnata: remisissemqúe illum, si libros domi non habebat, ad Episcopum Tragurienſem, uirum non minus doctrina & moribus, quàm sua dignitate præstantem: apud quem ego Græcum librum uideram, in quo de concilijs multa erant aggregata: dixit ille bonus Pater, Quid me ad Græcos remittis, quem scis Græcas

literas

literas penitus ignorare? Petamus, inquit, Latinas. nónne habemus Fasciculum temporum, qui de his rebus elegantissime tractat? Afferatur, dixi ego, iste Fasciculus, quanquam subiunxi. Si mihi quasi hoc Fasciculo supposito, ignem ut hæretico pares, abigam ego protinus, & tuũ fasciculum in malam crucem. neque enim illi ulla fides. Excãduit ille ac si Trinitatem blasphemassem. ne excãdescas, inquam, afferatur fasciculus, nec me quaso si solutis fascibus iam uelis cedere. allatus est, & in eo de Origene hæc legimus. Origenes doctor egregius, ac sanctitate uitæ incomparabilis, clarissimus in Ecclesia Dei: & post pauca in fine dicit. Grandis labyrinthus à diuersis texitur de Sansone, Salamone, Traiano, & isto Origene: an uidelicet saluati sint an non? quæ quia sine periculo nesciuntur, nec etiam Ecclesia certificata est de his, domino totaliter committenda sunt. hæc bonus Fasciculus. quibus lectis, cũ audisset ille de damnatione Origenis, nõ esse certificatam Ecclesiam, mirum ut expalluit, & apud quem probatissimorum fasces nihil poterant, potuit tantùm iste Fasciculus, ut sententiam illicò commutarit? Sequenti die compellans me acrius quidam alius, manusatis grandem gestãs librum: Quomodo, inquit, aut qua omninò uia audes tu, ab æterno ignis supplicio Origenem defendere? ecce ego tibi ostendã, cui non poteris testimonio contradicere: Qui dicit, Origenem non posse defendi. producas, dixi ego, uenerabilis homo, si habes tuos testes. tũ inquit ille. Hic est testis quidam magnus, & nomen subiunxit. ego uero nomen uolo subticere: cuius hi sunt sermones & prædicationes. Tunc ego: Quos mihi affers sermones, quas nugas? nugas ille respondit? iam excandescens totus, nugas, inquam, in quibus etiam in ista materia, si de ea habet sermonẽ (absit enim ut ego similia unquã legerim) nisi expressissimus aliquis inueniatur error, iam uolo tecum Origenis caput Ixionis rota perfringere. Impatiens & iam ille, & bili exæstuans, aperit librum, & legere incipit furens uoce altissima. Feria quarta, sermo 11. de Origenistis. tum in persequutione eorum quæ scripta erant, ad singula uerba exclamabat. Hic ne error? & ecce, dum sic ad Stentoris inuidiam uociferatur, hæc legit in libro scripta: Deniq; Hieronymus sex millia librorum Origenis legisse se fatetur. & dum statim perlecto hoc iterum clamat, hic ne error? hîc, inquam, error, & quidem magnus, hîc apertum mendacium, hîc falsitas expressa: & ut compescerem illicò hominem, iubeo afferri epistolas Hieronymi, & statim accurrens ad secundum librum inuectiuum cõtra Ruffinum, ostendo ei Hieronymum, Ruffino dicenti, Epiphanium papam iactare se, legisse sex millia librorum Origenis, his uerbis respondẽtem. De sex millibus autem libris quos ab eo lectos esse confingis, quis credet, aut te uerum dicere, aut illum potuisse mẽtiri? si enim Origenes sex millia scripsisset libros, poterat fieri, ut uir eruditus, & ab infantia sacris literis institutus, pro curiositate & scientia legisset aliena: quod uerò ille non scripsit,

quomo-

quomodo legere potuit. Numera indicem librorum eius, qui in tertio uo lumine Euſebij, in quo ſcripſit uitam Pamphili, continent, & nō dico ſex millia, ſed tertiā partem non reperies: hęc ad uerbū Hieronymus. Erubuit ille, & ſalua fuit res mea. Sed redeamus iam ad propoſitū, cōcludendo, uel cum Ruffino & alijs, quos ſupra in primo articulo recitauimus, debemus cōcedere, Origenē nunquā peccaſſe. uel ſi cū Hieronymo ipſum peccaſſe omnino cōtendimus, ſciamus, & cū ipſo nobis concedendū, Origenē pec cati ſui, proprio ad Romanū epiſcopum libello dato, pœnituiſſe. Ego aūt poſtquā mecū diligenter perpendi, & examinaui ea, prę cipuė quæ ab Eu ſebio, & Ruffino, & Hieronymo de Origene dicūtur, coniecto Origenem diū in præſcrutatione ſcripturarum elaborantem, de multis arduis & prin cipalibus theologiæ quæſtionibus, ambiguum fuiſſe, cum nō certė & in dubitatė ſibi ipſe uideretur, de illis, ex ſcripturarum teſtimonio, poſſe ali quid aſſerere. & propter hoc, de multis fidei myſterijs, fortė multa dixiſ ſe, inquirendo & diſputando, in prioribus ſuæ ætatis annis, quæ catholi ca fides non reciperet. propterea Origenem, qui ut ipſe dicit, ſuam igno rantiam non ignorabat, & ueritatem illarum quæſtionum, ſe nondū con ſequutum planė cognoſcebat, ante ſuæ ætatis 40. annum, nunquam à no tarijs excipi publicė uoluiſſe, quę in Eccleſijs prædicabat, ut refert Euſe bius. Aduertamus ergo, quòd Euſebius 26. cap. 6. libri Eccleſiaſticæ hi ſtoriæ, ſcribit Origenem tertio anno Imperij Philippi imperatoris, & ſub Fabiano pōtifice, cum iam ipſe 40. annum ageret, cœpiſſe dicta ſua etiam literis publicė committere: & aduertamus, q̄ ſupra 17. capite dicit, quòd ſub Vrbano pontifice, cui ſucceſsit Pontianus, iam ante tempora Fabiani, Origenes conſcribendi commentarios in ſcripturas ſanctas initium ſu mit, compellente ſe Ambroſio, & multa ui precū obſecrationumq̄ cogen te: qui, inquit Euſebius, maximė dignus uidebatur, cui iſtud impēderetur officij, & cui quicquid arcanum & abſconditum, in ſacris literis tectum eſt, panderet. Ex quibus duobus locis Euſebij, in quib. apparet, quaſi con tradictio, colligitur euidēter, quod urgēte Ambroſio dictauerit quędam, in prioribus annis, antequam ueri adhuc aliquid comperiſſet, ipſi tantum Ambroſio priuatim communicanda, & non in publicum edenda, ut quę bene tuta & ueritati apoſtolicæ conſona non cognoſcebat, Ambroſius au tem illa ſecreto edita, in publicū protulit: comperta, deinde per Origenem iam ſexagenarium, catholica ueritate, cœpit iam audacter, quia & catholi cė, publice ſcribere, & ea quę ad priuatum Ambroſij uſum ſcripſerat, iam per illum edita fuiſſe uehementer indoluit, ad quę, ſui purgationem, ut ex uerbis Hieronymi & Euſebij cōiecto, rei totius ſeriem, Fabiano Rom. epi ſcopo ſcribens, de ſua catholica fide, teſtimonium perhibuit, narrans ſcili cet, quę antea ab eo inueniuntur ſcripta, ſe non ſcripſiſſe ut ederent. de qui bus & ipſe dubius erat, catholica ne eſſent an non catholica? ſed Ambro

ſium illa edidiſſe. hoc eſt enim, quod dicit Hieronymus, ipſe Origenes, in epiſtola quam ſcribit ad Fabianum Romanæ urbis epiſcopum, pœnitentiã agit, cur talia ſcripſerit, & cauſas temeritatis in Ambroſium refert, quòd ſecreto edita, in publicum protulerit. Euſebius aũt narrans quæ ſcripſerit, poſt 60. annum, poſtquã librum contra Celſum, & libros 25. Commentariorũ in Matthæũ, & 20. in prophetas cõnumerauit, ſubiungit: Scripſit & ad Fabianũ Romanæ urbis epiſcopum, & ad alios quamplurimos, eccleſiarũ principes, de catholica fide ſua. hæc ille. Sit ergo uerũ quòd ante ſexageſimũ annũ, fuerit de multis fidei myſterijs dubius Origenes, & ſit uerum, quòd ſecreto in ſcriptis multa cõmunicauerit Ambroſio, quę tunc non firmiter adhærendo, ſed dubitatiuè inquirendo opinabatur, nũc à catholicis non recipienda, & ita uerum dicat Hieronymus, ꝙ quę in multis Origenis libris inueniunt, etiam nõ catholica Origenis ſint, quia uerè ab ipſo fuerunt dictata, licet non ut credita, & ut quæſita potius, quàm inuenta: & conſequẽter Origeni, cui catholica fuit poſtea ueritas comperta, culpabiliter nõ adſcribenda, in quibus & multa ab hæreticis fuiſſe adinuẽta, iuxta Ruffinum, pro uero etiam accipere poſſumus, maximè de hoc ipſo conquerente Origene, dum uiuebat. Sit ergo uerum iuxta Euſebium in eccleſiaſtica hiſtoria, à Hieronymo tanquam uera approbata, Origenẽ non habere pro ſuis operibus, id eſt in quib. diffinitiuè aliquid & adhæſiuè dicat, niſi quæ poſt ſexageſimũ annum ſcripſit: ſitꝙ uerum, etiam ſecũdum Hieronymum de prius ſcriptis, temerè ab Ambroſio editis, ipſum pœnituiſſe, & conſequenter catholicum mortuũ eſſe, ut non ſolum ſecũdum Ruffinum, Pamphilum, & Euſebiũ, ſed etiã ſecundum Hieronymum rationabilius ſit credere, ipſum eſſe ſaluũ, quàm credere ipſum eſſe damnatum. Pro quinto articulo dico, hanc propoſitionem, quantũcunqꝫ aliquis grauiter in uita mortaliter peccet, & cõſtet ipſum mortaliter peccaſſe, niſi cõſtet de eius finali impœnitẽtia, temerariũ eſt, uerè aſſerere ipſum eſſe damnatum. patet ueritas huius propoſitionis, ex cõmuni ſententia omnium Doctorum, in dicta propoſitione conſentientiũ. ex qua propoſitione infero, duas propoſitiones correlarias, Prima eſt hæc: Non propterea quia aliquis in uita mortaliter peccauerit, & nobis non conſtet, quòd non pœnituerit, iudicandũ eſt, firmiter à nobis, eſſe illũ in inferno. patet, quia poſito peccato mortali, tantum non ponitur totũ illud, ad quod ſequitur damnatio æterna: ſed oportet ultra peccatum ponere, & certificari de finali impœnitẽtia. Nec ego, qui nego firmiter eſſe credendum, illum eſſe in inferno, habeo oſtendere tibi pœnitentiam illius: ſed tu, qui aſſeris illum eſſe damnatum, habes certificare de impœnitentia: & pro hoc multum facit dictũ Henrici de Aſsia, qui in expoſitione 3. c. libri Geneſis, dicit hęc uerba formalia. Si ergo argumentum quorundam eſſet efficax, quo aliquem damnatum eſſe, ſicut de Salamone perſuadẽt, per hoc quòd ſcriptura eius

peccatum commemorat, & nullam de iustitia aut pœnitẽtia eius mentionem facit, tunc ita primum hominem ex peccato suo damnatum conuinceretur, sicut primum angelum: hæc Henricus. nusquam enim habeẽ mentio de pœnitentia Adam, sed solum de peccato. Similiter Iudicum. 8. legitur de peccato Gedeon, & non de pœnitentia: & tamen à doctoribus bene creditur, de eius salute. dicere & tu potes, quòd per hoc etiam argumentum, quidam decepti erroneè dicebãt, quòd Moyses erat damnatus, quia legebatur peccatum eius in Aquis contradictionis, & de eius pœnitentia nihil habebaẽ expressum, & tamen dixit Deus Iosuæ: Moyses seruus meus mortuus est. Secunda propositio correlaria est hæc, Nemo potest esse certus, quòd aliquis sit damnatus ad infernum, nisi hoc habeat ex speciali reuelatione Dei, uel ab his quibus crediẽ Deus reuelasse. patet ueritas huius, ex præmissis propositionibus, quia nemo potest esse certus de finali pœnitentia, uel de impœnitentia, nisi ille qui nouit secreta cordis, & cui ille uoluit reuelare, cũ enim nullus de statu alicuius ita sit certus, sicut ipsemet de se, ꝙa, Quæ sunt hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis qui in ipso est. ut dicitur 1. ad Cor. 2. &, De seipso homo non potest esse certus, utrum sit dignus odio uel amore: ut dicitur Ecclesiastes 9. quantò magis, non poterit esse certus de alio, nisi de hoc habeat specialem reuelationem. Ex hac autem propositione principali, cum suis correlarijs, infero ad propositum meæ conclusionis, quòd dato etiam, quòd Origenes in illis erroribus errando, peccauerit mortaliter, tamẽ cum incerti sumus de eius finali impœnitentia, uel pœnitentia, asserere ipsum esse damnatum, temerariũ est omnino iudicium, & reijciendum. Cum ergo nec de salute possumus esse certi, nec de damnatione, pium est tamen, & ualde rationabile, credere ut dixi ego, quòd Deus eũ saluauerit hominẽ, talis ac tantæ scientiæ, de quo Hieronymus in præfatione Cantici canticorum, Cum in cæteris omnes alios superauerit, in hoc seipsum superauit. & de ipso illud uerificatur. Introduxit me rex in cubiculum suum. & alibi imitari uolens ex parte Origenem, quem post Apostolos ecclesiarum magistrũ, nemo nisi imperitus negat. & alibi: Origenes tanto scripturarum labore sudauit, ut iustè Adamantij nomen acceperit: & post quædam hæc subiungit. Quis unquam tanta legere potest, quanta ipse conscripserit? & pro hoc sudore, quid accepit præmij? Damnaẽ à Demetrio episcopo, exceptis Palestinæ & Arabiæ & Phœnicis, atq; Achaiæ sacerdotibus, in damnationem eius consentit urbs Roma ipsa, cõtra hunc Senatum cogit, non propter dogmatum nouitatem, non propter hæresim (ut nunc aduersus eum rabidi canes falso simulant) sed quia gloriam eloquentiæ eius & scientiæ, ferre non poterant. hoc quare scripserim, & ad pauperis lucernæ igniculum cito, sed nõ cauto sermone dictauerim, potestis intelligere, si Epicuros & Aristippos cogitetis. hæc Hieronymus ad uerbum. quæ uerba, singula quæso, ô ingenioſe lector,

ctor, diligenter attende: & ex eis, ea per te intelligas, quæ ego nõ exprimo. In præfatione autem Hebraicarum quæstionum, de eodem loquens Origene: sic inquit. Hoc unum dico, quòd uellem cũ inuidia nominis eius, habere etiam scientiam scripturarum, floccipendens imagines umbrasq; laruarũ, quarum naturę esse dicitur terrere paruulos, & in angulis garrire tenebrosis. Præterea quæ de eodem Hieronymus prędicat, quòd auaritiam calcauit, quòd castrauit se zelo Dei, licet non secũdum scientiam, quòd in explanatione scripturæ diebus sudauit, & noctibus, quam Qui dilucidã uitãm æternam habebunt, ut inquit Sapiens. & ut scribitur ad Vigilantiũ: Prophetarum obscura disseruit, & tàm noui quàm ueteris Testamenti reuelauit maxima sacramenta. Prætereo quòd non solum martyris fuit filius, sed & ipse parum à martyrij merito abfuit, nam dicit Eusebius, quòd & adhuc puerulus, in tantum ardorem capessendi martyrij exarserat, ut spontè se periculis ingereret, & tempore deinde Decianæ persequutionis, nouas cruces, noua pœnarum genera, ac sæculis omnibus inaudita tormenta pertulit, Ita ut mille mortibus (inquit Eusebius) uexatus sit, ne tantum una ei, quã exoptabat accideret persecutore summo studio hoc agente, ut nec interitus præstaretur, nec pœna cessaret. Videte quàm parum absit à laude martyrij, quam plurimi eius discipuli, ipso duce & cohortatore sunt cõsequuti, parum dico iterum profectò abfuit à laude martyrij, imò meritum quasi æquale meritus est. Nam dicit & Augustinus in libro de Bono coniugali: Non est impar meritum martyrij in Ioanne, qui passus non est, & in Petro qui passus est. nota bene hæc uerba Augustini. unde sicut Ioannes licet non transiret per gladium, tamen paratus fuit sustinere martyrium, quando fuit missus in feruentis olei dolium, ita & Origenes, licet mortem martyrio non subierit, tamen paratus fuit, imò audiuimus illam subire, & tot passus est tormenta, ut dicit Eusebius, ut mille mortes, pro una subierit. & hoc est quod dicit Bernardus in sermone sanctorum Martyrum, Quòd est triplex martyrium: martyrium uoluntatis tantum, martyrium operis tantum, martyrium operis & uoluntatis. martyrium uoluntatis tantũ, passus est Ioannes Euangelista: cui dictum est & germano eius. Matthæi 20. calicẽ meũ bibetis. Vnde Cyprianus in seruis Dei, apud quos cogitatur marryrium, & mente concipitur, animus ad bonum deditus, iudice Deo coronat. Aliud est enim martyriũ deesse animo, aliud animũ deesse martyrio. Si ergo martyrio Origenis animus nũquam defuit, & mille mortes pro una subijt, quomodo à iudice Deo coronatũ, non credamus? si non mentitur martyr Cyprianus. & si dãnatus est, quis quæso ad gehennæ mortem eum damnauit? an Christus Iesus, pro quo toties ipse mori uoluit? quin potius sicut dicit de ipso Cypriano Augustinus, quòd sanguis martyrij, in eo omnẽ hæreseos maculam abluit, ita & de Origene effusum ab eo, non tam supra terram extrinsecus, q̃ super zelo Dei et

charia

charitate ardentem cœlestem animam suam, intrinsecus martyrij sanguinem omnem, hæreseos maculam abluisse piè credamus: dicentes cum Dauid, beatus Origenes, qui & si aliquando in concilio errantiũ abijt, in uia tamen peccatorum, per impœnitentiam non stetit, & in cathedra pestilentiæ, per pertinaciã nunquam sedit: sed in lege domini fuit uolũtas eius, & in lege eius meditatus est die ac nocte. Beatus Origenes, cui remissæ sunt iniquitates, per baptismum, & eius tecta sunt peccata per pœnitentiam, et cui non imputauit dominus peccatum propter martyrium. deniq; talem ac tantum uirũ, etiam si aliquando ex ingenij defectu, & non ex aliqua uoluntatis malitia, in fidei mysterijs errauerit, credamus à domino, in suis nouissimis non fuisse derelictum, sed potius uisitatione suæ clementissimæ misericordiæ, & de secretis fidei, si in aliquibus errabat, illuminatum, ab erronea ad salutarem uiam reuocatum fuisse. Et hoc ego intellexi in breui responsione mea, cum alias dixi, ex quo non inuenitur fuisse pertinax, uerisimile est credere, quòd Deus eum saluauerit, id est uisitando eum uisitatione, quam dixi in statu salutis digno clemẽtissimè collocarit, & de secretis fidei, in quibus errabat, ipsum illuminans, ad salutarem de illis pœnitentiam aduocauerit. quod utrũ fuerit an non fuerit, scire certitudinaliter nemo potest, nisi fuerit ei desuper reuelatũ: sed ita fuisse potius, quàm non fuisse credere, consideranti acta & uitam Origenis, magis cõsonum uidetur, & sic rationabilius. nam & rationabiliter in dubijs, fauorabiliori parti semper est adhærendũ. Et hæc sint dicta, ut quæ ualere possint, quando de ipsa Origenis pœnitentia non constaret, de qua tamen constare ex beatissimi Hieronymi testimonio. supra in prȩcedentib. apertissimè ostendimus. Pro sexto articulo dico, quòd non uidetur credendum, q; Ecclesia unquam determinauerit, animã Origenis ad inferos esse dãnatam. Veritatẽ huius propositionis probo duab. rationibus: prima ratio est hȩc, de illo cuius altera uel altera pars, determinari certitudinaliter nisi temerariè non potest, non debet credi factam esse determinationem ab Ecclesia. Sed de hoc quæsito, utrum Origenes saluus sit, an damnatus? determinari altera pars, nisi temerè nõ potest, saltem absq; reuelatione speciali Dei. ergo cum de tali reuelatione non constet, non debet credi, de hoc factam esse ab Ecclesia determinationem. Maior est nota, & oppositũ eius esset iniuriosum Ecclesiæ, credere, scilicet quòd aliquid ab ea possit inconsultè & temerè iudicari. Minor patet ex supradictis articulis. confirmatur, quia certificari non poterat Ecclesia, de damnatione Origenis, nisi per specialem reuelationem Deo factam: sed de tali reuelatione, quòd fuerit facta, nusquam habetur mentio ergo &c. Secunda ratio est hȩc, quia si quid est, quod persuadeat ecclesiam determinasse de damnatione Origenis, sunt quidam textus Decretorum, qui hoc uidentur sonare, grosso eos modo interpretantibus, qui tamen cum rectè examinantur, contra eos potiùs, quàm pro ipsis

faciunt: sunt aũt textus quos afferunt fermè isti. Primo quòd di. 15. c. Sancta Romana ecclesia, sicut scribit per Gelasiũ papam. Item, Origenis nonnulla opuscula, quæ uir beatus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. reliqua autem omnia cum authore suo dicimus esse renuenda. Et 24. q. 3. c. Sanè. Item, si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ, uel superius aliquis recurrerit, & Origenẽ inueniet post mortẽ anathematizatum, quod etiã in eo facit, & uestra sanctitas. Et Iulius religiosissimus antiquioris Romæ, & glo. ibi. Cũ iste damnatus fuerit, nónne & eius scripta, utiq; extra. de hæreticis. ca. fraternitatis. ibi autem sic scribitur. Cũ Celestinus atq; Pelagius, in Ephesina synodo sint dãnati, quomodo poterũt illorum capitula recipi, quorum damnantur authores? ex istis authoritatibus credunt aliqui, conuinci damnationem animæ Origenis, ad inferos. Ego aũt dico, nihil plus haberi per præmissa, nisi quòd Ecclesia, & opiniones, & dogmata Origeni attributa, ut hæretica damnat, & ipsum sic ut dogmatizantem damnat, & detestatur de damnatione animæ eius, aut salute nihil penitus intendens, & quòd hoc sit uerũ, patet multis rationibus. primò, quia ad Ecclesiam non pertinet damnare animas hominum aut saluare, quia ad illum attinet solummodo, qui iudex est uiuorum & mortuorum: quare ridiculum est si in decretis legitur. Damnamus Origenem: exponere, id est animam eius damnamus, damnatione infernali. & patet etiam euidenter, ex modo loquendi ipsius Gelasij, qui dicit, reliqua opuscula eius, cum authore suo dicimus renuenda. hoc enim uerbum renuere, nullo modo importare potest, id quod ipsi intendunt, sed nihil aliud iutendit Papa, nisi hoc, quod scilicet non acceptantur opuscula eius, ut Autẽtica in Ecclesia, nec ipse similiter ut probatus Doctor, & cuius dictis sit credendum, in Ecclesia recipitur. quod si etiã Papa non solum dixisset, Renuimus: sed etiam damnamus, nihil esset pro eis, quia sic etiam solemus dicere, in hoc Scotus damnat Thomam. Herueus Scotum, & sic de reliquis, in quibus semper loquutionibus, de damnatione doctrinæ, & non animæ ex ipso usitato & proprio loquendi modo, debemus intelligere. Secundò arguo contra eos ex glosa, quam ipsi allegant, quæ dicit, Si ipse damnatus, nónne & eius scripta? quæro ergo ab istis, si fiet hæc consequentia: Ipse Origenes est damnatus, ergo & eius scripta damnata. quomodo in antecedente capitur L'i damnatus, si sic capitur, id est in sua doctrina non approbatus, & ut dogmatistes non acceptatus, habeo propositum: si autem intelligatur, damnatus in anima sua infernali damnatione, tũc nihil ualet consequẽtia. possibile enim est multos doctores, quorum scripta catholica sunt, & pro catholicis quotidiè leguntur esse in inferno, quia stat aliquem in fide nihil errare, sed rectè sentire de omnibus articulis, & tamen esse in alio peccato mortali, & in illo decedere. & omnino impertinens est damnatio animæ, ad damnationem doctrinæ. quia illa attenditur penes maliciam uoluntatis. Ista

tis, Ista autem, penes defectum intellectus. quare nec ualet: Iste est in paradiso. ergo dicta eius sunt catholica. Nam & Papias est in paradiso, & Hireneus, & Victorinus, & Cyprianus, & multi alij, quorum tamen dicta, in multis, quæ nunquam reuocasse leguntur, ut hæretica reprobant. Confirmo hoc, ex dicto illo, ad quem se refert glosa de hæreticis, Extra. c. fraternitatis. ubi dicitur: Si Celestinus atque Pelagius in Ephesina synodo sunt damnati, quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnantur authores? certum est autem, quòd in illa synodo, Celestinus & Pelagius nõ fuerunt dãnati, in se, id est in anima sua, sed in sua doctrina, tũ quia aliter ut dictum est supra, damnare homines Ecclesia nec cõsueuit, nec potest: tùm quia de eo debemus intelligere sententiatũ, de quo prius est quæsitum & disputatum. sed in illa synodo, ut ex actis Concilij, patet, non fuit quæstio, Vtrum animæ Celestini & Pelagij essent in paradiso uel in inferno? sed an dicta eorum, & dogmata essent catholica an non catholica? quare & de hoc, id est, de eorum dogmatum ueritate, & de authorum ipsorum, ut sic dogmatizantium approbatione, uel reprobatione, debemus intelligere sententiatum. Tertiò, stultum est dicere, quòd Ecclesia determinauerit Origenis animam esse damnatam: quia non sicut consueuit Ecclesia Canonizare aliquos. ita etiam consueuit damnare, id est sententialiter decernere, quòd sint in inferno. & ratio quare hoc consueuerit, & non illud est, quia ad decernendum, quòd aliquis sit saluus, oportet nos certificari, quòd ille decesserit in gratia, cuius rei indicia, licet tamen nõ certa habere possumus, non ex his quæ egit in uita (quia illa non sufficiũt, ex quo, dum est in uia semper merendi & demerendi est locus, & mutandi se de uno proposito ad aliud) sed habemus signa post mortem, ut sunt miracula uel aliquid simile. tale autem aliquod signum, ex quo damnationem alicuius conuincamus, post mortem alicuius habere, quòd possumus nõ est facile inuenire. imò sine dubio, haberi aliud signum non potest, nisi specialis de hoc reuelatio, quæ si contingeret, uel cõtigisset, profectò sicut Ecclesia, cum aliquem canonizat de miraculis suis testatur, & de alijs propter quæ mota est ad canonizationem, ita etiam, cum aliquem damnaret, specialis reuelationis de hoc factæ, mentionem faceret, ne temerè aut inconsultè sic uideret decreuisse: quod tamen de Origene nusquam narrat ecclesia. debemus ergo intelligere, damnatum Origenem ab Ecclesia eo modo, quo ex his quæ de eo narrat, & testatur, uidetur uenisse damnãdus: sed de eo nihil aliud narratur, nisi quòd errauerit in mysterijs fidei, & ad hunc errorem non sequitur absoluta dãnatio Origenis in se, sed solum in scriptis, & in doctrina sua, ut patet ex præcedẽtibus. & sic debemus ipsum iudicare damnatũ ab Ecclesia & non aliter: postquam & pertinacẽ non fuisse eũ, contra Ecclesiæ determinationem, in illis opinionib. scimus, quia concilia in quib. dãnatæ fuerũt illæ opiniones, fuerũt multò post mortẽ Origenis,

ut patet ex hiſtoriis Græcis & Latinis. & an impœnitens etiam illarũ fuerit, ſcire nullo modo poſſumus, imò uel nõ ſcripſiſſe illa, uel ſi ſcripſit pœnituiſſe, ex Hieronymo ſupra probauimus. Pro ſeptimò articulo dico, iſtam propoſitionem, quòd non tenetur ſecundum doctrinam ſancti Thomæ, quilibet fidelis de neceſsitate fidei credere, illum eſſe in inferno, quẽ eccleſia iudicauit & ſententiauit eſſe in inferno. Veritas propoſitionis ſic deducit̃, quia tanta eſt fides adhibenda eccleſiç in damnatione alicuius, quãta eſt adhibenda in canonizatione ſanctorũ. ſed dicit Thomas ultimo articulo quolibeti noni, Quòd ſanctos canonizatos ab eccleſia, non tenemur de neceſsitate fidei credere eſſe in gloria, ſed ſolum de pietate fidei. ergo, & damnatos ab eccleſia non tenemur neceſſario credere eſſe in inferno, ſed ſolùm piè ſic eſt credendum. Fundamẽtum autem Thomæ eſt, quia in his tantum tenemur de neceſsitate ſalutis eccleſiæ credere, quæ ad ſubſtãtiam fidei pertinent. quia in illis, ſpiritus adueniens, docet eam omnem ueritatem. Vtrum autem anima huius uel illius ſit in inferno, uel in paradiſo, nihil attinet ad ſubſtantiam fidei, ſed tamen quia honor, quem ſanctis exhibemus, quædam profeſsio fidei eſt, qua ſanctorum gloriã credimus, ideo, licet de neceſsitate ſalutis, ad hoc non teneamur, piè tamen ſic eſt credendum. Ex hac propoſitione infero, ad propoſitũ meæ concluſionis, quòd etiam ſi Eccleſia determinaſſet Origenem eſſe damnatũ, adhuc de neceſsitate fidei catholicæ nõ tenemur, aſſentire quòd ita ſit. Ex quo patet, quòd etiam ſi uerum eſſet, quod ipſi contra me adducunt, quòd ſcilicet Eccleſia, oppoſitum cõcluſionis meæ determinaſſet, adhuc malè ab eis iudicatum fuiſſet, quòd concluſio mea hæreſim ſaperet. Videant ergo iſti Magiſtri, quòd non rectè adhuc, ſi etiam ſint uera, quæ ipſi contra me adducũt, eſt determinatum ab eis, contra meam concluſionem: & caueant ne noua credenda, fidelibus pro ſua authoritate inſtituãt, & ea eſſe de fide determinent: audiantq; illam prohibitionẽ Domini, Deuteronomij quarto. Non addetis ad uerbum, quod ego loquor uobis. quod dictum non ſolum damnat iſtos, qui authoritate ſua, noua credenda prioribus ſuperaddãt, ſed quia etiam catholicam ueritatem, pro hæretica refellunt.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE LIBERtate credendi diſputatio.

SIcut nullus præciſè, ſic opinatur, quia uult ſic opinari: ita nullus credit, ſic eſſe uerum præciſe, quia uult ſic credere. Ex hac concluſione correlariè infero iſtam. Non eſt in libera poteſtate hominis credere articulum fidei eſſe uerum, quando ſibi placet, & credere eum non eſſe uerum, quando ſibi placet. Iudicauerunt iſti Magiſtri, quòd propoſitio cum ſuo correlario eſſet erronea & hæreſim ſapiens. ego autem reputo, concluſionem principalem eſſe, non ſolùm catholicam, ſed ueriſsimam, & longè ue-

gè ueriorem ſua oppoſita: & idem dico de correlario ſanè intellecto, cuius ſenſus, ſi ſecundum mentem meam accipitur, non eſt aliter accipiendus, quàm ut ſequitur ex principali concluſione, cuius ponitur eſſe correlariũ. Quod autem concluſio non ſolum ſit catholica, ſed etiam ſit ueriſsima, patet, nam pro prima eius parte, quæ eſt, quòd nullus opinatur aliquid ſic eſſe præciſè, quia uult ſic opinari, eſt Ariſtoteles, ſecundo de Anima textu Commenti 253. ubi Ariſtoteles ponit differentiam, inter imaginationem & opinionem. & hæc Ariſtotelis ſententia, non ſolum non eſt reprobata, ſed imò ab omnibus noſtris Theologis unanimiter approbata. Secunda autem pars concluſionis, quæ eſt, Quòd nullus credit aliquid eſſe præciſè uerum, quia uult credere id eſſe uerum, eſt Auguſtini in pluribus locis, qui hoc ſæpius dicit, Quòd non poteſt aliquis credere ex libero arbitrio, id eſt ex mero imperio uoluntatis, ſine rationis perſuaſione aut motiuo, & totam concluſionem meam, in qua ſummariè tenetur iſta opinio, quòd propoſita aliqua propoſitione dubia, ad hoc, quòd aliquis eam credat uel diſcredat, non ſufficit mera apprehenſio terminorum, & merum imperium uoluntatis. tenent Petrus de Alliaco, Henricus Haëta, & Henricus de Aſsia, & quando ego fui Pariſius, tenebat ferè tota uniuerſitas Pariſienſis, cum pluresq; etiam catholici doctores, ita habent pro uera, ut ſuam oppoſitam habeant pro impoſsibili, imò ego, adhuc non legi doctorem cõtradicentem, huic opinioni. Correlaria autem propoſitio, non aliter eſt intelligenda & accipienda, quàm cum reſtrictione uel determinatione poſita. in antecedente, ſic uidelicet, quòd non eſt in libera poteſtate uoluntatis, credere articulum fidei eſſe uerum, quando cunq; placet, & credere eum eſſe falſum, quando placet, ita quòd non præciſè ex eo, quòd uoluntati placet, ut intellectus credat, ipſe credit, nec talis intellectus unius propoſitionis, per aliam ei concatenatam eſt inuſitatus: imò in ſcriptura ſacra, ſæpè ſumitur intellectus literæ, per præcedentia uel ſequentia: quod maximè in caſu noſtro debet fieri. quia ergo hoc dictum, non eſt in poteſtate noſtra &c. Non pono, tanquam dictum per ſe, & concluſionem ſeparatam, ſed pono tanquam correlariam ex præcedenti: quod ſi non placet eis accipere intellectum præſentis correlariè, ex ſua principali, cui ipſa annectitur, & concatenatur, attẽdant, quòd dupliciter dicitur, aliquid eſſe in libertate, uel in libera poteſtate uoluntatis. uno modo: Quia poſita apprehenſione in intellectu, nullo alio actu intellectus requiſito, in poteſtate imperatiua uoluntatis ſit, ponere actum illum, & ſic negatur in hac cõcluſione, quòd actus credẽdi, in libera eſt poteſtate hominis, nec oportet omnem actum præcepti, aut meritorium, uel demeritorium taliter eſſe in poteſtate hominis, ad credendũ enim non ſufficit, apprehenſio terminorum articuli, ſed ultrà requiritᵗ perſuaſio, aut aliqua ratio probabilis, ut allegatũ eſt ex Auguſtino. Alio modo aliqd dicitᵗ eſſe in libera poteſtate uoluntatis,

quia

quia omnibus alijs positis, quę requirunt ad hoc, quòd ille actus sit, potest uoluntas illum ponere in esse, & non ponere: nec ad istum actum necessitatur uoluntas, etiam quibuscunq; alijs positis. & hoc modo actus credendi articulum, est in libera potestate uoluntatis: iste est intellectus correlarię propositionis, & ex dictis potest quilibet, qui habet intellectū, cognoscere, quòd non benè isti Magistri absolutè dixerunt, illam esse erroneā & hæresim sapere. Quod autem probabilis rationabilisq; sit opinio illorum doctorum, quos ego sequor, qui scilicet dicunt, ad causandum assensum fidei, non sufficit sola apprehensio terminorum, cum imperio uoluntatis, potest euidenter patere, non solùm authoritate Augustini, multis ut dixi hoc in locis affirmantis, sed etiam efficacissimis rationibus. & primo arguitur sic. Non est in libera potestate hominis, opinari sic uel sic esse cum uult. ergo non est in libera potestate hominis, credere sic uel sic esse cum uult. patet consequentia. Quia, si de quo magis uidetur inesse, & nō inest, ergo &c. sed minus est adhærere alicui, cum formidine ad oppositum, quàm sine formidine. ergo antecedens est expressum ab Aristotele, in 2. de Anima textu commenti. 153. & patet per experientiam. quia quilibet in se experitur, quòd oblata ei propositione dubia, si est ei merè dubia ad neutram partem opinandam per assensum inclinatur, donec ei noua superuenerit apparentia, uel per sylogisticam rationem, uel per intuitiuam noticiam, uel per testimonium multorum, uel per authoritatem dicentis, uel aliud simile. Secundò, sic arguitur, Non est in potestate hominis, libera, facere apparere aliquid suo intellectui esse uerum, & facere apparere non esse uerum. ergo, non est in potestate hominis, sic uel sic credere esse, uel non esse uerum, tenet consequentia: quia est contradictio, aliquem credere aliquid, & assentiri illi, & illud ei non apparere esse uerum. Assumptum probatur, quia hoc uel hoc apparere, tale uel tale intellectui, est hoc uel hoc taliter uel taliter representari intellectui. & hoc non potest dependere ex imperio uoluntatis, quia hoc præcedit actum uoluntatis. Confirmatur, quia hoc apparere tale intellectui est, quia obiectum, quod representatur est tale. & euidentia, uel aliud quicquid sit illud, quod id facit credibile, uel nō credibile, est tale & intellectus est talis. sed facere obiectū esse tale, uel intellectum esse talem, nō est in arbitrio uoluntatis. Ergo, rem talem uel talem apparere intellectui non est in imperio uoluntatis. Tertiò, sic arguitur: Quotiescunque est aliqua potentia merè neutra & indifferēs, ad duos actus secundos oppositos, non potest exire in aliquem illorum, nisi determinetur prius, per aliquid, quod sit actus primus, uel se habeat loco actus primi, respectu alterius illorum actuum secundorum. sed ita est, quòd intellectus est potentia merè neutra, & indifferens ad specificationem alicuius actus sui secundi: ergo ad nullam talem specificationem, poterit determinari, nisi adueniente aliquo alio, quod sit uel actus

primus

primus, uel se habẽs loco actus primi, respectu talis determinationis. Tũc sub ista ratione assumo, istam consequentiã, Merus actus uoluntatis, non potest se habere, ut actus primus, respectu specificationis actuum intellectus: ergo, per imperium solum uoluntatis, nõ poterit intellectus determinari ad talem specificationem. nota est consequentia ex præassumpta ratione. & antecedens patet, ex communi sententia omniũ Doctorũ in hoc consentientium. Quòd licet actus intellectus, quo ad exercitiũ, dependeat à uoluntate, non tamen quo ad specificationem. His sic præceptis, arguo sic ad propopositũ. Actus, qui est assentire, & actus qui est dissentire, sunt actus habentes rationes specificas oppositas. ergo, ad assensum uel nõ assensum, non poterit determinari intellectus, per imperium uoluntatis. Ergo, ad hoc, quòd aliquis per intellectum credat articulum fidei esse uerum, uel nõ credat, non est per hoc præcisè, quia sic uult, uel nõ uult credere, sed ex aliquo alio, intellectum ex se neutrum, ad talis actus specificationẽ determinante. Quartò, sic arguitur: Ad illud credendum, non determinatur homo præcisè, per actum uoluntatis: de quo interrogatus, cur illud credi derit, non assignabit præcisum actum uoluntatis. sed ita est, quòd interrogatus aliquis, Cur credat potius Christianę fidei, quàm fidei Mahumetensium: non assignabit præcisè actum uoluntatis: ergo non per præcisum actum uoluntatis, inclinatus est ille ad credendum: quod autem nõ assignetur merus actus uoluntatis, patet ex experientia, & ex dictis nostrorum Theologorum, à quibus communiter illa octo allegantur. cur euãgelio debeamus credere: Scilicet pronunciatio prophetica, scripturarum concordia, authoritas scribentium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas contentorum, irrationabilitas singulorũ errorum, Ecclesiæ stabilitas, miraculorum claritas. Quinto, sic arguitur: Quotiescunq; aliqui duo determinantur ad credẽdum oppositа, & quilibet illorum præcisè per hoc determinatur, quia uult sic determinari, indifferente ad hoc omnino iudicio uel suasione rationis, non potest dici, quòd rationabilius iste moueatur ad credendum quàm ecõtrà. sed datis duobus, quorum alter uult credere A esse uerum, & alter non uult credere. est dicere, hunc uel illum uelle rationabilius, & alium irrationabilius. ergo illi, ad sic uel sic uelle, non determinant, quia præcisè sic uolunt. Maior huius rationis est nota, quia ut inquit Albertus in 3. de Anima. cũ uoluntas sic agit præcisè quia, uult sic agere, assimilatur tyranno, in cuius actione non quæritur ratio acti, quia ipsius agere, non est secundum rationem agere, sed agere pro libito. Minor est manifesta: Quia quotidie dicimus Mahumetistas uel Iudæos irrationabiliter in hoc agere, quod non credunt, & nos rationabiliter, quia credimus: quòd si causa præcisa, quare ego crederem, ille non crederet esse præcisè, quia ego uellem, ille non uellet, uterque esset actus tyrannicus uoluntatis, & in neutro appareret maior uel minor rationabilitas,

tas, imò & in neutro rationabilitas, sed mera potestas, & imperium tyrannicum uoluntatis. Et ex dictis in isto argumento, patebit istis Magistris, intellectus breuium uerborum, quæ dixi in responsione mea, de actu tyrannico uoluntatis. Multæ aliæ possent & pro ista opinione rationes adduci: sed non est propositi mei, hîc tractare istas materias, & propositas quæstiones discutere, sed solum ostendere determinationem, conclusiones meas non esse hæreticas. Et licet pro defensione cõclusionis meę ista sufficiant, uolo tamen & hoc dicere, quòd fuit etiam aliquis Doctor, cuius ego, ut de me fatear damnationem in hoc articulo adhuc nusquã legi, qui simpliciter tenuit, quòd actus credendi non esset liber. hoc enim assertiuè tenuit Robertus Holcoth subtilissimus Doctor, ordinis Prædicatorum, in suo primo sententiarum. Et cum arguitur, quòd sequeret actum credendi uel non credendi, non esse meritorium aut demeritorium, dicit, Hanc obiectionem nullam esse & friuolam: quia non ideo aliquis actus est meritorius, quia liber, sed quia conformis est alicui legi, pollicenti præmium pro eodem actu, ipsi facienti uel alteri. & consequenter dicit, Actum credendi, non ideo esse meritorium, quia liber, sed quia conformis est legi diuinæ, quæ pollicetur tale præmium, scilicet uitam æternam cuilibet credenti. posse autem Deum hanc legem mutare, & statuere, quòd quicunq; cras ceciderit super lapidem angularem, ex improuiso sit saluus: & tũc casus ille esset meritorius uitæ æternæ, quia actus nostri non ideo sunt meritorij, quia liberi, sed quia à Deo acceptantur ad uitam æternam, qui Deus ita potest acceptare actus naturales, sicut actus uoluntarios. & sic uidet acceptasse mortem innocentium, ad uitam æternam, in quibus nullus fuit usus liberi arbitrij. nec sic faciendo Deus irrationabiliter facit, quia sua uoluntas est sufficiens ratio eorum omnium, quæ statuit uel ordinat. Vnde concludit Holcoth, Quòd si capiamus credere, pro eo quod est cum assensu firmo adhærere, his de quorum ueritate non constat nobis, nisi ex testimonio aliorum (iuxta quem modum definit Augustinus in Omelia super Ioannem dicens. Quid est fides, nisi credere quod non uides?) Quòd talis actus credendi, non est in libera potestate hominis: si autem capiatur credere, pro eo quod est assentiri quibuscũq; reuelatis à Deo, & testificatis per miracula, & uelle uiuere, & operari secundum ea, tùm quia hoc credere includit, tàm actum intellectus, quàm uoluntatis, concedit de eo quod est liberum: iuxta quem modum definiens Augustinus in Omelia super Ioannem, dicit, Credere in Deum, est credendo amare. credendo in eum ire credendo, ei adhærere & suis membris incorporari, & de hac credulitate dictum est. Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iusticiam. de prima autem dicitur: Dæmones credunt, & contremiscunt: prima est meritoria, secunda non est meritoria. Et cum dicitur: Quòd fides non est nisi in uolentibus, dicit Holcoth: Quod est intelligendum de fide formata, iuxta

hunc

hunc ſecundum modum, quæ eſt fides operans per dilectionem: non aũt de fide primo modo accepta, qa per miracula uiſa, uult ipſe poſſe fidelem neceſsitari ad credendum. quam opinionem ego non credo eſſe ueram, & poſt quæſitum ſuum, idem doctor reexaminando nonnullas ſuas opiniones, dicit, Quòd licet ſtante euidentia in ratione, quòd aliquid non ſit credendum, uoluntas neceſsitetur ad credendum, tamẽ quia ſic neceſsitatus, fuit ſibiipſi cauſa talis neceſsitatis, ideo imputatur ei ad peccatum. Dicit autem fuiſſe ſibi cauſam, quia obmiſit conſiderare & perſcrutari diligenter, & diſcutere illa, quæ ſibi falſam fecerunt euidentiam, quod ſi feciſſet, non ſic apparuiſſet eſſe intellectui, ſed aliter, & ideo cõcludit, Quòd cum quis male credit, aut diſcredit ſuum primum peccatum eſt negligẽtiæ. hęc eſt opinio Roberti Holcoth de Libertate credendi, quæ nunquam mihi apparuit bona uel probabilis. Conſiderent autem iſti patres, an & iſtum Doctorem ſimul cum Durando, Henrico, & alijs pro hæretico ab eccleſia anathematizent?

IOANNIS PICI MIRANDVLAE, DE ACCIdentibus in ſacramento, diſputatio.

QVi dixerit, Accidens exiſtere non poſſe, niſi inexiſtat Euchariſtiæ, poterit ſacramentum tenere, etiam tenendo, panis ſubſtantiam non remanere. Hanc quidem concluſionem non dixerunt iſti Magiſtri eſſe hæreticã, uel hæreſim ſapere, ſed ſolum eſſe erroneam: cuius opinionis ſuæ, ſi rationes aliquas attuliſſent, poſſem ego illis aut credere aut reſpondere, ſed ipſi nec in huius, nec in aliarum concluſionum damnatione, ullas adduxerunt rationes, quas ego uiderim. Dico autem pro declaratione concluſionis, quòd per hanc concluſionem, non intendo cathegoricè & abſolutè dicere, Accidens non poſſe eſſe ſine ſubiecto, aut in ſacramento de facto eſſe in ſubiecto, imò cum Eccleſia firmiter teneo, quòd accidentia ſacramentalia, de facto ſint ſine ſubiecto: ſed dico, Quòd ille qui diceret, accidentia non poſſe eſſe ſine ſubiecto, & teneret cum Thoma, diſtinctionem realem exiſtentiæ panis ab eſſentia, poſſet dicere, non repugnare diuinæ omnipotentiæ, ſaluare exiſtentiam panis ſine eſſentia eius, Sicut actum tàm ſubſtantialem quàm accidentalem conſeruat Deus, ſine ſua potentia, & conſequenter in iſto eſſe panis, ſubiectare accidentia, nõ manente ſubſtantia panis. ad quæ quidem accidentia, habere poſſet corpus Chriſti præſentiam realem, ſicut & nunc habet ad accidentia, quæ in nullo ſubiectata ſunt. Et quicquid ſit de ſacramento Euchariſtiæ de facto inſtituto à Chriſto, & ab Eccleſia credito, in quo concorditer tenet, quòd nihil panis remanet, adeò quòd ſua reproductio eſſet creatio, tamen tenendo prædictam opinionem Thomæ, de diſtinctione reali eſſentiæ ab exiſtentia, & capiendo ſacramentum Euchariſtiæ ampliatiuè, ad id, quod eſt, uel poteſt eſſe, ut capitur in concluſione mea, quę eſt

modalis, diuisa, non solùm præsens conclusio est probabilis & non c. ro-
nea, imò erroneum est dicere, quòd non possit esse aliquod Eucharistię sa-
cramentum, in quo accidentia essent in subiecto. Nec scio, per quam logi-
cam uiderunt isti Magistri damnari unã diuisam de possibili, propter fal-
sitatem unius de inesse, ex eisdem terminis constitutæ: mirorq; q̃ nesciãt,
quòd est fallacia consequentis, arguẽdo à minus amplo, ad magis amplũ,
cum destructione magis amplí. ac si quis diceret, Nullus homo est in do-
mo: ergo, Nullus homo potest esse in domo. Similiter enim arguũt ipsi in
damnatione huius propositionis, in nullo sacramento Eucharistię, quod
de facto existit, uel de facto est institutũ à Christo accidentia sunt in subie-
cto: igitur, In nullo sacramẽto, quod est, uel potest esse, aut institui à Chri-
sto, accidentia possunt esse, sine subiecto. ex dictis patet, quàm malè cõclu
sio prę̃sens de possibili, damnata sit pro erronea, ab istis patribus, qui de-
bent meminisse, quod fuerint etiã ex catholicis doctoribus, qui tenerẽt de
facto, Accidentia in sacramento altaris, subiectari in existentia substantiæ
remanentis. Est enim una uia theologorum ut refert Petrus de Palude, in
4. di. 12. q. 3. qui dicũt, quòd sicut qualitas hîc remanet naturaliter, quia re-
manet suũ immediatum subiectũ, quod est quantitas, licet tollatur suũ re-
motum, quod est substantia: & sic ipsa qualitas non subsistit, sed inhæret,
sic etiã quantitas caret quidem suo subiecto remoto, quod est essentia sub-
stantiæ, sed habet suum subiectũ, proprium & propinquum, quod est esse
substantiæ, quo mediante inest substantiæ: quia id esse possibile, est rema-
nere essentia nõ remanẽte, imò dicũt ipsi, Necesse est ipsum remanere, con
siderato modo, quo desinit hic esse: & quidem, q̃ hoc fit possibile, dicunt
patẽre, quia licet essentia sit prior esse, ex quo uideretur, cũ sit prius posse
separari esse, à posteriori: quod magis potest separari, & fieri essentia sine
esse, quàm econtrà. tamen considerando ex alia parte, q̃ essentia se habet
ad esse, sicut potentia ad actum, & sicut materia ad formam, quia actus ni-
nus dependet à potentia, quàm econtrà. sicut uidetur magis factibile esse
sine essentia, quàm econtrà. sed Deus in incarnatione uerbi, fecit essentiam
humanitatis sine esse suo, ut dicit à multis doctoribus. ergo multo magis
potest hic facere, esse substãtiæ panis sine essentia, ut sicut est ibi assumpta
essentia & manet, non autem esse & non manet. ita hîc cõuersa potest esse
essentia, & non manere, & non conuersum esse, & manebit. Secundo
ostendunt, quòd non solum istud sit possibile, sed necesse: quia nihil crea-
tum potest conuerti in increatum, sed unũ creatũ, potest conuerti in aliud,
quando communicant in materia, & in genere, aliter non, sicut accidens
non conuertitur in substantiã, nec in accidens alterius prędicamẽti, secun
dum communẽ opinionem. essentia aũt panis, cũ essentia corporis Chri-
sti conuenit in materia & genere, unde una potest conuerti in aliã, etiã per
naturam, si corpus esset mortale: sed esse panis, non cõmunicat in materia,
nec in

nec in genere cum esse corporis Christi substantiali, cũ illud sit increatum diuinum, quod est suppositi diuini, cum in Christo non sit, nisi unum esse actualis existentiæ substantialis. ergo, est impossibile esse panis conuerti, & necesse est, ipsum remanere. Ego sum in opinione, quòd non sit necesse ipsum remanere, tùm quia si non potest conuerti, potest tamen annihilari, uel potest corrumpi, cedendo in potentiã materiæ. ita, quòd sicut humanitas potuit assumi, non assumpto esse, sed manente in potentia materiæ, sic essentia, potest conuerti, non conuerso esse, sed redacto in potẽtia essentiæ: licet ut uerum fateamur, istæ redactiones facilius dicantur quàm intelligantur. Item licet esse panis, non possit conuerti in esse increatum. potest tamen conuerti in essentiam creatã, quia quæ communicant in materia, sunt inuicem transmutabilia, dato quòd non communicent in materia propinqua, sed solum in remota, sicut elementum potest cõuerti in animatum & econtrà. esse autem panis, & essentia corporis Christi conueniunt in materia prima, quæ est utriusq; potentia remota, licet non conueniant in propinqua: quia materia est pura potentia, essentia autem est potentia cũ actu, imò si illa ratio ualeret, concluderet, quòd de omni cibo, quẽ Christus ante passionem sumpsit, sola essentia in ipsum conuersa fuerit, & non esse. sed remansit, uel aliter quàm per conuersionem corruptum fuit. quia esse substantiale Christi, erat increatum ante resurrectionem, sicut post. Itẽ dicunt aliqui, quòd sicut aqua, quæ de potentia ordinata, non potest cõuerti in sanguinem Christi, prius conuertitur in uinum, & postea totũ in sanguinem, sic esse, si non potest de potentia absoluta cõuerti in aliquid Christi, prius natura conuertitur in suam essentiam, transiens in eam, sicut forma quę cedit in potentiam materiæ. & post illa essentia tota, conuertitur in essentiam, & sic nõ necesse est, esse remanere. Sicut autem mihi uidetur erroneum dicere, quòd necesse sit, esse remanere, ita nihil minus erroneum dicere, quòd non potest remanere.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE, DE VERbis Consecrationis disputatio.

ILla uerba, Hoc est corpus: quæ in consecratione dicuntur, materialiter tenentur, & non significatiuè. Dixerũt isti Magistri, quòd hæc conclusio est scandalosa, & contra communem opinionem sanctorũ Doctorum, & quòd opinio glosatoris, in hoc non tenetur. Ego autem dico, quòd sua determinatio est scandalosa, & contrà communem opinionem multorum doctorum, & quòd glosatoris potiùs, quàm eorum opinio in hoc est tenenda: & quòd ita sit patebit euidenter, habito intellectu conclusionis. Est ergo primò aduertendum, quòd non intendo ista uerba fuisse materialiter accipienda, cum proferebantur à Christo, sed solùm quando proferuntur à sacerdote Euangelico consecrante. & ideo dixi in conclusione, Verba quæ in consecratione dicuntur, id est quæ nunc à consecran-

tibus proferuntur. Certum est autem, quòd sacerdos in consecrando, recitat prædicta uerba Christi, ita quòd oratio prolata à tali sacerdote, supponit pro oratione prolata à Christo significatiuè sumpta. & talis opinio, non solùm non est erronea uel scandalosa, sed potiùs uidetur opinio, prædicto sensui opposita esse, contraria formæ consecrationis, in qua sacerdos dicit illa uerba recitatiuè: Recitat enim sacerdos consecrans, Christum dixisse apostolis. Accipite & manducate &c. sacerdos autem consecrãs, nec loquitur Apostolis, nec dicit eis Accipite &c. nisi recitatiuè. ipse enim solus recipit sacramentum, neque etiam assistentibus loquendo dicit, Accipite & manducate &c. Similiter cum dicit, Hoc est corpus meum. id quod recitatur à sacerdote, est illa oratio: Hoc est corpus meum. materialiter sumpta, pro simili oratione & ex similibus uocibus composita à Christo significatiuè prolata: quod etiã patet per illa uerba, quæ dicuntur ante uel post consecrationẽ sanguinis, scilicet. Qui pro uobis & pro multis effundetur &c. Essent enim falsa, si significatiuè sumerentur, eo quòd sanguis Christi ammodo non effundetur, ergo illa uerba solum recitatiuè sumuntur. Quid autem recitatur, nisi uox prolata ab alio, pro qua supponit uox ipsius recitantis, & propterea uox ista alterius uocis recitatoria, est materialiter sumenda. Item etiam si non recitatiuè, sed significatiuè caperentur ista uerba, denotaretur sanguis Christi effundi pro alijs, & nõ pro consecrante. cum dicitur Qui pro uobis & pro multis effundetur. deberet enim dici potius, Qui pro nobis &c. quæ non ideò dico, quòd credam oppositam etiam opinionem non posse defendi, sed ut pateat meam conclusionem, non solum esse catholicam, sed etiã sua opposita probabiliorẽ. Ex quibus patet, quòd præsens conclusio non est scandalosa, sed probabilis, & opinio solennis glosatoris de consecratione di. 2. c. Timorẽ. in hoc non est reijcienda, sed approbanda, sicut nec per Ecclesiam usque ad hæc tempora, unquam fuit reiecta.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE MIRAculis Christi disputatio.

MIracula Christi non ratione rei factæ, sed ratione modi faciendi, suæ diuinitatis argumentum sunt certissimum. Quam conclusionem declarando, ego dixi, Quòd quia est firma scientia theologorum, quòd ea miracula quæ Christus fecit, possent à puro homine in uirtute Dei fieri. Dicit enim Christus. Ioannis 14. Amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum faciet. ideò etiam ab ipsismet Theologis, unanimiter cõcluditur, quòd id' ex quo possumus concludere Christum fuisse Deum, non est ipsa res facta, sed modus faciendi: quia taliter agebat, qualiter agunt, qui uirtute propria & non aliunde accepta agunt, quod est proprium Dei independenter, scilicet, & non aliena uirtute agere, qui modus agendi, creaturæ communicari non

cari non potest: quia ergo taliter multa egit Christus, non orando, scilicet nec petendo, sed præcipiendo & imperando, tanquam potestatē habens, patet, quòd ut ipse existens Deus, & non in Dei uirtute existens homo operabatur. Hac uisa declaratione mea, dixerunt, Conclusio potest trahi ad malum sensum, quia continetur inter Magicas, dato, quòd sua declaratio sit uera. De quo eorum iudicio, ita miror, ut mirari magis non possim: primò ipsi mihi dicant, an apud aliquem rectè mea uerba, & ex recto usitatoq; modo loquendi interpretantem, alium habere possit sensum conclusio mea, præter eum quem dixi? quid enim his uerbis clarius? quid expressius? Miracula Christi non ratione rei factæ, sed ratione modi faciendi, suæ diuinitatis argumentum sunt certissimum. Secundo, dicant mihi, an hæc sit recti iudicis sententia. Hæc conclusio, licet sit uera & catholica, damnanda est tamen, quia ad malum sensum trahi potest. Ergo & damnanda ista, Christus eijciebat dæmonia, propter hoc, quòd Iudæi eam trahebant ad malum sensum, dicentes, Quòd in Belzabub principe dæmoniorum eijciebat dæmonia illa. Et damnanda ista: Pater maior me est: quia Arrius ex ea inæqualitatem filij ad patrem cogitauit. Et damnanda ista: Non cognouit eam, donec peperit primogenitum filium suum: quia Eluidius ex ea, contra uirginitatem perpetuam Mariæ, hæresim est opinatus: Et damnanda ista. Illam diem neq; filius nouit: quia ex ea, aliqui plura scire uolunt patrem, quàm sciat filius. Quid plura, damnandæ ferè omnes propositiones Euangelicę, quia ab hæreticis ad malū sensum trahi potuerunt: quando, & propositionem meā, in ijsdem terminis positam, in quibus à multis ponitur Catholicis doctoribus, ideò damnare debemus, etiam quòd sit uera, quia aliqui ad malum eam sensum trahere possunt. profectò si qui eam malè interpretātur, illorum sensus qui malus est, damnandus est, non meus qui sanctus atque catholicus. Tertiò dicant mihi, Quis est iste malus sensus, quem posset facere. dicant si sciunt, certè etiam non est, dicere, si quis uelit aut cogitare, ex illa propositione malum sensum, si quis enim esset, is esset fortè, quòd aliquis suspicaretur, me uelle dicere, quòd eadem miracula quæ fecit Christus, quantum ad rem factam, per Magiam possent fieri, sed hoc non licet suspicari de conclusione mea, quia immediatè ante ipsam ego pono aliam conclusionem, Quòd miracula Christi non potuerunt fieri per uiam Magiæ uel Cabalæ. alius malus sensus, qui possit inueniri uel excogitari, ego non uideo, dicant ipsi si possunt. Quartò dicant mihi, quæ est hęc consequentia, an teneat de materia, an de forma? Est inter Magicas, ergo damnanda. profectò similis est forma argumentandi illa, qua utebantur etiam, cum à principio damnare conabanē conclusiones Magicas. sic enim arguebant. Istæ conclusiones sunt intricatæ, & non intellectæ à nobis. ergo, damnandæ: ô miram & inauditam redarguendi formam: iam taceant, qui dicunt de incognitis nō posse

fieri iudicium, cum iam sit decretum, ea maximè esse damnanda, quæ maximè sunt incognita. Sed redeamus ad propositū. Est, inquiunt, inter Magicas, ergo, est damnanda. dicant mihi ipsi, Vtrum magicæ conclusiones bonæ sint an malæ? si malæ, adhuc malè per eos est iudicatum: Christus enim innuit in parabola de zizanijs, non solum non esse respuendum triticum propter admixtas zizanias, imò ad saluandum triticum innuit, non esse eradicandas zizanias ante messem. Si bonæ? cur bonam conclusionem, inter bonas positam (ipsi si boni sunt uiri) ipsos damnare debuerūt?

IOANNIS PICI MIRANDVLAE AN DEVS intelligat disputatio.

MAgis impropriè dicitur de Deo, quod sit intelligens, uel intellectus, quàm de angelo, quod sit anima rationalis. Quam conclusionem ego declarando, dixi, quòd conclusio innitebat modo loquendi Dionysij, qui sæpè dicit de Deo, quòd non est intellectus, neque intelligibile: & similiter dixi, mea uerba eo modo esse accipienda, quo accipiebant uerba Dionysij. Dixerunt illi, quòd cōclusio erat falsa, & adhæreticū sensum poterat transferri, & quòd non satisfaciebat eis mea declaratio. de qua sua determinatione, non parum miror, miror, inquam, si sunt sapientes, quòd dicant conclusionem esse falsam, quæ sit non mea, sed Dionysij conclusio. Et ut clarius mentem meam intelligant, declarabo breuiter fundamentum & conclusionis & loquutionis ipsius Dionysij. est ergo aduertendum, quòd sicut ratio dicit, noticiam discursiuam hominibus propriam, quæ quidem ratio impropriè diceret esse in Deo, ita similiter dicit Dionysius, intelligere esse noticiam appropriatam angelo, causatam ab angelo, & intellectu angelico, & ipsum informantem, & intaliter immutantem: & tale intelligere, dicit non esse in Deo. nec sic capiendo intelligere, potest trahi conclusio ad malum sensum, quia nō propterea negat Dionysius in Deo esse cognitionem omnium. sed ista magis distat ab intellectione, propriè capta modo prædicto, quàm homo ab angelo. Cum autem dicitur Deus intelligit, capitur intelligere generaliter pro omni cognitione, & breuiter hoc sciant, quòd per hanc conclusionē non intendo, negare de Deo cognitionem omnium perfectissimam, sicut nec quamcunque perfectionem simpliciter, imò nec intendo negare Deum intelligere, capiendo intelligere communiter: sed nego istud intelligere, quod dicit iuxta modum loquendi Dionysij, noticiam angelo appropriatam: sicut & ratio dicit, noticiam homini appropriatam, iuxta quod etiam impropriè dicetur esse ratio in Deo. At inquiunt, tu dicis, quòd magis impropriè dicitur de Deo, quòd sit intellectus, quàm de angelo, quòd sit anima rationalis. hoc autem est falsum, quòd de angelo nullus unquam diceret, quòd esset anima, de Deo autem dicitur sæpissimè, quòd est intellectus. quare illa est magis impropria loquutio. Miror de doctrina istorum

rum patrum, & multiplici lectione sacrarum rerū, qui dicunt quòd nunquam de angelo, nec propriè nec improdriè dicatur, quòd sit rationalis. Sed legant Augustinum in lib. de Musica, in libro de Vera religione, & in actis contra Fortunatum, & in libro de Cathechizādis rudibus: nam in istis omnib. locis, memini ego angelos ab Augustino, animarum nomine nuncupatos, qui tamen nec omnia uidi, nec omniū possum meminisse locorum, in quibus fortè legi apud sacros Doctores, angelos, hoc nomine uocatos. nam etiam res est, quæ cum legitur, non sit digna multa attentione. Cum autem ego dixi, magis impropriè dicitur de Deo, quòd sit intellectus. nihil aliud intendebam, nisi quòd noticia angelica, quæ intellectualis noticiæ nomen sibi appropriat, magis distat ab infinita noticia Dei, quæ omnia per essentiam cognoscit, quàm distet à noticia rationatiua, animæ rationali uel homini appropriata. Si uerò ex præsenti conclusione inferatur, quòd Deus impropriè dicitur intelligere, sicut comparatiuus infert positiuum, accipiatur consequens illatum, solum in hoc sensu. Deus non secundum propriam, uel appropriatam acceptionem, huius dictionis intelligere, dicitur intellectus &c. sed secundum communem uiam minus propriam, ut patuit, ex modo loquendi Dionysij.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE ABDITA intelligentia animæ disputatio.

ANima, nihil actu & distinctè intelligit, nisi seipsam. hanc declarando, dixi quòd intelligebam de intelligere abdito, cuius meminerat Augustinus in libro de Trinitate, & Henricus in quolibetis. Dixerunt isti Magistri, quòd conclusio non erat ad intellectum Doctorū, quos ego adducebam in responsione, quòd nescio qualiter dicere possint, si doctores illos uiderunt. Et quia ista materia de intelligere abdito, est subtilis & profunda, nolo hîc eam latius explicare: posteaquam isti aliter conclusionem non damnant, sed tantum duo uolo dicere. Primò, quòd ego non intendo uniuersaliter negare, de anima, & pro quocunque statu, quancūq; distinctam cognitionem aliorum à se. concedo enim, animam Christi intelligere actu & distinctè alia. & similiter, animas beatorum, per reuelationes aut species infusas. Secundò dico, quòd intelligo de illo intelligere abdito, quod est sine phantasmate, uel adminiculo sensus aut phantasiæ, & non adhuc de quocūq; tali, sed intelligere abdito, directo, & permanenti. de quo proximam huic posui conclusionem dicentem: Anima semper seipsam intelligit, & se intelligendo, quodammodo omnia entia intelligit. & sic in omnibus meis conclusionibus, semper occulta quædam est concatenatio, quàm forte ipsi non aduertunt, sed redeundo ad propositum, dico, Quòd anima per tale intelligere abditū, directū & permanens, nihil actu & distinctè intelligit, nisi seipsam. ex quo patet, quòd præsens cōclusio sic intellecta, non fuit indistinctè damnanda pro erronea, si etiam in

aliquo ſenſu non eſſet uera. Sic enim multæ propoſitiones tã philoſophorum quàm theologorum, & ſcripturæ ſacræ damnarentur, ſicut iſta Abucuk primo, Mundi ſunt oculi tui, neuideas malum, & ne deſpicias iniquitates. Et ſimiliter iſta Matthæi 25. de fatuis uirginibus: Neſcio uos: licet enim uiſio Dei, aut eius ſcientia ſit unica & ſimpliciſsima, & talem uiſionem aut ſcientiam, uniuerſaliter etiam de Deo negare uideãtur dictę propoſitiones, reſpectu mali, propter negationem propoſitam uerbo uidendi uel ſcientiæ. Exponuntur tamẽ à Doctoribus ſpecialiter de uiſione, uel ſcientia Dei approbatiua, & non accipitur, ut negatio in eis negat, omnem modum uiſionis aut ſcientiæ Dei. quia uerum eſt illud etiam Pſalmiſtæ. Delicta mea à te non ſunt abſcondita. Si igitur multæ tales ab expoſitoribus & doctoribus potius diſtinguuntur, & ad uerum ſenſum trahuntur, quàm condemnent, neſcio in quo iſta demeruit, ut ita ſimpliciter damnata ſit, etiam poſtquam damnatoribus modo prædicto, fuerat expoſita & declarata. Hæc, ut nunc eſt, properanti ſtylo mihi dictata ſint, ſcripturo aliâs maiore ocio & cura, ut plura, ita fortaſſe meliora. Hoc ipſum, qualecunq; eſt opus, uiginti eſt noctibus elucubratum, in quo edendo, celeritas optanda mihi magis fuit quàm diligentia: oportuit enim habere amicos, quod inimicis latrantibus, quaſi Cerbero offam obijcerent, atque ita uenienti, me ſtatim iniuſtæ infamiæ morbo, occurrere. quæcunque autem & ſcripſimus & ſcribemus, in poſterum cum ea ſemper præfatione ſint dicta, ut id ſolum ratum ſanctumq; habeatur, quod & Pontifex ſummus, & hi omnes, quorum iudicium ille approbauerit, ratum ſanctumque decernerent. Atque utinam iam ille aliquid de his, quæ in dubium reuocatæ ſunt opinionibus noſtris, pro ſua & ſapientia & authoritate decreuiſſet, non hoc mihi ſuſceptum operis, quando, & quæ ille damnaſſet temerarium, & quæ probaſſet, ſuperuacaneum erat defendere. Dum igitur tanti adhuc iudicis ſententia uti non poſſumus, hæc ſcripſerimus, ne ſit unde de propoſitis à me diſputandis quæſtionibus, habeant quod ſiniſtri poſsint uel dicere obtrectatores, uel ſuſpicari rudes & ſimplices. Poteſt enim accidere, ut cum quis indoctior illas attigerit, legens hanc propoſitionem, Chriſtus non ueraciter, & quantum ad realem præſentiam, ut ponit communis uia, deſcendit ad inferos: actutum illa dictione, Non ueraciter, offenſus, credat ſenſum eſſe propoſitionis, articulum fidei, de deſcenſu Chriſti non eſſe uerum. Itidem cum legerit. Peccato mortali finiti temporis, non deberi pœnam infinitam. in illa, me dubitet hæreſi præſtare, quòd pœna gehennæ, non ſit æterna. & cum intellexerit me de Origenis ſalute benè opinari, non tam uitam, mores, doctrinam, & pœnitentiam Origenis, quàm credita Origenis dogmata, à me amari, ſuſpicetur. Simile eſt de alijs propoſitionibus multis, quæ fortè habere poſsint in primiori fronte,

quòd

quòd sanctam rusticitatem, id est, ut pias, ita indoctas aures offendant, ea propter, sicut hæc scripsimus, ideò legenda, ut nec de nobis, nec de orthodoxo dogmate sanctę religionis, quisquã malè cogitet, ita ꝓpositiones ipsas crudas, ut sic dixerim, & inexplicitas, hæc nisi prius attigerit, legi nollem à nostris hominibus, quando ex illis multa ut à fide catholica, ita à nostra mente aliena, possunt coniectare, præsertim hebetiores, & doctrinarum remotiorũ rudes & insolentes. Oro igitur, obsecro, & obtestor amicos & inimicos, pios & impios, doctos & indoctos, per uiscera Iesu Christi Domini nostri, per mirabile descensus eius ad inferos mysterium, per æternum damnatorum ignem, qui non extinguitur, hæreticis præcipuẽ, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ hostibus debitum: per ueri & mystici corporis sanguinisq; sacramentum, per Dei omnipotentiam, per exhibendam meritò filij eius, & cohæredum imaginibus reuerentiam, legant sine liuore, sine inuidia, quæ nunc scribimus, priora, id est, ipsas propositiones, non enarratas, non explicitas, non legant. quãdo inter doctos eas proposuimus disputandas, non passim legendas omnibus publicauimus. Nam & ibi plurima sunt, impia dogmata, ueterum philosophorum Auerrois & Alexandri, & aliorum quàm plurimum, quæ nos (& si semper professi sumus, asseruimus, prædicauimus, publicè & priuatim, non minus à uera rectaq; philosophia, quàm à fide esse aliena.) scholasticam tamen exercitationem meditantes, de more Academiarum, inter paucos & doctos, secreto congressu, disputanda suscepimus. Qui uerò ipsum leget libellum propositionum disputandarum, ut ex ipso poterit titulo admoneri, dum quæ ex nostra dicuntur sententia, quæ item ex aliorum, discerno, non proponi illas à me, ut meas, ut ueras opiniones, sed ut creditas ab illis. ita & suspicari poterit, & si aliorum dicantur dogmata & inuenta, uisa tamen mihi, & hæc, & illa uera & probabilia. Qui ergo me oderunt, ideo illa non legant, quia nostra sunt: qui me amant, ideo non legant, quia ex illis, quæ mea sunt, cogitare plurima possunt, quæ non sunt nostra.

IOANNES PICI MIRANDVLAE CONCLVSIONES XLV. In Apologetico suo opere, tanquam Catholicæ defensæ.

CONCLVSIO I.

ANima Christi uero & reali descensu, descendit ad inferos. & ita Christus secundum ueram & realem animæ suæ præsentiam, in triduo fuit in inferno. Correlarium. Opinionem Durandi, de descensu Christi ad inferos, ego non probo. 2 Licet ita sit, ratio tamen ueri & realis descensus, & ueræ ac realis locationis in inferno animæ Christi, non fuit essentia uel substantia (ut tenet communis uia Scotistarum & Nominalium: quæ communiter tenetur Parisius, cui uide-

uidetur adhærere sanctus Thomas, in tertia parte Summæ) sed solùm effe
1 ctus uel operatio. 3 Sensus per supra scriptas cõclusiones explicatas,
est sensus, quem ego per hanc propositionem intendebam. Christus non
ueraciter, & quantum ad realem præsentiam, ut ponit Thomas & cõmu-
nis uia, descendit ad inferos: sed solùm quo ad effectum. 4 Quæstio.
Vtrum prædicta propositio, de rigore Logicæ, & ex ui uerborum, per-
mittat illum sensum. Non est quæstio de fide. 5 Credens illam pro-
positionem, de uirtute sermonis permittere illum sensum, non erat in fide.
6 Qui credit aliquid esse de fide, quod non est de fide, de fide non re-
cte sentit. 7 Ponens propositionem, habentem duplicem sensum, si il
lam asseruit, & asserit in sensu catholico, nõ tenetur reuocare propositio-
nem, sed declarare. 8 Stante prædicto casu, & ipsa multiplicitate sen
suum, debemus iudicare de propositione, potiùs secundum sensum in-
tentum à proponente, quàm secundũ sensum, quem magis uerba sonant.
2 9 Peccatũ mortale est demeritorie dignũ pœna æterna. 10 Qui-
libet decedens in peccato mortali, etiam si in uno tantum decedat, punie-
tur in æternum. 11 Nisi reatus peccati mortalis, æternaliter perseue-
raret in anima peccatoris, pœna peccatoris, non perseueraret in æternum.
12 Sicut hæc dictio, Peccatum mortale, quandoque capitur pro actu
peccandi, omissionis uel cõmissionis, ita etiam & sæpe & proprie apud
Catholicos Doctores, pro reatu accipitur. 13 Cum dicimus pœnam
alicubi deberi, uel præmium, dupliciter possumus intelligere, uel illũ esse
demeritorie, uel meritorie dignum tali pœna uel præmio, uel ei actualiter
persolui talem pœnam, uel tale præmium. 14 Distinctio huius dic-
tionis deberi, posita in conclusione præcedenti, non est erronea in fide.
3 15 Crux Christi & imagines, sunt adorandæ eo modo, quo eas ado-
rat Ecclesia. 16 Modus adorationis imaginum, & crucis, quem pœ-
nunt Petrus de Aquila, Henricus de Gandauo, Ioannes Guarra, Duran-
dus, Robertus Holcoth, & communiter omnes Scotistæ, est probabilior
modo, quem ponit Thomas. 17 Non propterea, quòd aliquis negat
imagines esse adorãdas, eo modo quo ponit Thomas, negat & consequen
ter, eas esse adorandas, eo modo quo ponit Ecclesia. 18 Cum in Deo
sit plenitudo totius esse, potest Deus quantum est, ex se omnem naturam
4 hipostatizare. 19 De hac quæstione Vtrum naturæ irrationali, ex de-
fectu naturæ suæ repugnet assumptibilitas ad diuinam naturam in unita-
te suppositi, ut credidit Henricus, an non repugnet, ut tenet cõmunis uia:
potest catholicus ita esse dubius, ut non habeat actum positiuum, contra-
dicendi opinioni Henrici. 20 Positio negans assensum alicuius dicti,
non infert de uirtute sermonis, positiuum assensum dicti oppositi.
5 21 Tota Magia, quæ communiter dicitur Necromantia, & omninò
quæcunque ars uel scientia, si modo talia artes uel scientiæ sunt dicen-
dæ, quæ

dæ, quæ uel pactum uel communionem quoquomodo habet cum dęmonibus, explicitum uel implicitum, ex principali uel ex annexo, antecedenter, concomitanter aut consequenter, aut omninò quocūque modo id sit, est res prohibita, superstitiosa, & merito per Ecclesiam condemnata.

22 Scientia illa, quæ merito dicit esse practica naturalis philosophię, & quæ à Guilielmo Parisiensi, & à Bachone, & à Græcis omnibus authoribus, dicitur Magia naturalis, nihil continet in se, quod catholicæ & orthodoxæ fidei repugnet. 23 Nulla est scientia, extendendo nomē scientiæ, ad reuelatas & non reuelatas, quæ nos certificet de diuinitate Christi, alia ab Euangelica doctrina, & scientia Christianæ theologiæ.

24 Inter scientias non reuelatas, sed quo ad omnes sui partes humanitus inuentas & aquisitas, nulla est, quæ nos magis adiuuet, in cognoscenda diuinitate Christi, quàm illa, per quam cognoscimus, quid uirtute agentium naturalium, tàm sublunarium quàm cœlestium fieri posit, ut comprehendamus deinde ex operibus Christi, fuisse eum ueræ naturæ dominum & authorem, qui ea fecit uirtute propria, quę omnis naturalis potentiæ, & cœlestis, & terrenæ terminos excedunt. 25 Non obligatur fidelis ad utendum semper, & in omni sua loquutione hoc termino Scientia ut est communis, ad scientias reuelatas & non reuelatas. 26 Inter multas partes scientiæ Cabalisticæ, una est, quæ est de uirtutibus corporū cœlestium. 27 Hæreses Origeni attributæ impiæ sunt & detestandæ, et meritò per Ecclesiam condemnatæ. 28 Cum ita sit, quòd uel Origenes illas opiniones nunquam credidit, sed ei ab hæreticis falso fuerunt attributę, ut uolunt Ruffinus, Pamphilus, Methodius, Didymus & Haymon, uel si eas crediderit, aliquādo de eis in fine pœnituit, ut uult Hieronymus, de salute animæ eius, rationabiliter est benè credendū & oppositum credere, nō tenemur de necessitate salutis. 29 Actus credendi est actus liber. 30 Actus credendi, non sic est in potestate hominis, quòd proposita propositione merè dubia, per merum & solum imperium uoluntatis, potest intellectus adhęrere uni parti, potiùs quàm alteri. 31 Qui credit hanc propositionem, Non est in libera potestate uoluntatis, credere articulum fidei esse uerum, quando sibi placet, & credere eum esse falsum, quando sibi placet, permittere sensum explicitum per prędecedentem conclusionem, non errat in fide. 32 Accidentia, in Sacramento altaris in nullo sunt subiecto. 33 Possibile est, de potentia Dei absoluta, existentiam panis remanere sine essentia, & in illa subiectari accidentia panis, & hoc, supposita distinctione reali, inter essentiam & existentiam.

34 Qui credit istam propositionem: Qui dixerit accidēs, existere non posse, nisi inexistat Eucharistię, poterit sacramentum tenere, etiam tenendo panis substantiam, non remanere posse. uerificari per id, quod est dictum in prędecenti conclusione, nō errat in fide. 35 Paneitas non remanet

manet in sacramento Eucharistiæ, suppositа à Christo Deo homine, sed per conuersionem transit in essentiam corporis Christi. 36 Si teneatur cum communi uia, Quòd Deus possit suppositare quālibet naturam, possibile est, Quòd Christus assumit paneitatem in unitate diuini suppositi: & possibile est, quòd per talem suppositationem, Christus sit præsens in altari, ubi est panis: & ita quòd sine conuersione aut annihilatione paneitatis, Christus sit in altari, secundū possibilem ueritatē sacramēti Eucharistiæ, non quidē instituti à Christo, sed possibilis instituti. 37 Qui credit istam propositionem uidelicet. Si teneatur communis uia de possibilitate suppositationis à Deo, respectu cuiuscunq; creaturæ, dico, quòd sine conuersione substātiæ panis in corpus Christi, uel paneitatis annihilatione, fieri potest, ut in altari sit corpus Christi secundum ueritatem sacramenti, quod sit dictum loquendo de possibili, non de sic esse permittente sensum explicatum, in præcedente conclusione, non erat in fide.

10 ✱ 38 Ista uerba. Hoc est corpus meum & cætera. Cum à Christo prolata sunt significatiuè, tenebantur non materialiter. 39 Ista eadem uerba, cum ab Euangelico sacerdote consecrante proferuntur, materialiter,

11 ✱ id est recitatiuè tenent̄, non significatiuè. 40 Miracula Christi, quantum ad rem factam, sunt argumentum, quòd fuerunt facta in uirtute diuina. 41 Miracula Christi, quantum ad modum faciendi, sunt argumētum, quòd ipse Christus faciens uirtutē diuinam à se habebat nō aliunde.

42 Deus perfectissimo modo cognitionis, cognoscit & se, & omnia

m ✱ alia à se. 43 Ideo est omnis perfectio simpliciter. 44 Si utamur hoc nomine intellectualis, secundum modum Dionysij, ut dicit, Noticiam appropriatam naturę angelicæ, sicut rationale dicit noticiam appropriatam naturæ humanæ: tunc impropriè dicimus, quòd Deus sit intellectualis,

13 ✱ aut quòd intelligat. 45 Anima per illud intelligere abditum, quod est directum, & permanēs, sine adminiculo sensus aut phantasiæ, se ipsam tantum actu & distinctè intelligit. 46 Anima per multiplices & uarios alios actus suos, uaria & multiplicia alia à se intelligit.

IOAN.

IOANNES PICVS Mirandula, de Ente & Vno ad Angelum Politianum.

PROOEMIVM.



NARRABAS mihi superioribus diebus, quæ tecum de ente & uno Laurentius Medices egerat, cum aduersus Aristotelem cuius tu Ethica hoc anno publicè enarras Platonicorum innixus rationibus, disputaret: Efficaci adeò uir ingenio & multiformi, ut uideatur factus ad omnia. In quo illud præcipuè admiror, quòd cum sit semper in Repub. occupatissimus, literarum semper aliquid aut loquitur, aut meditatur: & quoniam qui Arist. dissentire à Platone existimant à meipsi dissentiunt, qui concordem utriusque facio philosophiam. Rogabas quomodo & defenderetur in ea re Aristoteles & Platoni magistro consentiret. Dixi quæ tunc mihi in mentem uenerunt, confirmans potius quæ tu Laurentio inter disputandum responderas, quàm nouū aliquid afferens. Sed non tibi hoc satis. efflagitas enim ut quanquam de his fusius in ipsa quam adhuc parturio Platonis Aristotelisq; cōcordia sim scripturus, breui tamen ad te commentariolo perstringam ea quæ tūc tibi coram de hac quæstione sum locutus, cum forte & Dominicus Beniuenius adesse utrique nostrum pro sua & doctrina & integritate charissimus. Ego uero negare tibi quid possum? in re præsertim literaria, socio pene dixerim indiuiduo? Liceat autem mihi per te linguæ politioris uindicem uerbis uti quibusdam nondum fortasse Latij iure donatis. Quæ tamen ipsa rerū nouitas & quędam prope necessitas expressit, nec elegantioris styli lenocinium quæras: ut enim Manlius inquit: Ornari res ipsa negat contenta doceri. Fuerunt igitur hæc si recte memini: de quibus sermonem habebamus.

Caput primum, in quo Platonicorum rationes narrat, quibus uolunt adstruere unum esse superius.

ARistoteles multis in locis respondere hæc sibijnuicem & æquali esse ambitu dicit, unum scilicet & ens, uerum item & bonū, sed his posterea. Resistit Academia cui placet unum esse prius ente, prius autem cum dicunt & simplicius intelligi uolunt & communius. Quare & Deum (cuius summa simplicitas) esse quidem unum dicunt, non tamen esse ens. Intra terminos item unius concludi primo omnium matetiam, rudem, scilicet illam & informem. Quæ tamen extra ut uolunt entis limites est. Tum illud

afferunt non idem esse quod uni opponatur & quod enti. opponi autem enti quidem nihil, uni autem multitudinem, eadem igitur lege qua & opposita censeri duo illa. Ens & unum ut non conuerti, nec respondere inuicem existimentur.

Caput secundum in quo quærit ubi Plato de Ente & Vno sit locutus, ostenditq; illius uerba uerè potius sententiæ dicenti Vnum & Ens æqualia, quàm his qui uolunt unum esse ente superius.

His illi rationibus innituntur, quas priusquam dissoluamus, non abre fuerit, quid de hac quæstione à Platone expressum inueniatur, in medium attulisse. De ente & uno, duobus locis inuenio Platonem disputantem, in Parmenide scilicet & Sophiste: contendunt Academici utrobiq;, à Platone unum supra ens poni: ego uerò, hoc de Parmenide primum dixero, neq; toto illo Dialogo quicquam asseuerari, nec si maximè asseueretur quicquam tamen ad liquidũ inueniri, unde Platoni dogma istius modi adscribamus: certè liber inter dogmaticos nõ est censendus, quippè qui totus, nihil aliud est, quàm dialectica quædam exercitatio, cui nostræ sententiæ tantum abest, ut ipsa dialogi uerba refragentur, ut nullæ extent magis & arbitrariæ & uiolẽtæ enarrationes, quàm quæ ab his allatæ sunt, qui alio sensu interprętari Parmenidẽ Platonis uoluerunt: sed omittamus omnes interprętes, ipsam inspiciamus Dialogi seriem, quid ordiatur? quo tendat? quid promittat? quid exequatur. Porro ita se habet, cum ab ea disputatione, unum ne sint omnia, an sint multa quæ sunt? Socrates ad ideas diuertisset, multaq; super his, à Parmenide scisciteretur, respondet Parmenides, Placere sibi impetum illum, propensionemq; animi ad res altissimas definiendas, cæterùm, Collige, inquit, te ipsum, diligentiusq; te, dum iuuenis es, in ea facultate exerce, quæ inutilis multis uidetur, unde ab illis nugacitas, siue garrulitas nuncupata, alioquin ueritas, te fugiet. Confessum autem apud omnes, quod & sequentia manifestãt, per hæc uerba ab illo Dialecticam significari, post quæ cum ita Parmenidem Socrates interroget, quis exercitationis huius modus est Parmenides? respõdet ille primo eum esse quem à Zenone audierat, tũ particularius de hac re docens admonet, ut perspicaci solertia circumspiciat, non solum quid consequatur, si res aliqua sit, sed & quid consequatur si non sit, tum uideat, quid cõsequatur rem illam quã esse aut non esse ponimus, ut se respicit ut alia, quid item alia ut se ut illam respiciunt & cũ plura ille in hanc sententiam, tũ Socrates ita: Arduum opus affers nec te omnino intelligo. Sed cur ipse aliquid non ponis, atq; isto quem probas modo pertractas, quo mihi dilucidior huius rei fiat intellectus, Respondet Parmenides hoc sibi seni esse laboriosum. Denicq; Zeno faciendum hoc dicit esse Parmenidi, quando in paucorum conuentu est, alioquin parũ decorè ait huiusmodi quædã in celebritate multorum tractari à sene, quoniã quotusquisq; nouerit tractationẽ huiusmodi, & euagationem

gationem ad ueritatem adipiscendam esse necessariam, faciunt uel hæc uerba Zenonis plenã fidem eius quod diximus. Quod enim Parmenides tractaturus est, tale est si credimus Zenoni ut non sit palam in multorũ confessu à sene tractandum, at si ut illi uolunt de diuinis ordinibus, de primo rerum omnium principio agit, quæ tractatio seni congruentior, aut erubescenda minus. Sed citra omnem est cõtrouersiam, nisi nosipsos uelimus fallere, id circa quod uersaturus erat Parmenides dialecticũ esse negociũ, neq; aliud ab eo Socrates postulauerat. Id autem iuuenilis potius quàm senilis officij Zeno iudicauerat. Quibus etiam testimonijs si non credimus, ipsum percurramus dialogum, uidebimusq; nusquam aliquid affirmari, sed ubiq; solùm quæri hoc si sit, quid consequetur, quid item si non sit. Occasionem aũt suæ sententiæ de ente & uno hic academici aucupati sunt, q; prima positione hoc se problemate exercet, ut uideat si omnia sint unum quidnam consequatur, respondetq; futurum ut illud unum quod esse ponimus, sit impartibile, sit infinitum, nusquam sit, & cũ id genus multa enumeret, affert & hoc inter alia: Futurum scilicet ut illud unum non sit ens. Attende autem etiam si hæc dialectica nõ sit exercitatio, sed ente unoq; dogma tradatur, quantũ hæc differant, asserere, scilicet unum super ens esse & hoc asserere futurum ut si omnia sint unum, illud unum ens non sit, & de Parmenide satis. Enimuero in Sophiste in hanc sententiam potius loquitur esse unum & ens æqualia, quàm esse unũ ente superius. Hoc enim ubi explicet nõ inuenio. Illud multifariã significat, ut per hęc uerba: Nam ita considerans, cõfiteris necessariũ esse eum qui aliquid dicit, unũ aliquid dicere, & mox eũ uero qui nõ aliquid dicit, necesse est, neq; unũ quid, id est, nihil dicere. Hæc ille: Aequalia ergo apud eũ, imo eadem sunt non unum & nihil, æqualia item unum & aliquid. Post hęc item probat dici nõ posse, non ens esse unum, atq; ita colligit: Ens non enti nõ accidit, ergo unum non accidit non enti, loquitur aũt de uno quod supra dixerat æquale esse ei quod est aliquid: uidetur igitur pro confesso habere unum esse ens. Sed esto, demus Platonem hoc affirmasse quod certe nusquã affirmauit. Age examinemus in quem sensum dici uere potuerit, ipsius primum aristotelicæ sententiæ in hunc modum fundamenta iacientes.

Caput tertium in quo declarat quomodo accipiatur ens ab Aristotele, cum ipsum Vni æquali atq; omnia ambiens facit.

Dictio hæc ens, de qua ambigitur uni ne æqualis sit, duplicem accipi in modum potest. Primus est ut cum ens dicimus, omne id intelligamus quod est extra nihil. Quomodo usus est Aristoteles cũ uni ens æquale fecit. Nec dictionem abq; ratione sic usurpauit, nam ut uerè dicitur sentire quidem ut pauci, loqui aũt ut plures debemus. Sentimus enim & opinamur nobis, loquimur alijs, id est multitudini, atq; ideo loquimur ut intelligamur. Vulgus autem & quicunq; è medio ita ens accipiunt, ut omne

id dicatur ens cui non deest esse, & quod dici nihil uerè nõ potest. Sed & qui habiti sapientissimi apud hos ipsos qui contra sentiũt dictione hac ita usos inuenimus. Parmenides enim Pythagoreus cum dixit unum esse id quod est, Deũ intellexit. Si Simplicio credimus alijsq; permultis qui tueri Parmenidem uolunt aduersus eos, qui illum calumniatur, quasi omnia dixerit esse unum. Vna enim uoce respondent nunquam creditum à Parmenide non esse in rebus diuisionem, multitudinem, pluralitatem. Quam ipse alibi in suis poëmatis apertè confitetur, sed cum dixit unum est quod est, iudicatum ab eo illud cui uerè entis appellatio congruit, & quod uerè est esse unum tãtum, quod unum Deus est. Quare si Parmenidi credimus eiusq; defensoribus etiam Platonicis, unum supra ens esse non potest, nisi sit supra Deum, tantumq; abest ut Deum esse ens neget Parmenides, ut soli Deo ueram entis appellationem concedat. Atq; ita primæ rationis Platonicorum solutio nobis obiter occurrit. Sed & Dionysius Areopagita, quem qui contra nos disputant fautorem suæ sententiæ faciunt non negabit uerè à Deo apud Mosen dici Ego sum q̃ sum, quod Græcè ita legimus ἐγώ εἰμι ὤν, id est, ego sum ens. Quin ipsemet cum dicant nihil siue non ens opponi enti, sicut multitudo opponitur uni. Concedent necessario illud quod non est ens esse nihil siue non ens. Sicut quod non est unum, est multum siue multitudo, quare si eandem seruant legem locutionis, fateantur oportet Deum aut nihil esse, quod aures ipsæ formidant, aut esse ens. Hoc modo ens cum accipitur illud primũ axioma, & uniuersale proloquium statuimus de re qualibet, necessario dici aut esse eam aut non esse, de nulla autem utrunq; simul aut dici aut cogitari posse. Cum ergo extra omnia nihil sit præter ipsum nihil, si hoc modo acceptum ens solum nihil à se excludit, omnia ambiat proculdubio necesse est. Quare plura eo ambire unum non potest nisi ipsum ambiat nihil, quod Plato negat in Sophiste. Cum dicit non ens siue nihil unum, dici nõ posse si neq; ambit pauciora ut ipsi uolunt, æqualia ergo & ens & unum.

Caput quartum in quo declarat quo modo ente dici aliquid superius possit.

EXplicauimus alterum ex his modis quibus accipi ens posse dicebamus, quo qui utuntur, quemadmodum recte uti possunt, uerissimè affirmant nihil esse ente communius. Restat alterum explicemus, iuxta quem erit manifestũ posse nihilominus, & uere dici esse aliquid, quod supra entis eminentiam collocetur. Nominum alia concreta, alia abstracta. Concreta, calidum, lucens, candidum, homo. Abstracta, calor, lux, candor, humanitas. Est autem hæc uis illorum & diuersitas, ut quod abstractum dicitur: id notet quod à se tale est, non ab alio. Concretum ex aduerso id significet quod non à se, sed alterius beneficio tale est. Sic lucens, luce lucet. Candidũ candore candidũ est. Et homo humanitate est homo. Quoniam

niam uerò nihil seipsum participat, neq; eadem cõditio eidem rei & à se & alterius participatione inesse potest. Sequitur ut quod abstractum dicitur à concreto denominari nõ possit, quare non congruè dicitur candor cãdidus est, nigredo nigra est, imò ridiculus erit qui talia enunciet, nõ quia candor niger sit, aut calor frigidus, sed quia tantum & ille à nigredine, & hic abest à frigiditate, ut quæcunq; candida sint illo candida sint, & quæcunque calent huius participatione caleant. Quædam ergo negamus rei cuipiam inesse, aut quia ille non habet, ut cum dicimus nigrũ non esse album, aut quia excellentiori nota, & perfectiori ratione habet, quam nos habere eam ex tali locutione significamus, ut cũ negamus albedinem esse albam, non quia nigra sit, sed quoniam non solum ideo nõ est nigra quia est alba, quod idem est dictu, quia habet albedinem, sed quia ipsa albedo est. Veniamus ad nostra, ens concreti nominis faciem habet. Idem enim dictu ens & id quod est. Cuius abstractũ uidetur hæc dictio Esse, ut ens dicatur quod ipsum esse participat. Sicut lucens dicitur quod lucẽ participat, & uidens cui inest ipsum uidere. Ad hanc ergo exactam entis significantiam si respiciamus illud esse, negabimus ens, non solum quod non est, & quod est nihil, sed illud quod adeò est ut sit ipsum esse, quod à se & ex se est, & cuius participatione omnia sunt, sicut nõ id solum negabimus esse calidũ quod est expers caloris, sed quòd ipse calor est. Tale autem est Deus qui est totius esse plenitudo, qui solus à se est, & à quo solo nullo intercedente medio ad esse omnia processerunt. Hac igitur ratione uerè dicemus Deum non esse ens, sed super ens & ente aliquid esse superius, hoc est Deum ipsum, cui quoniam unius datur appellatio, consequens inde ut unum supra ens esse fateamur. Vocamus autem tunc Deum unum, non tam enunciantes quid sit, quàm quomodo sit omnia quæ est, & quomodo ab ipso alia sint. Vnum enim, inquit Dionysius, dicitur Deus, quia unicè est omnia. Rursus unum dicitur, quia ita principium omnium est quæ sunt, sicut omnium numerorum principiũ unitas est. Quapropter si ut uolunt Academici, Plato in prima positione Parmenidis affirmat unũ esse ente superius, non erit illud unum aliud quàm Deus, quod & ipsi fatentur cõmuni consensu, asseuerantes de primo rerum omniũ principio ibi à Platone tractari. At dicet quispiã hac saltem ex parte discors erit Aristoteles à Platone, quod Aristoteles nunquã ita ens accipit, ut sit sub uno, Deumq; non comprehendat, quod Plato facit. Hoc qui dicunt Aristot. non legerunt, facit enim & ipse hoc, & longe clarius quàm Plato. Nam sexto primæ philosophiæ libro ait diuidi ens in ens per se, & ens per accidẽs. Cum ens per se in decem genera, dubiũ nullum apud bonos interpretes sub hoc ente Deum non contineri, qui neq; est ens per accidens, neq; sub ullo decem generum continetur, in quæ diuiditur ens per se. Vulgata itẽ apud Peripateticos est illa diuisio, qua dicitur ens diuidi in substãtiam & accidens, quod cũ sit ita,

accipimus ens ut Deus supra ens sit, & non sit sub ente quemadmodũ docet Thomas primo libro commentariorũ in theologicas sententias. Adijciam & hoc iniuria gloriari quosdam Platonicos, quasi mysterium habeant Aristoteli ignotum, cum dicunt duas esse proprias Dei appellationes, unum scilicet, & bonum, atque ita bonum & unum ante ens esse. Sicut enim ostendimus non latere Peripateticos quomodo supra ens Deus intelligi possit, possumus & hoc ostendere duo in primis hæc nomina boni scilicet, & unius Deo Aristotelem dedisse. nam duodecimo libro primæ philosophiæ postquam de toto ente separatisq; mentibus disputauit, quærit postremo (quasi post omnia ad Dei solius proprietates inuestigandas conuersus) an præter bonum, quod quasi in exercitu in entium uniuersitate est, sit bonum aliquid separatum, quasi in duce huius exercitus, idq; esse determinat quòd bonũ Deus est, de quo consequenter eodem capite unitatem probat in eius testimoniũ, post ualidas rationes illud etiam citans Homeri εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς. Vbi ergo falsus? ubi discors à Platone est Aristoteles, ubi prophanus? ubi de Deo minus quàm deceat honorificè sentiens?

Caput quintum, in quo declarat qua ratione multa Deo adscribant Peripatetici quæ de eo negant Platonici, docetq; quonam pacto per quatuor gradus ad caliginem ascendamus quam Deus inhabitat.

SOluamus nunc rationes Platonicorum quibus non eo modo, cui & nos concordamus, sed absolutè aduersus Aristotelem unum contendunt esse ente superius, & quanquã satis ex superioribus soluta sit prima ratio, qua dicebatur Deus unum non tamen ens. fuerit tamen operæpretium digredi latius ut ostendamus cur non solum à diuersis utpote Platonicis & Peripateticis, sed ab eodem sæpe authore de Deo, & uerè affirmentur, & uerè negentur. Deus omnia est, & eminentissimè atque perfectissimè est omnia. Quod non erit nisi ita in se claudat omnium perfectiones, ut quicquid ad imperfectionem spectat in rebus à se reijcitat, possumus autem quicquid imperfecti rationem habet in his quæ sunt duplici capite definire. Alterum est cum quid in re est quod in genere illius rei minus perfectum est. Alterum cum perfectum suo quidem in genere est, sed ideò non simpliciter perfectum, quoniam unius tantum generis perfectionem habet, & multa sunt extra ipsum genera suis perfectionibus honestata quæ in illo includũtur. Exemplum primi, Cognitio sensualis non ideò solum imperfecta est, quia cognitio tantum est, & non est appetitio, sed quia & imperfecta cognitio est. Tũ quia organo eget bruto & corporali, tum quia extrema solum attingit rerũ, ad intima, id est, ad substantiam non peruadit. Cognitio itẽ humana, quæ rationalis dicitur imperfecta cognitio est, quia uaga, incerta, mobilis, laboriosa, adde intellectualẽ cognitionem mentium diuinarum, quas theologi uocant angelos, & ipsa etiam

imper-

imperfecta cognitio est. Vel ob id saltem, quod extra se quærit, quod intra se, scilicet plenè non possidet, hoc est ueritatis lucem qua eget & qua perficitur. Accipe uitam. Vita ea quæ est in plantis, imò quæ in omni corpore est, non ideò solum imperfecta, quia uita est tantum & non cognitio, sed quia non pura uita: potius autem uiuificatio quædam ab anima in corpus deriuata, semper fluens, semper admixta morti, magis denique mors uocanda quàm uita. Incipimus enim si fortè nescis, tunc mori cum primum incipimus uiuere, & mors cum uita protenditur, tunć primum desinimus mori, cum à corpore mortis huius per carnis mortẽ absoluimus. Sed nec perfecta uita est angelorum, quam nisi perenniter uiuificus radius diuinę lucis foueret in nihilum tota dilaberetur, eadem ratio in cęteris. Cum ergo Deum cognoscentem, Deum uiuentem facis, illud primum attende ut uita & cognitio quæ illi assćribitur, his omnib. detrimentis libera intelligatur. Sed non hoc satis. Restat enim altera imperfectio cuius exemplũ hoc: Concipe uitam perfectissimam, quæ scilicet tota sit uita, & pura uita, nihil habens mortale, nihil mortis admixtum, quæ nullo egeat extra se per quod duret stabilis & permaneat. Concipe item cognitionem qua & omnia & simul perfectissimè cognoscantur. Adiȷce & hoc, cognoscentem scilicet, in se omnia hæc cognoscere, ut nõ extra se quærat ueritatem, quam cognoscat, sed ipse ipsa sit ueritas, adhuc horum utrunque quanquam suo in genere perfectissimum & tale ut extra Deum esse non possit. Sic tamen acceptum & ab inuicem distinctum Deo indignum est. Deus enim omnimoda & infinita perfectio est, sed non ideò tãtum omnimoda & infinita, quia omnes particulares perfectiones atque infinitas tales in se compræhendat. Tunc enim neque ipse esset simplicissimus, neque infinita essent, quæ in eo sunt, sed esset infinitum unum ex multis infinitis numero finitis autem perfectione collectum, quod aut dicere aut cogitare de Deo prophanum est. At uero si uita quæ perfectissima quidem uita est, sed uita est tantum, & non est cognitio. Itemq́ si appetitio siue uoluntas perfectissima quidem uoluntas, sed uoluntas tantum & non uita neque cognitio est. Similiaq́ alia in Deo collocentur manifeste futurum est ut diuina uita finitæ sit perfectionis, quoniam eam habet perfectionem quę uitæ est, non habet eam quæ cognitionis, quæ appetentiæ, tollamus ergo à uita non id solum quod eam imperfectam uitam facit, sed quod facit eam uitam tantum & à cognitione similiter alijsq́ nominibus quibus Deum appellamus, tnncq́ quod ex omnibus remanebit necessario tale erit quale Deum intelligi uolumus, unum scilicet, perfectissimum infinitum simplicissimum. Et quoniam uita ens quoddam est sapientia, item ens quoddam pariterqúe & iustitia, utique si particularitatis & terminationum conditionem his adimas. Quod supererit non hoc aut illud ens erit, sed ipsum ens, sed simpliciter ens, sed uniuersale ens, non prædicatio-

nis uniuersalitate, sed perfectionis. Similiter sapientia bonum quoddam est, quia hoc scilicet bonū, quod est sapientia & non est illud bonum quod est iusticia. Tolle, ut inqt Augustinus, hoc, tolle illud, id est, particularem hanc, tolle limitationem per quam sapientia ita est bonū quod est sapientia, quod non est bonum quod est iusticia, pariterq; iusticia sic habet iusticiæ bonitatem, ut non habeat eam, quæ est sapientiæ. Tuncq; in ænigmate faciem Dei uidebis, id est omne bonum, ipsum bonum, simpliciter bonum, omnis boni bonum. Ita uita sicut ens quoddam est, ita est unū quoddam, est enim perfectio una, pariterq; sapientia perfectio una est. Abijce particularitatem, remanet non hoc aut illud unum, sed ipsum unū & simpliciter unum. Cum ergo Deus ille sit, qui ut à principio dicebamus ablata omnium imperfectione omnia est. Certe cum à rebus omnibus & quæ sub suo genere imperfectionem, & sui generis particularitatem abdicaueris, id quod remanet Deus est, Deus ergo ipsum ens, ipsum unum, ipsum bonum similiter, & ipsum uerum. Duos iam gradus promouimus ad caliginem ascendentes quam Deus inhabitat, à diuinis nominibus omnem purgantes maculam, quę ex rerum est significatarum imperfectione. Adhuc duo supersunt gradus quorum alter nominum arguit deficientiam, alter nostræ intelligentiæ accusat infirmitatem. Hęc nomina ens, uerum, unum, bonum, concretum, quid dicunt & quasi participatum. Quarerursus dicimus Deum super ens super uerum, super unum, super bonum esse, quia scilicet ipsum esse est ipsa ueritas, ipsa unitas, ipsa bonitas. Verum adhuc in luce sumus, Deus autem posuit tenebras latibulum suum. Ad Deum ergo nondum peruentum est, donec enim quod de Deo dicimus etiam intelligimus & comprehendimus. In luce uersari dicimur, & tanto minora de Deo & loquimur & sentimus, quanto infinita sua diuinitate capacitas nostræ intelligentiæ minor est. Ad quartum igitur gradum conscendentes intremus ignorantiæ lucem, & diuini splendoris caligine exoculati clamemus cum propheta. Defeci in atrijs tuis Domine. Hoc unum de Deo postremo dicentes, esse ipsum intelligibiliter & ineffabiliter super id omne quod nos de eo perfectissimum uel loqui possumus uel concipere. Tunc super ipsam etiam quam conceperamus unitatem, bonitatem, ueritatem. Superq; ipsum esse Deum eminentissime collocantes. Huc respiciens Dionysius Areopagita, post ea omnia, quæ in symbolica theologia in theologicis institutionibus, & quæ de diuinis nominibus, & de mystica scripserat theologia, postremo in calce eiusdem libri quasi qui iam in caligine esset, & ut poterat de Deo sanctissime loqueretur, sic post quædam alia ad idem attinentia exclamauit, neque ueritas est, neque regnum, neque sapientia, neque unum, neque unitas, neque deitas, aut bonitas, neque spiritus est, quantum scire ipsi possumus, neque filij, neque patris est denominatio, neque aliud aliquid ex

his quę

his quæ nobis aut alteri cuiquam in mundo sunt cognita, neque aliquid eorum quæ non sunt, neq; eorum quæ sunt est, neq; ea quæ sunt illã sciunt sicut ipsa est, neq; scit ipsa quæ sunt sicuti sunt, neq; sermo ipsius est, neque nomen, neq; scientia, neque tenebræ, neq; lux est, neque error, neq; ueritas, neque est ipsius ulla omnino positio, neque ablatio: Hæc uir ille diuinus ad uerbum. Recolligamus quæ diximus, uidebimusq; in primo nos gradu discere Deum non esse corpus, ut Epicurei, neque formam corporis, ut illi uolunt, qui Deum asserunt animam esse cœli uel uniuersi, quod & Aegyptij ut scribit Plutarch. existimarunt, & Varro theologus Romanus, unde utrisq; magnum fomentum idolatriæ, ut alibi declarabimus, sed & quidam sunt ex Peripateticis adeo stolidi ut & hanc ueram & Aristotelis sententiam esse confirment. Vide quantum à uera hi Dei cognitione deficiunt, in carcere quasi in calce quiescentes, & tũc se ad Dei fastigia credentes peruenisse, cum humi adhuc iacentes pedem uersus eum nondum mouerunt, sic enim nec perfecta Deus uita, neque ens perfectum, neq; perfectus etiam esset intellectus, sed profanam hanc opinionem quinta decade nostræ concordiæ latè incessuimus. Discimus in secundo gradu, quòd pauciores rectè assequuntur, & in quo falli possumus magis si à uero intellectu paululum deuiauerimus, Deum scilicet, nec esse uitam, nec intellectum, neque intelligibile, sed melius aliquid atque præstantius omnibus his. Nomina enim hæc omnia particularem dicunt perfectionem, qualis nulla in Deo est. Quod respicientes & Dionysius & deinde Platonici in Deo & uitam, & intellectum, & sapientiam, atque his similia esse negant, sed quoniam totam horum perfectionem: quæ in his multa & diuisa est. Deus ipse sua unica perfectione, quæ est sua, infinitas sua deitas, quæ ipse est, in se unit & colligit, non sicut unum ex illis multis, sed unum ante illa multa. Ideò quidam alij & præsertim Peripatetici, quos quantum licet ferè in omnibus imitantur Parisienses theologi: Hæc omnia in Deo esse concedunt. Quod dicentes atque credentes non solum rectè dicimus & credimus, & cum is concorditer qui illa negant, si illud nobis semper Aurelij Augustini fuerit ante oculos, sapientiam Dei non plus esse sapientiam quàm iusticiam, & iusticiam Dei non plus esse iusticiam quàm sapientiam, uitamq; pariter non potius in eo esse uitam quàm cognitionem, nec cognitionem magis cognitionem quàm uitam. Omnia enim hæc in Deo sunt, unũ nõ per confusionem, aut commistionem, aut quasi distinctornm mutuam penetrationem, sed per simplicem summam ineffabilem fontalem unitatem. In qua omnis actus, omnis forma, omnis perfectio, sicut in primo eminentissimo duce, penitissimis diuinæ infinitatis thesauris, ita super omnia, & extra omnia excellẽter est cõclusa, ut sit tamen nõ solum omnibus intima, sed magis unũ cum omnib. quàm ipsa sint secũ, deficiunt profecto uerba & minus omnino etiã cq; cõcipitur.

Sed uis

Sed uide Mi Angele quæ nos insania teneat. Amare Deum dum sumus in corpore plus possumus quàm uel eloqui uel cognoscere. Amãdo plus no bis proficimus, minus laboramus, illi magis obsequimur. Malumus ta men semper quærendo per cognitionem nunquam iunenire quod quæri mus, quàm amando possidere. Id quod non amando frustra etiam inueni retur, sed redeamus ad nostra. Euidẽter tibi iam patet quonam pacto cum Deus aliâs & mens, & intellectus, & uita, & sapientia nuncupetur, rursus aliquando super hæc omnia collocetur. utrunque tamen & uerè & con sonè comprobetur. Nec propterea Platonẽ ab Aristotele dissentire, quòd ille in sexto de Repub. libro, Deũ, quem ibi uocat ideam boni, super intel lectum & intelligibilia statuat, dantem illis quidem ut intelligant, his au tem ut intelligantur. Hic autem scilicet Aristot. sæpe Deum & intellectum & intelligentem & intelligibile uocat. Nam & Dionys. Areopagita cum idem dicat quòd Plato, non tamen negabit etiam cum Aristotele Deum seipsum & alia non ignorare. Quare si se intelligit, & intellectus, & intelli gibilis est, cognoscit enim, & cognoscitur necessariò, qui seipsum cogno scit, & tamen si quasi particulares, ut dixi, has perfectiones accipiamus, aut cum intellectum dicimus naturam, significemus quæ ad intelligibile, quasi ad allud extra se tendat, nihil minus quàm Platonici, Aristoteles etiam Deum & intellectum, & intelligibile esse constantissimè sit negatu rus. In tertio gradu plus aliquid nobis dum tenebris propinquabamus il luxit, ut non solum non imperfectum, & quasi mãcum aliquid ens Deum impia cogitatione fingamus, quale esset si uel corpus, uel corporis ani ma, uel constitutum ex eis animal diceretur, neque item particulare ali quod genus, quanquam perfectissimum, quasi humana sapientes eam fa ciamus, ut si uel uitam dicamus uel mentem, uel rationem, sed etiã eo quod uniuersalia iudicant nomina, quę omnia ambiunt uno scilicet uero ente & bono melius esse cognoscamus. In quarto gradu non solum supra illa, sed supra omne nomen quod formari supra omnem notionem, quæ concipi à nobis possit ipsum esse sciebamus. Tunc primum ipsum aliquo modo scientes, cũ eum omnino nesciebamus. Ex quibus colligi illud potest non solum esse Deum, ut dicit Anselmus, quo nihil maius cogitari potest, sed id esse, quod infinite maius est omni eo quod potest excogitari, ut uere di xerit iuxta Hebraicam literam Dauid Propheta. Tibi silentium laus. Hęc pro solutione primæ rationis dixerimus, unde magna etiam aperitur fene stra legitimæ intelligentiæ librorum Dionysij qui de mystica theologia, & de diuinis nominibus inscribuntur. In quibus illud cauendum, ne aut minora faciamus quàm sint quæ ille scripsit, sunt autem maxima, aut dum paruum existimamus omne quod intelligi mus, somnia nobis & inextricabilia com menta confingamus.

Caput

Caput sextum, in quo secundam soluit rationem Platonicorum de prima, scilicet materia.

QVod uero obijciunt de prima materia friuolum est. Illa enim quatenus ens est, eatenus una est, quinimò si Platonis sectari uerba ad unguem uolunt, concedant oportet unius illam habere minus rationẽ quàm entis. Neque enim Plato uult eam esse prorsus nihil, alioquin quomodo receptaculum formarũ, quomodo nutrix, quomodo natura quædã & reliqua erit, quæ eam esse in Thimæo ille confirmat. Non est igitur nihil, id est non omnino entis expers si Platoni credimus, qui tamen eandẽ in Philebo uocat non solum multitudinem, quæ ut ipsi uolunt opponitur uni, sicut nihil opponitur enti, sed infinitum. Multitudo autem si sit finita non omnino fugit rationes unius, quoniam qua finita est una est, at infinita multitudo ita omnino unius naturam non habet, sicut nec termini. Materia ergo prima secundum Platonem magis ens quàm una, quam qui contra disputant ut unum ente superius comprobarent ens non esse, & tamen unum esse dicebant. Iamblicus item Platonicus in eo libro quem facit de secta Pythagorica materiam primam uocat dualitatem, eo quòd dualitas prima sit multitudo, & reliquarum omnium multitudinum radix. Materia ergo prima, secundum eum qui magnus adeò inter Platonicos est ut diuinus uocetur, non solum non una sed multitudo, sed radix omnis quæ in rebus multitudinis est. Hæc diximus sua illis obiectantes. Cæterum neq; unitatis expers omnino est illa sicut neq; esse. Exactam autem unitatem ab eadem à qua & esse recipit forma, ptætereo quæ de unitate eius uel affirmatiua uel negatiua disputantur, quæ omnia his notissima, qui uel unam cum Aristotele deambulantiunculam fecerint.

Caput septimum, in quo tertiam soluit rationem Platonicorum de multitudine, ostenditq; dicentibus unum esse Ente, communius, aliquid esse concedendum, quod Plato negat.

FAlluntur autem plurimum in tertia ratione. Non enim eo modo opponitur multitudo uni, quo modo opponitur nõ ens enti. Hæc enim contradictoriam habent oppositionem, illa aut priuatiuam aut contrariã de qua re latè disputãt Aristotelici decimo lib. primæ philosophię. Sed uideant quas ruinas incidant qui uocantur Platonici & unũ dicunt ente superius. Certum est quotiens duo ita se habent genera, ut sub altero tãquam sub communiori alterum sit, fieri posse ut aliquid inferioris ambitum effugiat quod tamen non effugiat superioris. Hoc enim est quare illud dicitur esse communius. Exemplum in promptu, quia animal communius est homine, potest fieri ut aliquid non sit homo, siue non homo, quod tamen sit animal, pari ergo ratione si sit unum ente cõmunis, fieri poterit ut aliquid sit non ens siue nihil, quod tamen sit unum, atq; ita de non ente unum prædicabitur, quod expresse in Sophiste confutat Plato.

Caput

Caput octauum, in quo declarat quomodo quatuor hæc Ens scilicet, Vnum, Verum & bonum in omnibus sint, quæ sunt post Deum.

VEríssima ergo sententia est quatuor esse quæ omnia ambiunt, ens, unum, uerum, & bonum. Si ita accipiantur ut illorum negationes sint nihil diuisum falsum & malũ. Addita sunt his quatuor duo alia: Aliquid scilicet, & res, à posterioribus Auicennam secutis, qui multis in locis philosophiã Aristot. interpellauit, unde sunt illi cum Auerroe magna bella pugnata, sed quantum ad hoc spectat, parua in re discordia. Diuidũt enim hi quod sub uno intelligitur, in unũ & aliquid, quod à Platone non abhorret, qui in Sophistè inter has communissimas dictiones enumerat aliquid, & quod sub ente continetur, patiuntur in ens & res, sed de his alibi; quatuor hæc ut cœptum prosequamur, Aliter sunt in Deo, aliter in his quæ sunt post Deum, quandoquidem hæc Deus habet à se, alia habent ab eo. Videamus primo quomodo insunt rebus creatis, omnia quæ sunt post Deum, habent causam efficientem, exemplarem & finalem, ab ipso enim, per ipsum, & ad ipsum omnia. Si igitur res consideramus ut à Deo efficiente constituunt, sic entia dicuntur, quia illo efficiente esse participant, si ut exemplari suo quam uocamus ideam secundum quam illas condidit Deus quadrant & respondent, ueræ dicuntur. Vera enim imago Herculis dicitur, quæ uero Herculi conformatur. Si ut ad eum tãquam ad finem ultimum tendunt bone dicuntur. Si uero unaquæq; res secũdum se absolute accipitur una cognominatur. Est autem hic ordo ut primum unumquodq; sub entis ratione concipiatur, quoniam prius efficit agens unumquodq; quàm illud in se sit aliquid, alioquin non secundum totum quod est esset ab agente. Quo fit ut nihil sit post Deum, quod concipientes hoc de eo non intelligamus quod est ens ab alio, ens finitum, ens participatum, succedit enti unum. Tertia est ueritas, quia postquam est aliquid in se, uidendum est an sit tale quale est exemplar ad quod fuit formatum, cui si simile inuenitur, reliquum ut in illud utpote affine atque cognatum per bonitatem se conuertat. Aequali autem hæc esse ambitu quis non uideat, da aliquid esse certe & unum est. Nam qui unum non dicit nihil dicit (ut ait Plato in Sophistè) Est enim illud quicquid est à se indiuisum & ab alijs diuisum, quæ non sunt ipsum. Hoc autem cum dicimus intelligimus unum, siue ut Platonis uerbis loquamur, est idem sibiet ab alijs alterum quod unicuiq; rei congruere in eodem dialogo ipse confirmat. Verum est etiam necessariò. Nam si est homo, utiq; uerus est homo, idemq; dictu hoc non esse uerum aurum & non esse aurum, nam cum dicis uerum aurum non est. Hoc significas, uidetur quidem aurum & est aliquid simile auro, sed non est aurum, propterea Aurelius Augustinus deliniens in soliloquijs, quid sit uerum aut uerum, est id quod est, quod nõ ita accipi debet ut idem sit ens & uerum. Sunt enim licet re idem, ratione tamen

men & definitione diuersa, quare unum per aliud finiri nõ debet, sed hoc exprimere uoluit Augustinus tunc dici rem ueram cum est id quod uocatur & esse dicitur, ut tunc uerum est aurum, cum aurum est, & non aliud est quàm aurum. Hoc est ergo quod dixit, uerũ est id quod est, quod quidam non aduertentes calumniã faciũt diffinitioni. Similiter aũt & bonum est, quia quicquid est, quatenus est, bonũ est, & lõge errat Olympiodorus mea quidem sententia, sic credẽs probare aliud esse bonũ & ens, quoniam bonũ simpliciter desideramus. Non est autẽ esse simpliciter, sed bene esse, ideoq; fieri posse ut si male sit nobis non esse desideremus, nã ut illud omittamus an quib. male & misere est recto & naturali desiderio appetere possunt ut non sint, non aduertit ille sicut multiplex est esse, ita multiplicem esse bonitatem. Est enim primo esse naturale rerum, ut homini esse hominem, leoni esse leonem, lapidi esse lapidem, quod esse & naturalis bonitas indiuidue sequitur. Sunt alia esse, quæ aduentitia dici possunt, ut homini esse sapientem, esse pulchrum, esse sanum, quemadmodum autem sapientia & pulchritudo, alia entia sunt ab humanitate, ita alia bona sunt. Aliud enim bonum humanitas qua homo est homo, aliud bonum sapientia qua non iam homo, sed homo sapiens euadit, sicut & hæc aliud, & illa aliud ens, & est, & dicitur. Sicut ergo omnia appetunt bonum, ita omnia appetunt esse, & primo quidem eam appetunt bonitatem, quæ esse naturale consequitur, quoniam hæc fundamentum sequentium bonitatum, quæ illi omnes adueniunt, ut sine illa stare non possint. Quomodo enim erit felix, qui omnino non erit uerum, non illa eis sufficit bonitas, quã tunc adipiscuntur cum primum sunt, sed cupiunt accedere & reliquas, quæ illam primam absoluant & exornent, sicut autem uerè dicimus præter primam ab eis bonitatẽ alias appeti bonitates, ita uerè dicere possumus præter primum esse desiderari ab eis alia esse, quia aliud est esse felicem, aliud esse hominem. Et si quis det fieri posse, ut quis nolit esse, si nõ sit felix, non sequetur (ut putat Olympiodorus) aliud esse bonum, aliud ens, sed aliud esse ens hominem, aliud felicitatem, pariterq; aliam hominis bonitatem, aliam felicitatis, quarum alteram, id est, primam homo non uult, nisi habeat & secundam: omitto an eadem ratione aliquid bonum simpliciter dicatur, & ens simpliciter, an quod ens dicitur, simpliciter bonum tale, & quod bonum simpliciter, ens tale dicatur. non enim hic omnia disputandi locus, uerè ergo dicebamus unumquodq; quod est, eatenus esse bonum quatenus est. uidit enim Deus cũcta quę fecerat & erãt ualde bona. Quidni, à bono opifice sunt, qui sui similitudinem omnibus imprimit quę sunt ab ipso. in entitate igitur rerum admirari potentiam efficiẽtis possumus Dei, in ueritate uenerari artificis sapientiam, in bonitate reclamare amantis liberalitate, in unitate suscipere conditoris unicam, ut sic dixerim, simplicitatem. Quæ unumquodq; sibi tum omnia inter se inuicem, tum ad se-

ipsum uniuit omnia, sic unumquodq; ad suimet, ad aliorum, ad Dei postremo uocans amorem. Examinemus & eorũ opposita an ęquali similiter ambitu sint, falsum & nihil idem esse ostendunt quæ supra diximus. Malum & nihil si differre dicamus, reclamabunt philosophi pariterq; theologi. Quare & facere malum nihil est facere, diciq; solet mali nõ esse causam efficientem, sed deficientem, unde illorum insania cõfutatur, qui duo principia posuerunt, alterum bonorum, alterum malorum, quasi efficiens aliquod principium mali esset, sed diuidere rem idem est quod destruere, nec ita possumns rei cuipiam suam & naturalem unitatẽ adimere, ut nihil minus illius esse in sua integritate remaneat. Non enim totum est suæ partes, sed illud unum quod dissultat ex partibus, ut docet Aristot. 8. lib. primæ philosophiæ. Quare si in partes diuidas totum, partes remanent quidem, totum autem quod diuiditur ipsum non remanet, sed desinit esse actu, & potentia tantum est, sicut partes, quæ prius erant potentia, tunc esse actu incipiunt, quippe quæ prius cum erant in toto, unitatem propriam actu non habebant, quam tunc primum sortiuntur, cum separatè à toto ipso per se subsistunt.

Capitulum nonum in quo declarat quomodo illa quatuor in Deo sint.

EXaminemus rursus qualiter hæc sunt in Deo, cui non insunt in respectu ad causam quam non habet, ipse enim omnium causa à nullo est, duplici autem ratione in Deo possunt considerari, aut quatenus aliorum causa est, quæ distinctio creatis rebus non conuenit, quantum ad præsens negocium attinet, quoniam Deus sic esse potest ut non sit causa. Alia non sic esse possunt ut non sint, ab eo igitur Deum primitus sic concipimus ut sit uniuersitas omnis actus, plenitudo ipsius esse, quam intelligentiam ita subsequitur ut sit unus, ut neque oppositum concipi possit. Vide qusntum aberrent. qui plura prima principia fingunt, plures deos. Statim & uerissimum est, quid enim habet quod appareat esse, & non sit qui est ipsum esse, consequens certe ut sit & ipsa ueritas, sed & ipsa bonitas erit, boni enim tres conditiones, ut scribit Plato in Philebo, ut sit perfectum sufficiens expetendum, erit autem hoc quod tale concipimus perfectum, quia illi nihil deerit, qui est omnia, erit sufficiens, quia illud possidentibus, nihil deerit: In quo inuenient omnia, erit expetendum, quia ab illo & in illo sunt omnia, quæ expeti aliqua ratione possunt: Deus ergo plenissima entitas, indiuidua unitas, solidissima ueritas, beatissima bonitas. Hæc ni fallor est illa τετρακτὺς, id est, quaternitas per quã Pythagoras iurabat, uocabatq; principium semper fluentis naturæ, principiũ enim hæc quæ unus sunt, Deus omnium esse demonstrauimus, sed & iuramus per ea quæ sancta, quæ firma, quæ diuina sunt, Quid illis aut firmius aut sanctius aut diuinius? Quod si Deo ut rerũ causa est appellationes has quatuor assignemus ordo totus inuertitur. Ptimo enim unus erit quia prius in se in-

se intelligit, quàm intelligatur ut causa. Secundo erit bonus. Tertio uerus. Quarto ens. Nam cum causa quæ dicitur finis prior est ea quæ est exemplaris, & exemplaris prior efficiente. Primũ enim appetimus habere quo ab iniuria tempestatum protegamur, tum idæam domus mente concipimus, postremo in materia illam extrinsecus efficiendo formamus, quare si quemadmodum superiori capite definiuimus bonum ad causam finalem, uerum ad exemplarem, ens ad efficientem spectat, Deus ut causa est. Primo boni, tum ueri, postremo entis rationem habebit, quæ omnia hic breuiter perstringimus, Fœta alioquin quæstionũ multarũ atq; magnarũ.

Caput decimum in quo totam disputationem ad uitæ institutionem & morum emendationem conuertit.

VErum ne alijs potius quàm nobis disputemus illud curandum ne altissima perscrutantes, in humili, id est indigna his conditione uiuamus, quibus cœlitus datum ut indagare cœlestium etiam rationes possimus. Sed illud assidue meditandum, hanc nostram mentem, cui diuina etiam peruia sunt, ex mortali seminio esse non posse, neque felicem alibi quàm in diuinorum possessione futuram, tantoq; magis dum hic quasi aduena peregrinatur propinquare felicitati, quanto post habita cura terrenorum ad diuina se magis erigit & accendit. Admonere autem in primis nos præsens disputatio uidetur, ut si esse beati uolumus, beatissimum omnium imitemur Deum, unitatem in nobis, ueritatem, bonitatẽq; possidentes. Vnitatis pacem turbat ambitio, & sibi hærentem animum extra se rapit, & in diuersa quasi lacerum trahit atque discerpit. Veritatis splendorem & lucem in cœno, in caligine uoluptatum quis non amittet? bonitatem furacissima nobis furat cupiditas, id est, auaritia. Bonitatis enim peculiare hoc, comunicare alijs bona quæ possides. Quare cum quæreret Plato cur Deus condidit mundum, respondens ipse sibi bonus, inquit, erat. Hæc sunt illa tria, superbia scilicet uitæ, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, quæ ut scribit Ioannes ex mundo sunt, & non sunt ex patre, qui ipsa unitas, ipsa ueritas, ipsa bonitas est. Fugiamus hinc ergo, id est, à mundo, qui positus in maligno, euolemus ad patrem ubi pax unifica, ubi lux uerissima, ubi uoluptas optima. Sed quis dabit pennas ut illuc uolemus? Amor eorum quæ sursum sunt. Quis adimet? Libido rerum quæ super terrã quam si sectemur iacturã facimus & unitatis, et ueritatis & bonitatis. Neq; enim sumus unum, si curuum sensum & spectantem cœlestia, rationem uirtutis fœdere nõ deuincimus: sed duo in nobis principes, quasi per interualla regnãtes, dum nunc Deũ per legem mentis, nunc Baal per legem sequimur carnis, & regnum nostrum in se diuisum profecto desolatur. Quod si ita erimus unum, ut mancipata sensui ratione sola imperet lex membrorum, falsa erit hæc unitas, quia ueri non erimus, dicemur enim & apparebimus homines esse, id est animalia ratione uiuentia, & ta-

men erimus bruta, quibus pro lege sensualis est apparentia, præstigium faciemus his qui nos uidebunt, inter quos habitabimus. Non respondebit imago suo exemplari, instar enim Dei sumus, Deus autem spiritus. Nos non spiritales iam, ut Pauli utar uerbis, sed animales, cum autem per ueritatem ab exemplari non excedimus, restabit ut per bonitatem ad ipsum tendentes illi aliquando copulemur. Quod si tria hæc, unum scilicet, uerum, & bonum, perpetuo annexu ens consequuntur. Reliquum est ut cum illa non sumus, etiam prorsus nõ sumus, & si esse uideamur, & quamuis credamur uiuere, moriamur tamen potius iugiter quàm uiuamus.

ANTONII FAVENTINI ADVERSVS LIBELLVM de Ente & Vno. Obiectiones primæ.

SI libellus quispiam de ente & uno inscribi mereatur, necesse est entis uniusq; naturam proprietatesq; explicet, hoc autẽ opusculo quod nuper in manus meas uenit, quodq; de ente & uno inscribitur nonnulla pertractantur, à titulo atq; inscriptione penè aliena, principale siquidem authoris propositum est disputare an iuxta Platonis ens, unumq; sese inuicem mutuo consequantur, an ut Academici putant unum sit ente communius, sed hoc non est de ente & uno pertractare, sed de mutua entis uniusque conuersione, nec omnino absolutè, sed iuxta Platonem duntaxat, nec enim si quispiam philosophus eam solum quæstionem agitaret, quæ est an anima immortalis sit propterea de anima disputaret, sed de solla animæ immortalitate tractatus haberetur, Ait præterea operis author Academicos arbitrari Deum iuxta Platonem uerè ac priè ens non esse, quod equidem plurimum demiror. Si enim omnes Academicos siue Platonicos intelligat, quemadmodum locutio significare uidetur, alioquin non absolutè pronunciaret id academicos sentire, mendacio fortasse non caret. Themistius enim inter Platonicos author non ignobilis ideam quæ rerum principium est, ex Platonis sentẽtia testatur uerè ac priè ens esse & unum. Platonici uerò aut omnes aut plerique non aliud putant ideam, aliud uerò rerum opificem Deum, prosequens præterea dicit: Si quoquomodo defendi potest iuxta Platonem esse unum ente communius, ita censendum est, uocabula, inquit, quæ nomine parum Latino concreta appellat, ut est candidum, lucens, ens, alienum aliquid significãt, quo præsente res uocabuli appellationem sortiũtur. Aliud quippe est candor, aliud cãdidum, aliud homo, aliud humanitas, ens igitur uocabitur in quo esse aliud est, aliud uero quod subsistit, Deus igitur qui ipsum esse est, ens censeri nõ poterit, sed unus ex quo omnia cõtinet & claudit. Sed nõne huiusmodi defensio sibi ipsa parum cohæret? qua enim ratione, candidũ, & homo, & ens, alienum aliquid significant, eadem quoq; unum, & beatum, & Deus, & similia huiusmodi multa alienum aliquid significent necesse

cesse est, Deus igitur qui unitas est, & beatitudo simul, & deitas, neq; unus uocari poterit, nec beatus, nec omnino Deus, quomodo igitur ens nõ est sed unus. Præterea ens eo dictum est quòd est, quemadmodum igitur fieri non potest, ut qui sedet sedens non sit, fieri etiam non poterit, ut qui uerè ac propriè est ens non sit, ego enim (inquit Deus) sum qui sum. Admirabilius autem uideri potest quòd non solum iuxta Platonem defendere conatur Deum ens nõ esse, uerum etiam Aristotelem quoq; ipsum in eandem sententiam trahere conatur, quinto enim inquit, Metha. libro: Ens dicitur in ens per se & per accidens, ens uero per se in decem prædicamenta, in nullo autem, inquit, genere Deus collocari potest, quemadmodum beatum Thomam demonstrasse existimat. Si igitur Deus non est ens per se, neque per accidens, ut constat iuxta Aristotelem ens non erit, præterea ens in substantiam & accidens iuxta uulgarissimam diuisionem segregatur. Non est autem Deus accidens, neque substantia, ea enim, inquit, genus est. Deus autẽ cuiuslibet generis limites excedit, sed equidem non uideo qua ratione ductus operis author Aristoteli nostro Platonicam asserebat opinionem, si tamẽ opinio Platonis est, diuisio enim entis in ens per se & per accidens complexi entis diuisio est, quemadmodũ beatus Thomas, cui plurimum authoritatis tribuit, eo loco subtiliter scribit. Idem manifestum est exemplis, ens enim per accidens iuxta Aristotelem est triplex, aut enim accidens de subiecto prædicatur, aut subiectum de accidente, aut accidẽs de accidẽte, quę omnia ad complexionẽ pertinent. Pari modo entia per se uocantur, in quibus aliquid prædicatur, quod uel ad substãtiam pertinet, uel ad quantitatem, uel aliud genus, dummodo quod prędicatur subiecto per se conueniat, ut albũ Socrati, non etiã homini, animali, equo: Entis autem in substantiã & accidens diuisio Deum quoque complectitur, est enim per affirmationem, negationemqúe facta diuisio, substantia enim est, quod nulli innititur sed per se est. Accidens autem quod est in alio uelut in substantia, horum autem nihil est medium, ut beatus Thomas putat, siquidem inter substantiam habere & non habere nulla media tas cogitari potest. Substantia igitur quæ accidenti opposita est, genus non erit, si Deus nullo genere continetur. Præterea non est indubitata Aristotelis opinio, Deum per se nullo genere contineri, adsunt enim nonnulli Aristotelem imitati qui existimẽt Deum in prædicamento per se collocari, & ego quidem puto ea sententia insignem philosophum Boëthium fuisse, monstraremq; si opus esset ex uerbis Boëthij, necnon Augustini aperte id colligi. Rursum ait unius negationem esse diuisum, quod probat, eo quòd res destruitur, quando discerpitur diuiditurq;, sed quomodo diuisum potest uni tanquam negatio opponi, inter affirmationẽ enim negationemq; contradictio est, Chimera uero neque una est, neque diuisa, nec hoc quod est diametrum esse commensurabilem, aut unum est, aut di-

uisum. Falsum quoque ueri negationē esse existimat, quod & si quoquo modo defendi possit. Attamen contrariū potius est, quàm negatio, quemadmodum beatus Thomas monstrat. non enim chimera uera est aut falsa, nisi uocabulo prorsus abutamur. Verum enim est quod est, hoc est, ut ipse exponit quod est id quod uidetur, & dicit, falsum igit erit quod non est, id quod uidetur & dicitur ut nummus falsus, nihil igitur falsum esse contigit nisi quod uidetur esse aliud quod non est, Inter id uero quod uidetur esse, quod est, & id quod non est, quod uidetur, nulla contradictio est, uerum igitur falsumq; nulla affirmationis negationisq; oppositione aduersantur, malum etiam boni negationem putat, Aristoteles uero bonum & malum contrariorum genera esse in prædicamētis affirmat, quod autem negatio est, genus esse non potest. Præterea bonum ea ratione, qua bonum est, expetendum est, malum uero fugiendum, Expetere uero, & fugere & inuicem contraria sunt, quemadmodū congregare, segregareq;, bonum igitur & malum erunt contraria, quod Boëthius quoq; in prædicamentis asseuerat, quicquid cæteri circa id dixerint.

IOANNES PICVS MIRANDVLA ANTONIO FAVENtino S. Responsio obiectionum primarum.

QVæstiones tuas aduersus eum libellum, quem nuper ædidi de ente & uno tanta cum uoluptate legi, quanta à te & charitate & libertate animi sunt perscriptę: Debeo tibi plurimū nomine huius officij, quod si uel amicis impenderemus liberius, uel ab eis libentius exigeremus, essemus certè longe quàm sumus, & doctiores, & melliores. Sed exitialis hæc persuasio cepit hominum mentes, ut non placere nos illis putemus, quibus errata nostra non placent, liberumq; amicorum iudicium, uel odium, uel morositatem, adulationem uero, amorem & naturæ bonitatem interprætemur. Ita fit ut dum laudari malumus uel immeriti, quàm uel merentes castigari, irrideamur semper laudem nūquam mereamur. Vide quantum erremus. Nam laudatio omnis ferè semper inutilis, sæpe autem noxia Quoniam si uera, quid afferat utilitatis? si sit falsa, insanos profecto nos efficit qui laudamur, ridiculos autem qui laudāt. Repræhensio certè utilis semper, quæ si sit iusta ad cognitionē, si minus iusta, ad defensionem nos excitat ueritatis. Denique quid est aliud castigari quàm alieno labore fieri meliorem: Aut quid aliud librū amici lima splendescere? quàm de illius uigilijs te proficere dormientem. Non possum igitur, ut dicebam tibi plurimum non debere. Qui de his quæ in meo libro tibi minus placuerunt, quid sentires, mihi liberè significasti. Agnoui præter beneuolentiam, in tuis scriptis, tuam etiam illam mihi iampridem notam ingenij dexteritatem, cœpiq; statim, non quasi pater, sed quasi iudex examinare seuerius quæcunq; notaueras, utpotè quæ iam mihi etiam ipsi de tuo testimonio in suspicionem uenerant falsitatis. Sed ita cogitanti occurrerunt

currerunt nonnulla quibus defendi illa & uindicari à culpa posse uideren
tur, quæ quidem liberè uolui ad te perscribere, ne forte quam in te laudo
uirtutem minus ipse amplecterer, ut si in illis taxãdis tuum iudicium non
imitor, saltem in defendẽdis imiter libertatem. Non rectè, inquis, liber de
ente & uno inscribitur, cum de entis uniusq; natura, proprietatibusq; om-
nibus in eo non agas, sed de unius tantũ entisq; conuersione. Mihi Anto-
nii ita uideri solet duo quasi uestibula libris præstitui, Titulum & Proœ-
mium. Titulus Proœmium curtum est, Proœmium titulus fusus & expli
catus. Promittit titulus tractatum de ente & uno. Quid aũt de ente & uno
tractandum sit proœmiũ explicat. Quod si fiat in titulo, timendum ne li-
bri titulus liber fiat. Posset hoc defendi præiudicio mille authorũ à quib.
præscriptæ libris eorum titulationes calumniam eandem paterentur. Sed
nõ id quæstioni pondus, ut uel ego, uel tu in ea diutius occupemur. Mira-
ris præterea quod à Platonicis creditum dixerim Deum nõ esse propriè
ens. Noli me mirari, sed illos quos & ego tecũ in huius dogmatis assertio-
ne non probo, sed hoc illos sensisse quod tibi penè incredibile uideri, hocq;
posteris scriptum reliquisse, notissimum omnib. qui Platonica legerunt,
hoc Sirianus, Proclus, Plotinus, & qui denicq; extant Platonis interpręres
uno ore confirmant. At inquis Themistius inter Platonicos non ignobi-
lis asserit ideam ex Platonis sententia uerè ac propriè ens esse & unũ, Pla-
tonici aũt uel omnes uel plærique non aliud putant ideam aliud rerum opifi
cem Deum. Quare si idea ens propriè dicitur & Deus etiã ipse propriè di-
cetur ens. Hæc tu satis ingeniose, sed uide an satis peritè. Illi enim, Proclus
scilicet & Plotinus, ideam fatentur esse ens & dici, sed Deũ ut supra entia, ita
supra ideas esse contendunt. Plotinus enim in ea mente quæ à Deo proxi-
ma est, quam & primũ ens & primum intelligibile, & primã uitam uocat
ideas omnes, collocauit ut sit Deus, idearũ nõ sinus sed fons, nõ receptacu
lum sed principiũ. Proclus non unũ modo sed multos ordines mentiũ me
dios facit, inter Deũ & ideas quarũ plenitudinẽ æmulatus Platonis uerba
in Timæo, per se animal nũcupauit. Prætereo Sirianũ, Ameliũ, Iamblicũ,
aliosq; cõplures idem sentientes. Rudimẽta hæc & quasi incunabula sunt
illius doctrinæ quæ Platonica existimatur. Quod si quis tibi det nõ aliud
re esse ideam & Deũ, aliud tamen ratione esse, nec tu negabis. Quæ diuer-
sitas abunde faciet ut Deus quidẽ quatenus exemplar est hominis, equi, leo
nis, ens dici uerè possit, quatenus uerò nihil respicit extra se, nullãq; ad res
creatas habet habitudinẽ, sed in suæ diuinitatis recessus solitarius manet,
appellationem omnem entis excedat, sitq; eius neq; nomen, neq; opinio ut
Dionysius inquit. Quare manifestissimũ est & apud principes academiæ
Deũ propriè ens dici non posse, & si quis det ideam & Deũ re esse eidem,
non tamen continuo sequi ut si idea sit ens, Deus etiã propriè ens dicẽdus
sit. Trãseamus ad alia, inter quæ illud tibi maxime displicet, quod dixerim

aliquam esse loquendi rationem, quam si sequamur uerè dicere poterimus unum esse ente superius. Quandoquidem sic Deo dare unius possumus appellationem, ut entis tamen non demus, propterea quòd ens concreti nominis (sic enim Latinè loqui possumus) faciem habeat, significatq; id quod ab alio esse participat, quod de Deo dici non potest, qui est ipsum esse, eadem (inquis) ratione unum appellari non poterit, quia & unum sci licet, concretum nomen est, quemadmodum & ens. Hãc ego quęstionem & uidi cum scriberem & dissolui, nam simul ac probaui ens, quia id significat quod non est ex se, sed alterius participatu est, enunciari de Deo non posse, adiunxi cui scilicet Deo, quoniã unius datur appellatio, consequẽs inde ut unum supra ens esse fateamur, statimq; post hæc tuæ isti occurrens obiectioni adieci: uocamus autem tunc Deum unum non tam enunciantes quid sit, quàm quomodo sit omnia quæ est, & quoquo modo ab illo omnia sint, unum enim inquit Dionysius, dicitur Deus, quia unice est omnia, rursus unus dicitur, quia ita principium omnium est, quæ sunt sicut omnium numerorum principium unitas est. Hæc ego ibi ad uerbum: Si igitur cum Deum unum dicimus, enũciare uolumus quid sit, fateor te cum eadem ratione dici unum non posse, qua neq; ens dici potest, quia utrunq; scilicet, concretũ nomen est. Quin hoc ipsum ego te prior in eodem libro apertè asserui per hæc uerba: Hæc nomina ens uerum unum bonum concretũ, quid dicunt, & quasi participatũ. Quare rursus dicimus Deum super ens, super uerum, super unum, super bonum esse, quia ipsum esse est ipsa ueritas, ipsa unitas, ipsa bonitas. Hæc ibi. Non me igitur fugit, cum scribebam, & æquè concreta esse ens & unum, & ratione concretionis aut neutrum aut utrunq; pariter à Deo remouendũ. Verum quemadmodum supra admonueram, cum Deum unum non tamen ens dicimus, nõ quid sit Deus, sed quomodo sit id quod est significamus, quia scilicet, principalissimè & simplicissimè est omnia. Qui modus per entis appellationem nullo pacto uel indicari, uel figurari potest, per unitatis autem typum & cognominationem potes. Ita enim se habent entia, sicut numeri, ut scribit Aristoteles, & numerorum tam principalissima quàm simplicissima unitas est. Adijcis admirari te quòd non solum iuxta Platonem, sed iuxta Aristotelem etiam uelim defendere, Deum nõ esse ens. Ego uero si librum attentius percurristi, hoc toto opere principaliter ago, ut ostendam Deum & esse & dici propriè ens, non solum ex Aristotelis dogmate, sed etiam Platonis, consequenter unum non esse ente superius. Verum ne omnino insanire uiderentur qui id dixerunt Deum scilicet, non esse ens, sed super ens, inter quos si nec Plato sit, nec Aristoteles, certe Dionysius est Areopagita utroque maior, probare conatus sum aliquam esse locutionis rationem, quam si sequamur non absonum erit à ueritate, Deum appellatione entis esse maiorem, quam à Peripateticis etiam interdum usur-

usurpari, licet adeo abhorreas, negare tamen non potes nisi illorum neges authoritatem. Quibus tua etiam sententia primus in illa familia locus debetur. Nam diuisionem entis in substantiam & accidens frequentem esse apud Aristotelicos quis nescit? Cum aũt ita ens diuiditur Deum non ens sed supra ens esse, tui Thomæ sententia est, de quo illud olim solebas dicere Thomam aufer, mutus fiet Aristoteles, uerba Thomæ ferme hæc sunt: Deus nec accidens est, nec substãtia propriè dici potest, tum quia substantia ideò substantia dicitur, quia substat, tum quia substantia quidditatem indicat quæ aliud est ab esse eius. Quare illa diuisio entis in substãtiam & accidens, diuisio entis creati est, hæc ille. Præterea cũ dicit Aristoteles primum philosophum de ente agere quatenus est ens & causis principijsq; entis, multi sunt ex Peripateticis qui uelint inter entia ibi ab Aristotele Deum non collocari, sed inter causas entis. Posse autem & rursus alia ratione locutionis propriè dici Deum esse ens, non modo non negaui, sed asserui confirmauiq; etiam multis rationibus, tertio capite eiusdem operis. Nescio autem cur tu imitator semper authorum illustrium, nunc tamen à clarissimis Peripateticis ad illos deficias, qui Deum sub genere collocant, quibus Boëthium se nullo modo annumerari uelle non dubito. Postremo nec unius diuisum, nec falsum ueri, nec boni malum esse negationem contendis. Equidem de horum oppositionibus scio non facilem esse controuersiam inter magnos authores, ob idq; librum in quo de his obiter tractabatur hac clausula terminaui: Quæ omnia breuiter hic perstringimus, fœta alioquin quæstionum multarum atq; magnarum. Minus autem probabilem aut ueram esse sententiam quam sum sequutus, ut dubitem, nihil me mouent quæ tu obijcis. Chimeram ais nec unam esse nec diuisam. Ego uero dico Chimeram quam mente concipimus, ideo non esse, quia partes ex quibus illam cõstare intelligimus, apud te rerum naturam diuisæ, non autem unitæ sunt. Et quemadmodum illud non est cuius partes ex quibus constitueretur si esset diuisæ sunt, ita illud non solum non est, sed necesse potest cuius partes nec sunt unitæ, nec ui naturæ uniri possint.

Quare non aliam ob causam chimeram non solum non esse dicimus, sed nec fieri posse credimus ut sit, nisi quia bruta, ex quibus illam effingimus, in unam coitura aliquando animalis compositionem non est credibile. Rursum instas, quia diametrum non esse commensurabilem, neque unum, neque diuisum est. Falleris mea quidem sententia. Nam qua ratione falsum, eadem necessario in se diuisum est. Eatenus enim aliquid falsum deprehenditur, quatenus secum pugnat, & contradictionem includit. Quid autem est aliud contradictionem includere, quàm in seipso esse diuisum? Omne igitur uerum unum, quia sibi constans & consonum: Omne falsum diuisum, quia secum pugnans & sibijpsi non cohærens

rens est. Falsum negationem esse ueri multi crediderunt, id quod te etiam non latet, nec obstant argumenta quæ affers. Falsum enim ut dixi illud uocamus quod non est, id quod uidetur, ut falsum aurum quod uidetur esse aurum, nec tamen est aurum. Quanquam autem falsum aurum non solum non sit aurum, sed & aliud sit quàm aurum, ei tamen quatenus falsum est, accidit esse aliud quippiam præter aurum, sed ideò falsum est, quia nō est aurum quod tamen esse uidetur. Aurum igitur falsum est quòd ideæ auri non quadrat, sed quia ideæ quadrat æris uel argenti, ideo nō omnino falsum, sed falsum duntaxat: aurum est, sicut neq; omnino est non ens, quia licet non sit hoc quod est aurum, aliud tamen quippiam est, æs puta, plumbum uel argentum. Quod autem nulli ideæ respondet, id omnino & absolutè falsum est, sicut etiam omnino est ens, quale est quod chimerā nuncupamus. Vide igitur ut pari cursu procedant, non ens, diuisum & falsum, utque propriè & chimera falsa, & omne falsum diuisum dici merito possit. Malum uerò non aduersari bono oppositione contraria, ut tu censes, & Albertus docet exponēs Aristotelis cathegoricas, & Thomas tuus latissimè in prima quæstione de malo, quæ omnia credo iampridem tibi esse notissima. Vale.

IOANNI PICO MIRANDVLAE ANTONIVS CItadinus, S. Obiectiones secundæ.

QVantum ego amarim te ac semper coluerim uir præstātissimè tu ipse testis es, qui diligentem præcipuamq; erga te operam meam facile recordari potes, si uelis. Quod si nūc ab Antonio uetere amico & compatre amari, aut dubitas, aut nequaquam credis, parum hercle meæ erga te obseruantiæ meministi. Qui enim fieri potest ut quem uix philosophiæ initiatum dilexerim, coluerim, nūc doctrina, probitateq; insignem non amem, non admirer. Vtinam æqua te omnes benuolentia complexi essent, quib. cum familiariter uersatus es, quali quantaq; Picum suum compater tuus semper prosecutus est, sed iam ad nostra ueniamus: Ais libellum tuum de ente & uno probe inscribi potuisse, quòd titulus operis curtus, & si entis, uniusq; tractatum promittat, Procœmium tamen quod fusus est titulus, qualem tractatum polliceatur explanat, mutuam, scilicet, entis uniusq; conuersionem, sed uide obsecro nunquid ista hæc tua defensio sufficiat, pari enim ratione si libellus æderetur in quo sola animi immortalitas ab authore esse tasserta, de anima libellus merito posset inscribi: Author enim operis disputationem ingrediens mox quæstionem forte proponeret, interrogans nunquid anima immortalis sit nec ne? hæc uera obiectio in priore epistola tota ferè rxplicata est, sed nihil iudicio meo respondisti. Præterea si circa uelocitatem motuum quæstio fiat, nunquid arithmeticam, geometricamúe proportionem cōsequatur, &in

& in principio operis multa author se ex geometria desumpturū promittat, posset libellus de geometria inscribi, qui tamē circa motus uersaretur. Sed hæc utpote friuola omittamus. Alio libello in hanc sententiam à me scriptum est. Nemo inquam, dixit Platonicos aliud sentire nisi aut omnes aut plurimi id sentiant. Si uero Themistius inter Platonicos non ignobilis ex Platonis sententia affirmat ideam quæ rerum principium est uerè ac propriè ens esse absolutè, pronunciandum non fuit Platonicos iuxta Platonem arbitrari Deum uerè ac propriè ens non esse, idea enim Deus est; Tu uerò respondes aliud esse ideam, aliud Deum, quòd si datum sit ideam Deum esse, iam non propterea colligi oportere Deum propriè ac uerè ens esse, deus enim atq; idea & si non re, ratione tamen discrepant. Sed ego nolim hoc loco disputare, nunquid Platonici existiment aliud esse Deum aliud ideam, cum sit quæstio à proposito longe aliena, quanquam plurimi authores Græci pariter & Latini ideas Platonis in Deo cōstituant: Platonem imitati satis uideor proposito fecisse, quòd mōstrarim Platonicum quendam, neq; hercle ignobilem asserere iuxta Platonem ideam, ac propterea Deum uerè ac propriè ens esse, neque enim rationis discrepantia ad quam refugis hac in re aliquid facit. Idea enim relatiua est, Deus autē absoluta res est, Si igitur Deus ea parte qua extrorsus refertur uerè ac propriè ens est, quanto magis ens censeri debet ea ratione qua Deus est & in propria natura consistit. Cur enim idea ea ratione qua idea est uerè ac propriè ens est? Nulla inquam ratio assignari potest, nisi dicatur ideò uerè ac propriè ens esse, quòd uerè ac propriè est. Magis igitur Deus ea ratione qua Deus est uerè ac propriè ens erit, ego inq̄t, sum qui sum. Præterea hoc modo obiectum est si Platonici ideo iure defendi possunt, qui aiunt Deum uerè ac propriè ens non esse, sed unum, quia nomen entis cōcretum est quod alienum aliquid significat ab eo quod est, unum autem ideo esse quòd unicè omnia est, pari pacto colligi potest Deum unū nō esse, unum enim concretum nomen est. Quinimò nec beatus erit nec Deus, utraque enim uocabula sunt concreta: Tu uerò respondes Deum non appellare unum quasi unius nomine Dei substantia monstretur: sed quomodo sit id quod est explicari: sed rogo quorsum hoc? nondum enim soluitur obiectio, Deum dicis non esse ens, sed unum, quia entis nomen concretum est. Si igitur unum quoque concretuu est, nónne eadem ratione colligi oportet Deum unum non esse, nec Deum quod nomen ad substantiam pertinet, quemadmodum & ens. Præterea si ideo unus est quia unicè est id quod est, cur ens quoque appellari non debuit, uno enim esse omnia est, quæ est, sapientia, scilicet, & bonitas, & potentia, non enim unus dicitur, quia solus sit unus, eadem igitur ratione ens uocari poterit, licet solus non sit ens, est enim maximè ens. Præterea ratio ea nondum soluta est qua ita dicebatur: Deus uerè ac propriè ens est, ego enim, inquit, sum

qui

qui sum. Rursum miratus sum quòd defenderes iuxta Aristotelem quòq; Deum aliquando nomine entis minime censeri, quia non esset per se ens, neque per accidens, neque substantia, neque accidẽs. Ego enim monstraui Deum neque ens per se, neq; per accidens esse, neq; inter substantiam et accidens medium aliquid cogitari posse. Tu uero primæ obiectioni nihil respondes. Contra uero secundam unum duntaxat Aristot. interpretem allegas, hoc est, beatum Thomam, qui ait Deum propriè substantiam non esse, eo quòd nulli substat accidẽti, nec essentia Dei aliud est à Deo. Sed uide uir præstantissimè nunquid Thomas aduersum te testimonium ferat? Si enim entis in substantiam & accidens diuisio, iuxta beatum Thomam entis creati diuisio est, quemadmodum refers, quomodo ignorari potest aliquid ens increatum esse, quod Deus est, qua igitur ratione tueri potes iuxta B. Thomæ interpretationem Aristotelem arbitrari Deum propriè uerè ens non esse, sed quanquam B. Thom. quodam in loco negare uideatur, Deum propriè substantiam esse Magistrum sententiarum imitatus, eo quòd nulli subest accidenti, nõtamen propterea falsum est quod scripsimus superiore epistola inter substantiã & accidens mediũ non esse, quod beatus Thom. plærisq; in locis efficacibus probat argumentis, neque tu unum ex ijs quæ ad te scripta sunt soluisti: Si igitur aliquando Deum negat esse substantiam, uerba ipsa quæ affers hominis mentẽ plane aperiũt. Substãtia enim modis multis dici potest, quod ipsemet prima parte latius explanat. Aliquando enim propriè substantia eo dicta est quòd accidentibus substat, qua ratione negat Deum esse substantiam, nec id quidẽ simpliciter & absolutè, sed ait propriè substantia non est, quia nulli substat accidenti, Substantia uero nonnunquam dicitur quòd per se est, & substantiuo non eget, quo modo Thom. substantiæ nomen aliquando & quidem frequenter usurpat. Sic autem inter substantiam & accidens nulla medietas cogitari potest, est enim utriusq; per affirmationem negationemq; diuisio. Quod uero nulla ductus necessitate, sed mea spõte affirmaui ex Boëthij Augustiniq; sententia Deum per se in prædicamento collocari, nõ id propterea dixi quòd B. Thomam non magnifaciam, non uenerer, non probem, sed id propterea dixi, quòd sola B. Thom. authoritas non sufficit ad monstrandum, uel Aristot. uel Aristotelicos arbitrari Deum in prædicamento nequaquam collocari, neq; propterea ab optimis authoribus ad improbos & plebeios deficio, imò optimos sequor & probo. Nũquid tu B. Thomã uel Boëthio uel Augustino uel æqualem facis, uel superiorem? Ego quidem omnes & olim legi & indies lego, nec puto uegeti quenpiam esse ingenij: qui ea quæ à Britãnis nostris Suisset dico & similes excogitata sunt aut ignoret aut negligat. Non equidem omnia quæ ab illis scripta sunt probo, & admiror, uerum nonnulla nec hercle pauca soleo sæpenumero ex Aristotelis proborũq; authorum sentẽtia infirmare, sed non possum

sum non mirari maximam hominum subtilitatem & acutissimas in rebus physicis rationes, quas ipse etiam Aristot. si à mortuis resurgeret admiraretur, & mirũ in modum extollerct subtilitatem saltem in pluribus probans, & si non ueritatem. Defendis præterea unius negationem esse diuisum: Chimera enim inquis, diuisa est, eo quòd ea ex quibus constaret si esset, ab inuicem diuisa sunt, neq; uniri possunt. Diametrum uero commensurabilem esse, ideo diuisum putas, quòd à seipso diuisum est & dissonat: Verba quibus uteris hæc sunt: Eatenus enim aliud falsum esse deprehenditur quatenus secum pugnat & contradictionem includit: Quid autem est aliud contradictionem includere quàm in seipso esse diuisum. Omne igitur uerum unum, quia sibi constans & consonum: omne falsum diuisum, quia secum pugnans & sibiipsi non cohærens est, sed uide quomodo positionem tuam possis sustinere. Si enim aliquid ideò unum est quod sibi consonum est, & à se diuisum falsum ipsum & impossibile unum erit et uerum: Non dixerim hoc falsum & illud quod est Chimeram esse, uel ceruum uolare, sed ipsam falsi impossibilisq; naturam intelligo, quam probabo unam esse & ueram, chimera quippe iuxta tuum dogma diuisa est, propterea quòd partes ab inuicem semper diuisæ sunt, propterea etiam quòd à se diuisa est, neq; enim chimera est chimera, eademq; ratione diametrum esse commensurabilem diuisum est, neque enim aliter intelligi potest utrunq; horum à seipso dissonare secumq; pugnare. At falsum ipsum si seperatim spectes, falsum est, impossibile quoq; impossibile est, neutrũ igitur secum pugnat, neutrũ à se dissonum est, mortui quoq; eadem ratione nequaquam secum pugnant. Sũt enim mortui qui iam mortui sunt, quodlibet igitur horum unum est & uerum, si eo aliud est, unum quòd à se indiuisum est. Præterea quomodo uerum est omne quod falsum est contradictionem claudere? Nónne multa sunt falsa quæ uel naturæ uel hominis potestate uera esse possunt? Diffinitionem etiam ueri rursus à te positam defendere conaris, aisq; uerum esse quod uidetur esse quod est, falsum uerò quod uidetur quod nõ est, nunc propterea colligi putas falsum ueri negationem non esse. Sed argumento meo nihil, pace tua dixerim, hactenus respondisti, argumentũ tale est. Si uerum est quod uidetur quod est: Falsum uero quod uidetur quod non est, cum inter uideri quod est, & uideri quod non est nulla contradictio sit, non erit falsum ueri negatio. Si nanq; nec homo esset in rerũ natura, nec Deus, Socrates non esset, non itaq; uideretur, quod esset, neq; quod non esset, nõ uerus igitur esset, nec falsus, esset autem non ens, non ens igitur & falsum aliquando dissentiunt. Beatus etiã Thomas, cui non refragaris, uerum falsumq; inuicem contraria esse pronũciat, si ad animum referant, ex quo tua sententia ueri falsiq; ratio dependet. Existimatio, inquit, uera falsaq; sunt inuicem contrarie, quemadmodum Aristot. dicit. Postremo negas bonum malumq; esse inuicem contraria, neq;

propterea rationi respondes, qua probatū est esse cōtraria, nec saluas quo-modo malum sit boni negatio. Ego enim ita dixi: Nulla negatio, ea præ-sertim quæ illa cōplectitur quę non sunt genus, esse potest. In topicis enim ab Aristotele dicitur, nō entis nō esse genera nec species, malum igit quod omnia cōplectitur non entia genus esse non potest: quomodo igitur Aris-tot. uir summus dixit in prædicamentis bonum & malum contrariorum genera esse. Ais etiã Albertum, quem arbitror apud te momētum habere, negare bonū, malumq; esse inuicem contraria, idemq; B. Thom. sentire in prima quæstione de malo, nec propterea respondes quomodo Boëthius aut uerum dixerit, aut mentitus sit qui in prædicamentis ait bonum ma-lumq; esse inuicem contraria, non quòd quemadmodū album & nigrum, calidum & frigidū, quæ omnia ueræ qualitates sunt, sed quemadmodum sanum & ægrum, forte ac debile, rarum & densum, pulchrum & turpe, & similia huiusmodi multa, nec B. Thomas id negat, sed uir eminentis-simus in prima quæstione de malo, circa solutionem secundi argumenti, monstrat quomodo bonum & malum, & si priuationis & habitus oppo-sitione aduersentur, inter contraria tamen computari solent, idq; Simpli-cij authoritate confirmat. Obiectiones igitur nostræ quæ ob solam ueri-tatis indaginem, mutuāq; inter nos charitatem excogitatæ sunt, nondum mihi uidentur ex toto infirmatæ, rogo igitur obsecroq; ut eo amore quo Angelo tuo Politiano uiro nostræ ætatis doctissimo Platonici dogmatis ueritatem aperire conatus es, nobis quoque eodem zelo nodos ac scirpos nostræ imbecillitatis exoluas, ego quidem plurimis lectionibus & medi-candi officio interim sum implicitus, tu uero qui totus cōtemplationi ua-cas, & per gradus quatuor in profundam Dei caliginem niti potes, nul-lo uel pauciss imo labore è tenebris lucem uindicabis. Bene uale, nostri me-mor, ex Ferrarijs 11. Calendas Iunij 1491.

IOANNES PICVS MIRANDVLA ANTONIO CITA-dino S. Responsio obiectionum secundarum.

AVt breuis nimio plus, aut certe obscurior fuit prior epistola in solu-endis quæstionibus tuis, super eo libello quem nuper ædidi de ente & uno, iteras enim easdem quæstiones, & de eisdem eadem dubitas. Equidem non negabo in primis literis quædam omissa, quibus nihil responsum est, ne in leuibus rebus uerba prodigerem, quædam bre-uiter à me tractata ut qui philosopho homini indicandas res potius cre-derem quàm explicandas. Nunc postquàm à me hoc postulas, minutu-la etiam quęque consectabimur, & per singula capita tuarum quæstio-num iubebo meminisse eorum quæ prius scripsimus, excitaboq; ubi erit opus ad eorum profundiorem intelligentiam. Porrò quoniam tu neque Platonicas commentationes, neq; ob ignorantiam etiã Græcę linguę Grę-cos hactenus Peripateticos attigisti, ducã te per lineas, decretaq; Latinorũ

præ-

præsertim Thom. qui tibi magis familiaris, ad Platonicorum, de quibus agitur in meo libro, sensa percipienda. Est autem quod te angit in primis, qua nam ratione Platonici Deum super ens collocent. Nã si Deus (inquis) uerè est, certè uerè ac propriè ens est, & dicitur, quàm dudum sedens quispiam uerè dicitur, quia sedeat. Addis quatenus idea est, ens est, multo magis quatenus Deus est, ens forte ut sit & dicatur: Quod si non omnes quidem Platonici ideam & Deum idem esse concedant, satis tamen ad me oppugnandum esse ais, si id unus Themistius non dixerit, quod ego Platonicis in commune adscripserim. Illud item intelligere non potes, quomodo Deum dicam unum appellari, cum per hoc non quid sit, sed quomodo sit esse quæ est significamus. nam si unus est inquis, quia unicè est omnia, cur non ens quoque appellari debet, cum uno esse sit omnia quæ est. Non enim unus dicitur quia solus sit unus. Quare uocari pariter ens poterit, quanquam solus ens nõ sit. Hæc sunt primum quibus te extricare non potes, sed paucis, & quemadmodum sum pollicitus ex his etiam quæ tibi sunt nota omnem à te dubitationis scrupulum amouebo. Nosti aliud esse apud Thomam essentiam rei, aliud existentiã. Existentia rei illud est quo res est, hoc est existit. Essentia illud est quo res certam speciem adipiscitur, aut equi scilicet, aut lapidis, aut uirgulti. Quare quod essentia dicitur etiam à iunioribus quidditas appellatur, quia scilicet ex essentiæ notione, scimus quidnam sit res. Cũ igitur, ut Aristoteles docet secundo libro Analiticorum posteriorum, alia quæstio sit cum percontamur an uerbi causa, rosa sit, alia cũ scire uolumus quidnam sit rosa. Prima utiq; quæstio ad rei existentiam spectat. Secunda ad essentiam, siue ut uerbis utamur recentiorum, ad quidditatem. Rursus memineris ex sententia Thomæ omnia citra Deum quæ actu sunt ex essentia & esse (sic enim uocat existentiam) esse composita, Deum ipsum neq; compositum esse ex essentia & existentia, neq; rursus essentiam esse, sed puram ipsamq; existentiam à qua deinceps omnis alia rerum creatarum existentia deriuantur, creatis scilicet essentijs cõmunicata. Adde his dictione hac quæ est ens plerunq; essentiam indicari, hac autem dictione est indicari existentiam nõ essentiam. Quod te idem Thomas docet in prima quæstione de malo, ubi ait, cum dicimus hoc aut illud esse ens, quæstioni responderi qua quæritur quid sit res (hęc autem ut supradiximus quæstio ad essentiam rei spectat) cũ uero dicimus hoc est aut nõ est, satisfieri quærenti an sit res, quæ ut dicebamus quæstio attinet ad existentiam. Iam omnis tibi ut credo Platonicorum sententia & tuæ obiectionis solutio aperta est. Nam si Deus existentia est, non autẽ essentia ut uerè dicimus Deum esse, ita uerè negamus Deum esse ens. Nec possum non mirari te, etiam si Platonica non legeris in Thom. tamen lectione frequentem huic adeò insistere argumentationi, Deus est, ergo est ens, cum ipse Thomas ad uerbum dicat, non se hæc mutuo consequi esse

& esse ens, sed ad diuersas omnino quæstiones neque cognatas inuicem pertinere. Quãquam quid opus hic Thom. authoritate? Quis dubitat nisi insipiens an sit Deus? quis rursus nisi insipiens præsumit scire etiam aliqua ex parte uel minima quid sit Deus. Cum igitur diuersissima sint scire an sit Deus & scire quid sit Deus, diuersissima etiam erit oratio, qua dicitur Deus est, ab ea qua dicitur Deus est ens, cum illa etiam Deum esse quo nihil est certius asseueret, hæc uero quid sit Deus aliqua ex parte, quo nihil incertius audeat pronunciare. Quapropter rectissimè tibi quærenti interdisputandum quid esset Deus? respondit uir doctissimus Politianus noster ex Simonidis poëtæ sententia se nescire quid esset. Longe aũt abest ab hoc proposito exemplum quod tu affers de sedente: quoniam non æquè uariant hæc sedentem esse & sedere, atq; hæc duo esse & ens. Eidem enim quæstioni respondeo cum dico Socrat. sedere, cui respondeo, dicens illum esse sedentem quæstioni scilicet, qua quis de Socratis me positura percontatur. Sicut & cum dicimus Socrates albus est, & Socrates albicat, eidem satisfit quæstioni, qua scilicet quæritur, qualisnam sit Socrates, sed nõ eadem ratio inter ens & est, quorum alterum, ut sæpe idem inculcemus, quid sit res, alterum an sit interrogantibus manifestat. Hic etiam patet, si Deus ut idea ens dicitur, non tamen sequi ut quatenus etiam absolutus in se concipitur entis habeat appelletionem: nam sicut ideæ: ita etiam essentiæ induit rationem, ut uerò ipse supra omnem essentiam habitudinemq; ad res creatas intelligitur entis nomine maior est. Quod enim ens nõ dicitur, nõ deficientiæ est, ut credis, sed eminẽtiæ. Quare & à Platonicis potius super ens quàm non ens esse pronunciatur. Quibus equidem nescio cur Themistium obstinatè adeo contendas annumerare, de quo si ueteres percontaris respondebunt omnes Peripateticum esse & Themistium, non Platonicum, ipsum si interroges, paraphrastem puto, se Aristotelis dicet & sectatorem, non Platonis. Sed forte ideò (patere me iocari) tu illum uel nolentem in Academiam trahis, ne uideare omnino Platonica & Græca ignorare, qui Themistium saltem legeris beneficio Hermolai nostri Latinum factum. Sed sit Platonicus Themistius, sit etiam uerus omnino, abunde satis & hac & priore epistola declarauimus nihil nostræ sententiæ refragari, quæ ille dicit, quoniam de Deo alia ut Deus est, alia ut idea est Platonici enunciabunt. Veniamus ad illud, quare unum dicatur Deus, cũ tamen ens nõ dicitur. Reuoca ad memoriam, quæ primis ad te literis scripsimus. Vnum cũ dicunt Deum Platonici, non quid sit enunciant, sed quomodo sit id quod est, sed neq; hoc satis intelligant. Dicam apertius. Si percontaris academicum hominem, quid sit Deus? respondebit non solum à se tibi non posse responderi quid sit, sed neque à te hoc iure quæri debere, sed esse indignam hanc de eo quæstionem. Qui super omnem essentiam, superq; omne intelligibile sit, hoc à se tantum posse asseuerari esse illum

unitas

unitati similimum, quoniam ut hæc numerorum, ita ille rerum omnium, quæ sunt principiũ sit, ut hæc numeros omnes pares & impares, ipsa neq; par neq; impar sua indiuidua simplicitate complectitur, ita illæ res omnes sua impartibili infinitate claudit, & continet, uides ne quid sit dictu, per unius appellationem nõ quid sit Deus indicari, sed quomodo sit id quod est? Denique si dicamus: Deus unitati similis est: quod uolumus significare, cum illi unius appellationem damus, utique ueri erimus. Si dicamus: Deus enti similis est auditoribus, certè risum faciemus. Sed quid plura in re aperta. Aut enim hæc satis, aut nescio quid uerborum satis esse possit. Colligitur autẽ & hinc cur Deus sub nullo genere sit. Genera enim rerum essentiæ sunt, Deus autem nec essentia est, nec essentiam habet. Quapropter cũ ens ita à Peripateticis interdum accipiatur, ut decem tantum genera ambiat, manifestum est sub entis nomine, quo Aristotelis etiam sectatores aliquando utuntur Deum non contineri. Tu uerò instas à Thom. aliisq; ex eadem familia sæpe ita & substantiam, & ens usurpari, ut Deus & substantia & ens dicatur. Quasi uel ego hoc ignorem, quod nemo nescit, uel id mihi satis non sit, si interdum aliter faciant, qui non semper, sed quandoq; hac eos in illum modum dictione uti solitos dixerim. Transeamus ad ea quæ obijcis de oppositione unius, & diuisi equidem, ut puto ludens cauillis me puerilibus tentas. Nam si falsum inquis diuisum, certe falsum falsum nõ est. Falsum enim à se nõ est diuisum, quia falsum falsum est. Mortui item ais nequaquã secum pugnãt, sunt enim mortui qui iam mortui sunt. Porro Antoni cum dixi pugnare secum quæ falsa sunt: Si pugna hæc pugno fit, aut telo etiam mortui fateor inter se non pugnant, neq; falsi sunt. Sed & sicut falsum est falsum, ita falsum esse falsum non falsum, sed uerum est propterea non diuisum sed unum. Addis falso à me dici, quod falsum est contradictionem claudere. Quia multa sunt falsa, quæ uel naturæ uel hominis potestate uerè esse possunt. Tu uero illud cogita, omne quod falsum est, quamdiu falsum est, tamdiu contradictionem claudere. Sed sicut quædam ita falsa sunt ut possint fieri uera. Quædam autem ita sunt falsa, ut uera esse nunquam possint. Ita sunt quædam adeo sibi contradicentia, secumq; pugnantia ut in amicitiam redire & concordiam nunquam possint. Quædam ita se oderunt, ut redire tamẽ in gratiam possint. Exemplo hoc erit manifestum hominem esse leonem semper falsum est, quia semper contradictionem claudit, & sicut nunquam ad unionem, ita nunquam ad ueritatem redigi potest. At me sedere, neq; uerum est, neq; falsum. Si uerò adijcias me sedere dum sto, illico ad falsitatem, ita etiam inuehis contradictionem. Nam me sedere dum sto contradictionem includit, & quàm primum desinit esse falsum, ut cum sedere incipio, tam primum à diuisione redit ad unitatem. Cæterum quæ de falsi ueriq; oppositione obijcis iam in priore epistola soluta sunt. Ais enim si uerum est, quod uidetur,

quod est, falsum uero, quod uidetur: quòd non est. Cum inter uideri quod est, & uideri quod non est, nulla contradictio sit, non erit falsum ueri negatio. Ego uero non ita accipio rationem falsi, ut in eo sit, quod uidetur aliquid esse, quod non est. Sed in hoc esse rationem illius uolo quod non est illud, quod esse dicitur. Aurum enim falsum, ideò falsum, quia non est aurum: & quantum ad falsi attinet rationem accidit ei, aut uideri, aut esse aliquid præter aurum. Quod uero dicis non solutam à me argumẽtationem tuam, qua probas bonum & malum esse contraria. Dicam ingenue, non putaui ibi opus esse solutione, ubi nodus non erat. Est autem illa huiusmodi: Bonum appetendum est, malum uero fugiendum. Appetere & fugere sunt motus contrarij. Bonum igitur & malum sunt contraria. Mihi uero hæc tua ratiocinatio adeò efficax tantarumq; esse uirium uidetur, ut non bonum tantũmodo & malum, de quibus fortasse quis ambigat, sed etiam esse & non esse, quæ nemo nescit esse contradictoria probet esse cõtraria. Ita enim colligemus, esse est appetendum, non esse est fugiendum. Appetere & fugere sunt motus contrarij. Esse igit & nõ esse sunt contraria. Aut igit mihi des esse & nõ esse, esse contraria. aut ego tibi bonũ & malum contraria esse non dabo? Aut inquies soluẽda alia ratio est. Non ens enim non est genus, quomodo igitur malum nihil est, cum Aristoteles dicat in prædicamentis bonum & malum genera esse contrariorum. Pleni sunt omnes Aristot. interprætes solutionibus huius quæstionis, ad quos ego te priore epistola delegaueram, ne superuacua me teq; simul opera implicarẽ. Vt igitur illud omittam, quod Simplicio non displicet ex Pythagoricorum more ibi locutum Aristotelem, qui duos statuunt ordines rerum, quorum alter sub bono, alter sub malo continetur, utiq; illum sæpe in logicis commentationibus exemplis ex aliorum potius quàm ex sua sentẽtia. Respondeo quod & apud Simplicium poteras legere: Ideo bonum malumq; contrariorum genera dici, quoniam alterum semper contrariorum rationem, mali & deficientiæ habet, ut nigrum, si albo: & amarum, si dulci comparetur. Ita enim contraria omnia ad bonum malumq; reducuntur, quatenus omnis defectus mali rationem habet, quocirca & primo libro physicæ auscultationis dicitur contraria semper secundum melioris peiorisq; inuicem rationem comparari. Mitto Porphyrij & recentiorum etiã multiplices alias solutiones. Sed illud satis mirari non possum quòd in hanc etiam Thom. descendere sententiam dicas, quod bonum & malum contraria sibi oppositione repugnent. Addisq; hoc ipsum ab eo Simplicij authoritate confirmari. Cũ tamen opinioni isti tuæ ille tota prima quæstione de malo pro uiribus aduersetur. Quid enim aliud ea potissimum agit disputatione, quàm ut probet malum esse nihil. Quod si malum nihil est, bono contrarium esse non potest: Quoniam utrumq; contrariorum natura aliquid est, atq; hoc ipsum est, quod ibi Thom. Simplicij authoritate con-

confirmat. Vide quantum aberras, qui confirmari testimonio Simplicij eam credis opinionem, quam ipse Simplicij testimonio infirmat: In quem errorem forte non incidisses, si ipsum Simplicij librum aliquãdo legisses, apud quem nulla unquam fit mentio de boni maliq; oppositione contraria. Quod si mihi obiectes ophthalmiam & ægritudinem, in quibus contrarietatem uidetur Thom. agnoscere, iubebo te illius uerba diligẽtius introspicere. Non enim hæc dicit esse contraria, sed ea cum sint priuationes interdum tamen appellari contraria. Quod cur fieri ipse uelit, si attendas uidebis, quàm ipsum malum contrarij proprietatem omnino nesciat. Eatenus enim hæc contrarij aliquo modo nomen sortiri posse cõcedit, quatenus omnem plane mali rationem non habent, sed bonitatis aliquid retinent, quam nondũ amiserunt. Quare eatenus aliquo modo cõtraria, quatenus aliquo modo non omnino mala. At si tibi ego mortem, si cæcitatem opponam, quæramq; an hæc ex sententia Thomæ sint uera mala, rursusq; an ea, quam tu dicis contrarietatis specie inuicem aduersentur. Quid sis responsurus omnino non uideo. Nam si hæc mala sunt, & eo ipso loco, unde Thomæ pro te testimonium affers, ille nullo modo hæc esse posse contraria, ea ipsa, quam tu in medium affers contrarietatis specie magna asseueratione contendat. Qua tu mente affirmas ex sententia Thomæ bonum malo aliqua contrarietatis oppositione repugnare, certe hoc cõsiderare debueras, quod de imperfectis quibusdam malis, ex ea quam adhuc retinent bonitatis admixtione cõceditur, ad ipsam immixtam absolutãq; mali naturam non esse transferendum. Vale.

IOANNI PICO MIRANDVLAE ANTONIVS CItadinus, S. Obiectiones tertiæ.

COnclusiones olim uerbo concessæ (nisi forte oblitus es) fuere [a] Deus est, Deus est unus, Deus non est Deus: Contradictionem claudit Deum, hoc est primum ens, non esse, & aurum esse, aduersus quas obiectiones nonnullas formaui, & in scriptis dedi. Expectabam igitur his obiectionibus tandem responderes posteaquã menses quatuor filuisti, maioribus fortasse negocijs implicitus. Tu uero primis duntaxat respondes, quas antea aduersus argumentorum quorundam solutiones formaueram. Ais autem primum hoc modo: Ostendã tibi per decreta Latinorum, ac præsertim beati Thomæ, licet Deus uerè ac propriè sit, non tamen propriè ens esse. Deus enim, inquis, iuxta Thomam nõ est essentia. Item iuxta eundem uocabulum entis essentiam plerunq; significat, & quæstioni quid est respondetur, uerbum uero ipsum, est, quæstioni an est reddi solet. Quapropter colligis iuxta Thomam Deum ens non esse, si neq; esse est, neque essentiam habet, sed duntaxat existit. [b] Sed dicas rogo ubinam in Thoma didicisti Deum essentiam non esse? cum totus Tho

mas huic sententiæ reclamet, nam in prima parte in Summa contra gentiles, in quæstionibus disputatis in libello de ente & essentia, in commentis in Aristot. in omnibus denique locis ubi res exigit Deum essentiam esse, & tenet & probat, nec in re tam clara opus est uerba hominis allegare. Si negaueris plura quàm sit opus recensebo. [c] Præterea in libello tuo de ente & uno, nisi excidit prius dixisti, ideo Deum iuxta Platonicos ens non esse, quòd Dei esse non est aliud ab eius essentia. Quomodo igitur nũc eosdem secutus, eosdem defendens, negas Deum essentiam esse. [d] Item dicas quo ex loco diui Thomæ deprehendisti entis uocabulum essentiam plærunq; significare, non etiam esse: Siquidem quarto Metaphysicæ & prima quæstione de ueritate, & alibi dicit, ideo ens dictum esse quòd est, rem uero, eo quòd essentia est uel essentiam habet. Item dicas ubinã in Thom. scire potuisti, quæstioni quid est rationabiliter responderi si dicatur est ens? Insulsum enim est quærere quid est, nisi sciatur rem esse, uti Aristot. 2. Analiticorum posteriorum libro, & Thom. aperte testantur. Esse autem intelligo quemadmodum substantiæ sunt & accidentia, in quibus utraq; essentia est, non quemadmodũ priuationes sunt & negationes, in quib. Thom. negare uidetur reperiri posse, quod quæstioni quid est responderi solet, siue id [f] uerum sit siue falsum quod ad præsens omittitur. [g] Verba uero Thom. in prima quæstione de malo, quæ tibi ni fallor erroris occasionem præstiterunt, quæ tu quoq; uideris innuere hæc sunt: Ens dupliciter dicitur, uno modo secundum quod significat naturam decem generum, & sic neq; malum neq; aliqua priuatio est ens, neq; aliquid. Alio modo secũdum quod respondetur ad quæstionem an est, & sic malum est, sicut & cæcitas est, non tamẽ malum est aliquid, quia esse aliquid non solũ significat quod respondetur ad quæstionem an est, sed etiam quod respondet ad quæstionem quid est, sed repete oro diligentius tanti uerba philosophi, aduersus enim te sententiam ferunt, quod ita [h] monstratur, Thom. palam dicit ens & aliquid dupliciter dici. Vno modo quòd alicuius generis naturam habet. Alio modo quòd quæstioni an est respondetur. Deus autem quæstioni an Deus est, respondetur, nec mendax est responsio, Deus igitur ens est. Quod si ulterius procedendum est dicamus hoc modo nihil à Thom. recedentes, quòd quæstioni an est, iure respondetur ens est, igitur quod quæstioni an res uerè ac propriè sit, respondetur uerè & propriè est ens. Sicut enim se habet quod simpliciter est ad id quod simpliciter est, ita quòd uerè ac propriè est ad id quod uerè & propriè est. Quærẽti autem an uerè & propriè Deus sit, rationabiliter respondetur Deus, uerè igitur & propriè ens est. Præterea Thom. [k] aliquid & ens iuxta primum modum uocat, quod quæstioni quid est, respondetur quærenti autem quid est quod mundum conseruat, & mouet, quod mortuos suscitat? rationabiliter Deus respondetur, primo igitur modo & secundo Deus est ens & aliquid. [l] Præterea

terea audebis ne iuxta Thom. negare Deum esse bonum, esse unum? Cum igitur bonum & ens & unū mutuo conuertantur, quomodo iuxta Thom. dici potest uel fingi Deū ens non esse. Tu uero ex his uerbis argumentari uideris (ni fallor) hoc modo ens uno modo dici, quòd naturā decem generū significat. Deus aūt in nullo est genere, Thoma etiam ipso testante, Deus igitur nō est ens neq; essentia. Sed aduertere debueras (patere me [m] iocari) si ratio efficax est Deum primo quidē modo ens non esse, licet enim in nullo sit genere, nihil tamē prohibet uerē ac propriè in rerum natura existere, & quæstioni an est ueraciter responderi. Quomodo igitur nesciri potuit alio modo ens esse. Prærerea ratio nihil uirium habet, sensus enim uerborum Thomę huiusmodi est. Ens uno modo dicit quod naturam decem generum significat, hoc est quòd substantiam significat & accidens, & omnia omnino positiua, quæ in decem generibus cōtinentur, aut per se, ut species & genera, aut uelut principia quædā, siue [n] coactata siue non, ut materia prima, & fortuna in genere substantiæ, & Deus & substantiales omnino differentiæ. Quo certe modo negationes priuationesq; ad genus pertinere non possunt. Alio modo ens dicit, quod responderi potest quæstioni an est siue uerū & positiuum ens sit siue non, unde exemplū subdens ait: & sic malum est, sicut & cæcitas est, hoc est, & sic malū est ens, sicut & cæcitas est ens. Nulla enim apud Thomam uerborum differentia est siue dicatur est, siue est ens. Quod uero subiungit, quia esse aliquid non solum significat, &c. non eo tendit ut sentiat quærenti quid est Luna, aut tonitruū rationabiliter respōderi, si dicatur est ens siue aliquid uti tu existimasse uideris. [o] Ridicula enim est huiusmodi solutio. Sed hoc huiusmodi est [p] esse, aliquid significat, maxime iuxta primū modum id esse, quod quæstioni quid est rationabiliter responderi potest, puta significat substantiā esse, uel accidens, uel animal, uel colorem, uel aliquid huiusmodi, quod quærenti quid est iure responderi possit. Cæcitas autem & malum nihil horū est. Quod uerò primum diuisionis membrum ea mente B. Thom. interprætari nolit, ipsemet explicat prima parte. quæst. 48. art. 2. quo quæritur, an malum in rebus sit. Ad secundum enim argumentum respondens [q] sic dicit. Sicut in 6. metaphysicæ. Ens dupliciter dicitur. Vno modo secundum quòd significat entitatē rei prout diuiditur per decem prædicamenta, & sic conuertitur cum re, & hoc modo nulla priuatio est ens, unde nec malum. Alio modo dicitur ens quod significat ueritatem propositionis, quæ in compositione consistit, cuius nota est hoc uerbū est, & hoc est ens, quod respondetur ad quæstionem an est, & sic cæcitatem dicimus esse in oculo, uel quācunque aliam priuationem, & hoc modo etiam malum dicitur ens, hæc Thom. Vides igitur quomodo primū diuisionis membrum cum re conuerti pronunciat. [r] Rem uero non negat Deum esse, & quicquid bonū est, omne enim bonū & illo argumento & prima quęstione de

malo

malo rem esse confitetur. [f] Quod si hæc uera sunt, nõdum ratio soluta est qua aduersus Platonicos dixi, ens eo dictum est, quòd est quemadmodum sedens, eo quòd sedet. Deus autem non solum est, uerum etiam propriè ac uerè est, uerè igitur ac propriè ens est, ita enim non ex Platonicis, [g] sed ex Thom. argumentum soluere uoluisti, ea Thomę asscribens, quæ ab hominis sententia penitus aliena esse nemo est qui Thomam legerit qui nesciat. Vnde nec alia ratio soluta est qua dixi, si Deus ea parte qua est idea est ens, multomagis ea parte qua Deus est, hoc enim absolutum quiddam, hoc uero relatiuum. Non enim uerum est quod modo respõdisti, Deum scilicet, essentiã esse à parte qua est idea, non aũt ea parte qua Deus est. [t] Iam enim monstratum est & ens esse essentiã. Præterea si Deus ea parte qua est idea, est ens & essentia, necesse est in Deo compositionem esse, quod facile probatur hoc modo: [u] Prius enim dixisti ideo Deũ iuxta Platonicos ens nõ esse, quòd esse Dei non est aliud à Deo. Si igitur idea est ens, hoc ideo erit quòd esse ideæ est aliud ab idea. Esse autem ideæ extra Deum locari uel fingi nõ potest, si deus idea est ut datum est, in deo igitur compositionem esse necesse est. Ais præterea deum à Platonicis unum uocari, quia unitati est similis, quæ licet omnes numeros potestate contineat pares scilicet, & impares, ipsa tamen nec par est nec impar. [y] Subtilis Hercle appellãdi ratio, quæ præter id quod Deus rebus similis esse non potest, ut Cicero dicit & Thom. non enim exemplar mundi mundo est simile, nec homo picturæ, alia causa stare non potest. Quod enim ex altero ob similitudinẽ siue analogiam nomen mutatur, proprio eiusdem nomine appellari cõsueuit, Statuam enim quæ hominem imitetur, hominem uocamus non humanã, locum quoq; qui propositionum differentia est, aut maxima propositio ex loci naturalis analogia, locum non etiam localem uocamus. Deus igitur si ex unitate ob similitudinem nomen sortitus est, non unus, sed unitas potius uocandus est. [A] Præterea si nomen omne concretum aliud significat & aliud, quomodo Platonici Deum nõ similitudinem potius quàm similem uocant. [B] Præterea si materia iuxta Platonicos una est, ut scribis, nec materiæ unitas aliud sit, aliud uero materia, quod abs te negari non puto, qua ratione una poterit defendi? nõ enim unitati similis est, alioquin Deo quoq; similis foret. Præterea prius quoq; dixisti Deũ esse unum, quia unicè est omnia, nunc uero [C] Platonicorum potius quàm Dionysij rationem approbare uideris, priore fortasis abiecta, quã si adhuc tenes reliquũ est argumentis respondeas, quæ scripta sunt. Non enim [a] radix cui inniteris ad soluendas obiectiones meas, uera est Deum scilicet, ens non esse neq; essentiam, quemadmodum iam plene declarauí, sed iam ad diffinitionẽ ueri à te positam ueniamus. Dixisti in priore libello uerum ab Aug. ita diffiniri. Verum est quod est, & ne eadem uideretur ueri & entis diffinitio, addi (inquis) oportet hoc modo uerũ est, quod est id quod dicitur. [b] Ego

ita q;

Itaque contra diffinitionem hoc modo opposui esse id quod dicitur, nihil aliud significare uidetur, nisi esse id quod appellatur. Rem autem appellari hoc nomine aut illo, est hoc aut illud uideri, quare tandem concludi uidebatur hoc modo esse id quod dicitur, nihil aliud est nisi esse quod uidetur. Cum igit̃ nulla contradictio sit, uideri esse quod est, & uideri esse quod non est, ideo probabam falsum non esse ueri negationem, si diffinitio constabat. Quoniam uerò nunc clarius diffinitionem tuam explicasti, nõ deerunt quæ magis multa uideantur formalem mihi diffinitionem improbare: Verũ enim inquis, est id quod dicitur. [c] Hoc est, uerum est quod est, id quod ipsum est, puta aurum est uerum aurum, quod est aurũ. Sed cõtra est q̃ si Deus nõ esset & aurũ foret. Aurum esset id quod ipsum est, & esset uerũ, tamen nõ esset, ex quo nulli quadret ideæ. Postea enim dicis res ueras esse quòd ideæ quadrant atq; respondẽt. Si uera diffinitio hominis est animal rationale, contradictio est putare, si Deus non esset, & homo esset animal rationale: hominem non esse hominem, neq; illud responderi potest, quod aliàs dictũ est contradictionẽ scilicet, claudere Deũ non esse & aurũ esse, nulla enim contradictio est, quod theologi quoq; ipsi, & philosophi, & dialectici apertè confitentur. Fingi enim potest aurum esse, Deũ tamen non esse, nec primã omnino causam nec primũ ens, qui enim infinitos esse [d] mũdos arbitrant̃, aut cœlos in infinitũ esse multiplices, aut multa huiusmodi similia, nõ propterea negant aurũ esse quod oculis cernit̃ & manibus tractat̃. Præterea siue cõtradictio sit siue nõ sit, nondũ ratio soluta est. Ego enim ita dico. [e] Si Deus nõ esset, & aurũ foret aurũ, esset aurũ, non tamẽ esset uerũ. Nõ igitur formalis ueri diffinitio est esse, id quod ipsum est: Sicut nec formalis esset hominis diffinitio si dixerim. Si Deus nõ esset & homo esset animal rationale, iã nõ propterea homo esset, nihil enim potest, ppria diffinitione destitui, nec cui piã potest diffinitio conuenire. Cui nomẽ diffinitũ aptari nõ possit. Præterea negare nõ potes aurum prius natura aurum esse q̃ Dei quadret ideæ. [f] absolutũ enim prius reuelatione est. Aurum igit̃ & si aurum sit, uerũ tamen esse nõ potest, nisi præter auri naturam similitudo quædã adueniat, qua exemplari suo respondeat, siue aliud sit similitudo, aliud aurum, siue non, quod propriam seorsum habet quæstionem. Præterea diffinitionem entis ponere uideris, hoc modo ens est quod est, alioquin non diceres diffinitionẽ Augustini hoc modo oportet explere. Verũ est id quod ipsum est, ne si quod est solummodo [g] diximus eadem uideatur ueri & entis diffinitio. Si igitur entis diffinitio est quod est ea uero ratione, qua ens est quod est, est quoq; ipsummet & ens. Eadem igitur ratione qua aliquid est ens, eadẽ uerũ sit necesse est, quod penitus falsum est. Præterea si uerũ est id quod ipsum est: [h] Cæcitas uera erit, & mors, & falsitas, & omnino non ens. Cæcitas enim est cæcitas, & mors est mors, & falsitas est falsitas, nõ ens quoq; est nõ ens, horũ quodlibet uerũ erit nullo intellectu

tellectu penitus cogitante. Quod si quodlibet horum uerũ est, necesse est unum sit. At scio mox dices: Nónne concessi quodlibet horũ esse ac propterea uerũ his uerbis, quæ ad te scripsi, sicut falsum est falsum, ita falsum esse falsum non falsum, sed uerum, propterea q̃ non diuisum sed unũ. Sed contra est quòd omne unum bonum est, eodem q̃ modo uerum. Cæcitas autem non solum mala est, sed iuxta ea quæ scribis omnino mala est, & nihil boni sapit, similiter & mors. Cæcitatis enim & mortis naturam appellare uideris, naturam mali absolutam bono q̃ impermixtam: Nihil igitur horum uerum est, nec unum maxime quando anima nõ cogitat. Præterea uerũ est quod quadrat ideæ. Cæcitas uero & mors nullam habent ideam. Præterea si Deus non esset, nec aliud quippiam quod intelligentiæ est capax, nihilominus nõ ens esset non ens, & nihil esset nihil, aut enim aliquid aut nihil, non quidem aliquid ut constat, igitur nihil & non ens, esset igitur id quod ipsum nunc est & tunc foret. Si igitur uerum est, id quod ipsum est non ens, & nihil uerum foret, quod fieri nõ potest, nulli enim quadraret ideæ, non igitur formalis ueri diffinitio est esse, id quod ipsum est. Conaris præterea defendere quod à te prius dictum est, falsum quodlibet contradictionem claudere, ais q̃ falsum omne contradictionem claudere quamdiu falsum. Adiicis & hæc uerba: At me sedere neq̃ uerum est neque falsum. Si uero adiicias me sedere dum sto, illico ut falsitatem ita etiã inuehis contradictionem, nam me sedere dum sto contradictionem claudit, & quàm primum desinit esse falsum, ut cum sedere incipio, tam primum à diuisione redit ad unitatem. Sed uideas ergo an tecum cõuenias. Verum enim & falsum opponi putas non quidem uelut contraria, sed tanquam affirmationem negationem q̃. Quomodo igitur medium reperiri potest nisi inter affirmationem negationem q̃ sit medium. Præterea omnis enunciatio aut est uera aut falsa, nisi primũ principium neges, quod est in quolibet contradictionis, alteram partem ueram alteram uero falsam. Quomodo igitur te sedere neq̃ uerum est neque falsum. Equidem non uideo qua ratione id tueri possis, nisi omnem philosophiam & cõtrariorum omnem conceptum tollas. Præterea si falsum omne contradictionẽ claudit quamdiu falsum est Deum non esse, quod falsum est contradictionem claudet quamdiu in rerum natura Deus existit. Si igitur Deus non esset, neque falsum esset Deum non esse neque contradictio, si igitur falsum est ueri negatio quemadmodum ponis erit uerum Deum non esse, si Deus non sit.

k Sed uerum omne bonum est ut das, igitur si Deus non esset, bonum foret Deum non esse, quod uidetur absurdum, neq̃ enim simpliciter bonum foret, neq̃ alicui bonum, sed omnino non ens. Præterea superiore epistola dixisti omne falsum ideo diuisum à seipso esse quod contradictionem claudit: Si igitur non omne falsum simpliciter & absolutè contradictionẽ claudit, sed solum quãdiu est falsum diuisum est. Cui enim ratio essendi & causa non

ſa nõ conuenit, nec id utiq; conuenit cuius ratio eſt, & ſi ſimpliciter nõ conuenit unum nec alterũ non igit̃ falſum omne ſimpliciter diuiſum eſt quod dari nõ poteſt. Omne enim falſum ſimpliciter & abſolutè eſt non ens. Ambo enim ut potius cõuertuntur eadẽ igit̃ ratione ſimpliciter diuiſum eſt. Si diuiſum & nõ ens commeãt. ¹ Præterea omne uerũ ſimpliciter unum eſt, igit̃ omne falſum ſimpliciter diuiſum eſt. Alterũ enim eſt alterius negatio, præterea ſi monſtrauero omne falſum abſoluto diuiſum eſſe, qd cauſę fuit cur nõ auderes enunciare ſimpliciter quidem & abſolutè omne falſum diuiſum eſſe, ſed tunc ſolum quãdo oppoſitio eſt. Diuiſionem uerò falſi demonſtramus hoc modo: Socratẽ ſedere eſt falſum, Socratẽ aũt ſedere, non eſt Socratem ſedere, igitur à ſeipſo diuiſum eſt. Si enim Socratẽ ſedere, eſt Socratem ſedere, & Socrates ſedens, eſt Socrates ſedens, ambo enim cõiugata ſunt. Si uerò Socrates ſedens, eſt Socrates, igitur facta ſimplici cõuerſione Socrates eſt Socrates, ſedens igitur eſt ſedens, igitur ſedet, quod falſum eſt: eadem ratione probabo chimeram non eſſe chimeram, nec chimeram eſſe, eſſe chimeram, chimerã eſſe. Si enim chimera eſt, chimera eſt animal. Chimeram enim intelligimus animal ex hirco conſtans & ceruo, aut aliqd huiuſmodi. Si uerò eſt animal, uiuere poteſt & mori, quod inter nos non conuenit, qui chimeram ponimus nequaquam à natura poſſe produci, ſicut nec mõs aureus generari poteſt. Præterea ſi chimera eſt animal aliquod, animal eſt chimera, ſed nullum animal eſt chimera. Omne enim animal eſt, & uiuit, & eſt ſimpliciter ens & aliquid, quod enim nõ eſt, non eſt animal, niſi æquiuoce. Chimera igitur non eſt chimera eadem ratione, nec chimerã eſſe eſt chimerã eſſe. Si enim generari eſt moueri, generatio eſt motus, igitur ſi generatio non eſt motus, nec generari eſt moueri. Pari ratione ſi chimeram eſſe eſt chimeram eſſe, chimera eſt chimera: Ambo enim coniugata ſunt, ſcilicet, chimera non eſt chimera, ut iam probatum eſt, igit̃ nec chimeram eſſe eſt chimeram eſſe. Præterea nulla chimera eſt chimera, igitur nullam chimeram eſſe chimeram uerum eſt, igitur falſum eſt aliquam chimeram eſſe chimeram. Eadem ratione monſtrabitur uacuum non eſſe uacuum ex quo non eſt, nec cæcitatem eſſe cæcitatem ſi nihil cæcũ ſit, ſemper tamen non ens eſt non ens, non eſſe enim non ens eſt & uerum, ſicut & chimeram non eſſe eſt, & uerum pariter & neceſſarium. Cur igitur uereri oportuit, nequid coargui poſſes, ſi ſimpliciter & abſotutè enunciaſſes omne falſum in ſeipſo diuiſum eſſe? Quare non fuit opus ad contradictionem refugere. Deinde ſolutam non eſſe argumentationem meã, qua probaui bonum malumq; eſſe inuicem contraria ingenue confiteris, ſed iccirco ſolutam non eſſe dicis, quod nodus non inerat. Arguta hercle excuſatio, ᵐ ſed mirum eſt ſi nodus non inerat quomodo nodum ſoluere potuiſti, uerba argumẽtationis meæ quæ in primis literis ad te ſcripta ſunt, hoc modo ſe habent: Bonum ea ratione, qua bonum eſt, expetendum eſt, ma-

malum uero fugiendum. Expetere uerò & fugere sunt inuicem cõtraria, quemadmodum congregare segregareq;. Bonũ igitur & malum erunt inuicem contraria, quod Boëthius quoq; in prędicamentis asseuerat. Tu uero ita respondes: Esse est appetendum, non esse est fugiendum, non tamen sequitur esse cõtraria: Sed rogo uidetur ne tibi argumentatio tua meæ [a] similis esse? dicas hoc modo esse, ea ratione qua est esse est appetẽdũ, hoc est propria essendi ratio est aliquid appetendum, non esse, ex propria ratione est aliquid fugiendum, sunt igitur contraria, pulchrè argumentationẽ colliges. Hac enim forma calidum & frigidum, album & nigrum contraria esse demõstrauimus. Ratio enim calidi est theterogenea segregare, frigidi uerò congregare, albi quoque ratio est oculos disgregare, nigri uero congregare. Argumento meo cum tu coram responderes dixisti propriam boni rationem non esse, quod sit aliquid expetendum, quod tamen à philosophis omnibus cõceditur, maximè Latinis, & Aristot. Ethic. 1. dicit. Recte diffinierunt bonum, dicentes id esse, quod omnia appetunt, id quoq; audientibus mirabile uisum est. Cunq; ratio boni abs te posceretur dixisti eo aliquid bonum esse, quod ordinatur in Deum. Sed mox subieci, igitur Deus non est bonus. Dictum est Deum non esse bonum, sed bonitatẽ adieci, igitur inter bonum malumq; aliquid est mediũ. Deus enim non est bonus, non etiam est malus. Quomodo igitur defendi potest malum esse boni negationẽ. Si media aliqua cõceditur. Præterea si malum est negatio boni, Malum & nõ bonũ idem sunt, Vnius enim unica est negatio. Sequitur ergo est non bonum, igitur est malũ, ex negatione igitur colligi potest affirmatio. Præterea nec sequitur, si enim malum est uel priuatio, uel aliquid priuatum. Si priuatũ est, subiectum aliquid est, igitur & bonum: Si priuatio est igit̃, in subiecto igitur est. Sed quicquid est, ens quoddãmodo est & bonum, nõ igitur est nõ bonum. Præterea negas uerũ esse quod Aristot. in prædicamentis dicit: Bonum scilicet & malum contrariorum genera esse, quod tamen uel Boëthius uel Latini expositores negare non audent. [o] Tu uero posthabitis interprætibus Latinis ad solum Simplicium refugis, qui ait hac ratione bonum & malum contrariorum genera esse, quod ex contrarijs alterũ semper bonum est, hoc est melius est, alterum malum est, hoc est, peius est, quod Thom. quoq; ex Simplicio refert. Sed si licet Simplicio opponere, contra est, quod Aristot. eodem loco dicit, nõ solum bonũ malo contrarium esse, uerumetiã aliquando malum malo. Si uero ipsum bonum Aristot. uocat quod melius est, malũ uero quod est peius erit semper bonum malo contrariũ. Præterea si bonũ & malum, quæ contrariorũ genera esse Aristot. dicit, sunt melius & peius, bonũ & malum, in relatiuorũ genere ponẽtur, in quibus sunt melius & peius quæ relatiua sunt. Aristot. uero dicit bonum & malum in genere nõ esse, sed genera. [p] Miraris postremo malũ & bonũ à me contraria, uel ex Thom. sentẽtia affirmari, & quod

maius

maius est aberrare me dicis, q̃d dicis q Simpliciũ falso allegẽ, falso quoq; dixerim B. Thom. eius testimonio probare malũ bonũq; esse inuicẽ contraria, sed caue ne tu errres, qui parũ mentem meã uel uerba perpẽdisti, uerba quidẽ q̃ in 2. epistola ad te scripta sunt, hac serie leguntur: Dico igit̃ rursus, et approbo bonũ malũq; esse inuicẽ contraria, nõ quidẽ quẽadmodũ albũ & nigrũ, calidũ & frigidũ, q̃ omnia ueré qualitates sunt, sed quemadmodũ sanũ & ægrũ, forte ac debile, rarũ & densum, pulchrũ & turpe, & similia huiusmodi multa, nec Thom. id negat, sed uir quidẽ eminẽtissimus, in 1. q. de malo circa solutionẽ secundi argumẽti mõstrat q̃modo bonũ & malum, & si priuationis & habitus oppositione aduersent̃, inter contraria tamen cõputari solẽt, idq; Simplicij authoritate cõfirmat. Recordare igitur Arist. in prædicamẽtis quatuor oppositionũ genera assignare. Itẽ memineris Arist. huiusmodi genera à se inuicẽ seiungere. Rursus nota sanũ ab eo & ægrũ inter contraria numerari, hac igit̃ ratione qua Arist. cõtraria à reliquis oppositionũ generib. seiũgit. Ego bonũ malũq; contraria esse affirmaui, rursumq; fateor, atq; hoc etiã quod diuus Thom. dixit in 1. q. de malo: Bonũ & malũ esse contraria: quemadmodũ sanũ ægrumq;, non autem quemadmodũ uisus & cæcitas. Tu uero dicis: Monstrabo tibi quã cõtrarij proprietatẽ malũ omnino nesciat. Licet enim malũ quiddã bono cuidam contrariũ uideri possit, ut ægrũ sano, eo quod boni aliq̃d relinquit, offerã tamen malũ quiddã, quod bono nequaq; potest hac ratione opponi, puta mors & cæcitas. Sed equidẽ nescio an simules, r si enim uerba Tho. accuratius legisti, planè intelligi potest, quomodo nec cæcitas nec mors aliud malũ potest ex toto bonũ auferre. Cæcitas quidẽ uisum aufert & totũ, sed non uitã nec corpus, mors uitã quidẽ penitus aufert, sed nec corpus nec materiã primã. Quod igit̃ fefellit est, q̃d cæcitas profecto est uisus priuatio, & uitæ mors, sed nõ propterea credi debuit perfectã esse boni priuationẽ: Nónne Thom. apertè ibi cõfitetur & dicit malũ bono contrarium esse, quemadmodũ ægrũ sano, nõ quemadmodũ cæcitas uisui: cęcitas igit̃ inquantũ mala est, aliquid boni relinquit cui innitit̃, inquantũ uero est cæcitas nihil uisus adesse permittit. Quod uerò Thom. ait: bonum malumq; uelut habitũ priuationẽq; opponi ueriſsimũ est: Eo enim loco Thom. ea propriè habitus uocat & priuationes, non solũ quæ perfecti habitus sunt, perfectæq; priuationes, quæ solũmodo Arist. in prædicam. habitũ & priuationẽ uocat, uerũ latius omnia quorũ alterũ est habitus, alterũ uerò priuatio, siue integra, siue semiplena sit, tanquã habitũ & priuationẽ opponi pronũciat. Quod uerò dixi, idq; Simplicij authoritate cõfirmat, id tale est. Simpliciũ ait Thom. in p̃dicam. dicere ea propriè uocari cõtraria, quorũ utrũq; est aliud. Arist. uero sanũ & ægrũ inter cõtraria numerat, nõ etiam cęcũ & uidẽs. Simplicius igit̃ qui Arist. interpretat̃ necesse est causam reddat, cur nõ omnes priuationes Arist. inter cõtraria cõputarit, causam ue-

ro explicare nõ potest, nisi q̃ dicta est. Thomas igit̃ qui ait Simpliciũ dicẽ re ea propriè cõtraria uocari, quorũ utrũq; est aliud cũ causam explicet, ob quã sanũ & ægrũ inter contraria numerent̃, non etiã cæcum & uidens, ex Simplicio necesse est id colligat, q Arist. exponit, quod [f] siue uerũ siue fal sum sit, res nullius momẽti est, in qua peruagandũ sit. Quoniã uerò postre mis literis malũ quod boni negationẽ putas appellare, uideris malũ quod omnino malũ sit, eodẽq; modo falsum ueri uniusq; diuisum percontari te uolo. [g] An chimerã putes esse omnino non ens: Si negabis, tibi necesse est cõtradicas, q prius dixisti chimerã esse omnino non ens & falsam: Si uerò dederis omnino nõ ens esse, pcedã hoc modo: nõ ens & omnino malũ sunt paria. Chimera aũt est omnino nõ ens, igit̃ & omnino mala: quod fieri nõ potest, chimerã enim esse cõtradictionẽ nõ claudit. Potest igit̃ à Deo creari, quod uero potest esse, esse autẽ bonũ est, quod igitur potest [t] creari, po test bonũ esse, sed potẽtia ad bonũ bona est, chimera igit̃ non ex toto ma la est. [u] Præterea chimera & à Deo & à nobis potest intelligi, potest igitur apud mentem nostrã esse & animũ, igit̃ quoquo modo potest esse, q̃d aũt quoquo modo potest esse, quoq̃ modo bonitate participat, chimera igit̃ nõ ex toto mala est. Præterea nihil potest malũ esse nisi fugiendũ sit, nihil uero fugi potest neq; uitari nisi cognoscat̃ aut ab eo q̃d fugit, aut à Deo q naturalẽ fugæ instinctũ inseruit. Necesse igit̃ malũ omne quodãmodo co gnosci posse, cognitio aũt bonũ quiddã est, igit̃ & posse cognosci, potẽtia em̃ ad bonũ bonũ q̃ddã est. [v] Præterea Arist. 4. Metaph. dicit, negationes priuationesq; quodãmodo entia esse, imo & ipsum nõ ens q̃dãmodo ens esse dicit, cuius signũ est (inqt) q dicimus nõ ens est nõ ens, q̃d uero quoq̃ modo est ens quoquo modo bonũ est, chimera igit̃ in qua uerũ est nõ entis uocabulũ, p̃dicare q̃dãmodo est ens & bona. [x] Præterea malũ est priuatio boni, priuatio uero omnis est negatio formæ, in subiecto apto nato formã & habitũ habere, nihil igit̃ malũ esse potest, q̃d boni capax nõ sit & aptũ, ca pacitas uero & aptitudo in bonũ bona est. Malũ igitur omnino malũ esse nõ potest, unde [y] Augustinqt malũ semper in bono esse. [z] Præterea si ma lum est priuatio boni (ut dicis) q̃modo potest esse boni negatio, alia enim est oppositio priuationis & habitus, alia uero affirmationis negationisq; Præterea tuarũ partiũ est monstrare factã prius à te rationẽ ualidam esse, qua probabas ex Arist. & Thom. Deũ ens non esse, ego enim utrãq; infir maui. Nec satis est dicere, scio aliquãdo à peripateticis Deũ ens uocari, sed & illud scio apud eosdem appellatione entis Deũ aliquando non claudi. [A] Monstra enim rogo quo in loco uel Arist. uel Aristotelici Deũ entis ap pellatione non censeant? [B] Cæterũ si uacabit explicato quomodo defen das Deũ esse & unũ, Deum tamen nõ esse Deũ: Si enim uocabulum intelli gitur necesse est descriptionẽ quandam ab animo formari, qua data mox sequitur Deũ esse Deũ, nec enim Simonides poëta tẽpus ad respondendũ petisset

petisset tyranno quærenti quid est Deus, nisi uocabuli interpretatio-nem & notam animo concepisset, in omni enim quæstione prima est uocabuli significatio. Præterea si Deus est unus, aliud unum est Deus, quod non nisi Deus esse potest. Item si Deus est & non est Deus, est aliud à Deo, à seipso igitur aliud esse necesse est. Præterea si ideo Deus non est Deus ꝙ nomen Dei concretum est aliud significans, & aliud concedi non debet Deum esse, Deum esse unum, nihil enim est in rerum natura quod deitate participata sit Deus. Postremo monstrabis quomodo uel probes uel defendas contradictionem claudere [c] Deum non esse & aurũ esse, grata erit mihi huiusmodi disputatio, nec tibi debet esse molesta. Est enim disputatio cribrum ueritatis, suauissimus animæ cibus nihil habens ingrati.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE RESPONSIO obiectionum tertiarum.

NOn sum oblitus Compater ne dubita, prorsus omniũ meminisse, plane cognosces, quanquam haud magna fiat iactura, si excidant quæ coram tractauimus, leuissima enim hæc omnia quibus & te occupatum, & me nõ ociosum hominem occupas. Sed ne imitari me credas Nicolettum qui scribenti tibi aduersus eum nihil respõdere dignatus est, adnotabo breuiter solutiones tuarum dubitationum. [a] Deus est.) Dixi uere dici Deus est. Deum item ex sententia Dionys. omni appellatione esse maiorem, etiam appellatione hac Dei, quod ille scrib. in libro de Mystica theol. ne tu ictibus tuis adhuc Dionysium loco mouisti, nec mirum, est enim, patere hoc, longe te fortior, quanquam tu illius authoritatem contemneres, dum ea aduersus te uterer. Dixi item ab his qui Deum esse ens negant concedi interdum Deum esse unum, rationemqúe sententiæ eorum & in ipsis de ente & uno commentarijs nostris & duabus ad te epistolis declarauimus. [b] Sed dicas.) Dixi postrema epistola nemi-nem esse qui nesciat, apud Thom. & apud alios Peripateticos ita sæpe & ens accipi & essentiam ut de Deo utrunque dicatur, sed id mihi esse satis: quòd aliquando ita ens essentiamqúe usurpant ut de Deo dici non possit, hoc est quod tibi est improbandum. Nec ad hanc rem plura unquam affe res quàm sit opus. [c] Præterea in libello.) Rudis obiectio, non enim Platonici, cum id dicunt intelligunt esse in Deo essentiã & esse, sed in eo non differre. At esse in Deo locum eum habere, quem in rebus alijs habet essentia, ut ei pro essentia nihil sit aliud quàm ipsum esse. [d] Item dicas.) Lege priores epistolas, & uidebis. [e] Insulsum enim.) Insulsa potius argumentatio, quoniam aliud est rem esse, hoc est existere, aliud esse ens ut ens prædicatum essentiale est. [f] Verum sit) Verum esse fatearis oportet, nisi deferas tuum Thom. [g] Verba) Hæc sunt quæ si tu prius uidisses forte non errasses. [h] Monstratur Thom.) Miror te ijsdem semper insistere, nónne millies iam dictum est ita capi posse ens, ut de eo dicatur, ut cum uidelicet id signi-

id significat quod est, sed rursus ita capi posse ut de eo non dicatur, ut cum scilicet, essentiam significat, quæ aliud est ab existentia. [k] Aliquid & ens.) Vide quantum fallaris, malum secundum Thom. tale non est, ut quærenti de eo quid sit possimus aliquid respondere uel ens, & tamen quærenti quid est peccatum? respondere possumus quod est malum. [l] Præterea audebis.) Ens quando cum bono conuertitur apud Thom. non eo modo capitur, quo quando apud eundē de Deo negatur. [m] Iocari.) Aduersarius te iocaris, nam hoc ipsum est quòd dico, & centies inculcatum intelligere, aut nō uis aut non potes. Primo modo Deū non esse ens, licet secūdo modo, ut scilicet, per ens respōdetur ad quæstionē an est ens dicaī. Dicebam enim non omni modo sed aliquo modo etiā apud Thom. ens dici Deum non posse, licet autem ita argumentari, compater: Deus primo modo non est ens, ergo aliquo modo nō est ens. [n] Coarctata.) Hęc tua coarctata, & non coarctata tua sunt non Thomæ. [o] Ridicula.) Quod non quęrīt, ridicule non soluīt, licet multa quærantur ridicule, quæ ridicule soluuntur, cū scilicet soluuntur, ne ideò non soluta uideanī, quia solui nō possint. Quærenti igitur an Luna sit ens, iure respōdebitur eā esse ens. Sed ulterius quærenti qualenā sit ens, ridiculum certè respōdetur esse ens. [p] Esse aliquid.) Nihil dicis, quis enim nescit ideò non esse aliquid, quia neq; substantia est, neq; accidens. [q] Sic dicit.) Hæc eadem illud sunt qui in prima quæstione de malo & mihi fauent sicut & illa. [r] Rem uero.) Eo modo res de Deo & dicitur & negatur quomodo & ens. [s] Quod si.) Ostendimus autē non esse uera, ergo soluta ratio. [t] Sed ex Thom.) At tutemet uerba Thom. sic præexponens in sententiam nostram incidisti, cum dixisti Deum ens dici, quatenus per ens respondetur ad quæstionem an est, non autem quatenus rerum essentiā significat. Ea Thom). Non ascriberem falsa Thomæ, quia te non imitor compater, qui dicis ex Thom. sententia bonū & malum esse propriè & uerè contraria, idq; etiam Smplicij authoritate confirmari, de qua re cum ostenderem nullum uerbum esse apud Simplicium, respondes te collegisse id à Simplicio dici. At liber est in manibus compater. Simplicius id non dicit, male ergo collegisti. [u] Iam enim monstratum.) Demonstratum est etiam te non bene demonstrasse. [x] Prius enim.) Deus & idea idem sunt, nec esse ideæ aliud est ab esse Dei, sed qa rationes diuersę sunt, alia de Deo ut Deus est, alia ut idea est pronunciantur. [y] Compositionē.) Compositio hæc secundum rationem est non secūdum rem. [z] Subtilis.) Adeò subtilis ut iam centies repetitā adhuc intelligere non possis, ut mox patebit, ex quo nobis negocium exhibes. [a] Non potest.) Nō licet tecum nisi præfinito loqui. At scias hoc genus locutionis à pręclaris authoribus etiam sacris sæpe usurpatum, quale illud secundum similitudinē Melchisedech. [b] Præterea si.) Vnum quod Platonici de Deo enunciant non denominatiuum est, sed substantiuum, hoc autem, quia Platonica omnino

ignoras,

ignoras, & Græcam linguam intelligere non potes. Vide igitur quam sit subtilis hæc appellandi ratio. [B] Præterea.) Patet & hinc quomodo aliter materia una aliter Deus dicatur. [C] Platonicorum.) Quomodo tu Platonicorum potius quàm Dionysij rationem sequi me dicis, cum nec Platonicos nec Dionys. ut magna etiam uoce gloriaris unquã legeris, at scias, idem esse apud Platonicos Dei typũ esse unitatẽ & apud Dionys. Deum unicè esse omnia. [a] Radix cui inniteris.) Vide quàm illa radix sit firma, quam tu nec uiribus ullis uincere, nec duro possis conuellere ferro. [b] Ego itaque.) His omnibus satisfactum est in prioribus epistolis. [c] Hoc est uerum.) Nimis amas aurum compater, qui tãtum illi tribuas ut credas eum esse posse, etiam si Deus non sit. [d] Mundos arbitrantur.) Qui hæc dicũt, & aurum dicunt esse pugnantia, dicunt & propriam ignorant uocẽ. [e] Si Deus non esset & aurum foret.) Aurum esset aurum, & aurum non esset aurum.) Impossibile enim impossibile parit. [f] Absolutum enim.) Non est hæc relatio accidentalis ab auro distincta, sed substantialis, de qua uide apud Henricũ Gandauensem nisi dedignaris. [g] Diximus eadem.) Omne quod est, hoc est, ipsum quod est. Quare & omne ens uerum, & omne uerum ens. Sed alia & alia ratio. [h] Cæcitas autẽ.) Aliud est cæcitatem esse ueram, aliud cæcitatem esse cæcitatem uerum esse. Quare frustra multis uerbis laboras ostendere cæcitatem non esse ueram. [i] Verum enim.) Me sedere aut uerum aut falsum semper est, quia semper ego aut sedeo aut non sedeo. Et quòd dicitur me sedere, nec uerum nec falsum, hoc est, propositionem hanc ex se sibi, nec ueritatem determinare, nec falsitatem, quod faciunt propositiones necessariæ. Sed cum fieri possit, ut & sit uera, cũ scilicet sedeo, & sit falsa, cum non sedeo, ex seipsa ad utrunq; indeterminata est, sed procul dubio mi Compater & charta abundas & ocio, qui ad hæc descendas etiam pueris nota. [k] Sed uerũ.) Bonum & malum sunt in rebus, falsum & uerum in anima, ideò propositio uera significare potest rem malam, quamuis propositio ipsa quatenus uera eatenus bona, & res ipsa quatenus mala eatenus falsa sit. Aliud autem dicere est. Peccare Iudam est uerum, aliud est dicere peccatũ Iudæ est uerum. [l] Præterea omne.) Omne falsum diuisum, quod in priore diximus libello, sed non esse falsum ex æquo falsum, quare non esse falsum, ex æquo diuisum, quod in epistolis ad te diximus, non enim ex æquo falsa quę necessario falsa sunt, & semper falsa sunt, & quæ non sunt necessario falsa, nec semper sunt falsa. Quapropter nec ex æquo hæc & illa diuisi rationem habẽt. Vide an ex his aliquid sit, quod uel ego dicere uereri debuerim uel tu coarguere possis. [m] Sed mirum.) Dicere debueras quomodo nunc soluisti, nam non est mirum non soluere quod nõ habet nodum. In hoc igitur me admireris quid soluerim in quo nodus non erat. [n] Similis esse.) Cur non similis, cũ quemadmodum hæcita & illa nihil uirium habeat. Nam si bonum qua ratione bo-

num sit expetendum, malumq; fugiendum sintq; fugere, & appetere contraria, quomodo ex hoc sequi probas, bonum malumq; esse cõtraria. Hoc est, quod tibi est probandum, ad quod tamẽ probandum neq; ante ullum unquam uerbum feciſti neq; nunc facis, iure igitur dixi non esse nodum in tua argumentatione, quia quod tibi probandum est, non solum nõ ualide probas, sed nullo modo probas, aut probare etiam tentas. [o] Tu uero.) An tu qui Boëthianus esse soles & barbarorum irrisor, nunc eos rides, qui posthabitis Latinis interprætibus Græcos interpr̃tes sequuntur, sed & Thom. tuus non solum Latinus, sed inter Latinos præcipuus Simplicij expositionem non solum refert, sed & probat. Tu autem non solum Simplicio aut Thomæ non assentiris, sed & Latinos dicis expositores id negare non audere. Mirus homo es. [p] Miraris.) Quis nõ miret, mirabar tũc cum nondum acumen tuum perspexerã nunc non miror multa enim consimilia. [q] Allegem falso.) Et tu infra fateris te falso allegasse, sed dicis hoc nullius esse momenti, quomodo ergo mens tua me fugit. Illud fateor me fugisse nullius esse momenti Simplicio asscribere, quæ non dicit. Credebam enim ego illum errare, qui diceret Simplicius hoc dicit, quod tamen Simplicius nusquã diceret. [r] Si enim.) Quid ut te explices totũ, Thom. te peruertere oportet, & nescio quas semiplenas priuationes tibi fingere, negareq; Thomam ibi propriè accipere priuationem & habitum, cum dicit malum priuatiuè opponi bono, nónne tota quæstione probat malum esse nihil, & inde colligit malum esse priuationem, non autem contrariũ, an priuatio quę nihil est, semiplena priuatio est, cęcitatẽ item dicimus perfectam mali habere rationem, non quia omne bonũ adimat, quis enim hoc nescit, sed quia totum illud bonum cuius priuatio dicit, hoc est uisum adimit, quod nõ facit ophthalmia, hæc sunt igitur mala quæ nullo modo uulte contraria dici posse Thom. quæ cum ueram mali rationem habeãt. Profecto qui dicit malum ex sententia Thom. esse contrarium, non minus errat quàm erraret ille compater meus qui dicebat Simplicium dicere quæ non dicit. [s] Siue uerum.) Cur igitur non ingenue fateris te errasse. Neq; enim mirum est homo es. [t] An Chimeram.) In ista tua chimera multas fingis chimeras. [u] Creari.) Si creari chimera potest à Deo, non est hæc potẽtia in chimera, sed in Deo. [u] Præterea chimera &.) Notio quam mihi de chimera formo ut aliq̃d est, ita bona est, ipsa uero chimera, ut nihil est, ita neque bona est. [v] Arist. 4. Meta.) Bonum & malum secundum te sunt contraria, & utrunq; cõtrariorum est aliquid positiuum, ergo. & quod est bonum, est aliquid positiuum, & quòd est malum, est aliquid positiuũ, & secundum te non ens est bonum, ergo secundum te non ens est aliquid positiuum, & aliquid & ens conuertuntur, ergo secundum te non ens est ens positiuum, uide quo nos perduxit tua chimera. [x] Præterea malum est.) At secundum te est contrariũ, non priuatio. [y] Augustinus inquit.) Non dixi

dixit malum esse bonum sed in bono. [z] Præterea si malum.) Eatenus privatio est, quatenus priuatio formaliter negatio est. [A] Monstra enim.) Relegas priores epistolas, & uidebis hoc tibi in illis monstratum, etiam fortasse plus quàm desideres. [B] Cæterū.) Attende, mox explicabo, cum per hanc dictionem Deus id concipis tantum, quod significatur per nomen, non habet hæc dictio prædicati rationē sed subiecti. Est enim illud de quo quæritur quidnam de eo enunciari possit aut debeat, non autē illud quod de alio enunciatur, quare neq; id aut Simonidi erat ignotum, aut consulenti eum tyranno. Cū item quæris si Deus dici Deus non potest, an sit aliud à Deo. Quæro à te quid cōcipias per hanc dictionem Deus, quam de Deo enuncias. Si nihil concipis nihil erras, quia nihil dicis. Si aliquid concipis, dico Deum aliud esse ab eo quod tu concipis, & conceptum per hanc dictionem Deus explicas, quoniam supra omne illud est quod à nobis concipi possit. [c] Deum non esse.) Veniamus ergo ad aurum tuum, quod omnino non uis perdere, etiam si perdatur Deus. Fieri non potest ut aliquid sit, si non sit ipsum esse. Fieri igitur non potest, ut aurum sit, si Deus non sit. Præterea si Deus non est, igitur infinitum est, si infinitum est nihil est, quoniam si infinitum est finitum non est, sed & si infinitum est, infinitum non est, quoniam infinitum seipsum perimit, quemadmodum & alia quæ contradictionem claudunt, si nihil est aurum non est. Hæc satis credo esse tibi homini quantumuis ingenioso. Vale.

IOANNI PICO MIRANDVLAE ANTONIVS Citadinus, S. Obiectiones quartæ.

NOn ideò dictum est Deum ens non esse quòd esse in Deo pro essentia est, sed quia esse non est aliud ab essentia, quod longe diuersum est, alioquin ipsum esse lapidis, quod sibi pro essentia est, nec ens erit, nec bonum, esse enim lapidis non est essentia, sed ipsum sibi, & esse suum, & sua est essentia. Si in negationibus, & priuationibus quid sint quæri non potest, cum igitur sint, non satis ad quæstionem quid est formandam scire rem, de qua quæritur esse, sed amplius scire oportet, & esse, & aliquid esse, quærenti igitur quid est ridicule ac irrationabiliter? Respondetur ens, aut aliquid, siue ens primo modo, siue secundo capiatur, quod si quærat quid sit peccatum, uocabuli potius est quæstio q̄ rei. Si aliquid est ens, ideo iuxta positionem tuam esse ens, quòd esse est aliud secundum rem ab essentia, aliud est (inquis) humanitas, aliud homo, aliud album siue albedo, aliud res alba. Igitur si idea est ens, ideò erit ens, quòd esse ideæ est aliud ab idea. Idea autem Deus est. Esse igitur ideæ est aliud à Deo. Est igitur in Deo secūdum rem compositio non solum secundum rationem. Iuxta denominatiuorum diffinitionem unus ab unitate denominatiuum est, Deus autem iuxta

tuam

tuam positionem ex similitudine unitatis unus dicitur, non igitur ad substantiam Dei spectat prædicatio, qua Platonici dicunt, Deus est unus. Præterea cum dicimus: Deus est unus, nō quid sit, sed quomodo sit significari putas. Modus autem ex accidentium est genere, non igitur uocabulum unius in Deo substantiuum est, neque ad rem pertinet, quòd uel Platonicam sectam non didicerim uel Græcam linguam ignorē, non enim id satis est ad tutandam Academicorū disciplinam. Si Deus non esset, & aurum esset, aurum inquis esset, aurum & non esset aurum, igitur esset aurū. Si igitur diffinitio ueri constat, erit uerum nulli quadrās ideæ. Si Socratem sedere, neque uerum est neque falsum, eo quòd necessarium non est, equidem defendam nō in quolibet affirmationem ueram esse uel negationem; non enim in quolibet uel una uel altera necessariam habet ueritatem. Si bonum & malum sunt in rebus, uerum uero, & falsum in anima, ubi est tua affirmationis & negationis oppositio? negatio enim nihil ponit. Quomodo etiam chimera in rebus est & anima, si est omnino non ens & falsa? cum non ens & malum mutuo conuerti putes: Si cæcitatem esse cæcitatem uerum est, & quis non uideat cæcitatem esse ueram, idem enim sunt, sola enim cæcitate posita ponitur hoc quod est cæcitatem esse cæcitatem, & ablata, aufertur, unde eadem ratione Socratem & Socratem esse Socratem, idem est & eadem generatione utrunque generatur, & per se, Deus quoque & Deum esse Deum idem, utrunque enim æternum est & prima ueritas. Si falsum omne simpliciter diuisum est, ut probatum esse non negas, dici non debuit falsum quiddam cum hac solum conditione diuisum esse, hoc est quamdiu falsum est. Si enim omnis homo simpliciter & absolutè est risibilis, contradictionem non oportet adiungere, qua restringas dicens, omnis homo est risibilis quamdiu est homo, nec propterea restrictio debuit adiungi, quòd non omnia falsa sunt æqualiter diuisa, aut falsa, nec enim omnia entia sunt æqualiter bona, absolutè tamen bona sunt omnia. Quomodo concludatur bonū malumq; esse contraria, si prosequi, & fugere sunt contraria, facile constabit: si ratio cōtrariorum motuum satis à te fuerit intellecta. Quid miraris si dico Latinos Aristotelem non negare, quem Simplicius negat, non etiā Boëthius, nūquid propterea uel Boëthiū nō imitor uel Barbaros extollo, mirū mé ne homine uocas: Ego uero te mirabilem appellarim, qui cū Boëthiū imiter posthabito interim Simplicio me Boëthiū aspernari, & Barbaros seq existimes. Si contraria sunt bonū & malum, chimerā uis probare aliquid esse, quod in rerū natura sit, sed si perceptū sit qua ratione bonū & malū contraria dixerim, quod nondum aut uis, aut potest intelligere, nihil ex chimera probaueris. Priuationes quasdam à me semiplenas uocari plurimū admiraris, & nullas esse probas hoc modo: Malum est nihil, igitur non est semiplena priuatio. Ego uerò argumentum tuum prosequens, sic dicam, ægritudo mala

mala est, igitur nihil est, non est igitur semiplena priuatio: Est autem priuatio quædam ægritudo, non igitur est uel sanitatis uel boni cuiuspiam semiplena priuatio, sed plena potius, & perfecta, quod fieri nō potest. Imperfectè igitur priuationes semiplenæ sunt, ut ægritudo, raritas, turpitudo, cæcitas uisus perfecta, boni imperfecta, bonum enim quod in uidente est totum non adimit. Si uerum est quemadmodū scribis malum omne boni aliquid relinquere, chimera igitur, quæ est omnino non ens, & mala, boni aliquid retinet. Si uero boni aliquid seruat non omnino mala est, neque omnino non ens, licet etiam potentia, qua creari potest & esse, in Deo sit & notio, qua potest intelligi sit in animo, non tollitur quin chimera potentia bona sit, & ens. est enim potentia Dei, & chimeræ alia & alia ratione, nec enim negamus antichristum potentia bonum esse, cuius potentia qua potest esse, partim est in materia, in cœlo, & homine. Præterea quomodo chimera. Si omnis interim cogitatio & potentia Dei excludatur, est omnino non ens & mala. Vt enim non ens sit, certe mala esse non potest: Malum enim est priuatio, quæ in subiecto consistit, quod necesse est bonitate participet, alioquin subiectum esse nō posset, quod enim omnino non est, subijci nō potest, Nondum improbasti, quod à me dictum est, idq; Simplicij authoritate confirmas, nisi quod ais Simplicius non dicit, sed non propterea gloriari oportuit: neque enim dixi Aristotelem sentire, omne omnino ens uel per se uel per accidens, nec beato Thomæ aliquid propterea falso ascripsi. Licet priuatio omnis negatio quædam sit, nondū tamen constat aliā non esse affirmationis negationisq; oppositionem, aliam uerò priuationis & habitus, nec propterea si malum est priuatio boni malum & non bonum conuerti necesse est. Defensionem tuam qua tutari uis Deum non esse Deum, ego nec ueritati, nec beato Dionysio consentaneam puto, nec beatus unquam Dionysius Deum negauit esse Deum, sed quemadmodum beatus Thomas interprætatur nullum nomen Dei naturam integrè potest explicare, nec alia ratione affirmationes putat deos esse imcompactas. Tu uerò dicis Dei nomen si descriptionem habet, subiecti rationem habere, non etiam prædicati, sed hoc concesso argumentum perstat. Sit enim A ratio nominis, dicaturq́ hoc modo Deus est, A ratio enim cuiuslibet de eo prædicatur cuius est ratio, igitur facta simplici conuersione A est Deus, igitur Deus est Deus. Item dicis cum quæritur an Deus sit aliud à Deo necne, sciri oportere quid Dei nomine concipiatur, quicquid autem detur, aliud inquis dicam Deū esse, est enim supra omne id quod concipi potest, sed nónne huiusmodi solutio secum pugnat: Si enim confiteris propositionem huiusmodi, quæ est, Deus est supra id quod concipi potest, nónne palam aliquid de Deo affirmas? fiat igitur & sit nominis diffinitio ea oratio quæ est supra id quod concipi potest, & argumentum militabit. Præterea sequitur, Deus est supra

omne

omne id quod concipi potest, igitur Deus concipi non potest, alioquin idem supra seipsum foret, non igitur amari potest nec coli. Postremo tantam putes esse auri potentiam ut uelimus nolimus, uel re, uel animo ex necessitate Deum secum trahat hoc modo: Aurum est, igitur ipsum esse est, igitur Deus est, item sic Deus est, igitur infinitum est, infinitum est, igitur nihil est. Si ens infinitum est (inquis) finitum non est, quasi sic arguas, finitum non est, igitur nihil est, deinde sic, infinitum est, igitur infinitum non est. Infinitum enim (inquis) se seipsum perimit. Equidem puto si Nicoleto quispiam huiusmodi argumenta scripsisset, nihil respondisset, nec ego contra aliquid opponam, neubi res mihi luce clarior uidetur aliquid uidear dubitare, Quod si iisdem argumentis positionem tuam probes, equidem uereor ne aurum perdas. Iis obiectionibus si uoles aliquid respondeto compater optime, quo disputationi iam finem faciamus, satis enim lusimus, cæterum nolim putes me aut odio aut maleuolentia in hæc diuertisse, scio meministi prius quàm aliquid tibi scriberem significasse an uelles. Equidem Deum testor comitem meum Mirandulanum & amo & uereor, quod si aliquando experiri libuerit me nihil mentitum cognosces.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA Antonio Fauentino Philosopho insigni, Salutem.

QVanquam Ioannis Pici patrui mei obitu studiorum meorũ alacritas omnis & spes quæ quasi tota in eo reposita fuerat elanguit, quippe cum futurum sperarem eo uiuente ut philosophiæ studia ad castitatem pristinam, sed magnis ditata opibus reuocarentur, Christianaq; fides eliminatis in uniuersum erroribus, hæresibusq; depulsis, ualidissimis in aduersos hostes turribus muniretur. Non tamen sic animo consternatus sum, ut totis uiribus non laborauerim ne uigiliæ omnes inchoataq; lucubrationes, quæ ab homine illo in literis undequaque admirando profluxerant penitus deperirent, quo circa mihi ipsi nostrisq; hominibus consulens quàm maximis potui itineribus Florentiam cõtendi, dediq; operam quàm potui ratione ut quæcunq; ab eo notata fuerant, licet inexpolita & inexcussa in nostram permitterentur potestatem, non inanes omnino fuere conatus nostri, nam & si adapertæ adhuc tabulæ nõ essent, nec notus hæres, adaperta nihilominus ita scrinia fuerunt, ut commentationes cunctas inspiceremus uersaremusq;. Vidimus in carthaceis illis dispersis codicibus incredibile hominis studium, lectionẽ omnimodam, conceptus supra captus humanæ mentis admirabiles. Verum in rediigendis scriptionibus non laudandam incuriositatem, hinc inde dissecta dissipataq; omnia, sed de his aliâs. Dum hæc diligenti cura euolueremus opusculum eius de uno & ente quatuor fermè ante occubitum annis emissum, unà cum tribus in ipsum à te perscriptis epistolis, earumq; responsis in manus incidit, quibus ob rei nouitatem nõ perlectis modo, sed haustis

sed penè

sed pene ut aiunt, deuoratis (rumore enim id factum agnoueram, sed quid momenti allatum etiam exploratum satis non habebam) Mecum cogitare disceptareq; occepi an illud publicitus alijs cum operib. quæ in unum redegeram, & publicanda censueram impressoribus dare deberem, nulla tuarum obiectionū habita mentione. An consultius fieret si & oppugnatum hinc offensaculis, inde propugnaculis promunitum exiret in publicum. Post longam rei discussionem postrema tandem menti sententia sedit. Sane doctis hominibus obuiam factum notas infamiæ ferre uideret, si accusatores non tantum expaueſceret, sed & in iudiciū citare recte quasi parum fidens conscientiæ non auderet, pariter quoq; ut responsis comitatum iret, opportunum esse uisum est ueluti ad defendendā causam innocentiæ testibus, quod nostrum consiliū laudatum iri à probis uiris nō dubitaui, quando aut me pati oportuisset defunctum patruū hominē profecto de me meritissimū aliqua ex parte famigeratę doctrinę suę tali nō promulgato libello defraudari, aut eo solo progrediente nequissimis uituperatoribus ansam semper criminandi relinquere, non accitis in forum quæ & obiectando & repellendo pluribus utrinq; epistolis concinnata fuerāt. At oblatis nonnullis literis Christophori Saxoli nostri & ciuis & medici, quibus quartam te super id negocij cudisse epistolam quæ responsione caruerat (ut aiebas) nobis significabatur, res in dubium reuocata est. Iterūq; sententiæ ancipitis factus pensiculandum exactius liberatū iam iudicium duxi quando postremus accusator urgeret causam, nec esset qui patrocinaretur. Inde meum subijt animum titillatio quædam suscipiendæ defensionis, quo me tamen pro tutando silentio uerterē non erat in promptu. Mouebant hinc mentem hominis modestia in omnesq; benignitas, ingenij quoq; solertia & acrimonia, in enodandis diluendisq; etiam ex tēpore difficilibus nodis, inexplicabilibusq; scirpis, ut scilicet arbitrarer ultimā epistolam tuam non fuisse tuto delatam cogitabam, inde factum facile fuisse ut quod reciprocisset: Si tamen fideli nuncio tuæ sunt redditæ epistolæ, uel tabellariorum incuria (fit enim id sæpenumero) uel alio quopiam casu in itinere perijsset. Succurrit demum in enodationibus priorū quæstionum tuarū conquestum illum fuisse à te sæpius eadem iterari, & de eisdē sæpius dubitari, ob id statim totius controuersiæ ueſtræ capita percucurri an scilicet in primis responsionibus aliqua deprehendi possent, quibus monstrarem fuisse quartæ epistolæ satis in parte factū antequam scriberetur. Successit ex uoto res tantaq; reperi ad oppositum facientia, ut si nō uerbis quantum fieri potuit obiectionibus ultimæ epistolæ responderim, adeò ut ipsarum nodos ex priorum quæstionum tuarum solutionibus apertos magna ex parte possis agnoscere. Addidimus multa à magnis etiā authoribus pro testimonio petita, quæ omnia nō alia de causa factitata à me existimare te uelim, nisi ut rudium insolentiumq; philosophiæ & maleuolo-

rum iudicijs occurrerem, ad quos fortè cum peruenissẽt fama quartam to
ad patruum meũ super ea cõtrouersia dedisse epistolam cui non respõdis-
set, tulissent actutum sententiã (qui blacteronibus & inuidis mos est) alia
quapiã de causa quę iusta non esset rescribere Picũ non curauisse, alioquin
mi Antoni etiã à principio susceptum opus libentissimè omisissem, tum
ut cõtrouersijs à quibus abhorrens sum & si iustissimã causam agerẽ non
uiderer initiari, tum ut à uero philosophiæ tramite non deuiarem, quem
post equos & arma (& si quosdam literarum flosculos à pueris olfecerim)
post magnorum ducum commercia Ioan. Pico patruo Ioanneq; Mainar
do nostro ducibus metiri occœpi, quãdo naturę noticia non ad literarios
desudandos agones, sed ad naturæ ipsius conditorem agnoscendum ordi
netur, philosophicæq; commẽtationes suaptè semper sponte inuitare nos
debeant ad penitissima diuinorum eloquiorum uestiganda sensa, hic stu-
diorum omniũ finis, his nobis iter reuelatur ad cœlum, si tamen ea nõ glo-
riæ nostræ captandæ gratia excoluerimus, sed ut Deum nostrum & faci-
lius cognoscere & feruentius amare possimus, ut inde prõptius quæ man
dauit facienda prosequamur, quæq; docuit uitanda fugiamus. En tibi cau
sam susceptı huius mihi oneris, tecumq; negocij explicatam, iustissima est
ut uidetur: iccirco æquo à te animo perferenda, quin etiam arbitrari fortè
potui ut his nostris uti possem ueluti internuncijs inauspicata mihi iam
tecum contractaq; Ferrariæ beneuolentia confirmanda. Nam cum proxi
mis diebus istuc appulissem qua es humanitate me inuisere dignatus es,
atq; interloquendum de literis deq; morte patrui ac eius operibus multis
inchoatis nec consummatis, percepta opinione mea respondendi, scilicet
tibi, soluendiq; argumentationes tuas, tantum abfore ostendisti ut offen-
dereris, ut etiã quod facturus eram laudaueris. Sed ipsum iam negocium
aggrediẽtes primę obiectioni dissoluendę manus in primis admoliamur,
ea est huiusmodi: Nõ ideo dictum est Deum ens nõ esse quòd esse in Deo
pro essentia est, sed quia esse nõ est aliud ab essentia, quod longe diuersum
est, alioquin ipsum esse lapidis quod sibi pro essentia est nec ens esset, nec
bonum. Esse enim lapidis nõ est essentia, sed ipsum sibi, & esse suũ, & sua
est essentia, cui uel facillimè respondebimus. Sed iubebo in primis eorũte
meminisse quæ ab ipso huiusmodi rei gratia sunt perscripta ne pugnãtia
ille uerba protulisse uideretur. In eo quippe commentario de ente & uno
(quod etiã in tuarum obiectionũ respõsis cõmemorauit) Amelium, Iam-
blicum, Syrianum, complures q; Platonicos qui Deum ens non esse dixe-
re, non modo nõ probauit, sed toto tractatu principaliter hoc egit, ut non
solum ex Aristotelis, uerumetiam ex Platonis dogmate ostenderet Deum
& esse & dici propriè ens. Sed & aliquã loquutionis rationem esse mon-
strauit, quam qui sequeretur non absonum erat à ueritate Deũ appellatio-
ne entis esse maiorem. Atq; ob id hoc à se factitatum est, ut & Diony sij au

thoritatis

thoritatis & Thomæ ratio haberetur, ne omnino, ut eius uerbis utar, insanire uiderentur doctissimi sanctissimiq; uiri, qui id dixerunt Deum, scilicet non esse ens, sed super ens, quam sententiam alter millies repetiuit, alter quandoq; usurpauit: Sed redeamus ad nos. Cum ergo hoc modo Deum ens non esse dictum sit hac ratione, id prolatum asserimus quod esse in Deo pro essentia sit, cui opponis non hac sed illa assertum ratione, quod esse duntaxat non sit aliud ab essentia, duo hæc diuersa esse penitus existimans, ego uero alterũ alterius dicti aperitionem dilucidationẽq; esse contendo. Cum enim dicitur ens non esse Deũ, quia in eo esse ab essentia disseparatũ, non sit, nihil aliud afferẽ quàm esse in Deo esse sibi pro essentia. Nec per hanc orationẽ, scilicet esse in Deo, non est aliud ab eius essentia, iudicatur nobis essentiam in Deo esse, ut per uerba illius contra quem argumentatus es liquido perspicit, nam tuã obiectionẽ patruus cõfutauit, quæ hanc ipsam materiã concernebat inquiens. Non enim Platonici cũ id aiũt intelligunt esse in Deo essentiam & esse, sed in eo non differre. At esse in Deo, locum eũ habere quem in rebus alijs habet essentia, ut ei pro essentia nihil sit aliud quàm ipsum esse. Quòd autem incongruum omnino credas ipsum lapidis esse non posse dici ens & bonũ, mutabis fortè sententiam, si consideraueris quæ à Thoma Aquinate, qui quasi cõtrouersiæ iudex à uobis ascitus est, in prima parte sunimę, quæstione 45. articulo 4. dicant, palãq; cognosces ipsum esse quod in essentiæ cõpositionẽ cadit, nec ens nec creatũ appellari debere, quando formas omnes nõ subsistentes & accidentia, cæteraq; id genus magis coëxistentia & concreata quàm creata & entia nuncupari posse pronunciet. Quapropter ab eius sectatoribus potissimũ Capreolo cũ de entis & essentiæ distinctione fit quæstio, esse ipsum creatarum rerum, nec in uerorum entium, nec in creaturarum numero recipitur. Quòd si entis appellationem non suscipit proculdubio nec boni, cum ens & bonum se mutuo consequantur, pariq; ambitu reciprocent. Secundo loco in hunc in modum argumentaris, si in negationibus & priuationibus quid sint quæri non potest, cũ igitur sint, non satis est ad quęstionẽ, quid est formandam scire rem de qua quæritẽ esse, sed amplius scire oportet, & esse, & aliquid esse, quærenti igitur quid est, ridicule ac irrationabiliter respondetur, ens aut aliquid siue ens primo modo siue secũdo modo capiatur. Quod si quæratur quid sit peccatũ, uocabuli potius est quæstio quàm rei. Cui obiectioni respondemus non illum unquam dixisse in priuationib. & negationibus nõ posse quęri quid essent, sed nõ posse reperiri quid, Thomæ gratia protulit, quẽ te super hoc dubitãte in prioribus epistolis uerũ ne, scilicet, esset an falsum, citauit his uerbis, uerũ esse fatearis oportet nisi deseras tuũ Thomã, quod & nos etiã ab Aegidio Romano in secundo commentariorũ lib. in theologicas sententias assertum esse reperimus. Satis enim est ad quæstionẽ quid est formandam scire eam rem

esse de qua siscitat, neq; necessariũ est, ut qui qd res sit uestigaturus est, sciat rem esse, aut aliquid primo modo, sed secundo tantũ, hoc est eã esse. Quod si contenderes te intellexisse quæstionem eam formari posse, cui potest affirmatiuè & rectè responderi. Primũ si putas quæstionem illam nõ posse rectè formari nisi res de qua quæritur sit talis ut per eam quæstioni illi reddi responsum queat, tecũ nõ uenio. Aristotelis enim sententia est percontari posse centaurus sit néc ne, centaurum tamen tale non esse ut per eum quæstioni an est possit responderi, cum mera sit fabella, merũ figmentum. Pariter quoq; aduersor, si credis hoc idem quærentẽ nosse oportere, nam plus scire eum non oportet (ut ostendimus) qui rectè quid sit res percũctatur, quàm eam esse. Qui ergo nouerit rem esse aliquid, non ridicule respondetur eam esse aliquid nescienti cuipiam, & de hoc percunctãti. Quod uerò interrogãtes quid res sit docere non consueuerimus, ea tantum uel ens esse uel aliquid ut absolutius respondeamus euenit, nã exploratum habentes eam esse aliquid adhuc, qualenã ens esset rimarentur, eorũ igitur nõ solum expressæ petitioni, sed & uestigandi desiderio satisfacimus, cũ conceptas & nõ prolatas quæstiones ipsorum nostris responsionib. præueniendo dissoluamus, Verba uero illa, quòd si quæratur quid est peccatum, uocabuli potius est quæstio quàm rei quæ illius obiectioni contra te factæ fuere. Responsum non multũ momenti attulisse uidetur, cũ enim tu prius argumentatus esses ex Thomæ sententia, ens uidelicet iuxta primum modum uocari, quod quæstioni quid est respondetur, quærentiq; quid esset quod mundum conseruaret & moueret rationabiliter Deum responderi, ex quibus colligebas Deũ primo modo esse ens & aliquid, respondit ille uide quantũ fallaris, malum, secundũ Thomã, tale non est ut quærẽti de eo quid sit possimus aliquid respondere, uel ens, & tamen quærenti quid est peccatũ, respondere possumus quod est malum, ideò nihil tibi tua suffragatur responsio hæc, scilicet, quod si quæratur quid est peccatum, uocabuli potius est quæstio quàm rei. Nam non nimis est quæstio nominis (quanquã hic & ibi diuersa ratio) Quid est quod mundũ gubernat quàm quid est peccatum, cum ille qui mundũ gubernat Deus, scilicet quidditatem ut recentiores loquuntur nõ habeat, quod & omnes præter eos qui in prædicamento eum collocant apertissimè confirmant. Et ut sanctissimus ait Dionysius, nostræ post Apostolos princeps theologiæ, ipsius nec nomen est, nec diffinitio, quinetiam nec illis quæ antea dixisti tuum hoc responsum consonat, quando prius malum ipsum non esse nihil, sed positiuum aliquid dixeris, nunc uero ipsius nominis tantum formari quæstionem confitearis. Opponis tertio his uerbis: Si aliquid est ens, ideò iuxta positionem tuam est ens quòd esse est, secundum rem aliud ab essentia, aliud est (inquis) humanitas, aliud homo, aliud album siue albedo, aliud res alba. Igitur si idea est ens, ideò erit ens, quòd esse ideæ est aliud ab idea.

idea. Idea aũt Deus est, esse igitur ideæ est aliud à Deo, est igiť in Deo compositio secundum rem non solum secundũ rationem. Quibus dicimus iam responsum esse. Nam cũ eodem ferè medio quo nunc es usus in tertia epistola argumentareris, respondit ille compositionẽ illam entis & essentiæ in diuinis, secundum rationem esse, non secundum rem. Huius igitur Hypothetici syllogismi quem adducis, primam propositionẽ ueram esse inficiamur, nam & si in creatis rebus essentia ab esse re differat, non ob id sequatur necessarium est quicquid quoquomodo dici ens possit ex essentia & esse siue existentia tanquam ex partibus componi, ideæ igitur, quæ creatarum rerum exemplar, est essentia & existentia, re distincta non conueniunt. Sed hæc à nobis in ea fit compositio, cum illam ut exemplar causam essentiæ & entis, siue esse & existentiæ, quæ in creatis rebus inueniuntur perpendimus, quam compositionem pariter & distinctionem simplicissimis etiam rebus applicamus, & secundum rationem, quando eam intellectus noster fabrefecit uocitamus, hanc Peripatetici frequentissime usurpant uulgatam, ut inquit ille ab Antipatro repetitam, à Posidonio, commemoratam in epistolis à Seneca. Ea propter hunc in modũ ideam secundum rationem ex essentia & existentia dicere possumus esse compositam, & ens uocare eam scilicet, ut exemplarem creaturarum ex esse & essentia, re differentia compositarum considerantes, quam compositionẽ in Deo non ponimus, quando eum non ut aliorum exemplar, sed ut in penitissimo suæ diuinitatis recessu se ipso fruentem cõtemplamur. Quarto inquis, iuxta denominatiuorum definitionem unus ab unitate denominatiuum est, Deus aũt iuxta tuam positionem ex similitudine unitatis unus dicitur, non ergo ad substãtiam Dei spectat prædicatio, qua Platonici dicũt Deus est unus. Præterea cũ dicimus Deus est unus, non quid sit, sed quomodo sit significari putas, modus autem ex accidentium est genere nõ igitur uocabulum unius in Deo substãtiuum est, quòd uel Platonicã sectam non didicerim uel Græcam linguam ignorem, non enim id satis est ad tutandam Academicorum disciplinam. Sed facilis responsio, cum enim dictum sit à Platonicis unum quod de Deo enunciatur esse substantiuum, & non denominatiuum tãtum probe assertum est, & iterum cum asseueratum sit unum dici quia unitati similis sit, non est incongruum, nec propterea dici potest non esse substãtiuum, nã & si nomen aliquod ex rei cuiuspiam proprietate aut similitudine cuidam adaptetur, non ob id sequatur necesse est nomen illud non esse substantiuum, quando id pro substantiuo nomine accipiatur, quod non per modum adiacentis, sed per se stantis significet. Vnum uerò quod de Deo prædicatur per modum non inhærentis sed stantis intelligi adeò clarum est ut probatione non egeat. Habes itaq; proprietatem à qua nomen accipitur cui applicatur, non auferre hoc quod est esse substantiuum. Nam Thomas tuus imò noster cum in locis

alijs tum in prima parte illud ad quod significandum nomen imponitur, ab illo à quo imponit differre refert: Verbi gratia: Hoc nomen lapis ad significandum substantiam illam quę sic nuncupatur, imponi ab ea itē proprietate sibi cognata, qua scilicet pedem lædit uocitari edifferit: Vnde & alio loco docet à Grammaticis forè usurpatum, ut scribāt nomen substantiam cum qualitate denotare, quod & Ioannes Scotus libro cōmentariorum suorum in sententias affirmat. Vnum igitur mi Antoni cum de Deo enunciamus uerè & ut substantiuum nomen est enunciamus, quia scilicet, per modum stantis & concipimus & prædicamus. Rursus cum ab unitatis similitudine, eiusq; proprietatibus impositum dicimus, ueritati quantum fas nobis est propinquamus, quia scilicet conuenienti uocabulo utimur ad indicandum, quāquam longe ineffabilem illam super omnia creata deitatem, cum ita omniū quæ sunt principium sit, quemadmodum numerorum omnium principium unitas est, & hisce uerbis etiam colliges alterius argumenti tui solutionem, de modo quod de genere duntaxat accidentium esse profaris posse, scilicet in hac prædicatione: Deus est unus, quomodo Deus unus sit significari, & nihilominus unius uocabulum in Deo substantiuū esse. Si à quo auspicetur nomen & ad quod denotādum rei tribuitur cōsideraueris, potes etiā breuiuscule ex uerbis patrui solutionem tuæ dubitationis agnoscere, cū ait: Quomodo tu Platonicorum potius quàm Dionysij rationem sequi me dicis, cum nec Dionysium nec Platonicos ut magna etiā uoce gloriaris unquā legeris, at scias idem esse apud Platonicos Deitypū esse unitatē, & apud Dionysiū Deum unicè omnia expeditiorē solutionem nō posset quispiā rectè desiderare, nam cū Deitypum esse unitatē dicit ad similitudinē & modum, cū uero ferī Deū unice esse omnia ad substantiā referendū est, quæ tamen esse eadem penitus asseueratū est, quinetiā apud Græcā linguā, quam ille probe nouerat, abstractum & concretū significari quandoq; potest eadem uoce. Ad quintæ dubitationis tuæ solutionē afferendam nō opus est multis. Ait ille, si Deus non esset & aurum esset, esset aurū & nō esset aurū. Tu addis hæc uerba igitur esset aurū. Quod si diffinitio ueri constat, erit uerū nulli quadrās ideę. Adde obsecro & hæc paucula quæ scilicet ex eius uerbis seq dixit & agnosces, quomodo erit uerū nulli quadrans ideę. Quid inquā? impossibile scilicet impossibile parit, & ideò non mirū est si ex propositione tua impossibile sequi facias quicquid uolueris. Nā si Deus non esset & aurū esset, erit uerum nulli quadrans ideæ cū ex impossibili gignat impossibile, his non solum dialectici sed etiam theologi adstipulantur. Si enim Ioannem de Bachone carmelitam interroges an fieri possit, ut aurum sit & Deus non sit, in primo sententiarum respondebit tibi, nō aliquam omnino rem qualiscunq; ea sit intelligi posse nisi prius Deus intelligatur. Cum autem de intellectu cūctarum rerum sit, colliges tu an extra omnē controuersiā etiam

apud

apud nouitios dialecticos pronunciari posit aurum esse & Deum nõ esse, fore impossibile. Sed de hoc iterum in calce operis uerba faciemus. Si Cardinalem Cameracensem postea consulueris, audies hominem in omni etiam philosophia exercitatum in primo commentariorum in sentẽtias dicentem, ex quolibet impossibili contradictionem sequi. Sexto loco dixisti, si neq; uerum neq; falsum esset sedere Socratem, quod ille asseruerat, eo quòd necessarium non esset, defendere te posse non in quolibet negationẽ ueram esse uel affirmationem cũ in quolibet aut una aut altera necessariam nõ habeat ueritatem. Quam obiectionem soluentes, respondemus orationem hanc Socratẽ, scilicet sedere ueritatem aut falsitatem, quantũ de se est sibi nõ necessario determinare, nec propterea sequi de quolibet affirmationem uerã non esse uel negationẽ. Veruntamen si eo modo quo ipse docet intelligis, negare etiã poteris in quolibet sic affirmationẽ aut negationẽ uerã esse ut altera pars necessariò uera sit, ait enim me sedere aut uerũ aut falsum semper est, quia semper ego aut sedeo aut non sedeo, & quod dicitur me sedere nec uerum nec falsum, hoc est propositionem hanc ex se sibi nec ueritatem nec falsitatem determinare, quod faciunt propositiones necessariæ. Sed cum fieri posit ut & sit uera, cum scilicet sedeo, & sit falsa cũ nõ sedeo, ex seipsa ad utraq; indeterminata est. Præterea aduersus nonnulla eius uerba de bono & malo, uero & falso, quæ in rebus & anima fore protulerat instas hoc modo. Si bonũ & malum sunt in rebus, uerũ & falsum in anima, ubi est tua affirmationis & negationis oppositio. Negatio enim nihil ponit, quomodo etiam chimera in rebus est & anima. Si est omnino non ens, & falsa cũ non ens, & malum mutuo cõuerti putes. Sed oro attendas animaduertasq; malum & bonũ ea ratione in rebus etiã pronunciari, quia attendatur circa res quomodo uerũ & falsum circa animã, non est enim uerũ & falsum in rebus ut scribit Aristot. 6. primæ philosophiæ libro, sed in mente, nec propterea sequat necesse est ut res quæ omnino mala est res uera sit, uerum etiã illud & falsum, de quibus eo loci mentionẽ facit Arist. cõplexa sunt: nec itẽ sequitur si bonũ & malum in rebus sint ob id ea opponi nõ posse cõtradictoriæ, quia malum quod in rebus esse pronunciat, non ideò dicit in rebus fore ut illud aliquã esse rem intelligat, sed quia attendit considerat; circa res ipsas, hoc est, in quantum res perfectionibus priuat, & ut non bona sint efficit. Chimera uerò ipsa in rebus non est, quia omnino nõ ens est, & omnino mala, tamen si fieri posset à natura ut esset, res esset, & bona, falsa aũt est quatenus nihil omnino existẽs, et nulli quadrãs ideæ, nec etiã eam in anima esse affirmamus, sed ipsi chimeræ notionem, quæ ut res quædam est bona, est & uera, falsa uerò quatenus chimeram repræsentat, cum ipsa chimera & nihil sit & mala. Probare post hæc credidisti cæcitatem esse ueram quod ille negauerat, & si cæcitatem esse cæcitatem uerum esse, nec esset inficiatus nec concessisset, sed

à longe diuersa esse dixisset. Huncq; in modum argumentatus es, si cæcitatem esse cæcitatem uerum est, & quis non uideat cæcitatem esse ueram, idem enim sunt. Sola enim cęcitate posita, ponitur hoc quod est cęcitatem esse cæcitatẽ, & ablata aufertˉ, unde eadem ratione Socrates, & Socratem esse Socratem idem est, & eadem generatione utrunq; generatur, & per se Deus quoq; & Deum esse Deum idem, utrunq; enim æternum & prima ueritas. Ego uero mi Antoni contra contendo, quæq; eadem esse affirmas inficior, nam uno eorum quæ tu affers posito, non ponitur reliquum necessario, nã sola cæcitate posita, nullo intellectu considerante, cæcitas quidem erit, non tamen erit hoc quod est cæcitatem esse cæcitatem, quapropter etiam soluitur argumẽtum de Deo, & de generatione Socratis. Nam Socrates per se generatur, non hoc quod est Socratem esse Socratem, cum complexa non generentur, Licet quoq; tibi condonarem ea esse idem, ad hucnõ sequi dicimus quod colligebas ob diuersum modum significandi, complexe scilicet, & incomplexe, cum nullius sanè ualoris esset hæc argumentatio, cęcitas & cæcitatem esse cæcitatem sunt idem, sed hoc est uerũ, igitur & illud quia pari pacto sequeretur, hoc est complexum, igitur & illud quod absurdum est, cum cæcitas nomen sit simplex non complexum, aut enunciatio aliqua aliud, igitur est cæcitatem esse ueram, aliud cæcitatem esse cæcitatem uerum esse. Et quanquam hæc pro patrui defensione sufficerent, attamen ne credas plures tutandi propugnandiq; modos deesse, utq; absolutior ueniat ad te responsio scias uelim iuxta Gregorij Ariminensis sententiam dicere me potuisse, & si sola cæcitate posita poneretur hoc quod est cæcitatem esse cæcitatem, non propterea corrogari colligiq; necessariò ea esse idem, negat enim hanc consequentiam & multas huiusmodi omni alio à Deo circũscripto Deus est, ergo Deus est Deũ esse. Cardinalis quoq; Cameracensis negat omnes orationes in quib. aliquid enunciatur de oratione infinitiua significatiuè accepta, easq; & falsas asserit, & incongruas, quod in suo primo sententiarum libro uidere licet. Con quæreris deinde falsum cum hac conditione diuisum non debuisse pronunciari, hoc est, quamdiu falsum est, idq; hisce uerbis enarras. Si falsum omne simpliciter diuisum est, quod probatum esse non negas, dici non debuit falsum quiddam cum hac solum conditione diuisum esse hoc est quamdiu falsum. Si enim omnis homo simpliciter & absolutè est risibilis, conditionem non oportet adiungere qua restringas dicens: Omnis homo est risibilis quamdiu est homo, nec propterea restrictio debuit adiungi quòd nõ omnia falsa sunt æqualiter diuisa aut falsa, nec enim omnia entia sunt æqualiter bona, absolutè tamen bona sunt omnia. Sed diligenter eius uerba perpende, quibus poteris omnem scrupulum & dubitationem abijcere. Ait ille omne falsum diuisum, nec omne falsum ex æquo falsum, quia non esse falsum ex æquo diuisum, cum æquè falsa nõ sint quę

non

non sunt necessario & semper falsa, & ea quæ semper & necessario falsa sunt. Rectè igitur Antoni dictio illa quãdiu adiecta est propterea quę non semper & necessario falsa sunt quę falsa, & si uera fieri uiriq; possunt uel naturæ uel artificis opera, quod & tu in secundis obiectionibus dixisti, uerum tamen quandiu diuisa tamdiu falsa, semper uerò falsa sunt ea quę nunquam in amicitiam redire possunt, ut in secundarũ responsione obiectione abunde uisitur, nec similitudo de entib. & de risibilitate tibi impendio suffragãtur. Nam entia sunt semper & absolutè bona, licetq; nõ sint æqualiter bona, aliaq; alijs magis boni rationem participent, tamen semper & necessario sunt bona, quatenus enim entia, eatenus bona, nec possunt fieri non entia & non bona, nisi redigantur in nihilum. Sed potest commodè de falso & diuiso quod in complexione consistit nõ diuisum & uerum fieri, similitudo ergo non quadrat. Nam licet non omnia falsa æqualiter diuisa, attamen quatenus falsa & non unita & non uera sunt. Adde quòd parum turbare nos debuit hæc obiectio. Quis enim ambiget pronunciari posse hominem (qui absolutè & semper risibilis est) cum hac conditione risibilem fore quandiu est homo, an improbabitur hæc loquutio à uiris doctis, homo tamdiu risibilis est, quamdiu homo est. Decimum obiectionum tuarum caput nihil aliud contra eum affert, nisi facile constare potuisse, quod dixisti, si ratio contrariorum motuum satis ei fuisset intellecta, at ille, nisi excidit, conquestus est te nõ probasse quod toties sequi dixisti, scilicet, ex contrarietate prosequendi & fugiendi contrarietatẽ boni & mali inferri inquiens. Nam sibi bonum, qua ratione bonum sit expetendum malumq; fugiendum: Sintq; fugere & appetere cõtraria, quomodo ex hoc sequi probas bonum malumq; esse contraria, hoc est, quod tibi probandum est, ad quod tamen probãdum neq; ullum unquam uerbum fecisti, neque nunc facis. Hæc ille negãs, scilicet formam argumentationis tuæ, & hac fortasse de causa, cum appetere ipsum & fugere non sint proprie motus contrarij, ex quibus contrarios esse terminos colligi possit, & etiam ab ipso Aristotele mutationum aliqua contrarietas assignetur, sexto Physicæ auscultationis libro, quorum contrarij non sint termini, sed contradictorij ens, scilicet & non ens, quãdo generatio ab nõ ente ad ens proficiscatur, corruptio ab ente in non ens procũbat. Tu uerò hanc iterũ contrarietatem boni & mali pertractasti, nec aliam adduxisti probationem, rationẽ porrò contrariorum motuum diligenter illum prospexisse, etiam ab ipsis ut aiunt unguiculis nõ ambigas, quinimò sæpius non modo tuas aduersus eum de hac contrarietate rationes propulsauit, sed etiam contra te egit quando in secunda epistola deduxit hanc tuam probationem, non solum inferre malum & bonum esse contraria, sed contradictoria esse contraria, secundo cum tela tua in te retorserit, hoc modo bonum & malum secundum te sunt contraria, & utrunque contrariorum est ali-

quid

quid positiuum, & secundum te non ens est bonum, ergo secũdum te non ens est aliquid positiuum, & aliquid, & ens conuertuntur, ergo secundum te non ens est aliquid positiuum. Cum in tertia dixisses epistola refugere eum ad Simplicium relictis Latinis interpretibus, quantum ad oppositionem boni & mali pertineret, respondit ille quasi mirabundus, cur tu qui Boëthianus esse soleres & Barbarorum irrisor, eos tunc rideres qui posthabitis Latinis interprætibus, Græcos sequebantur interpretes, uel commodissimè innuens te sentire perperam, si Græcos philosophos magnificiendos nõ esse duceres, quos Boëthius quẽ magno habes in pretio summo in honore semper habuisset, hisq; & præceptoribus & ducib. usus esset, quibus replicas rem non esse admiratione dignã, quamuis dixeris Latinos non negare Aristotelem quem Simplicius non negat &c. Sed mihi non uidetur Simplicium negare Aristotelem cum rectè interpretetur, nec apparet Latinos interpretes euariare ab Simplicij sententia, quando eam tota mente complectantur & exequantur operibus. Si demiratus est negatum à te Latinos expositores Simplicium nõ sequi in maiorem fortè studporem incidisset, si te Latinos non negare Arist. quem negaret Simplicius protulisse intellexisset: Porrò Simplicius quicq; illum sunt sequuti Aristotmentem planè elucidant, cum ea ratione bonum & malum contraria esse dixerit, quòd alterum contrariorum semper habeat rationem mali & deficientiæ, quo circa, primo Physicæ Auscultationis libro, contraria semper secundũ melioris peioris q; inuicẽ rationem comparari tradidit: Pithagoreos etiã imitatus, qui duos rerũ ordines statuere, quorum alter sub bono, alter sub malo cõtineretur, ususq; sit in ratiocinatiuis libris frequenter externis exemplis, hanc expositionem, ut inquit ille Thomas tuus, nõ solum Latinus, sed & inter Latinos præcipuus, non solum refert, sed & probat, cui etiam nos Aegidium in 2. sententiarum & alios multos, Burleum, scilicet, & Aesculanum idem sentientes annumeramus, quinetiã & Ioan. Scotus cathegorias Aristotelis exponens adstipulatur huic nostræ sententiæ inquiens, Si bonum accipiatur prout cum ente conuertitur malum est enihil, & sic bono nõ esse contrarium, cum enim utrunq; contrariorum extra controuersiã sit aliquid positiuũ, necesse est ut quod nihil sit in rerum natura quale est malum, contrarium esse pronunciari non possit, & licet malum tu nihil esse negaueris ad Thomam prouocans, ipseq; opinioni tuæ non modo nõ suffragetur, sed & abundè refragetur, quod etiam patruus in tertia epistola satis ostendit. Ab re tamen fore non putamus, uel paucula obiter etiam ea in transcursu pro patrui opinione perstringere, monstrareq; non solum Thomam in ea opinione fuisse ut malum esset nihil, sed cateruatim plures philosophos & theologos illustres in hanc sententiam pedibus manibusq; descendisse. Augustinum inuenimus de moribus Manicheorum differentem dixisse nullam naturam esse malum,

paulo q;

pauloq́ post ne quid pro natura intellexisset foret ambiguum subiunxit: Et ipsa natura nihil est aliud quàm id quod intelligit̃ in suo genere aliquid esse. Vidimus Aegidiũ Romanum in primo commentariorũ libro in patrum sententias scriptum reliquisse, malum secundum quod malum puram esse priuationem & non aliquid, eoq́ modo esse aliquid pronunciari posse, quo & ipsum nihil aliquid esse dici potest, quando utrique possint nomine aliquo nominari. In secundo quoque earundem cõmentationum libro, malum non habere, ut eius uerbis utar, quidditatem, ob idq́ nõ posse responderi quæstioni quid est affirmat, nihilq́ aliud de ipso esse quàm nomen: Verbaq́ itidem Aristotelis de mali & boni oppositione, iuxta patrui mentem interprætatur, dogmatisq́ Simplicij & aliorum proborum Aristotelis interpretum consentit, & scilicet propria non esse genera pronuncians, sed aliorum contrariorum proprius genera dici debere, cum alter rationem positiui habeat altero non habente, nullumq́ contrariorũ secundum se esse non ens, sed aliquam naturam & existentiã. Id ipsum Gregorius Ariminensis testatur, in commentarijs in secundum sententiarum librum, malum scilicet ipsum non esse aliquã, ut ipsius utar sermone, entitatem, sed purã priuationem. Hoc idem sensit perspicacissimi uir ingenij Robertus Olchot, quæstione prima commentariorum suorum in secundum theologicarum sententiarum librum. Hoc idem plerique alij iudicauere, quos in præsentiarum adducere mihi scribenti, tibiq́ postmodũ legenti fastidium fortassis afferret, satis erit quantum ad presens negocium attinet hos numerasse potissimum cum alijs obiectionibus dissoluendis, de hoc iterum oportuerit uerba facere quãdo illis in locis de malo mentio sit habita. Sed ut eò redeamus unde digressi sumus. Boëthium tantũ ex Latinis omnibus contra Simplicium & reliquos illustres interpretes citare in iudicium uideris, quẽ si tantũ Latinorum numero dignaris adscribere, is unus erit ex Latinis expositoribus, nõ Latini expositores qui tuæ opinioni suffragari uidebitur. Adde quòd nec ille si eius mens probè scrutet̃ nostræ sententiæ reclamat, cum quæstionẽ hanc nec exactè pensiculet, nec ultimo rimetur iudicio, sed solũ quid Aristotelis uerba strictè & presse apprehensa expostulent, declaret, qui mos ei familiarissimus in primis æditionib. fuit, opiniones Grecorũ interprætũ uarias secũdę editioni demandãs, scrupulosè & anxiè examinãdas. Ceterũ probasse nõ modo illũ, sed demõstrasse existimo quotiescũq́ daretur bonũ & malum esse contraria, illico Chimerã aliquid esse in rerũ natura absq́ ulla controuersia pronunciari posse, cuius cõtra te argumentis hoc tantũ respondens, nõ perceptũ scilicet ab eo qua ratione bonũ & malũ cõtraria dixeris, nihilq́ aliud pro te affers, quapropter nihil & ego aduersus te agã nisi & uidisse illũ & percepisse cũcta q̃ scripseras, & cũ collibuit multaq́ de cõtrarijs dixeras recensuisse, meum enim hoc in negocio consiliũ est ultimas tuas obiectiones in

patruum

patruum dissoluere, eas uerò quibus ipse quoquomodo responderat silentio præterire. Verumtamen si aliquid non plenè ab eo enucleatum tibi uidebitur quod à me & optes & expostules aperiri desiderio tuo satisfacere tentabimus, per quæ tua argumenta & dissoluendo & respondẽdo prouiribus uagabimur, non enim minutula quæq; uerborum tuorum responsione carere iudicauit inconsonum. Fatetur ille in primis literis quædã esse omissa quibus nihil responsum est, ne in leuibus rebus uerba prodigeret quædam leuiter tractata, ut qui philosopho homini res potius indicãdas quàm explicandas duxerit. Quæ uerba sic à te uelim interprætari ut nõ nulla quorum controuersiæ notę sunt, etiam Gregorijs philosophis operæprecium non fuisse abs te philosopho nobili aduersus celeberrimũ & doctrina & fama hominem adduci qui de rebus altissimis haberet sermonem, quiq; ad ima hæc discutienda non sine dispendio conceptorũ de rebus difficillimis speculaminũ descenderet. De hac tamen contrarietate sequenti responsione cum de semiplenis priuationibus uerba fient non nihil dicturi sumus. Miraris præterea demiratum illum fuisse semiplenas à te fingi priuationes, quam rem nõ tam eo tempore quàm postquam iterum id tentare probasti in admirationem conuertisse illum existimo (si tamen ab eo ultimæ obiectiones tuæ uisæ sunt) dixerat ille aduersus te, malum est nihil, ergo non est semiplena priuatio. Tu uerò eius argumentum hoc modo prosequeris, Aegritudo mala est, igitur nihil est, non est igitur semiplena priuatio, est autem priuatio quædam ægritudo, non igitur est uel sanitatis uel boni cuiuspiã semiplena priuatio, sed plena potius & perfecta quod fieri non potest, imperfectæ igitur priuationes semiplenæ sunt ut ęgritudo, raritas, turpitudo, cæcitas uisus, perfecta boni imperfecta hęc tu ad uerbum. Ego uero mi Antoni libere dixerim hæc tua uerba uel nihil contra ipsum faciunt, quod ut clarius uideas ea sigillatim recensebo. Ais primo ex ipsius uerbis malum est nihil, igitur non est semiplena priuatio. Recte ambulas rursus ægritudo mala est, igitur nihil est, non est igit̃ semiplena priuatio. Huc usque etiam probe progrederis, quia ægritudo quatenus mala, eatenus nihil. Rursum ais, est autem priuatio quædam ęgritudo, non igitur sanitas &c. usque in finem quibus uerbis falsum meo iudicio astruitur, pace tua sit dictũ, quod ostendere conabimur. Cæcitas enim non solum perfecta uisus priuatio est ut ais, sed etiam boni perfecta priuatio dici potest, quia totum illud bonum aufert quod nata est, auferre scilicet uisum, quod nõ facit ophthalmia, licet etiam illa bonum quod nata est adimere perimat, illius uero quod non est apta perimere, nullatenus priuatio nuncupari possit, siue semiplenam, siue plenã dicas. Priuatio enim uel absolutè consideratur, scilicet, ut habitum in cõmuni respicit, uelut ad certum & limitatum entis genus restringitur. puta ad sanitatem totius corporis, ad oculum, ad pulchritudinem, & cætera id genus primo modo accepta ha-

pta habitum, aliquem particularem nõ priuat, quia priuatio omnimoda, ut Dionysius, inquit, libro dè Diuinis nominibus, uiribus omnino defi- citur. Secundo modo sumpta, quæ singularis à Dionysio appellatur, di- stinguente eam contra uniuersalem illum quem respicit habitum priuat, et hoc modo huiusmodi habitus, cui scilicet obesse nata est priuatio plena, & non alterius rei semiplena est. Quis enim dicere auderet cæcitatem esse semiplenam priuationem hominis, uel alterius boni quod esset in homi- ne. Priuatio igitur absoluta, habitum absolutè, & propria & particularis priuatio proprium & particularem habitum respicit, & eius limites non excedit, quapropter ægritudo plena priuatio est, non semiplena, siue toti corpori eam ascribas, siue particulari membro. Febris enim perfecta pri- uatio est illius temperaturę quam nata est corrũpere. Ophthalmia etiã & si non totius boni quod in oculo est, tamen alicuius boni perfecta & propria priuatio est, quia totũ illud bonum quod nata est perimere perimit, quan- do perfectam oculi sanitatẽ uisum uerò non auferat, & quatenus ophthal- mia nihil aliud faciat. Turpitudo etiam, quia totum illud bonum quod potest auferre, scilicet perfectam partium composituram quæ pulchri- tudo uocatur adimit perfecta priuatio est, & sic in reliquis considera, hoc etiam ex superabundanti dixerimus, cæcitas qua cæcitas malum est, qua malum nihil est, qua nihil non semiplena priuatio, quia si semiplena ali- quid positiui relinqueret, quod non facit malum. Præterea nulla priua- tio in se, omne bonum priuat actu, ergo omnes priuationes essent semiple- næ priuationes, quod est contra te, quia aliquas plenas, aliquas semiple- nas esse contendis, connexio optima & necessaria, & quod assumpsimus hoc probamus argumento: Cum nullum bonum unquam inueniretur, si totalis quædam & uniuersalis priuatio in rerum natura comperiretur, ut paulo ante ex Dionysij uerbis innuimus: Malum enim priuat particulare bonum, cum malum in bono sit, & uniuersale malum uniuersale bonum perimeret, si tamen inueniretur quod fieri potest. Et sic collige non semi- plenas, sed plenas semper propriorum habituum priuationes reperiri.

Decimæquartæ obiectioni quæ plures quæstiones continet, sigillatim respondeo. Primoq; non omne malum boni aliquid relinquere, nisi in ali- quo intelligas subiecto, quod malum ipsum non respiciat, uel illud subie- ctum cuius habitus à malo ipso perimitur accipias, nec illum oppositum habitui, quod tamẽ ei imponis & pro hypothesi aucuparis, asseruisse, nam ille malum aliquod inueniri quod, omne bonum ab eo natum auferri tol- lat penitus abunde testatus est, cum in epistolæ secundæ responsione te de hoc commonuerit, hunc in modum scribens, hoc certè considerare de- bueras, quod de imperfectis quibusdam malis ex ea quam adhuc retinent bonitatis admixtione conceditur ad ipsam immixta absolutamq; mali na turam non esse transferendum, & ut planius ueritatem percipias non pi

gebit explicare uim distinctionis malum bifariam considerari, potest absolutè primo, & sub propria ratione mali, hoc est, inquantum nihil, secundo inquantum cuiusdam boni priuatio est, hoc est particulare malum, & hunc in modum malum acceptum boni aliquid subiectū duntaxat relinquit, quod non facit aliud malum quod omnino non ens est & nihil, quale chimeram dicimus cum subiectum aliquod aut habitū non respiciat. Et hac de causa omnino malū ab ipso & absoluta immixtaq; mali natura uocitatur, hoc inquã malum, quod ut Dionysij in libro de diuinis nominib. uerbis utar, quia subiecto caret, nullo modo nusquam & nihil existens est. Chimera uerò & si potentia dici bona possit, ob potentiam producendi ipsam quæ in Deo est, tamen nec ens, nec bonum denominari potest. Si enim hæc connexio, scilicet, aliquid potentia bonum est, igitur bonum est uirium potens esset, in authorem illius ictus retorquens. Adducere eū putarem ut fateretur omnia quæ à Deo creari deberent, non autem ui naturæ fieri, & etiam quæ corrupta sunt aliquid esse, & non esse aliquid. Nam si potentia creantis secundum eū & essent & bona essent, igitur & necessariò essent aliquid, cum aliquid & bonū conuertantur pariscq; sint ambitus omnino. Quod uerò aliqd esse nõ posset, sic argumentabor ex nihilo aliquid fieri non potest, antequã creetur, chimera secundū te nisi creetur esse non potest, creatur igitur ex nihilo, igitur prius quàm crearetur ex nihilo non esset aliquid, ob potentiã igitur bonitatis quæ in creatore est res absolutè bona denominari potest, alioquin ut nostro dialecticorum sermone utar fallatiua, secundum quid ad simplicitet committeretur. Mitto ea consulto quæ afferant contra opinionẽ illam de æternis, ut ita loquar quidditatibus & potentia obiectiua, & si illismet rationibus sententia tua infirmari forte posset, satisfit enim desiderio nostro, si chimerã dici non posse bonam probauerimus, adde quòd & Auerroem in hac parte imitati, dicere possumus, ens in potentia, nõ esse ens, quãdo in commẽtarijs in quartum Metaphysices librū partitione quintadecima dixerit, id quod nõ est actu, non esse ens. Ad illud quod iungis, scilicet chimeram ob id ens esse, quia licet illa potentia producendi chimeram in Deo sit, nihilominus potentiam Dei & chimeræ esse aliã & aliã ratione. Respondeo, Primo negare me posse, Dei potentiam & chimeræ producendæ diuersas esse ratione. Secundo licet gratis tibi cõcederetur potentias, scilicet illas esse diuersas, adhuc tua ratio quid probaret? cum chimera ens nuncupari nequaquam possit ob potentiam se producendi quæ in Deo esset. cum tantum absit potentiam illam nec chimeram nec aliquid intrinsecum chimeræ enunciari posse, utetiam distent in infinitum. Addis præterea excluſa potentia Dei & cogitatione nostra chimeram non esse malam, cum malum priuatio sit, quæ in subiecto participante bonitatem consistit, cui responsum uelim eadem distinctione qua paulo ante, cū chimera subiectum aliquod non respiciat,

sed

sed absolutè mala sit, licet eam à nobis conceptã, scilicet, ipsam notionem chimeræ quam mente gerimus, ut aliquid esse, ita bonam esse, chimerã uerò ipsam nec aliquid esse, nec bonã esse pronũciare possimus. Præterea gestire uideris non improbatum quod attuleris solumq; Simpliciũ id non dicere responsum esse. Itẽ ais non dixisse te sentire Aristotelem omne omnino ens uel per se uel per accidens esse, nec Thomæ aliquid propterea falsum adscripsisse. Verum & si tot ab illo quem defendimus hac de re dicta sint, ut à me uerba fieri opus non uideat, proposuerimq; semel ab eo quoquomodo discussa non retractare, hæc tamen ex superabundanti pro patruo dixerim, Simplicium, scilicet, qui à te sæpius in iudicium citatus est, contra te sæpius testimonium tulisse, quòd patruus non semel in responsionibus comminiscitur. Rursus scire uellem an defendendum susceperis nõ omne ens, aut per accidens, aut per se esse, de mẽte Aristotelis. Ille enim, quinto primæ philosophiæ libro, secat illud ens in ens per se, & per accidens demũ in substantiã, & accidens secãtur, quæ priori partitionis membro continebant, cum illud per se in decem partiat genera, quorum unum est substantia, reliqua accidentia. Vellem ego à te nunc libentissimè doceri quale nã esset illud ens quod nec per se nec per accidens esset. Quòd si forte diceres diuisionem illam in ens per se & per accidẽs assignationẽ esse complexi entis, ut in primis obiectionibus prodidisti, respondere nõ dubitarem te id ostendere uerè non posse, nec aut Aristotelis quapiam sententia, nec ratione idonea tuam opinionẽ fulcire, cum eo loco Aristoteles ens per se in decem partiatur genera, quorum unum sit substãtia, & nouem accidentia, quæ cõplexa entia fore nemo credit, quando aduersum complexa distinguantur, Eoq; loci Auerrois dicat ens per se diuidi per dictiones significãtes, genera prædicamentorum. Dictio autem non est complexum ens. Sexto quoq; metaphysicæ idem Auerrois dicit, primam entis diuisionem esse in per se & per accidens. Prima autem esse nõ posset, quando eam diuisio complexi entis anteiret, nec apud Thomã reperitur quinto metaphysicæ libro diuidi ens complexum, ut asseruisti. Credi uerò non potest cum ens primo sit partitum in ens per se & per accidens, illudq; per se sit in decem genera subpartitum quę incomplexa esse ostendimus, assignari eo loci diuisionem entis complexi, quando illud quod diuiditur de diuidentibus membris prędicari necesse sit, hæcq; ob id & si parum ad negocium pertineant, dicta sint, cum nec illud tuum dogma Aristotelicorum interpretum placitis, nec rationi consentaneum primori fronte mihi uideatur. Quod si forte contrarium probaueris, gratissimum erit à grauissimo philosopho qualem te profecto existimo didicisse nonnihil. Cæterum dixit ille eatenus malum priuationẽ esse, quatenus priuatio formaliter erat negatio. Cui aduersaris, inquiens, non constare aliam non esse affirmationis negationisq; oppositionem, aliam priuationis & habitus, nec propterea si

malum esset priuatio boni, malum & non bonũ cõuerti necesse esse. Quibus responsum uelim aliam esse priuationis oppositionem, aliã negationis, nec illum oppositũ protulisse, sed propterea etiamnum sequi, quòd si malum bono priuatiuè opponatur, malum & non bonum cõuerti necesse esse. Priuatio enim, ut Magnus ait Albertus libro primo physicæ auscultationis, inquantũ priuatio de se uel per se non est, eo quòd de se habet non esse, quinimò & ab Aristotele asseueratũ est in prima philosophia priuationes esse de genere non entium, cũ priuatio de se sit alterum extremũ contradictionis, & ideò cum malum sit priuatio boni, & consequio nõ ens inquantũ malum est, malum etiã & non bonum conuertũtur, malum enim & nihil, ut probatum est, idem sunt, nihil etiam & non ens idem non ens, item & non bonum idem, quia ens & bonum idem. Quapropter rectissime dixit patruus negationem eatenus esse priuationẽ, quatenus priuatio formaliter esset negatio, nam etsi differãt in hoc quòd una earum, scilicet, contradictio medium nõ habet, ut ait philosophus in libro primo Analiticorum posteriorum, alia uno modo habeat, cũ fiat simul cum opposito circa idem subiectũ, tamen quantũ ad propositũ attinet, essent idem, cum priuatio de se negatio sit, & non ens, nihilq; ponat, quemadmodum probat Thomas pluribus in locis, potissimum in tractatu de quatuor oppositis. Si uerò non ens mala, si mala non bona, ex quibus corrogare potes malum & bonum omnino conuerti, & ne credas illustres homines defuisse qui hoc asseruerint. Audi Aristotelem dicentem, bonũ dici æqualiter enti. Adde igitur per locum à contradictorijs malum non enti. Audi celebratissimũ theologum Anselmũ Cantuariorũ archiepiscopum libro de casu diaboli proferentem hæc uerba: Malum non est aliud quàm non bonum, ex quibus colligitur constantissimè malum & non bonum se mutuo consequi. Nullæ decimo septimo in loco inter te & ipsum cõtrouersiæ fuissent si diligentius libellum ipsum de ente & uno animaduertisses, & quæcunq; in eo perscripta sunt cũ de gradibus illis, deq; ipsa caligine, ad quam contemplantibus perueniri datur, mentio sit, ad memoriã reuocasses. Videlicet in illis trib. primis gradibus posse de Deo aliquid enũciari, in quarto minime, ibiq; fenestrã intelligentiæ librorũ Dionysij apertam, qua commodissimè poteras de hoc cõmoueri, nam nec negat ille, nec negare posset hanc loquutionem esse ueram Deus est Deus, eo modo quo nos possumus Deũ & concipere & enunciare, uidelicet in illis primis tribus gradibus constituti. Sed tantum negat ullum prædicatum Dei naturã uerè posse explicare, in illo duntaxat quarto gradu caliginis, quod omnes etiam, ut mittam theologos, philosophi rectè sentientes astruerent, cum uerò hoc nomen Deus quod prædicati officium gerit in hac propositione Deus est Deus, non modo diuinam essentiam & naturam non explicet, & declaret, sed & ab ipsa in infinitum superetur, illud de Deo affirmari posse negauit,

gauit, quartum illum gradū caliginis attendens. Age ergo uerba ipsa examinemus quæ hominis mentem testabuntur, postea nōnulla adducemus ut planius uideatur an Deus & quomodo possit à nobis enunciari: Deinde ostendemus tuas argumentationes contra eius uerba, etiam ut iacēt apprehensa nihil concludere. Dixerat ille dici diuerse posse Deus est, Deum item, ex sententia Dionysij, omni appellatione esse maiorem, etiam appellatione hac Dei, quemadmodū in libro de Mystica theologia habebatur. Dixerat alio in loco cum per hanc dictionem Deus id tantum concipis, quod significatur per nomen dictionem hanc non habere prędicati rationem, sed subiecti, quando id esset de quo quæritur, quidnā de eo enunciari posset aut deberet, non aūt illud quod de alio enunciaret, quare id neq; Simonidi fuisse ignotū, aut consulenti eum Tyranno. Cum item quęreres si Deus dici Deus non posset an esset aliud à Deo, quærere à te quid cōciperes per hanc dictionem Deus, quam de Deo enunciares, si nihil conciperes nihil errares, quia nihil diceres, si aliquid conciperes, dicere Deū aliud esse ab eo quod tū conciperes, & conceptum per hanc dictionem Deus explicares, quoniam supra omne illud esset quod à nobis concipi posset. Hæc ille. Credebam ego patere tibi ex uerbis ijs ueriſsimam dubitationum tuarum super hac resolutionem. Tu uerò contendis à Dionysio non negari Deum esse Deum. Lege oro Dionysium capite ultimo libri de Mystica theologia, & epistolam primam ad Caium, & tibi palam fiat omni appellatione Deum esse maiorem. Lege item eundem secundo capite Cœlestis Hierarchiæ, & intelliges, diuinum hominem, nos edocere, diuinæ ueritatis similitudinem subiectam, omnem, uitamq; transcendere, nullam hanc exprimere, lucem, omnemq; sermonem, omnem mentem, atq; rationem, absq; ulla comparatione illius similitudine inferiorem. Ex quibus mentem patrui putarim te posse perpendere, ut scilicet, eo modo dici uerè non possit Deus est Deus, ut per hoc nomen Deus uicem prædicati gerens. Illud quod per subiectum conamur concipere declaretur, non quin aliquo modo posset dici Deus est Deus, quemadmodū dicitur Deus est bonus, Deus est sapiens: Et aliæ conceduntur prędicationes, quibus sacri codices pleni sunt, in quibus quoquomodo de Deo aliquid enūciatur, sed illius natura non explicatur, cum ab illis conceptibus distet in infinitum, quemadmodū satis apertè, quinto capite libri de ente & uno, patruus ille meus edocuit, qui super ijs Dionysij uerbis quæ à Thoma adducuntur ueluti arbitrabaris loquutus non est, sed super ijs quæ paulò ante sunt allata. Porrò Damascenus in primo libro sententiarum suæ theologiæ scribit, esse quædam affirmatiuè de Deo dicta, uirtutem superexcellentis negationis habentia, uerbi causa, si tenebras in Deo dicamus, non tenebras intelligimus sed lucem non esse. Verum super lucem lucemq; esse dicimus cum tenebræ absint, quam sententiam doctissimus & deuotissimus Parisiorum

Cancellarius pertractans inquit sic: Igitur quicquid de Deo affirmatiue dicimus includit negationem aliquã. Et paulo post: Propterea dicit Dionysium Deum negare esse ens sed super ens esse affirmare. Deum esse sapientem ait Aegidius primo Sententiarum libro, sed non eo modo sapientem quo nos intelligimus. Vnde dicit hanc esse causam cur Auerrois 12. Metaphysicæ has quæ Deo attribuimus prædicationes propositionibus mathematicis similes esse pronunciet, quorum more, ea quæ intelligimus sunt in rebus, sed non eo modo quo intelligimus cum lineam quæ est in materia, non ea ratione quæ est in materia intelligamus. Sed quid te multis moror cum uel paucis ueritatis huiusce quam afferimus te certiorem reddere possum, ut scilicet, cognoscas quicquid de Deo prædicamus longe aliud quàm concipimus & enunciamus significare. Ait ipsemet Iesus Christus, Dei uirtus & Dei sapientia & ueritas, teste Ioannis Euangelio, Deus spiritus est. Ait Dionysius, libro de Mystica theologia, de Deo uera faciens, ineffabilem deitatem contemplans, multaq; illi prædicata quæ nos attribuimus remouens, neque spiritus est quantum scire ipsi possumus. Vide igitur, nolle Dionysium spiritum eo modo quo nos spiritum scire possumus de Deo enunciari, per quæ ultima uerba legentes edocere uerum forè Deum spiritum esse, ut Christi Euangelio consentiret, & tamen non eo modo spiritum esse quo nos spiritum intelligimus, ne Dei naturam à nobis per aliquod nomen exprimi uerè posse crederemus. Quanta uero sit Dionysij authoritas, quantum ipsius sacratissima dogmata, ab omnibus theologis, qui Parisiorum gymnasia coluerunt, sint elata laudibus, & celebrata, licet putauerim te non latuisse, cum tamen patruus in responsionibus obiectationum tuarum innuerit te inter disputandum Dionysij dicta non magnopere libenter admisisse, scias uelim fidissimum illum Pauli Apostoli in Christi fide discipulum extitisse, cuius ope Deus eum uoluit relictis gentilium erroribus ueritatem & agnoscere & sequi, & martyrij corona pro Christi fide donari. Gregorium de eius doctrina Martinumq; Pontificem in synodo Romæ contra hæreticos celebrata magna dixisse. Damascenum aliosq; complures summis eum laudibus extulisse, ab hæreticis eius libros occultatos longo tempore fidelium mentes latuisse, uerbumq; fuisse Constantini philosophi, qui omnes eius libros memoriæ commendauerat, quòd si à pluribus patribus qui cum hæreticis & sacrosanctæ catholicæ ecclesiæ hostibus magna bella pugnarunt, Dionysius habitus fuisset, quamtotius eos & facillimè (quod & tardè & magnis exanclatis laboribus postea ab eisdem factum est) de hostibus fuisse triumphum consequutos. Cum uero probare intendis Deum dici posse Deum ob nominis rationem quæ de nomine prædicatur, Dico te frustra (mi Antoni) laborare, nã non enuncias aliquid de Deo, sed de hoc nomine Deus, quod ut clarius intelligat, latius explicabo. Nam

quæ

quærã ego à te quid per aquã pro ratione nominis designasti cõcipias, si nihil cõcipis, nihil erras (ut uerbis utar parrui.) Si aliquid cõcipis, quæro iterũ, si concipis tanquam id de quo aliquid possit enunciari, si hoc modo sumis, etiam non erras, quia iterũ illud, a. uicem subiecti non prędicati obtinebit. Si conciperes illud quod de eo enunciatur longè aberrares, tum in infinitum ipse Deus maius sit omni eo quòd potes cõcipere, quem etiamnum Platonicus Apuleius in libro de platonis dogmate indictum appellat & innominabilem, ipsiusq; Platonis hac de re uerba sunt, ab ipso Apuleio Latina facta. Deum quidem inuenisse haud facile est, intellexisse impossibile, omnes itaq; de Deo affirmationes improprias esse dicamus, quando quodcunque non solum dicere, sed & concipere uellemus, ille in infinitum excedat. Quin etiam non modo in hoc ignorationis & miseriæ terreno carcere retenti, sed nec in ipsa Dei fruitione qua perfectè beamur in cœlis constituti, compræhendere Deum, sed apprehendere tantum, ut nostrorum theologorum uerbis utar, facultas nobis condonabitur. Prętera pugnare inuicem has oppositiones credis, scilicet, Deus est supra id quod concipi potest, & aliquid de Deo affirmari non potest, & ais, sit nominis diffinitio supra id quod concipi, & argumentum militabit. Sed soluitur, cum enim dicitur affirmationes de Deo adduci proprias non posse, intelligi datur prædicatum non reperiri, quod Dei naturam integrè repręsentet. Hæc uerò oratio, scilicet supra id quod cõcipi potest, nihil aliud significat quàm Deum concipi nõ posse, & quid sit Deus non posse sciri. Dicunt igit hæc uerba non solum quid sit Deus, sed nõ posse sciri quid sit. Vim igitur negandi potius quàm affirmandi obtinent. Sed licet ibidem ut affirment ob id tamen argumentum tuum nõ militabit, alioquin de aliqua re nobis ignota quam quis scire cuperet ac de eius essentia nos punctaret: Respondere sisitanti possumus, est id quod nescimus, quod nõ nouimus, quod adhuc mente non concepimus nec concipere quimus, non uideretur satisfactum petitioni illius? ut posset hoc dogmate percepto de re illa affirmatiuè aliquid enunciare sed negatiuè, nisi fortè quis inueniretur qui posset alijs intimare quid esset illa res, quæ ut penitus hominibus ignota supraq; captum cogitationum omnium foret, ita nec à seipso aut cognosci aut concipi posset. Et Simonides igitur, & consulens eum Tyrannus, nouerant Dei nomen maximum quid repræsentare, & tamen unus eorum quid esset Deus scire cupiebat, alter se scire negauit. Præterea uteris tali connexione. Deus est supra omne id quod concipi potest, ergo Deus concipi non potest, alioquin ipsum supra seipsum foret, non igitur amari potest, nec coli. Respondeo Deum à seipso tantũ, sicuti est, concipi integrè posse & à nullo alio intellectu, nec propterea sequi, non posse aut amari, aut coli, concipimus enim tantam esse deitatem omnipotentia prædita, in infinitum creaturas omnifaria uirtute superantem,

ut eam nisi ex affectibus non possimus concipere, & hac admiratione excitati concalefactiq; in eius amorem exardescimus, cõcipimus effectus, & eum esse summum bonum, & admiramur & colimus & amamus, nam cognitis his perfectè quæ fecit Deus ut Themistij uerbis utar, in admirationem commendationemq; sui, omnium animos atque ora conuertit. Legimus itẽ nos ea quæ reuelata deitus sunt, & gratia eius præditi fide concipimus, id quod concipi ad plenum natura non possumus, super omnia duntaxat illum nos amare oportere, ut tandẽ fracto huius carnis ænigmate possimus eum sicuti est summo cum utriusque hominis gaudio, quæ nostra est felicitas contemplari. Rursus ad hoc ut aliquid diligamus, non opus est à nobis illud perfectè, aut uideri, aut cognosci, aut concipi, sed satis est si eum esse uel esse tale, licet confusè & subobscurè sciamus, & hoc uel ex fide, uel ex effectibus, itaque uel modica cognitione præuia qualiscunque ea sit nobis est satis ad talem rem amandam, possumus enim quamlibet rem diligere, nisi penitus eius cognitione careamus, ex his enim quæ nouit animus, discit ignota amare, ut ait Gregorius. Thomas quoque in prima secundæ probat aliquid posse perfectè amare, & si perfectè non cognoscatur, & exemplum de Deo inter alia proponit. Postremò ais tantam esse auri potentiam, putasse patruum ut uellemus, nollemus, uel re uel animo, ex necessitate Deum secum traheret. Sed non tantam esse auri potentiam mi Antoni, sed impotentiam, opinatum non modò, sed ceretiorem factum eum crediderim, ut nec ipsum aut esse aut intelligi posset aurum semoto Deo. Et quanquam te ad Ioannem de Bacchone relegare possem, cuius in dissolutione quintæ obiectionis mentionem habuimus, tam & si quando tu patrui argumenta recensens quibus adstruerat Deum non esse & aurum esse, pugnare inuicem, nihil respondere uelle dixisti, ne caligare uideris in re luce clariori, monstrare consilium est (etiam fortasse te iudice) fuisse operæpretium, ut ea dissoluenda susciperes si ualuisses, sin minime applicare saltem manus operi uel fateri ingenuè eius assertiones ueras fuisse. Argumenta patrui hæc sunt quæ mox declarabo: Fieri non potest ut aliquid sit si non sit ipsum esse, Deus autem est ipsum esse, fieri igitur non potest ut aurum sit si Deus non sit. Præterea si Deus non est, igitur infinitũ est, si infinitũ est nihil est, quoniam si infinitum est, finitum nõ est, quoniam infinitũ seipsum perimit, quemadmodum & alia quæ contradictionem claudunt. Si nihil est aurum, non est. fieri non potest ut aliquid sit si non sit ipsum esse Deus aũt &c. Cum ipsum esse quod Deus est (ut nemo diffitetur) non sit, cuius participatu non modo omnia sunt quæ sunt, sed & ab eo depedent & momentis omnibus conseruantur: non modo ut omnes theologi præsertim Thomas copiosissimè docent, sed etiam ut à Platone in Timæo asseueratum est, impossibile est aurum esse, quòd ipsius esse gratia ipsiusq; participatione existit.

Præ-

Præterea si Deus non est, igitur infinitum est, entia omnia præter Deum finita sunt, certisq; terminis contenta, hancq; quam habent limitatam in natura Dei opere & gratia habere possidereq; haud dubium est, quamobrem Platonem aiunt eius sectatores Deum in Philebo terminum uocasse, quia formis quasi mensuris passim distributis omnia terminaret. Sed & ait Sapientiæ liber, omnia in pondere, numero & mensura ab eo constituta. Si igitur Deus non sit, cuius causa omnia entia sunt finita, nihil erit finitū, igitur infinitum. Si infinitum est, nihil est, quoniam si infinitū est, finitum non est, quoniã infinitum seipsum perimit, quemadmodum & alia quæ cõtradictionem claudunt. Cum probatum sit unū aliquod esse à quo cuncta esse accipiunt, & esse finitum eo semoto nihil est nihilq; finitum. Si enim infinitum est, hoc est, nõ terminatum finitumq; ab illo primo, cuius ope & sunt & finiuntur cuncta terminanturq;, sequitur infinitum nõ esse. Iccirco infinitum seipsum perimit, cũ nihil aliud sit dictu infinitū esse, eo scilicet modo quo acceptum est, quàm nihil esse, nam si nec finitum sit, nec Deus, extra controuersiã est nihil omnino esse. Hęc sunt Antoni quæ pro patrui aperienda sententia protuli, quæ fortè & alia continet dogmata, nõ enim omniũ est assequi quæ ille conceperat. Sed quòd & alios etiã sub uerborum cortice latuisse sensus existimem, illius me hæc uerba mouent quibus responsionẽ terminauit. Hæc scilicet satis credo esse tibi homini quantumuis ingenioso, sed inaccessa deseramus, & teneamus quæ interprætis officio fungendo scripsimus, quæ cum satisfaciant, meam quoq; claudent responsionem, adductis prius quibusdam quæ & patrui sententiam roborant, & meam in eius uerba quam ante protulimus interprętationẽ confirmant pariter atque elucidant. Nam deficiente primo, necesse est omnia illa quæ ab eo prodeunt interire, ut ex Aristotelis octauo Physicæ auscultationis libro colligitur. Deus autem, teste eodem philosopho, est primum uerum à quo sunt omnia alia uera, ergo sublato Deo omnia uera perire necessarium est. Sed si uera tendunt in nihilum, entia pariter ab interitu non uindicantur, cum æquali ambitu commeent. Item ammoto illo qui rebus & esse communicat & uiuere, quis perituras easmet res omnino non uideat. Deum autem id rebus ipsis condonare sententia est Aristotelis 1. libro de Cœlo, qui addit etiam quibusdam clarius, quibusdam obscurius esse illud communicari. Præterea quicquid regitur ab arte primæ causæ pereunte illa procumbit. Totam uero hanc machinam à prima gubernari regiq; causa, testatur Auerrois in 2. primæ Philosophiet libro, sub qua et aurum contineri cõpræhendiq; nemo potest ambigere. Plura alia possem in mediũ afferre ex sacris codicibus, ut multa de ipso Euangelio, multa ex Apostoli Pauli sacratissimis dogmatis, plurima ex alijs, ut ex Gregorio, qui cuncta dixit in nihilũ decidere, nisi ab omnipotenti Deo conseruarent. Ab Augustino super Genesim & ex S. Tho. & à Ioan. Scoto in tractatu de

primo

primo principio, quæ tamen consulto prætereo, quando probasse id na-turalibus rationibus quas exposcere omnino uidebaris philosophorumq; gentilium documentis sat sit, quod ut probari posse ab eo nequaquã cre-disti. His igitur omnibus quæ præfati sumus, putauerim bonis ingenijs extra controuersiam futurum, omnes patrui opiniones satis fuisse defen-sas, etiam fortasse te iudice. Hæc tamen scripsimus non ut tecum conflige-remus, scripsimus etiam inuitè, quod & Ioannes Mainardus noster, & Christophorus Saxolus Mirandulanus ciuis noster & medicus atq; tuus olim auditor testari possent. Scripsimus quoq; citra odium, cuius tibi ar-gumentum maximum esse potest, cũ si quid honori tuo uel aliqua ex par-te detrahens chartis traditum iudicaueris, tuo illud arbitratu priusquã ad aliorum manus responsio perueniat dispuncturus dempturusqúe sim, & quidem perlubenter, cum te ut hominem diligam, ut philosophum obser-uem, ut Christianũ colam, quod si mei erga te animi periculum facere col-libuerit, uerbis facta præponderasse percipies.

ILLVSTRI PRINCIPI AC DOMINO SVO SINGV-lari Comiti Ioanni Francisco Antonius Fauentinus, S.

LEgi missas ad me in patrui tui scripta defensiones, ut quib. magnam rerum doctrinam & admirabilem ingenij solertiam planè depre-hendi, sumq; inuentionibus tuis mirificè oblectatus, nõ solùm pro-pterea quòd uideo bonas artes tutores optimos ac patronos aliquã do-bituras, quibus à tenebris, à barbarie uindicentur, uerum etiam eò magis quòd de te si philosophari pergas, nescio quid magnum ac grande mihi facile polliceor, uidebit posteritas me nihil mentitum si uixeris, Deus mo-do uitam longiorem præstet. Quod ad me attinet, equidem nõ improba-bo, quæ in patrui defensionem subtiliter quidem & acutè scripsisti, neque enim si patruus uixisset disputationem iam cœptam magis ultra protra-xissem, quemadmodum in postrema oppositione mea sum illi plane testa-tus, qui per internuncium respondit se quoque nihil amplius scripturum, causæ igitur iudices sunto qui legerint. Quod si ea quæ probe medita-tus es impressorib. danda censuisti, saluo ac integro amici honore id fiat, quemadmodum promisisti. Sunt quidem nonnulla in libello uerba, quæ aliquid habent aculei nec omnino parum, à quibus facile potes tempera-re si uelis, sensu rerum nihil immutato. Quod si feceris ut spero non eris ingratum. Causam meam uideor mihi satis abundeq; tutatus & in dies fa-cile tutari potuisse. Sed disputationi modus iam esto. Cæterum Comes il-lustris putes uelim me tuum esse ac semper fore, quo uti pos-sis arbitratu tuo. Bene uale ex Ferraria die

16. decembris. 1495.

IOAN-

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA Antonio Fauentino philosopho insigni S. P.

SAtisfactum est abundè tuis uotis. Satisfactum pollicitationibus erga te meis, quum uerba cuncta, quæ uel aliquid aculei gestare uidebantur de dictatis nostris ademerim. Parcẽdum est impetui animi, si cubi fortè acrius actum est quàm oportuit. Condonandum est aliquid iustæ defensioni, & eo magis condonandum quando commune ferè uitium eorum sit qui commentationibus suis uel accusant aliquem, uel seipsos aut amicos excusant, illos ad quos scribunt, Insectari maledictis, calumnijs petere, probris lacescere, atque id genus cætera perpetrare, ab officio boni hominis aliena, à quibus nos (testem te cito & iudicem constituo) omnino abstinuimus, decemque summum aut circiter uerba nonnihil aculeata tuo nutu (saluis tamen sententijs) amouimus, neque aliud consilium elucubrandæ commentatiunculæ credas uelim, quàm ut sine tui offensa Picum patruum defenderemus, quinimò maluissem sæpius nihil inter uos disceptatum fuisse, ut præclusus mihi scribendi hac de re fuisset aditus, omnisque occasio sublata. Non enim potest uel quàm difficillimè potest literarum negocium agi in altercatione positum, omni interscribendum prestito honore illis ad quos uerba fiunt alioquin debito. Adde quòd uix sine quodam animi tumore, qui magnopere uitandus est, id muneris obitur. Quod uerò de causæ tuæ tutela dicis, hoc ipsum de nostra dicimus. Sed hactenus de controuersia. Sunto (ut rectè scripsisti) qui legerint iudices, modo hi docti sint, & neutræ parti affecti, aut si amore cuiuspiam nostrum teneãtur ardentius, adminus oculis eorũ præstigium amor non faciat. Cæterum multum mihi tribuis uel parum merenti, magnaque de me tibi promittis si modo pergam philosophari. Sed uereor mi Antoni ne ab hoc philosophiæ studio de quo mentionẽ facis omnino temperem aut fortè desistam. Dicã tibi de hac re quod sentio. Afferri, scilicet, nobis hoc negociũ nimis affectantib. multũ nocumenti, parũ emolimenti. Non hoc ideò dico ut damnem, ut uituperem ueritates plurimas, aut saltem similitudines ueri, quarũ notitiam philosophando comparamus nobis. Sed communem usum, aut (ut significantius dixerim) abusum culpo, quem nisi uitare magnopere nixi fuerimus assidueque & summa cũ diligentia cogitatus nostros examinauerimus, Christiani animi uenenum cor irrepit ambitio, quæ postmodum mortiferam pariat superbiam, unde pleruncque fit ut huius sapientiæ in qua quotidie uersamur amatores, sapientiam illam quæ genita est, sed æterna, à quo omnis hæc fluxa & temporaria deriuata est, omnino posthabeant tumidi & elati caduca gloria. Sed uideamus oro unde animo efferamur, unde nosipsos æstimamus nimis. Nam quantula nostra cognitio? cum minimam naturalium rerum scientiam teneamus, & illa ipsa, quæ ignoramus, quo multa, tum maxima, uel tacitè clament

clament in uanum, ſcilicet, & falſo noſipſos doctos aut profiteri aut exiſti
mare. Poſſet proculdubio uel rudis homo, & parum peritus uel omnino
neſcius literarum agricola, percontari plurima, etiam ſub aſpectum, ſub
oculos poſita, de quibus philoſophus alioquin maximus reddere certam
rationem nequiret. In percipiendis uerò ſubſtantijs ipſis à materia ſenſibi-
li prorſus abiunctis, quouſq; cognitione procedimus, quas lippientibus
duntaxat & noctuinis mentis oculis cernimus? Sed quid de diuinis ſumus
dicturi ad quæ non tantum cognoſcenda, ſed etiam ueſtiganda anhelan-
tes & anxij cæcutientes & caligantes obtutus denſiſsimis penè nubibus
obtectos dirigimus. Porrò hanc noſtram rerum notitiam, nónne aut à li-
bris, aut à præceptore percepimus? gloriari ergo quid opus eſt, didiciſſe
nos aliena, meditata hauſiſſe quaſi ab narrante hiſtoriam. Sed hiſtoriã na-
turæ, uerum per diuerſa ſtudia in amarulentis altercationibus poſitam ua
riasq; per opiniones agitatam, atq; ob id incertam. Quod ex ipſo nomine
opinionis proditur apertiſsime. Si quid uerò à nobiſipſis paululum noti-
tiæ nanciſcimur, quid quæſo aliud eſt quàm incertum quoddam, ſubuo-
lutum mille inuolucris, mille perplexum fallacijs? hoc negociũ ueluti his
qui hæc ſtudia uehementius quàm opportunum eſt magnifaciunt ſuccen
ſus inſectarer, niſi hanc materiam ſpeciatim longa quæſtione tractauiſſem,
peculiarijq; libello dedicaſſem. His ideò de cauſis me conuertere ſtatui ad
eos euoluendos libros quorum propoſitiones profata ſunt, & dignitates
quorum concluſiones & inerrabili ſyllogiſmo colliguntur, & mẽtem de-
fœcatã (ſi tamen id curauerimus) reddunt. Sed eſto iam finis conflictus li-
terarij & iamiam epiſtolæ. Sed uide quàm diſpar effectus fuerit & noſtræ
& aliorum controuerſię, finita diſceptatione, uel uoce, uel ſcriptis agitata,
ſæpenumero inter eos animos qui diſcordes fuere, exercentur odia, ſimul-
tates, machinantur fraudulenta bella, detractiones honoris & famæ hinc-
inde ſcaturiunt. Tu uerò & Picus noſter eratis ante diſputationem com-
patres, hoc eſt ſpiritali aſtricti nodo. Nihilominus ob hoc priſtina non eſt
animorum concordia diſſoluta. Ego autem nec tibi dum patruus uiue-
ret, nec tu mihi niſi nomine notus eras, fecit hęc defenſio ut inter nos ictum
ſit quoddam fœdus amicitiæ, quod ut ſtabile ſit dum uicturi ſumus cura-
to, utq; rectè pieq; uiuendo poſt hanc mortem quam expectamus perſeue-
ret æternum da operam, qua ratione potes, idipſum quoq; enitar facitare.
Interim quo te amore proſequar experiri non pigeat. Cumulatius forte
ſum præſtiturus quod poſtulaueris, quàm in calce defenſionis ſpopon-
derim. Nihil enim tam arduum quod tui (grauiſsimi profecto
philoſophi) propenſius demerendi cauſa facturus
non ſim. Ex arce Miran. 4. Ian. 1496.

IOAN.

IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE, IN Orationem & Epistolas Ioannis Pici patrui, &c. Argumentum.

ACcipe Lector & has Ioannis Pici Mirandulæ lucubrationes leuioris curæ opera, quas fortè nec ipse uiuens inuulgasset, nec nos nisi celebratorum hominum crebris adhortamentis excitati. Leges primum orationem elegantissimam iuuenili quidem alacritate dictatam, sed à doctioribus præ doctrinæ & eloquentiæ fastigio sæpius admiratã. Nec te moueat si plurima in eius calce conuisuntur quæ & in apologiæ sunt inserta procœmio, quando illud foras publicauerit, hãc domi semper tenuerit, nec nisi amicis commmunem fecerit. Videbis plęraq; antiquorum dogmata abstrusa prius in ænigmatis & fabularum inuolucris ingeniosissime reserata, conatumq; illum & robore & delinimentis oratorijs ostendere quàm priscorum sapientum poëtica theologia nostræ theologię mysterijs ancillaretur, atq; utriusq; nodis quibusdam enodatis ad literarias palæstras homines inuitare. In his enim per id tempus frequentissimus fuit, quas postea quasi grauiorum studiorum pręludia ludicrasq; pugnas derelinquens, ad ea quæ iam emisimus, quęq; sumus in posterum emissuri emolienda conuertit animũ. Leges & nonnullas epistolas (omnes enim collegisse laboriosissimum) alias familiares, tùm per ętatem teneram, tùm prouectiorem scriptitatas, alias postquam totum pectus Deo dicauit sanctissimis refertas monitis exaratas, illas & doctrinam & eloquentiã olere copiosissimè deprehendes, has & utrunq; affatim sapere & Christi amorem præter hæc uberrimè spirare percipies.

DE HOMINIS DIgnitate, Ioannis Pici Mirandulæ concordiæ Comitis Oratio.

LEGI Patres Colendissimi in Arabum monumentis interrogatum Abdalam Sarracenum, quod in hac quasi Mundana scæna, admirandum maxime spectaretur: Nihil spectari homine admirabilius respondisse. Cui sententiæ illud Mercurij adstipulatur: Magnum ô Asclepi miraculum est homo. Horum dictorum rationem cogitanti mihi non satis illa faciebãt, quæ multa de humanæ naturæ præstantia afferuntur à multis, esse hominem creaturarum internuntium, superis familiarem, regem inferiorũ sen-

ſuum perſpicacia rationis indagine, intelligẽtiæ lumine, naturæ interpretem, ſtabilis æui & fluxi temporis interſtitium, & (quod Perſæ dicunt) mundi copulam, imo hymenæum, ab angelis teſte Dauide paulo deminutum. Magna hæc quidem, ſed non principalia, id eſt, quæ ſummæ admirationis priuilegium ſibi iure uendicent. Cur enim nõ ipſos angelos & beatiſsimos cœli choros magis admiremur? Tandẽ intellexiſſe mihi ſum uiſus, cur feliciſsimum, proindeq; dignum omni admiratione animal ſit homo, & quæ ſit demum illa cõditio, quam in uniuerſi ſerie ſortitus ſit, non brutis modo, ſed aſtris, ſed ultramundanis mentibus inuidioſam. Res ſupra fidem & mira. Quidni? Nam & propterea magnum miraculũ & admirandũ profecto animal iure homo & dicitur & exiſtimatur. Sed quænam ea ſit audite Patres, & benignis auribus pro ueſtra humanitate hanc mihi operam condonate. Iam ſummus Pater architectus Deus, hãc quam uidemus mundanã domum diuinitatis, templũ auguſtiſsimũ, arcanæ legibus ſapientiæ fabrefecerat. Supercœleſtẽ regionem mentib. decorarat, æthereos globos æternis animis uegetarat, excrementarias ac fœculentas inferioris mũdi partes omnigena animalium turba complerat. Sed opere conſummato, deſiderabat artifex eſſe aliquẽ qui tanti operis rationẽ perpenderet, pulchritudinẽ amaret, magnitudinem admiraretur. Idcirco iam rebus omnibus (ut Moſes Timæusq; teſtantur) abſolutis, de producẽdo homine poſtremò cogitauit. Verũ nec erat in architypis unde nouam ſoboleꝫ effingeret, nec in theſauris, quod nouo filio hæreditariũ largiretur, nec in ſubſellijs totius orbis, ubi uniuerſi cõtẽplator iſte ſederet. Iã plena omnia, omnia ſummis, mediis, infimisq; ordinib. fuerant diſtributa. Sed non erat paternæ poteſtatis in extrema fœtura, quaſi effœtã defeciſſe. Non erat ſapientiæ, cõſilij inopia in re neceſſaria fluctuaſſe. Nõ erat benefici amoris, ut qui in alijs eſſet diuinam liberalitatẽ laudaturus, in ſe illam damnare cogeretur. Statuit tandẽ optimus opifex, ut cui dari nihil proprium poterat commune eſſet quicquid priuatum ſingulis fuerat. Igitur hominem accepit indiſcretæ opus imaginis, atq; in mundi poſitum meditullio, ſic eſt alloquutus: Nec certã ſedem, nec propriã faciem, nec munus ullũ peculiare tibi dedimus ô Adam, ut quam ſedem, quã faciem, quæ munera tute optaueris, ea pro uoto, pro tua ſententia, habeas & poſsideas. Definita cæteris natura intra præſcriptas à nobis leges coërcetur: Tu nullis anguſtijs coërcitus, pro tuo arbitrio, iu cuius manu te poſui, tibi illã præfinies. Medium te mundi poſui, ut circumſpiceres inde commodius quicquid eſt in mundo. Nec te cœleſtem, neq; terrenum, neq; mortalem, neq; immortalem fecimus, ut tuiipſius quaſi arbitrarius honorariuſq; plaſtes & fictor, in quã malueris tute formam effingas. Poteris in inferiora quæ ſunt bruta degenerare. Poteris in ſuperiora quæ ſunt diuina ex tui animi ſententia regenerari. O ſummam Dei patris liberalitatem, ſummam & admirandam hominis

minis felicitatẽ. Cui datum id habere quod optat, id esse quod uelit. Bruta simul atq; nascuntur id secũ afferunt (ut ait Lucilius) è bulga matris, quod possessura sunt. Supremi spiritus aut ab initio, aut paulò mox id fuerunt, quod sunt futuri in perpetuas æternitates. Nascenti homini omnifaria semina, & omnigenæ uitæ germina indidit pater. Quæ quisq; excoluerit, illa adolescent, & fructus suos ferent in illo. Si uegetalia, planta fiet. Si sensualia, obbrutescet. Si rationalia, cœleste euadet animal. Si intellectualia, angelus erit & Dei filius. Et si nulla creaturarum sorte contentus, in unitatis centrum suæ se receperit, unus cũ Deo spiritus factus, in solitaria patris caligine qui est super omnia constitutus, omnib. antestabit. Quis hũc nostrum chamæleonta non admiretur? aut omnino quis aliud quicquam admiretur magis? Quem non immerito Asclepius Athenienſis uersipellis huius & seipsam trãsformantis naturæ argumento per Protheũ in mysteriis significari dixit. Hinc illę apud Hebræos & Pithagoricos metamorphoses celebratæ. Nam & Hebræorum theologia secretior, nunc Enoch sanctum, in angelum diuinitatis quem uocant מלאך השכנה nunc in alia alios nomina reformant. Et Pithagorici scelestos homines in bruta deformant. Et si Empedocli crediur etiam in plantas. Quas imitatus Mahumet illud frequẽs habebat in ore: Qui à diuina lege recesserit brutum euadere, & merito quidem. Neque enim plantam cortex, sed stupida & nihil sentiens natura, neq; iumenta corium, sed bruta anima & sensualis, nec cœlum orbiculatum corpus, sed recta ratio, nec sequestratio corporis, sed spiritalis intelligentia angelum facit. Si quem enim uideris deditũ uentri, humi serpentem hominem, frutex est, non homo quẽ uides, si quẽ in phantasiæ, quasi calypsus, uanis præstigijs cæcutientem, & subscalpenti delinitum illecebra sensibus mancipatum, brutum est non homo quem uides. Si recta philosophũ ratione omnia discernentẽ, hũc uenereris, cœleste est animal, non terrenum. Si purum cõtemplatorem corporis nescium, in penetralia mentis relegatum, hic non terrenum, nõ cœleste animal, hic augustius est numen humana carne circumuestitum. Ecquis hominem nõ admiretur? Qui non immeritò in sacris literis Mosaicis & Christianis, nũc omnis carnis, nũc omnis creaturæ appellatione designat, quãdo seipsum ipse in omnis carnis faciem, in omnis creaturæ ingeniũ effingit, fabricat, & transformat. Idcirco scribit Euantes Persa ubi Chaldaicã theologiã enarrat. Non esse homini suam ullam & natiuam imaginem, extrarias multas & aduentitias, hinc illud Chaldæorum: אנוש חוא שונני' וכמח טבעית בעלחי; Homo uariæ ac multiformis & desultoriæ naturæ animal. Sed quorsum hæc? Vt intelligamus postquã hac nati sumus cõditione, ut id simus quod esse uolumus. Curare hoc potissimũ debere nos, ut illud quidẽ in nos non dicatur, cũ in honore essemus, non cognouisse similes factos brutis & iumentis insipientibus. Sed illud potius Asaph Prophetæ. Dij estis & filij

excelsi omnes, ne abutentes indulgentissima patris liberalitate, quã dedit ille liberam optionem, é salutari noxiã faciamus nobis. Inuadat animum sacra quædam ambitio, ut mediocribus non contenti anhelemus ad summa, adq; illa (quando possumus si uolumus) consequenda totis uirib. enitamur. Dedignemur terrestria, cœlestia contemnamus, & quicquid mundi est denicq; posthabentes, ultramundanam curiam eminentissimæ diuinitati proximam aduolemus. Ibi ut sacra tradũt mysteria, Saraphin, Cherubin & Throni primas possident, horum nos iam cedere nescij & secundarum impatientes & dignitatẽ & gloriam æmulemur. Erimus illis cum uoluerimus nihilo inferiores. Sed qua ratione aut quid tandem agentes? Videamus quid illi agant, quam uitam uiuant. Eam si & nos uixerimus (possumus enim) illorum sortem iam ęquauerimus. Ardet Saraph charitatis igne. Fulget Cherubin intelligentiæ splendore. Stat Thronus iudicij firmitate. Igitur si actuosæ addicti uitæ inferiorum curam recto examine susceperimus, thronorum stata soliditate firmabimur. Si ab actionibus feriati, in opificio opificem, in opifice opificium meditantes, in contemplandi ocio negociabimur, luce cherubica undique coruscabimus. Si charitate ipsum opificem solum ardebimus, illius igne qui edax est in saraphicam effigiem repente flammabimur. Super throno, id est, iusto iudice sedet Deus, iudex sæculorum. Super cherub. id est, contemplatore uolat, atque eum quasi incubãdo fouet. Spiritus enim Domini fertur super aquas, has inquam, quæ super cœlos sunt, quæ apud Iob Dominum laudant antelucanis hymnis. Qui saraph, id est, amator est, in Deo est, & Deus in eo, imò & Deus & ipse unum sunt. Magna Thronorum potestas, quam iudicando, summa Saraphinorum sublimitas, quam amando assequimur. Sed quonam pacto uel iudicare quisquam uel amare potest incognita? Amauit Moses Deum quem uidit, & administrauit iudex in populo, quæ uidit prius contemplator in monte. Ergo medius Cherub sua luce & Saraphico igni nos pręparat, & ad Thronorum iudicium pariter illuminat. Hic est nodus primarum mentium, ordó Palladicus, philosophię contemplatiuę pręses, hic nobis & ęmulandus primo, & ambiendus atq; adeò comprehendus est, unde & ad amoris rapiamur fastigia, & ad munera actionum benè instructi paratiq; descẽdamus. At uerò operęprecium si ad exemplar uitę Cherubicę uita nostra formanda est, quę illa & qualis sit, quę actiones, quę illorum opera prę oculis & in numerato habere. Quod cum nobis, per nos qui caro sumus, & quę humi sunt sapimus, consequi non liceat, adeamus antiquos patres, qui de his rebus utpote sibi domestiçis & cognatis, locupletissimam nobis & certã fidem facere possunt. Consulamus Paulum Apostolum uas electionis, quid ipse cum ad tertiũ sublimatus est cœlum, agentes Cherubinorum exercitus uiderit. Respondebit utiq; Dionysio interpręte, pugnari illos, tum illuminari, postremò perfici. Er-

ci. Ergo & nos Cherubicam in terris uitam æmulantes, per moralem scien tiam affectuum impetus coërcentes, per dialectã rationis caliginem dis cutientes, quasi ignorantiæ & uitiorum eluentes sordes, animam purge gemus, ne aut affectus temerè debacchentur, aut ratio imprudens quan doque deliret. Tum bene compositam ac expiatam animam naturalis phi losophiæ lumine perfundamus, ut postremo diuinarum rerũ eam cogni tione perficiamus, & ne nobis nostri sufficiant, consulamus Iacob patriar cham, cuius imago in sede gloriæ sculpta coruscat. Admonebit nos pater sapientissimus in inferno dormiens, mundo in superno uigilans. Sed ad monebit per figuram (ita eis omnia contingebant) esse scalas ab imo solo ad cœli summa protensas, multorum graduũ serie distinctas, fastigio Do minum insidere, contemplatores angelos per eas uicibus alternãtes ascen dere & descendere. Quod si hoc idem nobis angelicam affectantibus ui tam factitandũ est, quæso quis Domini scalas uel sordidato pede, uel ma le mundis manibus attinget? Impuro ut habent mysteria purum attinge re nefas. Sed qui hi pedes? quæ manus? Profecto pes animæ, illa est portio despicatissima, qua ipsa materiæ tanquam terræ solo innititur, altrix in quam, potestas, & cibaria, fomes libidinis, & uoluptariæ mollitudinis ma gistra. Manus animæ cur irascentiã non dixerimus, quæ appetentiæ pro pugnatrix pro ea decertat, & sub puluere ac sole prædatrix rapit. Quæ il la sub umbra dormitans, helluetur has manus, hos pedes, id est, totam sen sualem partem in qua sedet corporis illecebra, quæ animam obtorto (ut aiunt) detinet collo, ne à scalis tanquã prophani pollutiq; reiiciamur, mo rali philosophia quasi uiuo flumine abluamus. At nec satis hoc erit si per Iacob scalam discursantibus angelis comites esse uolumus, nisi & à gra du in gradum ritè promoueri, & à scalarum tramite deorbitare nusquam, & reciprocos obire excursus bene apti prius instructiq; fuerimus. Quod cum per artem sermocinalem siue rationariam erimus consequuti, iam Cherubico spiritu animati per scalarũ, id est naturæ gradus philosophan tes à centro ad centrum omnia peruadentes. Nunc unum quasi Osirim in multitudinem ui Titanica discerpentes descendemus, nunc multitudi nem quasi Osiridis membra in unum ui Phœbea colligẽtes, ascendemus, donec in sinu patris qui super scalas est, tandem quiescentes theologica felicitate consummabimur. Percõtemur & iustum Iob qui fœdus iniit cũ Deo uitæ prius quàm ipse ederetur in uitam, quid summus Deus in de cem illis centenis millibus qui assistunt ei potissimum desideret, pacem utique respondebit. Iuxta id quod apud eum legitur, qui facit pacem in excelsis, & quoniam supremi ordinis monita, medius ordo inferioribus interpretatur. Interpretetur nobis Iob theologi uerba Empedocles philo sophus: Hic duplicem naturam in nostris animis sitam, quarum altera sursum tollimur ad cœlestia, altera deorsum trudimur ad inferna, per li

tem & amicitiam, siue bellum & pacem ut sua testantur carmina, nobis significat, in quibus scite & discordia actum furenti similem, profugum à diis, in altum iactari conqueritur. Multiplex profecto Patres in nobis discordiam, grauia & intestina domi habemus & plus quàm ciuilia bella, quę si noluerimus, si illam affectauerimus pacem, quæ in sublime ita nos tollat, ut inter excelsos domini statuamur, sola in nobis compescet prorsus & sedabit philosophia. Moralis primum, si noster homo ab hostibus inducias tantum quæsierit, multiplicis bruti effrenes excursiones, & leonis iurgia, iras animosq; contundet. Tum si rectius consulentes nobis perpetuæ pacis securitatem desiderauerimus. Aderit illa & uota nostra liberaliter implebit. Quippe quæ cesa utraque bestia quasi icta porca inuiolabile inter carnem & spiritum fœdus sanctissimæ pacis sanciet. Sedabit dialectica rationis turbas inter orationum pugnantias, & syllogismo captiones anxiè tumultuantis. Sedabit naturalis philosophia opinionis lites, & dissidia, quæ inquietam hincinde animam uexant, distrahunt & lacerant. Sed ita sedabit, ut meminisse nos iubeat esse naturam iuxta Heraclitum ex bello genitam, ob id ab Homero contentionem uocitatam. Idcirco in ea ueram quietem & solidam pacem se nobis præstare non posse esse hoc dominæ suæ, id est, sanctissimæ Theologiæ munus & priuilegium. Ad illam ipsa & uiam monstrabit & comes ducet, quæ procul nos uidens properantes, Venite inclamabit ad me qui laboratis, uenite & ego reficiam uos, uenite ad me & dabo uobis pacem, quam mundus & natura uobis dare non possunt. Tam blande uocati, tam benigniter inuitati, alatis pedibus quasi terrestres Mercurij, in beatissimæ amplexus matris euolantes, optata pace perfruemur, pace sanctissima, indiuidua copula, unanimi amicitia, qua omnes animi in una mente quę est super omnem mentem non concordent adeo, sed ineffabili quodam modo unum penitus euadant. Hæc est illa amicitia quam totius philosophię finem esse Pithagorici dicunt. Hæc illa pax quam facit Deus in excelsis suis, quam angeli in terram descendentes annunciarunt hominib. bonæ uoluntatis, ut per eam ipsi homines ascendentes in cœlum angeli fierent. Hanc pacem amicis, hanc nostro optemus sæculo, optemus unicuiq; domui quam ingredimur, optemus animæ nostrę, ut per eam ipsa Dei domus fiat, ut postquam per moralem & dialecticam suas sordes excusserit, multiplici philosophia quasi aulico apparatu se exornarit, portarum fastigia theologicis sertis coronarit, descendat rex gloriæ: & cum patre ueniens mansionem faciat apud eam. Quo tanto hospite si se dignam præstiterit quæ est illius immensa clementia, deaurato uestitu quasi toga nuptiali multiplici scientiarum circumdata uarietate speciosum hospitem, non ut hospitem iam, sed ut sponsum excipiet, à quo ne unquam dissoluatur, dissolui cupiet à populo suo & domum patris sui, imò seipsam oblita, in

seipsa

seipsa cupiet moriut uiuat in sponso, in cuius conspectu preciosa profecto mors sanctorū eius, mors inquam illa, si dici mors debet, plenitudo uitæ, cuius meditationem esse studium philosophiæ dixerūt sapientes. Citemus & Mosen ipsum, à sacrosanctæ & ineffabilis intelligentiæ fontana plenitudine, unde angeli suo nectare inebriantur paulò deminutum. Audicmus uenerandum iudicem nobis in deserta huius corporis solitudine habitantibus leges sic edicentem: Qui polluti adhuc morali indigent cum plebe habitent extra tabernaculum sub diuo, quasi Thessali sacerdotes interim se expiantes. Qui mores iam composuerunt, in sanctuarium recepti, nondum quidem sacra attractent, sed prius dialectico famulatu seduli Leuitæ, Philosophiæ sacris ministrent. Tum ad ea & ipsi admissi, nunc superioris Dei regiæ multicolorem, id est, sydereum aulicum ornatum, nunc cœleste candelabrum septem luminibus distinctum, nunc pellicea elementa, in philosophiæ sacerdotio contemplentur, ut postremo per Theologicæ sublimitatis merita, in templi adita recepti, nullo imaginis intercedente uelo, diuinitatis gloria perfruamur. Hæc nobis profecto Moses & imperat, & imperando admonet, excitat, inhortatur, ut per philosophiam ad futuram cœlestem gloriam, dum possumus, iter paremus nobis. Verumenimuerò nec Mosaica tantum aut Christiana mysteria, sed priscorum quoque Theologia harum, de quibus disputaturus accessi, liberalium artiū & emolumēta nobis & dignitatē ostendit. Quid enim aliud sibi uolunt in Græcorū arcanis obseruati initiatorum gradus. Quibus primo per illas, quas diximus, quasi februales artes moralem & dialecticam purificatis, contingebat mysteriorum susceptio. Quæ quid aliud esse potest quàm secretioris per philosophiam naturæ interpretatio? Tum demum ita dispositis illa adueniebat ἐποπτεία, id est, rerum diuinarum per Theologiæ lumen inspectio. Quis talibus sacris initiari non appetat? Quis humana omnia posthabens, fortunæ contemnens bona, corporis negligens, Deorum conuiua adhuc degens in terris fieri non cupiat, & æternitatis nectare madidus, mottale animal immortalitatis munere donari? quis non Socraticis illis furoribus à Platone in Phædro decantatis, sic afflari non uelit, ut alarum pedumqúe remigio hinc, id est, ex mundo, qui est positus in maligno properè ausugiens ad cœlestem Hierusalem concitatissimo cursu feratur? Agemur patres, agemur Socraticis furoribus, qui extra mentem ita nos ponant, ut mentem nostram & nos ponant in Deo. Agemur ab illis utique, si quid est in nobis, ipsi prius egerimus, nam si & per mortalem affectuum uires ita per debitas competentias ad modulos fuerint intentæ ut immota inuicem consonent concinentia, & per dialecticam ratio ad numerum se progrediendo mouerit, musarum perciti furore cœlestem armoniam intimis auribus combibemus. Tum Musarum dux Bachus

in suis mysterijs, id est, uisibilibus naturæ signis, inuisibilia Dei philo-
sophantibus nobis ostendens, inebriabit nos ab ubertate domus Dei, in
qua tota sicuti Moses erimus fideles. Accedens sacratissima Theologia,
duplici furore nos animabit, nam in illius eminentissimam sublimati spe-
culam inde & quæ sunt, quæ erunt, quæq; fuerint insectili metientes æuo,
& primæuam pulchritudinem suspicientes, illorum Phœbei uates huius
alati erimus amatores, & ineffabili demum charitate quasi æstro perciti,
quasi Saraphini ardentes extra nos positi, numine pleni iam non ipsi nos,
sed illæ erimus ipse qui fecit nos. Sacra Apollinis nomina si quis eorum si
gnificantias & latitantia perscutetur mysteria, satis ostendunt esse Deum
illum non minus philosophum quàm uatem. Quod cum Ammonius sa-
tis sit exequutus non est cur ego nunc aliter pertractem, sed subeant ani-
mum Patres tria delphica præcepta oppidò his necessaria, qui non ficti
sed ueri Apollinis, qui illuminat omnem animam uenientem in hũc mun-
dum, sacrosanctum & augustissimum templum ingressuri sunt, uidebi-
tis nihil aliud illa nos admonere, quàm ut tripartitam hanc, de qua est præ-
sens disputatio, philosophiam totis uiribus amplectamur. Illud enim
μηδὲν ἄγαν, id est, nequid nimis, uirtutum omnium normã & regulam per
mediocritatis rationem, de qua moralis agit rectè præscribit. Tum illud
γνῶθι σεαυτὸν, id est, cognosce teipsum, ad totius naturæ nos cognitionẽ, cu
ius & interstitiũ & quasi Cynnus natura est hominis excitat & inhorta-
tur, qui enim se cognoscit in se omnia cognoscit, ut Zoroaster prius, de-
inde Plato in Alcibiade scripserunt. Postremo hac cognitione per natu-
ralem philosophiam illuminati, iam Deo proximi, ὰ, id est, es, dicentes
theologia salutatione, uerũ Apollinem familiariter proinde feliciter ap-
pellabimus. Consulamus & Pithagorã sapientissimum, ob id præcipuè
sapientẽ, quod sapientis se nomine dignũ nũquam existimauit. Præcipiet
primo ne super modium sedeamus, id est, rationalem partem, qua anima
omnia metitur, iudicat, & examinat, ociosa desidia ne remittentes amitta-
mus, sed dialectica exercitatione ac regula & dirigamus assidue & excite-
mus. Tum cauenda in primis duo nobis significabit, ne aut aduersus So-
lem emingamus, aut inter sacrificãdum ungues resecemus. Sed postquam
per moralem & superfluentium uoluptatum fluxas eminxerimus appe-
tentias, & unguium præsegmina quasi acutas iræ prominentias & animo
rum aculeos resecuerimus, tum demum sacris, id est, de quib. mentionem
fecimus Bachi mysterijs interesse, & cuius pater ac dux meritò Sol dicit,
nostræ contemplationi uacare incipiamus. Postremo ut gallũ nutriamus,
nos admonebit, id est, ut diuinã animæ nostræ partẽ diuinarũ rerũ cogni
tione quasi solido cibo & cœlesti ambrosia pascamus. Hic est gallus cuius
aspectu leo, id est, omnis terrena potestas formidat & reueretur. Hic ille gallus
cui datã esse intelligentiã apud Iob legimus. Hoc gallo canente aberrãs ho
mo re-

mo resipiscit. Hic gallus in matutino crepusculo, matutinis astris Deum laudamus quotidie commodulatur. Hunc gallum moriens Socrates cum diuinitatem animi sui diuinitati maioris mundi copulaturum se speraret, Aesculapio, id est animarum medico, iam extra omne morbi discrimē positus, debere se dixit. Recenseamus & Chaldæorum monumenta, uidebimus (si illis creditur) per easdem artes patere uiam mortalibus ad fœlicitatem. Scribunt interpretes Chaldæi uerbum fuisse Zoroastris alatam esse animam, cumq; alæ exciderent ferri illam præceps in corpus, tū illis subcrescentibus ad superos reuolare, percunctantibus eum discipulis quo pacto alis bene plumantibus uolucres animos sortirentur, irrigetis dixit alas aquis uitæ. Iterum scisciantib. unde has aquas peterēt, sic per parabolam (qui erat hominis mos) illis respōdit quatuor amnib. paradisus Dei ablui tur & irrigatur, indidem uobis salutares aquas hauriatis, nomen ei qui ab aquilone Pischon quod rectū denotat, ei qui ab occasu Dichon quod expiationē significat, ei qui ab ortu Chiddekel quod lumē sonat, ei qui à meridie Perath: quod pietatem interpretari possumus Aduertite animum et diligenter considerate patres quid hæc sibi uelint Zoroastris dogmata, profecto nihil aliud nisi ut morali scientia, quasi boreali undis hibericis oculorum sordes expiemus, dialectica quasi boreali amussi illorum aciem liniemus ad rectum. Tum in naturali contemplatione debile adhuc ueritatis lumen quasi nascentis solis incunabula pati assuescamus, ut tādem per Theologicam pietatē, & sacratissimum Dei cultum, quasi cœlestes aquilæ meridiantis solis fulgissimum iubar fortiter proferamus. Hæ illæ forsan & à Dauid decantatæ primum, & ab Augustino explicatæ latius, matutinæ, meridianæ, & uespertinæ cognitiones. Hæc est illa lux meridialis quæ saraphinos ad lineam inflammat, & cherubinos pariter illuminat. Hæc illa regio quam uersus semper antiquus pater Abraham proficiscebatur. Hic ille locus ubi immundis spiritibus locum non esse, & Cabalistarum & Maurorum dogmata tradiderunt. Et si secretiorū aliquid mysteriorum fas est, uel sub ænigmate in publicum proferre, postquam & repens è cœlo casus nostri hominis caput uertigine damnauit, & iuxta Hieremiam ingressa per fenestras mors, iecur, pectusq; male affecit. Raphaelem cœlestem medicum aduocemus, qui nos morali & dialectica uti pharmacis salutaribus liberet. Tum ad ualetudinem bonā restitutos, iam Dei robur Gabriel inhabitabit, qui nos per naturæ ducens miracula, ubique Dei uirtutem potestatemq; indicans. Tandem sacerdoti summo Michaëli nos tradet, qui sub stipendijs philosophiæ emeritos, Theologiæ sacerdotio quasi corona precioſi lapidis insignet. Hęc sunt Patres colendissimi quę me ad philosophię studium nō animarunt modo sed compulerunt. Quę dicturus certè non eram nisi his responderem qui philosophię studiū in principib. præsertim uiris, aut his omnino qui mediocri fortuna

uiuunt

uiuunt damnare solent. Est enim iam hoc totū philosophari (quæ est nostræ ætatis infelicitas) in contemptū potius & contumeliā, quàm in honorem, & gloriā. Ita inuasit ferè omnium mentes exitialis hæc & mōstrosa persuasio, aut nihil, aut paucis philosophandū, quasi rerū causas, naturæ uias, uniuersi rationem, Dei consilia, cœlorū terræq; mysteria, præ oculis, præ manibus exploratissima habere, nihil sit prorsus, nisi uel gratiā inde aucupari aliquā, uel lucrum sibi quis comparare possit, quin eò deuentum est ut iam (proh dolor) non existimentur sapientes nisi qui mercenariū faciunt studium sapientiæ, ut sit uidere pudicā Palladem, deorū munere inter homines diuersantē eiici, explodi, exibilari. Non habere qui amet, qui faueat, nisi ipsa quasi prostans, & præfloratæ uirginitatis accepta mercedula malè paratū æs in amatoris arculam referat. Quæ omnia ego nō sine summo dolore & indignatione in huius tēporis nō principes, sed philosophos dico, qui ideò non esse philosophandum & credunt & prædicant, quòd philosophis nulla merces, nulla sint præmia cōstituta, quasi nō ostendant ipsi hoc uno nomine se nō esse philosophos. Quod cum tota eorum uita sit uel in quæstu, uel in ambitione posita, ipsam per se ueritatis cognitionem non amplectuntur. Dabo hoc mihi & meipsum hac ex parte laudare, nihil erubescam, me nunquā alia de causa philosophatum, nisi ut philosopharer, nec ex studijs meis, ex meis lucubrationibus mercedē ullam, aut fructum uel sperasse alium uel quæsijsse, q̄ animi cultū. & à me semper plurimum desideratæ ueritatis cognitionem. Cuius ita cupidus semper & amantissimus fui, ut relicta omni priuatarum & publicarum rerum cura, contemplandi ocio totū me tradiderim, à quo nullæ inuidorum obtrectationes, nulla hostium sapientiæ maledicta, uel potuerunt ante hac, uel in posterū me deterrere poterunt. Docuit me ipsa philosophia à propria potius conscientia quàm ab externis pendere iudicijs, cogitareq; semper non tam ne male audiā, quàm ne quid male uel dicam ipse uel agam. Equidem non eram nescius Patres colendissimi futuram hanc ipsam meam disputationem, tam uobis omnib. qui bonis artibus fauetis, & augustissima uestra præsentia illam honestare uoluistis, gratam atq; iocūdam, quàm multis alijs grauem atq; molestam, & scio non deesse qui inceptum meum & damnarint ante hac & in præsentia multis nominibus damnent. Ita consueuerunt nō pauciores ne dicā plures habere oblatratores, quæ benè facteq́ue aguntur ad uirtutem, quàm quæ iniquè & perperam ad uitium. Sunt autem qui totum hoc disputandi genus & hanc de literis publicè disceptandi institutionem non approbent, ad pompam potius ingenij & doctrinæ ostentationem quàm ad comparandam eruditionem eā se illam asseuerantes. Sunt qui hoc quidem exercitationis genus non improbent, sed in me nullo modo probent, quod ego hac ætate, quartum scilicet, & uigesimum modo natus annum de sublimibus Christianæ theolo-

theologiæ mysterijs, de altissimis philosophiæ locis, de incognitis disciplinis, in celebratissima urbe, in amplissimo doctissimorum hominū consessu, in Apostolico senatu, disputationem proponere sim ausus. Alij hoc mihi dantes quod disputem, id dare nolunt quod de nongentis disputem quæstionibus, tam superfluo & ambitiosè quàm supra uires id factum calumniantes. Horum ego obiectamentis & manus illico dedissem, si ita quam profiteor philosophiam me edocuisset, & nunc illa ita me docente non responderem, si rixandi iurgandiq; proposito constitutam hanc inter nos disceptationem crederem. Quare obtrectandi omne lacessendiq; propositum, & quem scribit Plato, à diuino semper abesse choro, à nostris quoque mentibus facessat liuor, Et an disputandum à me, an de tot etiam quæstionibus amice incognoscamus. Primum quidem ad eos qui hunc publicè disputandi morem calumniantur, multa non sum dicturus, quando hæc culpa, si culpa censetur, non solum uobis omnibus doctores excellentissimi qui sæpius hoc munere non sine summa & laude & gloria functi estis, sed Platoni, sed Aristoteli, sed probatissimis omnium ætatum philosophis mecum est communis. Quibus erat certissimum nihil ad consequendam, quam quærebant ueritatis cognitionem sibi esse potius quàm u t essent in disputandi exercitatione frequentissimi. Sicut enim per gymnasticam corporis uires firmiores fiunt, ita dubio procul in hac quasi literaria palæstra animi uires & fortiores longè & uegetiores euadunt. Nec crediderim ego, aut Poëtas aliud per decantata Palladis arma, aut Hebræos cum בַּרְזֶל ferrum sapientum symbolum esse dicunt, significasse nobis quàm honestissima hoc genus certamina adipiscendæ sapientiæ oppido quàm necessaria. Quo fortè fit ut & Chaldæi in eius genesi qui philosophus sit futurus illud desiderent, ut Mars Mercurium triquetro aspectu conspiciat, quasi si hos congressus, hæc bella substuleris, somniculosa & dormitans futura sit omnis philosophia. At uerò cum his qui me huic prouinciæ imparem dicunt, difficilior est mihi ratio defensionis: Nam si parem me dixero, forsitan immodesti & de se nimia sentientis, si imparem fatebor, temerarij & inconsulti notam uideor subiturus. Videte quas incidi angustias, quo loco sim constitutus, dum non possum sine culpa de me promittere, quod non possum mox sine culpa non præstare. Fortè & illud Iob afferre possem, spiritum esse spiritum esse in omnibus: & cum Timotheo Audite, nemo contemnat adolescentiam tuam. Sed ex mea uerius hoc conscientia dixero, nihil esse in nobis magnum uel singulare. Studiosum me fortè & cupidum bonarum artium non inficiatus, docti tamen nomen mihi nec sumo nec arogo. Quare & quod tam grãde humeris onus imposuerim, non fuit propterea quòd mihi conscius nostræ infirmitatis non essem: Sed quod sciebam hoc genus pugnis, id est, literarijs esse peculiare, quod in eis lucrum est uinci.

Quo

Quo fit ut imbecillissimus quisque, non detractare modo, sed appetere ultro eas iure possit & debeat. Quandoquidem qui succūbit, beneficium à victore accipit non iniuriam, quippe qui per eum & locupletior domū, id est, doctior & ad futuras pugnas redit instructior. Hac spe animatus ego infirmus miles cum fortissimis omnium strenuissimisq; tam grauem pugnam decernere nihil sum ueritus. Quod tamen temerè sit factum, nec ne rectius, utique de euentu pugnæ quàm de nostra ætate potest quis iudicare. Restat ut tertio loco his respondeam qui numerosa propositarum rerum multitudine offenduntur, quasi hoc eorum humeris sederet onus, & non potius hic mihi soli quantuscunque est labor esset exanclandus. Indecens profectò hoc & morosum nimis, uelle alienæ industriæ modum ponere. Et ut, inquit Cicero, in ea re, quæ eo melior, quo maior, mediocritatem desiderare. Omnino tam grandibus ausis erat necesse, me uel succumbere uel satisfacere. Si satisfacerem non uideo cur quod in decem præstare quæstionibus est laudabile, in nongentis etiam præstitisse culpabile existimetur. Si succumberē habebunt ipsi, si me oderunt unde accusarent. Si amant unde excusent. Quoniam in re tam graui, tam magna, tenui ingenio, exiguaq; doctrina, adolescentem hominem defecisse, uenia potius dignum erit quàm accusatione. Quin & iuxta Poëtam: Si deficiunt uires, audacia certe laus erit, in magnis & uoluisse sat est. Quod si nostra ætate multi Gorgiam Leontinum imitati, non modo de nongentis, sed de omnibus etiam omnium artium quæstionibus soliti sunt non sine laude proponere disputationem, cur mihi non liceat, uel sine culpa, de multis quidem, sed tamen certis & determinatis disputare. At superfluum inquiunt hoc & ambitiosum. Ego uerò non superfluo modo, sed necessario factum hoc à me contendo, quod & si ipsi mecum philosophandi rationem considerarent, inuiti etiam fateantur planè necesse est. Qui enim se cuipiam ex philosophorum familijs addixerunt, Thomæ uidelicet, aut Scoto, qui nūc primum in manibus, fauentes, possunt illi quidem uel in paucarum quæstionum discussione suæ doctrinæ periculum facere. At ego ita me instituī, ut in nullius uerba iuratus, me per omnes philosophiæ magistros funderem, omnes schędas excuterem, omnes familias agnoscerē. Quare cum mihi de illis omnibus esset dicendum, ne si priuati dogmatis defensor reliqua posthabuissem illi uiderer obstrictus. Non potuerunt etiam si paucā de singulis proponerentur, non esse plurima quæ simul de omnibus afferebantur. Nec id in me quispiam damnet, quod me quocunq; ferat tempestas deferar hospes. Fuit enim cum ab antiquis omnibus hoc obseruatum, ut omne scriptorum genus euoluentes, nullas quas possent cōmentationes illectas prętorirent. Tum maxime ab Aristotele qui eam ob causam ἀναγνώστης, id est, lector à Platone nuncupabat, & profecto angustæ est mentis intra unam se porticum aut academiam continuisse. Nec potest ex omnibus

nibus sibi rectè propriam selegisse, qui omnes prius familiariter non agnouerit. Addequòd in unaquaq; familia est aliquid insigne, quod non sit ei commune cum cæteris. Atque ut à nostris ad quos postremo philosophia peruenit nunc exordiar. Est in Ioanne Scoto uegetum quiddam atque discussum. In Thoma solidum & æquabile. In Aegidio tersum & exactũ. In Francisco arce & acutum. In Alberto priscum, amplum & grande. In Henrico ut mihi uisum est, semper sublime & uenerandum. Est apud Arabes in Auerroe firmũ & inconcussum. In Auempace, In Alpharabio graue et meditatum. In Auicenna diuinum atque Platonicum. Est apud Græcos in uniuersum quidẽ nitida, in primis & casta philosophia. Apud Simplicium locuples & copiosa. Apud Themistium elegans & compendiaria. Apud Alexandrum constans & docta. Apud Theophrastum grauiter elaborata. Apud Ammonium enodis & gratiosa. Et si ad Platonicos te conuerteris, ut paucos percenseam. In Porphyrio rerum copia & multiuga religione delectaberis. In Iamblico secretiorem philosophiam & barbarorum mysteria ueneraberis. In Plotino primum quicquam non est quod admireris, qui se undique præbet admirandum, quem de diuinis diuinè, de humanis longè supra hominem docta sermonis obliquitate loquentem sudantes Platonici uix intelligunt. Prætereo magis nouitios, Proclum Asiatica fertilitate luxuriantem, & qui ab eo fluxerunt. Damascium, Olympiodorum & complures alios, in quibus omnibus illud τὸ θεῖον, id est, diuinum peculiare Platonicorum symbolum elucet semper. Accedit quod si qua est secta quæ ueriora incessat dogmata & bonas causas ingenij calũnia ludificet, ea ueritatẽ firmat nõ infirmat, & uelut motu quassatã flammã excitat non extinguit. Hac ego ratione motus nõ unius modo (ut quibusdam placebat) sed omnigenæ doctrinæ placita in mediũ afferre uolui, ut hac complurium sectarum collatione, ac multifarię discussione philosophiæ, ille ueritatis fulgor cuius Plato meminit in epistolis, animis nostris quasi Sol oriens ex alto clarius illusceret. Quid erat si Latinorum tantum, Alberti scilicet, Thomæ, Scoti, Aegidij, Francisci, Henricię, philosophia, obmissis Græcorum Arabumq; philosophis, tractabitur? Quando omnis sapientia à Barbaris ad Græcos, à Græcis ad nos manauit. Ita nostrates semper in philosophandi ratione, peregrinis inuentis stare, & aliena excoluisse sibi duxerunt satis. Quid erat cum Peripateticis egisse de naturalibus, nisi & Platonicorum accersebatur academia, quorum doctrina, & de diuinis semper inter omnes philosophias (teste Augustino) habita est sanctissima, & à me nunc primùm, quod sciam (uerbo absit inuidia) post multa sęcula sub disputandi examen est in publicum allata. Quid erat & aliorum quotquot erant tractasse opiniones, si quasi ad sapientum symposium asymboli accedentes, nihil nos quod esset nostrum, nostro partum & elaboratum ingenio, afferebamus. Profecto ingeneroſum est,

(ut ait Seneca) ſapere ſolum ex commentario, & quaſi maiorum inuentâ noſtræ induſtriæ, uiam præcluſerint, quaſi in nobis effœta ſit uis naturę, nihil ex ſe parere, quod ueritatem ſi non demonſtret ſaltē innuat uel de longinquo. Quod ſi in agro colonus, in uxore maritus odit ſterilitatem, certe tanto magis infœcundam animam oderit illi complicita & aſſociata diuina mens, quanto inde nobilior longe proles deſideratur. Propterea non contentus ego præter communes doctrinas, multa de Mercurij Triſmegiſti priſca theologia, multa de Chaldæorum, de Pithagoræ diſciplinis, multa de ſecretioribus Hebręorum addidiſſe miſterijs, plurima quoq; per nos inuenta & meditata, de naturalibus & diuinis rebus diſputanda propoſuimus. Propoſuimus primo Platonis Ariſtotelisq; concordiam à multis ante hac creditam, à nemine ſatis probatam. Boëthius apud Latinos id ſe facturum pollicitus, nō inuenitur feciſſe unquam, quod ſemper facere uoluit. Simplicius apud Græcos idem profeſſus, utinam id tam præſtaret quàm pollicetur. Scribit & Auguſtinus in Academicis non defuiſſe plures qui ſubtiliſsimis ſuis diſputationibus idem probare conati ſint, Platonis ſcilicet, & Ariſtotelis eandem eſſe philoſophiam. Ioannes item Grammaticus cum dicat apud eos tātum diſsidere Platonem ab Ariſtotele, quæ Platonis dicta non intelligunt, probandum tamen poſteris hoc reliquit. Addidimus autem & plures locos, in quibus Scoti & Thomæ plures, in quibus Auerrois & Auicennæ ſententias quæ diſcordes exiſtimantur, concordes eſſe nos aſſeueramus. Secundo loco quæ in philoſophia cum Ariſtotelica tum Platonica excogitauimus nos, tum duo & ſeptuaginta noua dogmata phyſica & metaphyſica collocauimus, quæ ſi quis teneat, peribit (niſi fallor) quod mihi erit mox manifeſtum, quamcunq; de rebus naturalibus diuinisq; propoſitam quæſtionem longè alia diſſoluere ratione, quàm per eam edoceamur quæ & legitur in ſcholis, & ab huius æui doctoribus colitur, philoſophiā. Nec tam admirari quis debet Patres meos primis annis, in tenera ætate, per quā uix licuit (ut iactāt quidam) aliorum legerem commentationes, nouam afferre uelle philoſophiā, quàm uel laudare illam ſi defenditur, uel damnare ſi reprobatur, & denique cum noſtra inuenta hæc, noſtrasq; ſint literas iudicaturi, non authoris annos, ſed illorum merita potius uel demerita numerare. Eſt autem & præter illam, alia quam nos attulimus noua per numeros philoſophandi inſtitutio, antiqua, illa quidem & à Priſcis theologis, à Pithagora præſertim, ab Agathone, Aphilao, à Platone, prioribusq; Platonicis obſeruata. Sed quæ hac tempeſtate ut pręclara, alia poſteriorum incuria ſic exoleuit, ut uix ueſtigia ipſius ulla reperiantur. Scribit Plato in Epimonide inter omnes liberales artes & ſcientias contemplatrices, præcipuam maximeq; diuinā eſſe ſcientiam numerandi. Quærens item cur homo animal ſapientiſsimum? Reſpondet, quia numerare nouit. Cuius ſententiæ & Ariſtoteles, meminit

in pro-

in problematis. Scribit Abumasar uerbū fuisse Auenzoar Babylonij, eum omnia nosse qui nouerat numerare. Quæ uera esse nullo modo possunt si per numerandi artem, eam artem intellexerunt cuius nunc mercatores in primis sunt peritissimi, quod & Plato testatur exerta nos admonens uoce ne diuinam hanc arithmeticam, mercatoriam esse arithmeticam intelliga mus, Illam ergo arithmeticam quæ ita extollitur, cū mihi uidear post mul tas lucubrationes exploratam habere huiusce rei periculum facturus, ad quatuor & septuaginta quæstiones quæ inter physicas & diuinas princi pales existimantur, responsurum per numeros publicè mesum pollicitus. Proposuimus & Magica theoremata, in quibus duplicem esse magiam si gnificauimus, quarum altera dæmonum tota opere & authoritate cōstat, res medius fidius execranda, & portentosa. Altera nihil est aliud cum benè exploratur quàm naturalis philosophiæ absoluta cōsummatio. Vtriusq; cūmeminerint Græci illã magiæ nullo modo nomine dignantes γοητείαν nuncupant. Hanc propria peculiariq; appellatione μαγείαν, quasi perfe ctam, summamq; sapientiam uocant. Idem enim ut ait Porphyrius Persa rum lingua magus sonat quod apud nos diuinorum interpres & cultor. Magna autem, imò maxima Patres iuter has artes disparilitas & dissimi litudo. Illam non modo Christiana religio, sed omnes leges, omnis benè instituta Respub. damnat & execrat. Hanc omnes sapientes, omnes cœle stium & diuinarum rerum studiosæ nationes approbant & amplectūtur. Illa artiū fraudulentissima, hæc altior sanctiorq; philosophia. Illa irrita & uana, hæc firma fidelis & solida. Illam quisquis coluit semper dissimula uit, quòd in authoris esset ignominiam & contumeliam, ex hac summa literarum claritas gloriaq; antiquitus, & penè semper petita. Illius nemo unquam studiosus fuit uir philosophus & cupidus discendi bonas artes, ad hanc Pithagoras, Empedocles, Democritus, Plato, discēdam nauiga uere, hanc prædicarunt reuersi, & in arcanis præcipuam habuerunt. Illa ut nullis rationibus, ita nec certis probatur authoribus, hæc clarissimis quasi parentibus honestata, duos præcipuè habet authores Xamolsidem, quem imitatus est Abbaris Hyperboreus, & Zoroastrem non quem for tè creditis, sed illum Oromasi filium. Vtriusq; magia quid sit Platonem si percontemur respondebit in alcibiade. Zoroastris magia non esse aliud quàm diuinorum scientiam, qua filios Persarum reges erudiebant, ut ad exemplar mundanæ Reip. suã ipsi regere Rempub. edocerentur. Respon debit in Carmide magiam Xamolsidis esse animi medicinam, per quam scilicet animo temperantia, ut per illam corpori sanitas comparatur. Ho rum uestigijs postea perstiterūt Corandas, Damigeron, Apollonius, Ho stanes, & Dardanus. Perstitit Homerus, quem ut omnes alias sapientias, ita hanc quoque sub sui Vlyxis erroribus dissimulasse, in poëtica nostra Theologia aliquando probabimus. Perstiterūt Eudoxus & Hermippus.

Perſtiterũt ferè omnes qui Pithagorica Platonicaq; myſteria ſunt perſcrutati. Ex iunioribus autẽ qui eam olfecerint tres reperio, Alchindum Arabem, Rogerium Baconem, & Guilielmum Pariſienſem. Meminit & Plotinus, ubi naturę miniſtrum eſſe & non artificem Magũ demonſtrat: Hanc magiam probat aſſeueratq; uir ſapientiſsimus, alteram ita abhorrens, ut cum ad malorum dęmonũ ſacra uocaretur, rectius eſſe dixerit ad ſe illos, quàm ſe ad illos accedere, & meritò quidem. Vt enim illa obnoxium mancipatumq; improbis poteſtatibus hominem reddit, ita hæc illarum principem & dominum. Illa denique nec artis nec ſcientiæ ſibi poteſt nomen uendicare, hæc altiſsimis plena myſterijs, profundiſsimam rerum ſecretiſsimarum contemplationem, & demum totius naturæ cognitionẽ complectitur. Hæc inter ſparſas Dei beneficio, & inter ſeminatas mundo uirtutes, quaſi de latebris euocans in lucem. Non tam facit miranda quàm facienti naturę ſedula famulatur. Hæc uniuerſi conſenſum, quem ſignificantius Græci συμπάθειαν dicunt, introrſum perſcrutatius rimata, & mutuam naturarum cognitionem habens perſpectam, natiuas adhibens unicuique rei & ſuas illecebras, quæ magorum ἴυγγες, nominantur, in mundi receſſibus, in naturæ gremio, in promptuarijs arcanisq; Dei latitantia miracula, quaſi ipſa ſit artifex promit in publicum, & ſicut agricola ulmos uitibus, ita Magus terram cœlo, id eſt, inferiora ſuperiorum dotibus uirtutibusq; maritat. Quo fit ut quàm illa prodigioſa & noxia, tam hæc diuina & ſalutaris appareat. Ob hoc præcipuè quòd illa hominem Dei hoſtibus mancipans, auocat à Deo: Hæc in eam operum Dei admirationem excitat, quam propenſa charitas, fides, acſpes, certiſsime conſequuntur. Neque enim ad religionem, ad Dei cultum quicquã promouet magis, quàm aſsidua contemplatio mirabilium Dei, quæ ut per hanc de qua agimus naturalem magiam benè exploraverimus, in opificis cultum amoremq; ardentius animati, illud canere compellemur. Pleni ſunt cœli, plena eſt omnis terra maieſtate gloriæ tuæ. Et hæc ſatis de magia, de qua hæc diximus, quod ſcio eſſe plures qui ſicut canes ignotos ſemper adlatrant, ita & ipſi ſępe damnant, oderuntq; quę non intelligunt. Venio nunc ad ea quæ ex antiquis Hebræorum myſterijs eruta, ad ſacroſanctam & catholicam fidem confirmandam attuli, quæ ne fortè ab his quibus ſint ignota commẽtitię nugæ, aut fabulæ circumlatorum exiſtimẽt, uolo intelligant omnes, quæ & qualia ſint, unde petita, quibus & quàm claris authoribus confirmata, & quàm repoſita, quàm diuina, quàm noſtris hominibus ad propugnandam religionem contra Hebræorum importunas calumnias ſint neceſſaria. Scribunt non modo celebres Hebræorum doctores, ſed ex noſtris quoque Heſdras, Heilarius & Origenes, Moſen non legem modo, quam quinque exaratam libris poſteris reliquit, ſed ſecretiorem quoque & ueram legis enarrationem in monte diuinitus accepiſſe, præceptum autem

ei à Deo

ei à Deo ut legem quidem populo publicaret, legis interpretationem nec traderet literis, nec inuulgaret. Sed ipse Iesu Naue tantum, tum ille alijs deinceps succedentibus sacerdotum primoribus, magna silentij religione reuelaret. Satis erat per simplicem historiam nunc Dei potentiam, nūc in improbos iram, in bonos clementiā, in omnes iusticiam agnoscere, & per diuina salutariaq; præcepta ad bene beateq; uiuendum, & cultum uerę religionis institui. At mysteria secretiora, & sub cortice legis, rudisque uerborum prætextu latitantia, altissimæ diuinitatis arcana, plebi palam facere, quid erat aliud quàm dare sanctum canibus, & inter porcos spargere margaritas. Ergo hæc clam uulgo habere, perfectis communicāda, inter quos tantum sapientiam loqui se ait Paulus, non humani consilij sed diuini præcepti fuit. Quem morem antiqui Philosophi sanctissimè obseruarunt, Pithagoras nihil scripsit nisi paucula quędam, quæ Damæ filię moriens commendauit. Aegyptiorum templis insculptæ Sphinges, hoc admonebant ut mystica dogmata per ænigmatū nodos à prophana multitudine inuiolata custodirentur. Plato, Dionys. quędam de supremis scribens substantijs, per ænigmata, inquit, dicendum est, ne si epistola fortè ad aliorum peruenerit manus, quæ tibi scribimus ab alijs intelligant. Aristoteles libros Metaphysicæ, in quibus agit de diuinis, æditos esse & non ędditos dicebat. Quid plura, Iesum Christum uitæ magistrum asserit Origenes, multa reuelasse discipulis, quæ illi ne uulgo fierent communia, scribere noluerunt. Quod maximè confirmat Dionysius Areopagita, q̄ secretiora mysteria à nostræ religionis authoribus, ἐκ νοὸς εἰς νοῦν διὰ μέσου λόγου ex animo in animū (sine literis) medio intercedente uerbo ait fuisse trāsfusa, hoc eodē penitus modo cū ex Dei p̄cepto uera illa legis interpretatio Mosi deitus tradita reuelaret, dicta est Cabala, quod idē est apud Hebręos q̄d apud nos receptio. Ob id scilicet, quòd illam doctrinā nō per literarū monumenta, sed ordinarijs reuelationum successionibus alter ab altero quasi hæreditario iure reciperet. Verum postquam Hebræi à Babilonica captiuitate restituti per Cyrū & sub Zorobabel instaurato templo, ad reparandam legem animū appulerunt. Esdras tunc ecclesiæ prędectus, postemendatum Moseos librum cum planè cognosceret per exilia, cædes, fugas, captiuitatem gentis Israëliticæ, institutū à maioribus morem tradendæ per manus doctrinæ seruari non posse, futurūq; ut sibi diuinitus indulta cęlestis doctrinæ arcana perirent, quorum commentarijs non intercedentibus durare diu memoria non poterat, constituit ut conuocatis qui tūc supererant sapientibus afferret unusquisq; in medium, quæ de mysterijs legis memoriter tenebat, adhibitisq; notarijs in septuaginta uolumina (Tot enim ferè in Sinedrio sapientes) redigerentur. Qua de re ne mihi soli credatis Patres: Audite Esdram ipsum sic loquentem: Exactis quadraginta diebus loquutus est altissimus dicens: Priora quæ scripsisti in palam po-

ne,legant digni & indigni,nouissimos autem septuaginta libros conser-
uabis ut tradas eos sapientibus de populo tuo: In his enim est uena intelle-
ctus & sapientiæ fons, & scientiæ flumen,atq; ita feci. Hæc Esdras ad uer-
bum. Hi sunt libri scientiæ Cabalæ, in his libris merito Esdras uenam in-
tellectus,id est, ineffabilem, de supersubstantiali deitate Theologiam, sa-
pientiæ fontem,id est, de intelligibilib.angelicisq; formis exactam meta-
physicam, & scientiæ flumen,id est,de rebus naturalibus firmissimã Phi-
losophiam esse,clara in primis uoce pronunciauit. Hi libri Sixtus quartus
Pontifex Maximus qui hunc sub quo uiuimus feliciter Innocentiũ octa-
uum,proxime antecessit: maxima cura studioq; curauit ut in publicam fi
dei nostræ utilitatem Latinis literis mandarentur. Iamq; cum ille decessit
tres ex illis peruenerãt ad Latinos. Hi libri apud Hebræos hac tempesta-
te tanta religione coluntur, ut neminem liceat nisi annos quadraginta na-
tum illos attingere. Hos ego libros non mediocri impensa mihi cũ com-
parassem, summa diligentia, indefessis laboribus cum perlegissem, uidi
in illis(testis est Deus)religionem non tam Mosaicam quàm Christianã:
Ibi Trinitatis mysterium, ibi uerbi incarnatio, ibi Messiæ diuinitates, ibi
de peccato originali, de illius per Christum expiatione, de cœlesti Hieru-
salem, de casu dęmonium, de ordinibus angelorum, de purgatorijs, de in-
ferorum pœnis. Eadem legi quæ apud Paulum & Dionysium, apud Hie-
ronymum & Augustinum, quotidie legimus. In his uero quę spectant ad
philosophiam Pithagoram prorsus audias & Platonem, quorum decre
ta ita sunt fidei Christianæ affinita, ut Augustinus noster immensas Deo
gratias agat, quod ad eius manus peruenerint libri Platonicorum. In ple
num nulla est fermè de re nobis cum Hebræis controuersia, de qua ex li-
bris Cabalistarum ita redargui cõuinciq; nõ possint, ut ne angulus quí-
dem reliquus sit in quem se condant. Cuius rei testem grauissimum habeo
Antonium Cronicum uirum eruditissimum, qui suis auribus cum apud
eum essem in conuiuio audiuit Dactylum Hebræum peritum huius scien
tiæ in Christianorum prorsus de Trinitate sententiã pedibus manibusq;
descendere. Sed ut ad meæ redeam disputationis capita percensenda. At-
tulimus & nostram de interpretandis Orphei, Zoroastrisq; carminibus
sententiam. Orpheus apud Græcos fermè integer. Zoroaster apud eos
mancus, apud Chaldæos absolutior legitur. Ambo priscæ sapientiæ cre-
diti patres & authores. Nam ut taceã de Zoroastre cuius frequens apud
Platonicos non sine summa semper ueneratione est mentio. Scribit Iam-
blicus Chaldæus habuisse Pithagoram Orphicam Theologiam tãquam
exemplar, ad quam ipse suam fingeret formaretq; philosophiã. Quin id-
circo tantum dicta Pithagoræ sacra nuncupari dicunt quòd ab Orpheiflu
xerit institutis, inde secreta de numeris doctrina, & quicquid magnum
sublimeq; habuit Gręca philosophia utà primo fonte manauit. Sed qui
erat

erat ueterum mos Theologorum, ita Orpheus suorum dogmatum mysteria fabularum intexit inuolucris, & poëtico uelamento dissimulauit, ut si quis legat illius hymnos, nihil subesse credat præter fabellas nugasq; meracissimas. Quod uolui dixisse ut cognoscatur quis mihi labor, quæ fuerit difficultas, ex affectatis ænigmatum syrpis, ex fabularum latebris latitantes eruere secretæ philosophiæ sensus nulla præsertim in re tam graui, tam abscondita inexploratacq; adiuto aliorum interpretum opera & diligentia, & tamen oblatrarunt canes mei minutula quędam & leuia ad numeri ostentationem me accumulasse, quasi non omnes quæ ambiguæ maximè, controuersęq; sunt quæstiones, in quibus principales digladiantur academiæ, quasi non multa attulerim his ipsis qui & mea carpunt, & se credunt philosophorum principes, & incognita prorsus & intentata. Quin ego tantū absum ab ea culpa ut curauerim in quàm paucissima potui capita cogere disputationem. Quam si (ut consueuerūt alij) partiri ipse in sua membra & lancinare uoluissem, in innumerū profecto numerum excreuisset. Et ut taceam de cæteris. Quis est qui nesciat unum dogma ex nongentis, quod scilicet de concilianda est Platonis Aristotelisq; philosophia potuisse me citra omnē affectatæ numerositatis suspicionem in sexcenta, ne dicam plura capita deduxisse, locos scilicet omnes in quibus dissidere alij conuenire ego illos existimo particulatim enumerantem. Sed certè (dicam enim quanquam neq; modestè, neq; ex ingenio meo) dicam tamen, quia dicere me inuidi cogunt, cogūt obtrectatores, uolui hoc meo congressu fidem facere, non tam quod multa scirem, quàm quod scirem quæ multi nesciunt. Quod ut uobis reipsa Patres colendissimi iam palàm fiat, ut desiderium uestrum doctores excellentissimi quos paratos accinctosq; expectare pugnam non sine magna uoluptate conspicio, mea longius oratio non remoretur, quod felix faustumq; sit quasi citante classico iam conseramus manus.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE ORATIONIS, de hominis dignitate, Finis.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE REGVLAE XII,

partim excitantes, patim dirigentes hominem in pugna Spirituali.

1 Si homini uidet dura uia uirtutis, quia continuè oportet nos pugnare aduersus carnem, & diabolum, & mundum, recordetur, quòd quamcunq; elegerit uitam, etiam secundum mundum, multa illi aduersa, tristia, incommoda, laboriosa patienda sunt.

2 Recordetur, quòd in rebus mundi, diutius pugnatur, & laboriosius, & infructuosius, in quibus labor est finis laboris, & tandem pœna æterna.

3 Recordetur, stultum esse credere, ad cœlum posse peruenìri, nisi per huiusmodi pugnam, sicut & caput nostrum Christus, non ascendit in cœlum, nisi per crucem, nec debet serui conditio melior esse, conditione domini.

4 Recordetur, non solùm esse ægre ferendam hanc pugnam, sed optandam, etiamsi nullum inde nobis præmium perueniret, solùm ut conformemur Christo Deo & domino nostro, & quoties resistendo alicui tentationi, alicui ex sensib. tuis uim facis, cogita cuinam parti crucis Christi conformis reddaris. Vt quando gulæ resistens gustũ affligis, recordare, illum felle potatũ & aceto: quãdo manus retrahis à rapina alicuius rei quæ tibi placet, cogita manus illius pro te ligno crucis affixas: & si resistis superbiæ, recordare illum, qui cum in forma Dei esset, pro te formam serui accepisse, & humiliatum usque ad mortem crucis: & cum de ira tentaris, recordare, illum qui Deus erat, & omnium hominum iustissimus, cum setamen uideret quasi latronem & illudi, & conspui, & flagellari, & opprobrijs omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamen unquam aut iræ, aut indignationis signũ ostendit, sed patientissimè omnia ferens, omnibus mansuetissimè respondebat: & sic discurrendo per singula, inuenies nullam esse passionem, quę te Christo aliqua ex parte conformem, non efficiat.

5 Quòd in illis duodecim armis, nec in quocũq; alio humano remedio, confidas, sed in sola uirtute Iesu Christi, qui dixit: Cõfidite, ego uici mundum: & alibi: Princeps mundi huius eijcitur foras: quare & nos sola eius uirtute confidamus, & mundum posse uincere, & diabolum superare: & ideo debemus semper petere eius auxiliũ, per orationẽ & sanctorũ suorũ.

6 Recordare, cã unam uicisti tentationem, semper aliam esse expectandam, quia Diabolus semper circuit quem deuoret: quare oportet semper seruire in timore, & dicere cum propheta. Super custodiam meam stabo.

7 Vt

7 Vt non solùm non uincaris à diabolo, quum te tentat, sed ut uincas ipsum, & hoc est, quãdo non solum non peccas, sed ex eare, unde te tentauerat, occasionem sumis alicuius boni: ut si opus suum bonum aliquod tibi offert, ut inde in uanam gloriam incidas, tu illud statim non ut opus tuum, sed ut beneficium Dei cogitans, humilias te, & iudicas parum gratum te esse Deo, de beneficijs eius.

8 Vt quum pugnas, pugnes quasi uincendo, deinde perpetuam pacem habiturus, quia fortè hoc tibi dabit Deus ex gratia sua, & diabolus amplius non redibit, confusus de tua uictoria: sed quum uicisti, geras te, quasi mox pugnaturus, ut in pugna semper uictoriæ, & in uictoria semper sis memor pugnæ.

9 Vt quamuis te sentias, undiq; benemunitum & paratum, semper tamen fugias occasiones peccandi, quia ut dicit Sapiens, Qui amat periculum peribit in illo.

10 Vt in tentationibus semper in principio occurras, & allidas paruulos Babylonis ad petram. Petra aũt est Christus: quia sero medicina paratur.

11 Recordare, quòd licet in ipso conflictu, tentationis arma, uideatur pugna: tamen longè dulcius est uincere tentationem, quàm ire ad peccatum, ad quod te inclina, & in hoc multi decipiuntur: quia non compararãt dulcedinem uictoriæ, dulcedini peccati. Sed comparant pugnam uoluptati, & tamen homo, qui millies expertus est, quid sit cedere tentationi, deberet semel saltem experiri, quid sit uincere tentationem.

12 Propterea, quòd tentaris, ne credas te à Deo derelictũ, aut Deo parum gratum esse, aut parum iustum & perfectum, memor sis, quòd postquam Paulus uidit diuinam essentiam, patiebatur tentationem carnis, qua permittebat Deus eum tentari, ne de superbia tentaretur: in quo etiam homo debet aduertere, quòd Paulus qui erat uas electionis, & raptus usq; ad tertium cœlum, tamen erat in periculo, ne de suis uirtutibus superbiret, sicut ipse dicit de se, ne magnitudo reuelationũ extolleret me, datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet. Quare super omnes tentationes, homo debet maximè se munire, contra tentationem superbiæ, quia radix omnium malorum superbia est, contrà quod unicum remedium est, cogitare semper, quòd Deus se humiliauit pro nobis usque ad crucẽ, & mors, nos uel inuitos, eousq; nos humiliabit, ut simus esca uermium.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE, SPIRITVALIS PVgnæ, arma XII. quæ homo cum peccandi eum libido tenet, in promptu habere debet.

1 Voluptas breuis & exigua.
2 Comites fastidiũ & anxietas.
3 Iactura maioris boni.
4 Vita somnus & umbra.
5 Mors instans & improuisa.
6 Suspicio impœnitentiæ.
7 Aeternũ prẽmiũ: æterna pœna.
8 Hominis dignitas & natura.

9 Pax

9 Pax bonæ mentis.
10 Dei beneficia.
11 Crux Christi.
12 Testimonia martyrum & exempla sanctorum.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE DE DVOdecim conditionibus amantis.

1 Amare unum tantùm, & contemnere omnia pro eo.
2 Infelicem putare eum, qui non est cum amato.
3 Omnia pati, ut cum illo sit, etiam mortem.
4 Ornare se, ut illi placeat.
5 Esse cum illo quomodo potest, & si non re, saltem cogitatione.
6 Amare omnia q̃ ad eũ attinẽt, amicos oms̃, domus, uestes, imagines.
7 Cupere laudes, nec posse pati aliquam eius ignominiam.
8 De eo credere omnia summa, idemq; cupere, ut omnes credant.
9 Optare etiã, p eo pati aliq̃d incõmodũ, & dulce esse illud incõmodũ.
10 Flere cum eo sæpè, uel si absens ex dolore, uel si præsens ex lætitia.
11 Semper languere, semper ardere eius desiderio.
12 Seruire illi, nihil cogitando de præmio aut mercede.

Solemus aũt ad hoc induci, præcipuè ex trib. causis. prima est, Quando seruitiũ ipsum per se est appetibile. secũda, Quãdo ille cui seruimus, est in se ualde bonus & amabilis, sicut solemus dicere, Seruimus illi propter suas uirtutes. tertia est, Quando ille prius q̃ inciperes, multa tibi beneficia contulit, & hæc tria sunt in Deo: qa pro seruitio eius, nihil nouiter accipiũ, quod non sit nobis bonũ, & quoad animã, & quoad corpus: quia seruire ei non est aliud, quàm tendere ad eum, hoc est, ad summũ bonum. Similiter ipse est optimus, & pulcherrimus, & sapientissimus, & habet omnes conditiones, quæ solent nos mouere ad amandũ aliquem: & seruiendum ei gratis, & in nos contulit summa beneficia, cum nos & ex nihilo creauerit, & per sanguinem filij sui, ab inferno redemerit.

IOANNIS PICI

Mirandulæ, in Psalmum XV. Commentarius.

Conserua me domine.

SI QVIS perfectus uult recognoscere statum suum, unum habet periculum, ne de sua uirtute superbiat. ideo Dauid loquens in persona iusti, de statu incipit, ab hoc uerbo: Conserua me: quod rectè consideratum, omnem amouet occasionem superbiæ, nam qui potest aliquid ex se acquirere, potest & illud ex se sibi conseruare. qui ergo petit à Deo conseruar

seruari in statu uirtutis, significat per hoc, quòd nec à principio ipsam uirtutem ex se acquisiuit. Qui autem recordatur uirtutem se cõsecutum, non uirtute propria, sed uirtute Dei, non potest de ea superbire, sed magis humiliari coràm Deo. iuxta illud Apostoli. Quid habes quòd non accepisti? & si accepisti quid gloriaris? quasi non acceperis? Duo sunt ergo uerba, quæ semper habere debemus in ore, alterũ, scilicet, Miserere mei Deus. cum scilicet recordamur peccatorum. alterum est. Conserua me Deus. scilicet cum recordamur uirtutum.

Quoniam speraui in te.

Hæc una res est, quæ facit nos à Deo impetrare quod petimus, quũ scilicet nos impetraturos speramus. & si duas has cõditiones obseruabimus, ut nũquam petamus à Deo, nisi ea, quæ nobis sunt salutaria, & ut id quod petimus, ardenter petamus, cum firma spe, quòd Deus nos exaudiat, nũquam erunt irritæ orationes nostræ. Quum igitur non impetramus, est aut quòd illud nobis est noxium, Nescimus enim quid petamus, ut inquit Christus: & Iesus dixit: Quicquid petieritis in nomine meo, dabitur uobis: hoc enim nomẽ Iesus saluatorem significat: & ideò nihil petitur in nomine Iesu, nisi quod est ad salutem ipsi petenti. aut non exaudit, quia si bona petimus, non enim benè petimus, hoc est, cum parua spe: qui autem timidè sperat, frigidè petit, ideo dicebat Iacobus: Postulet autem in fide nihil hæsitans.

Dixi domino Deus meus es tu.

Postquam muniuit se contra superbiam, incipit describere statum suũ. totus autem status iusti, consistit in hoc uerbo: Dixi domino Deus meus es tu. Quod uerbum licet uideatur ferè omnibus commune, pauci tamen sunt, qui illud possint uerè dicere: illud enim quis habet pro Deo, quod habet pro summo bono, & illud habemus pro summo bono, quo solo habito, si cętera desint, putamus nos esse felices: & quod unum si desit etiam si habeamus omnia alia bona putamus nos esse miseros. Dicit igitur auarus, pecuniæ: Deus meus es tu: quia etiam si ei desint honor & sanitas, & uirtus, & amici, modo pecuniam habeat, contentus est: & si habeat omnia illa bona quæ diximus, & pecunia desit, putat se esse infelicem. Gulosus item, crapulæ: & incontinens, libidini: & ambitiosus, imperio siue glorię dicit: Deus meus es tu. Vide igitur, quàm pauci possint dicere. Dixi domino Deus meus es tu: quia ille solus hoc potest, cui solus Deus sufficit: ita ut si ei proponantur omnia regna mundi, & cœlestia omnia, & terrena bona, non tamen, ut illa consequeretur, uel semel Deum offenderet: in hoc igitur dicto, consistit totus status hominis iusti.

Quoniam bonorum meorum non eges.

Reddit rationẽ ppositi sui, quare scilicet soli dño dicat: Deus meus es tu. ratio aũt, quoniã solus Deus bonis nostris nõ eget, nulla eñ creatura est, q̃

non

non indigeat alijs creaturis, quàm ea imperfectioribus, ut probant philosophi & theologi, quia si ille non essent, ista non essent, quia destructa una parte uniuersi, destruitur totum uniuersum. Destructo autem, destruuntur omnes partes, omnes autem creaturę, sunt partes unius uniuersi, cuius uniuersi, ipse Deus non pars est, sed principium nihil ab eo dependens, nihil enim acquisiuit Deus ex hoc quòd creauit mundum, & nihil perderet, si totus mũdus annihilaretur. Solus ergo Deus bonorum nostrorum, non eget. Debemus autem erubescere, illum habere pro Deo, qui bonis indiget nostris, qualis est omnis creatura. Præterea non debemus habere pro Deo, hoc est, pro summo bono, nisi illud, in quo est summum bonum, in nulla autem creatura est omne bonum, soli igitur domino debemus dicere: Deus meus es tu.

Sanctis qui sunt in terra eius.

Post Deum maximè debemus amare illos, qui sunt Deo maximè coniuncti, quales sunt angeli, & beati in patria. ideò postquàm dixit domino: Deus meus es tu: subdit quòd Deus:

Mirificauit uoluntates suas.

Hoc est mirabiles fecit amores eius, & desideria eius erga sanctos, qui sunt in terra eius: hoc est in cœlesti patria, quæ dicitur terra Dei, & terra uiuentium: & uerè si consideremus, quanta sit illius patriæ felicitas, quantaqúe huius mundi miseria, quanta ciuium illorum bonitas, & claritas, desiderabimus semper hinc discedere, ut illic habitemus. Hæc autem & similia, cum meditamur, illud semper curare debemus, ne infructuosæ sint meditationes nostræ: sed ex qualibet meditatione, aliquã semper acquirere uirtutem debemus: ut ex hoc uidelicet, de bonitate illius patriæ superioris, debemus acquirere uirtutem hanc, ut mortem non solum fortiter feramus, & patienter cum uenerit hora nostra, aut si pro fide Christi nobis obeunda sit, sed ultrò etiam appetamus, cupientes scilicet, ex hac ualle miseriarum discedere, ut in illa felici patria cum Deo & sanctis eius regnemus. Cum ergo iustus descripsit statum suum, qui totus est in effectu erga Deum & diuina, despicit quoq; ex alto statum hominum malorum, & dicit.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.

Per infirmitates autem intelligit Idola, & ita habet textus Hebræus: sicut enim bonus unum habet Deum quem colit, ita mali multos habent Deos & idola: quia multas scilicet uoluptates, multa desideria uana, passiones diuersas quibus seruiunt: ideò autem multas quærunt uoluptates, quia nullam inueniunt, quæ eos quietet, & ideò in circuitu impij ambulant. Et subdit. Post acceleraverunt. quia scilicet, post sua desideria præcipites ruunt, & inconsideratè: unde edocemur, ut nõ minus ipsi celeriter curramus ad uirtutes, quàm ipsi currunt ad uitium: nec domino nostro mi-

nus

nus diligenter ipsi seruiamus, quàm ipsi seruiunt domino suo diabolo. Iustus autem considerans statum malorum, proponit firmiter, sicut & nos semper debemus facere, nullo modo uelle eos sequi: & dicit.

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memorero nominum eorum per labia mea.

Dicit autem de sanguinibus, tùm quia idolatræ solebant collecto sanguine uictimarum, circa eũ suas agere cæremonias, tùm quia tota uita malorum relicta ratione, sensualitatem sequitur, quæ in sanguine sita est. Dixit autẽ, quòd non solùm uult sacrificare idolis, sed nec nominare ea, quod tantum dici & fieri potest, ostendens per hoc, quòd nõ solum homo perfectus debet abstinere ab illicitis uoluptatibus, sed etiam à licitis, ut magis totus feratur in cœlũ, & contemplationi diuinorum purius uacet, & quia aliqs posset credere, quòd esset stultitia priuare se omni uoluptate, subdit.

Dominus pars hæreditatis meæ.

Quasi dicat, non mireris, si omnia alia relinquo, ut Deum possideam, in quo etiam alia deniq; bona possidentur. Debet hæc esse uox cuiuslibet boni Christiani: Dominus pars hæreditatis meæ: quia nos Christiani, quibus Deus ipse pro hæreditate promittitur, debemus erubescere, aliquid præter ipsum desiderare, & quia posset uideri alicui præsumptio, audere hæc sibi promittere, idem subdit.

Tu es qui restituis hæreditatem meam mihi.

Quasi dicat, Domine Deus meus, benè scio, quòd cum nihil sim respectu tui, uiribus meis non possum ascendere ad te possidendum: sed tu es, qui trahes me ad te, per gratiam tuã, & tu es, qui teipsum dabis mihi possidendum: consideret deinde iustus, quanta sit hæc felicitas, ut ei Deus pro hæreditate contigerit: subdit.

Funes ceciderunt mihi in præclaris.

Partes enim, & sortes, antiquitus per funes diuidebantur, & quoniam multi sunt, qui licet ad hanc felicitatem sint uocati, sicut sunt omnes Christiani, ipsam tamen nihil faciunt: utpotè pro leui sæpe uoluptate commutant, ideò subdit.

Hereditas mea preclara est mihi.

Quasi dicat, sicut ipsa est præclara, ita ego eam præclaram reputo, & omnia alia, respectu eius, ut dicebat Paulus, sicut stercora reputo, quoniã autem habere hoc lumen intellectus, ut homo cognoscat felicitatem, sibi à Deo datam donum Dei, & ideo subdit.

Benedicam dominum, qui tribuit intellectum.

Quoniam autem, sæpe homo iudicat secundum rationem seruire Deo, sensualitas autem & caro repugnant, tunc autem homo perfectus est, ut non solum anima eius, sed & caro in Deum feruntur: iuxta illud: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uiuum: ideo subdit.

Et usq; ad noctem increpuerunt me renes mei.

Id est renes ipsi, in quibus maxima solet esse inclinatio ad concupiscentiam, non solùm inclinant me ad malum, sed potius increpant: hoc est, retrahunt etiam usq; ad noctem, id est, eousq; ut etiam ipsi ultrò propriũ corpus affligant. Afflictio enim, sæpè per noctem solet designari: ostendit deinde, quæ sit radix tantæ priuationis: & dicit.

Prouidebam Deum semper in conspectu meo.

Nam si quis Deum semper haberet ante oculos, pro regula omniũ operationum suarum, & in omnibus operationibus suis, nec propriam utilitatem, nec gloriam, nec uoluptatem quæreret, sed solum ut Deo placeret, breui perfectus euaderet, & quia, qui ita agit, semper in omnibus prospe ratur, ideò dicit.

Ipse à dextris est mihi ne commoueat.

Ostendit deinde, quanta sit felicitas iusti uiri, quia scilicet erit in æternum felix, & in anima & in corpore, ideò subdit propter hæc.

Lętatum est cor meum.

Id est, anima mea læta est, sciens post mortem sibi cœlum esse paratũ.

Et caro mea requiescet in spe.

Id est, quamuis ipsa non lætetur, quasi acceptura statim post mortẽ statum suum, requiescit tamẽ in sepultura, cum hac spe, quòd resurget in die iudicij, cũ anima sua, immortalis, & splendidissima, & hoc totũ declarat in sequẽti uersiculo: nã quia dixerat, quòd anima lætabat: subdit rationẽ,

Quia non derelinquet animam in inferno.

Et quia dixerat, quòd caro requiescebat in spe, subdit rationem dicens.

Nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem.

Quia siue, & qp fuit corruptibile, resurget incorruptibile, & quia Christus fuit primus, qui intrauit Paradisum, & nobis uitã aperuit, & fuit primus qui resurrexit, & resurrectio eius est causa nostræ resurrectionis, ideò ista quæ diximus, de resurrectione, principaliter de Christi intelliguntur: sicut declarauit Petrus Apostolus. & secundario intelligi possunt de nobis, inquantum sumus membra Christi, qui solus non uidit corruptionẽ: quia corpus eius in sepulchro putrefactum nõ fuit, quoniam igitur uia beneuiuendi ducit nos ad perpetuam uitam animæ & corporis, ideo subdit.

Notas mihi feciſti uias uitæ.

Et quia tota felicitas huius uitæ, consistit in aperta uisione & fruitione Dei, ideo subdit.

Adimplebis me lætitia cum uultu tuo.

Et quia felicitas in æternum durabit, ideò subdit.

Delectationes in dextera tua usq; in finem.

Dicit autem in dextera tua, quia felicitas nostra completur in uisione & fruitione humanitatis Christi, qui sedet in dextera maiestatis in excelsis: iuxta

iuxta illud Ioannis. Hæc est tota merces, ut uideamus Deum, & quem misisti Iesum Christum.

IOANNIS PICI MIRANDVLAE
Deprecatoria ad Deum.

ALme Deus summa qui maiestate uerendus,
Verè unum in triplici numine numen habes.
Cui super excelsi flammantia mœnia mundi,
Angelici seruit turba beata chori.
Cuius & immensum hoc, oculis spectabile nostris,
Omnipotens quondam dextra creauit opus.
Aethera qui torques, qui nutu dirigis orbem,
Cuius ab imperio fulmina missa cadunt.
Parce precor miseris, nostras precor ablue sordes,
Ne nos iusta isti pœna furoris agat.
Quod si nostra pari pensentur debita lance:
Et sit iudicij norma seuera tui,
Quis queat horrendum uiuentis ferre flagellum
Vindicis, & plagas sustinuisse graues?
Non ipsa iratæ restabit Machina dextræ,
Machina supremo non peritura die.
Quæ mens non primæ damnata ab origine culpæ?
Aut quæ non proprio crimine facta nocens?
Aut certè ille ipse es proprium cui parcere semper
Iusticiamq; pari qui pietate tenes,
Præmia qui ut meritis longè maiora rependis,
Supplicia admissis, sic leuiora malis.
Nanq; tua est nostris maior clementia culpis,
Et dare non dignis res mage digna Deo est.
Quanquam sat digni, si quos dignatur amare,
Qui quos non dignos inuenit ipse facit.
Ego tuos placido miserans precor aspice uultu,
Seu seruos mauis, seu magis esse reos.
Nempe reos, nostræ si spectes crimina uitæ
Ingratæ nimium crimina mentis opus.
Aut tua si potius in nobis munera cernas,
Munera præcipuis nobilitata bonis.
Nos sumus ipsa olim tibi quos natura ministros,
Mox fecit natos gratia sancta tuos.
Sed præmit (heu) miseros tantæ indulgentia sortis,
Quos fecit natos gratia, culpa reos.

Culpa reos fecit, sed uincat gratia culpam,
Vt tuus in nostro crimine crescat honor,
Nam tua siue aliter sapientia, siue potestas,
Nota suas mundo prodere possit opes,
Maior in erratis bonitatis gloria nostris,
Illeq; præ cunctis fulget amandus amor.
Qui potuit cœlo dominum deducere ab alto,
Inq; crucem summi tollere membra Dei,
Vt malè contractas patrio de semine sordes,
Abluerent lateris sanguis & unda tui,
Sic amor & pietas tua rex mitissime, tantis
Dat mala materiam suppeditare bonis.
O amor, ô pietas, nostris benè prouida rebus,
O bonitas, serui facta ministra tui,
O amor, ô pietas, nostris male cognita sæclis,
O bonitas nostris nunc propè uicta malis,
Da precor huic tanto, qui semper feruet, amori
Ardorem in nostris cordibus esse parem,
Da satanæ imperium, cui tot seruisse per annos
Pœnitet, excusso deposuisse iugo.
Da precor, extingui uesanæ incendia mentis,
Et tuus in nostro pectore uiuat amor,
Vt cum mortalis perfunctus munere uitæ
Ductus erit dominum spiritus ante suum,
Promissi regni felici sorte potitus
Non dominum, sed te sentiat esse patrem.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, IOANNI FRANCISco ex fratre nepoti, S. in eo qui est uera salus.

DIscedenti tibi à me plurimas statim ad malum oblatas occasiones quæ te perturbent, & arrepto bene uiuendi proposito aduersentur, non est fili quòd admireris, sed neq; quòd doleas, aut expauescas. Quantum illud potius esset miraculum, si tibi uni inter mortales, sine sudore uia pateret ad cœlum, quasi nũc primum & fallax mundus, & malus dæmon esse desineret, aut quasi tu in carne adhuc non esses, quæ cõcupiscit aduersus spiritum, & (nisi Saluti nostræ uigiles perspexerimus) ciceis ebrios poculis in prodigiosas brutorũ species illecebrosa deformat. Sed & gaudendum tibi esse affirmat Iacobus scribens: Gaudete fratres cum in tentationes uarias incideritis, nec immeritò, quæ enim spes gloriæ, si nulla sit spes uictoriæ? aut uictoriæ locus quis esse potest ubi pugna non est? uocatur ad coronam qui prouocatur ad pugnam, atq; ad eam præsertim in qua nemo uinci potest inuitus: neq; aliis nobis ut uincamus uiribus

opus

opus est, quàm ut uincere ipsi uelimus. Magna Christiani felicitas, quando & in eius arbitrio posita est uictoria, & omni uincentis uoto, omnique expectatione maiora futura sunt præmia. Dic quæso fili charissime, est ne aliquid in hac uita ex his quorum libido terrenas agitat mentes, pro quo adipiscendo non multi prius subeundi labores, multa indigna & misera toleranda sint: Bene actum secum putat mercator, si post decennem nauigationem, post mille incommoda, mille uitæ discrimina rem sibi comparauerit paulo uberiorem. De militia sæculi nihil est quod ad te scribam, cuius miserias ipsa satis te docuit & docet experientia. In principum gratia promerenda, in æqualium amicitijs conciliandis, in honoribus ambiendis, quæ moles molestiarum, quantum anxietatis, quantum sit sollicitudinis ex te ego discere potius possum quàm te docere, qui meis libris meo ociolo contentus, à pueris usque intra fortunã uiuere didici, & (quantum possum) apud me habitans, nihil extra meipsum suspiro uel ambio. Ergo terrena hæc caduca, incerta, uilia, & cum brutis quoque nobis communia, sudantes etiam & anhelantes uix consequemur, ad cœlestia atque diuina quæ, nec oculus uidit, neque auris audiuit, neque cor cogitauit somniculosi & dormientes & propemodum inuiti à dijs trahemur, quasi sine nobis aut Deus regnare aut cœlestes illi ciues beati esse non possint. Profecto si terrena felicitas ociosis nobis compareretur, posset aliquis laborem detrectans malle mundo seruire quàm Deo. sed si nihil minus quàm in uia Dei imò longè magis in peccatorum uia fatigamur (unde illa uox damnatorum. Lassati sumus in uia iniquitatis) non potest non extremæ esse dementiæ, ibi nolle potius laborare ubi à labore itur ad mercedem, quàm ubi à labore itur ad supplicium. Mitto quanta sit illa pax, quantaque felicitas animi, nihil conscire sibi, nulla pallescere culpa, quæ proculdubio uoluptatibus omnibus quæ possideri uel optari possint in uita longe præponderat. Quid enim optabile in uoluptatibus mundi, quæ dum quęruntur fatigant, cum acquiruntur infatuant, cum amittuntur excruciant. Dubitas fili impiorum mentes perpetuis curis non agitari. Verbum est Dei qui nec falli potest nec fallere. Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest, nihil enim illis est tutum, nihil pacatum, omnia metum, omnia curas intentant, omnia mortem. His ne igitur inuidebimus? hos æmulabimur? & obliti propriæ dignitatis, obliti patriæ, patrisque cœlestis, horum nos ipsi, cum liberi simus nati, ultro mancipia faciemus, & unà cum illis miserè uiuentes, morientes miserius, miserrimè tandem æternis ignibus affligamur. O cæcas hominum mentes ô pectora cæca, quis non uideat uel luce clarius hæc omnia esse ipsa ueritate ueriora, nec tamen facimus quæ facienda esse cognoscimus, sed hæremus adhuc, nec quicquam cœno cupientes auellere plantam. Occurrẽt tibi fili (ne dubita) in his præ-

sertim locis in quibus habitas innumera singulis horis impedimenta, quę te proposito sanctè beneq; uiuendi deterreant & (nisi caueas) agant inpręceps. Sed inter omnia exitialis illa est pestis, uersari inter eos dies & noctes, quorum uita non solum omni ex parte illecebra est peccati, sed tota in expugnanda uirtute posita sub imperatore diabolo, sub uexillis mortis, sub stipendijs gehennæ militat aduersus cœlum, aduersus dominum & aduersus Christum eius. Tu autem clama cum propheta: Dirumpamus uincula eorum & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Hi sunt enim quos tradidit Deus in passiones ignominiæ & in reprobum sensum, ut faciant ea quę non conueniunt, plenos omni iniquitate, plenos inuidia, homicidijs, cõtentione, dolo, malignitate, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuẽtores malorum, insipientes, incompositos, sine affectione, sine fœdere, sine misericordia. Qui cum iusticiam Dei quotidie uideant, non intelligunt tamen, quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Tu igitur fili, noli illis placere quibus ipsa displicet uirtus. Sed illud Apostoli tibi semper sit ante oculos: Oportet Deo magis placere quàm hominibus: & illud: Si hominibus placerem Christi seruus non essem. Inuadat te sancta quædam ambitio, & dedigneris eos tibi uitæ esse magistros, qui te potius præceptore indigeant, longè enim decentius ut ipsi tecum bene uiuendo homines esse incipiãt, quàm ut tu uelis per omissionem boni propositi cum illis turpiter obbrutescere. Tenet me (Deum testor) aliquando extasis quasi & stupor quidam, cum mecum incipio studia hominum, aut (ut dixerim significantius) meras insanias, nescio an cogitare potius quàm dolere? mirari an deplorare? Magna enim profecto insania, Euãgelio non credere, cuius ueritatem sanguis martyrum clamat, apostolicæ resonant uoces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sed longè maior insania, si de Euangelij ueritate non dubitas, uiuere tamen quasi de eius falsitate non dubitares. Nam si illa sunt uera, difficillimum esse diuitem ingredi regnum cœlorum, quid cumulandis quotidie diuitijs inhiamus, & si illud est uerũ, quærendam gloriam non quæ ex hominibus, sed quæ ex Deo est, cur de iudicijs hominum semper pendemus. Deo placere nemo est qui curet. & si firma in nobis est fides, futurum aliquando, ut dominus dicat: Ite maledicti in ignem ęternum, & rursus: Venite benedicti possidete regnum paratum uobis à constitutione mundi. Cur nihil minus aut timemus quàm gehennam, aut speramus quàm regnũ Dei? Quid possumus aliud dicere quàm multos esse nomine Christianos, sed re paucissimos. Tu uero fili contende intrare per angustam portam, nec quid multi agant attẽde, sed quid agendum, ipsa tibi naturæ lex, ipsa ratio, ipse Deus ostendet. Neque enim

aut mię

aut minor tua erit gloria, si felix eris cum paucis, aut leuior pœna, si miser eris cum multis. Erũt autem duo præcipuè præsentissima tibi remedia aduersus mundum & satanam, quibus quasi duabus alis de lachrymarũ ualle tolleris in altum: Eleemosyna scilicet, atq; oratio. Quid enim possumus sine auxilio Dei? aut quomodo ille auxiliabitur non inuocatus? Sed & inuocantem te certè non audiet qui inuocantem prius pauperem non exaudisti. Neq; enim decet ut te Deus hominem non contemnat: qui prius homo hominem cõtempsisti. Scriptum est in qua mensura mensi fueritis remetietur uobis, & alibi: Beati misericordes quoniam misericordiam consequentur. Cum autem te ad orationem inuito, non ad eam inuito quæ in multiloquio est, sed quæ in secreto mentis recessu, in penetralibus animi, ipso affectu, loquitur Deo: & in lucidissima contemplationis tenebra mentem patri non præsentat modo, sed unit ineffabilibus quibusdam modis quos soli norunt experti, nec curo quàm longa sit oratio tua, sed quàm efficax, quàm sit ardẽs, interrupta potius suspirijs, quàm perpetua quadam serie dictionum, numeroq; diffusa, si tua tibi salus est cordi, si tutus à diabolicis laqueis, à mundi procellis, ab inimicorũ insidijs, si Deo gratus, si felix tandem esse desideras, fac nulla prætereat dies, qua uel semel Deũ tuum per orationem non adeas, & prostratus ante eum humili piæ mentis affectu illud non de summis labris, sed de imis uisceribus clames cum prophe ta: Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris, sed secundum misericordiam tuã memento mei propter bonitatem tuam Domine. Suggeret tibi cum spiritus qui interpellat pro nobis, tum ipsa necessitas singulis horis, quid petas à Deo tuo, suggeret & sacra lectio, quam ut omissis iam fabulis nugisq; poëtarum semper habeas in manibus etiã atq; etiam rogo. Nihil Deo gratius, nihil tibi utilius facere potes, quàm si non cessaueris literas sacras nocturna uersare manu, uersare diurna. Latet enim in illis cœlestis uis quædam, uiua & efficax, quæ legentis animum (si modo illas purè humiliterq; tractauerit) in diuinum amorẽ mirabili quadam potestate transformat. Sed epistolæ iam fines excessi, trahente me ipsa materia & mira quadam charitate, qua tecum semper tum ex ea præsertim hora sum prosequutus, qua sanctissimi tui propositi factus sum certior. Illud postremo te admonitum uelim (de quo hic etiam cum mecum eras, tecum sæpe locutus sum) ut duo hæc nunquam obliuiscaris, & filium Dei pro te esse mortuum, & te quoq; etiamsi diu uixeris breui esse moriturum. His quasi geminis stimulis, altero quidem timoris, amoris altero, urge equum tuum per breue stadium momentaneæ uitæ ad præmia felicitatis æternę, quãdo nullum alium finem præfinire nobis aut debemus aut possumus, quàm ut perpetua utriusque hominis pace infinito bono sine fine fruamur. Vale, & Deum time. Ferrariæ, 15. Maij. 1492.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, IOANNI FRANcisco Pico nepoti, S.

FElix es fili quando non solùm id tibi tribuit Deus ut bene uiuas, sed ut benè uiuens à malis tamen ob id maximè, quia benè uiuis, interim malè audias. æqua enim laus à laudatis laudari, & improbari ab improbis. Sed non propterea te felicem appello, quia hæc tibi calumnia gloriosa est, sed quia Dominus Iesus qui uerax, imò ipsa ueritas est, futuram affirmat mercedem nostram copiosam in cœlis cum male dixerint nobis homines, & dixerint omne malum aduersus nos, mentientes propter eum. Apostolica, si nescis, hæc dignitas est, dignum haberi qui pro Euangelico nomine ab impijs infameris. Quando Apostolos legimus apud Lucam gaudentes à conspectu abijsse consilij, quia digni habiti essent, quibus pro nomine Iesu contumelia irrogaretur. Gaudeamus igitur & nos si tanta apud Deum gloria digni sumus, ut eius gloria in ignominia nostra manifestetur. Et si quid à mundo durum patimur ac molestum, dulcissima illa Domini uox nos consoletur. Si uos mundus odio habet, scitote, quia priorem me uobis odio habuit. Si mundus illum odio habuit per quem factus est mundus, nos uilissimi homuntiones, & si flagitia nostra pensitemus, dignissimi omnibus usque adeò probris, si quis detrahat, si quis maledicat, ægrè feremus ut ne ille maledicat, malè agere ipsi incipiamus: Excipiamus hæc potius alacres maledicta, & si non ea felicitas nostra est, ut pro uirtute, pro ueritate, quemadmodum olim heroes nostri, uerbera, uincula, carceres, gladios, sustineamus, satis nobiscum benè actum putemus si uel conuitia hominum improborum, detractiones, odia, patiamur, ne omni nobis merendi occasione sublata, præmij etiam spes reliqua nulla sit. Si benè uiuentem te homines laudent, porrò uirtus hæc tua quatenus quidem uirtus est, similem te Christo facit, sed quatenus laudata est, facit dissimilem, qui præmium suæ uirtutis ab hominibus mortem crucis accepit, propter quod & Deus, ut inquit Apostolus, exaltauit eum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Optabilius igitur crucifigi à mundo ut exalteris à Deo, quàm exaltari à mundo ut iudiceris à Deo. Ille enim crucifigit ad uitam, hic exaltat ad gloriam, ille exaltat ad casum, hic iudicat ad gehennam. Denique si tibi mundus applaudit, fieri uix potest, ut uirtus quæ tota sursum erecta solum Deum debet habere cui placeat, plaudenti se paulisper hominum gratiæ non inclinet, & si de sua etiam integritate non perdit, perdit tamen non de præmio, quod cum in terris incipit persolui, ubi omnia sunt exigua, minus erit in cœlo ubi omnia sunt immensa. Felices contumeliæ quæ nos tutos reddunt, ne aut iusticiæ flos pestifero inanis gloriæ flatu

flatu marcescat, aut popularis rumusculi uano authoramento æternitatis stipendia nobis imminuantur. Amplectamur fili has contumelias, & de sola ignominia crucis Domini fideles serui sanctissima ambitione superbiamus. Prædicamus inquit Paulus, Christum crucifixum, Hebræis quidem scandalum, Gentibus stulticiam, nobis autem Dei uirtutẽ & sapientiam. Sapientia ista mundi stulticia est apud Deum, & stulticia Christi illa est quæ sapientiam uincit mundi, per quam placuit Deo saluos facere credentes, si insanos eos esse non dubitas qui uirtuti detrahunt tuæ, & Christianam uitam, hoc est, sapientiam insaniam uocant, cogita quãta tua esset insania, de insanorum iudicio à recte uitæ instituto dimoueri, cum error omnis emendatione tollendus, non imitatione augẽdus sit: Hinniant illi, baubentur, allatrent, tu cœptum perge iter intrepidus, & de illorũ nequitia atq; miseria quantum ipse debeas Deo perpende, qui sedentem in umbra mortis illuminauit, & de illorum cœtu translatum, qui in densissimis tenebris deuñ huc illuc sine duce bacchantur, filñs lucis associauit. Sonet uox illa Domini suauissima in auribus tuis semper, sine mortuos sepelire mortuos suos, tu me sequere. Mortui enim sunt qui Deo non uiuunt, & in hoc temporariæ mortis spatio, laborioßissimè sibi æternam mortem acquirunt. A quibus si petas quo tendant, quo sua studia, opera, curas, referant, quem deniq; finem sibi prẽstituerint, in cuius adeptione felices futuri sint, aut nihil omnino habebunt quod respondeant, aut pugnantia secum controuersaque sibijpsis uerba, uelut phanaticorum deliramenta loquentur. Neque enim sciunt ipsimet quid agant, sed more eorum qui fluminibus innatant, male importatæ consuetudinis ui, quasi torrentis impetu feruntur, & hinc cæcante eos nequitia, unde ad malum satana extimulante ruunt præcipites in omne facinus cæci duces cæcorũ, donec improuisa eos occupet mors, & dicatur eis: Amice hac nocte repetent animam tuam à te: hæc autem quæ parasti cuius erunt. Tunc hisinuident quos despexerunt, laudant quos deriserũt, & imitari eos uellent cum non possunt, quos dum poterant sequi, persequi maluerunt. Obde igitur fili charissimè auribus ceras, & quicquid dixerint, quicquid senserint homines de te pro nihilo habens, solum iudicium Dei specta, qui reddet unicuiq; secundum opera sua, in reuelatione sua de cœlo cum angelis uirtutis suæ, in flãma ignis faciens uindictam in eos qui nõ nouerunt Deum, nec paruerunt Euangelio eius. Qui pœnas (ut ait apostolus) dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria uirtutis eius, cum uenerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderũt. Scriptum est: Nolite timere qui corpus possunt occidere, sed qui animam potest mittere in gehennam. Quanto minus hi tibi timendi sunt, qui nec corpori tuo possunt nocere, nec animæ, qui si nunc tibi detrahunt ex ratione uiuenti, nihil detrahent minus si relicta uirtute uitijs obruaris,

non

non quia illis uitium displicet, sed quia detrahēdi uitiū illis semper placet. Fuge si tua salus tibi est cordi, fuge quantum potes eorum cōsuetudinem, & ad teipsum rediens, sępe in abscondito ora clementissimum patrem clamans cum Propheta: Ad te domine leuaui animam meam. Deus meus in te confido non erubescam, etiam si irrideant me inimici mei, etenim uniuersi qui sperant in te non confundentur, confundantur iniqua agentes superuacuè, uias tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, dirige me in ueritate tua, & doce me, quia tu es Deus saluator meus, & in te sperabo tota die. Fac item cogites semper instantem mortem, & punctum scilicet esse quod uiuimus, & adhuc puncto minus, tùm quàm sit malus antiquus hostis, qui nobis regna mundi promittit, ut nobis regna cœlorum eripiat, quàm falsæ uoluptates, quæ ideo nos amplectuntur ut strangulent, quã dolosi honores, qui nos sublimant, ut deinde præcipitent, quàm lætales diuitiæ, quæ quanto nos magis pascunt, tanto magis uenenant, quàm breue, incertum, umbratile, falsum, imaginarium est omne illud quod hæc omnia simul etiam si ex uoto affluant nobis præstare possunt, quàm magna his, & promissa, & parata sunt, qui contemptis præsentibus illam suspirant patriam, cuius rex diuinitas, cuius lex charitas, cuius modus æternitas, his atq; similibus cogitationibus animum occupa, quæ suscitent dormientem, tepescentem accendant, uacillantẽ confirment, & tendenti ad cœlum diuini amoris alas exhibeãt, ut cum ad nos ueneris, quod magno omnes desiderio expectamus, non solum quem uolumus, sed & qualem uolumus te uideamus. Vale, & Deum ama, quem timere olim cœpisti. Bigus te salutat. Ferrarię. 2. Iulij. 1492.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, IOANNI Francisco nepoti, S. P.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, non ob id modò quòd iampridem de te nihil audiueram, sed & quòd ea mihi significabant, quibus sum mirificè delectatus, quando eadem & tibi sunt grata, & Deo gratissima esse non dubito. Tu quoque nihil dubites, si modo quæ cœpisti uia perexeris, mercedem tuam copiosam in cœlis esse futurã. Ego nondum satis habeo exploratum eundum Rom. mihi sit nec ne. Et quantum equidem assequi possum coniectura, futurum potius credo, ut illuc mihi eundum sit, causam nosti. Hoc ubi certum habuero statim te certiorem reddam, ne si huc forte ueneris (quod alioquin ego summopere uelem) aut me hic non inuenias, aut statim descendete me in patriam tibi sit redeundum. Interim domi esse poteris, nisi tu quidem aliter sentias. Sed & illud memineris habere te uxorem cui non aliter corpus tuum quàm Deo ipsam animam debes. Est illius desiderio aliqua ex parte satisfaciendum, cogitandumq; tibi est, quid illa ex habitu corporis, ex ætate, aut appetat, aut appetere possit. Quid ex pudore, ex uirtute, non petat. Cur enim pudeat

deat hæc scribere, quæ & Paulus scribit Apostolus? Nulla est ferè res in qua te magis suspicer errare posse. Et quidem, fallunt nostri homines plurimum, qui obligatas quidem addictasq; sibi uxores putant suas, se uxoribus nihil, sed posse de se, quicquid illi censuerint, pro arbitrio statuere. Denique tuus totus esse non potes, qui semel nuptiarum legibus te subjiciens uxoris esse uoluisti, potes nihilominus totus esse Dei, quem & tibi promereris dum ut legi eius obtemperes, tibiipsi etiã in his quæ sunt Dei minus obtemperas. Sed de his aliãs tecum coram etiam sum locutus. Ego ut primum aër uernauerit, hoc est, inter primos quadragesimæ dies, cum me, scilicet, ex his Græcorum librorum fascibus extricauero, statim Ferrariam ueniam, interim sacris literis insta, præcipuæq; euangelicæ lectioni, quæ animum identidem ad Deum adducat, quem inde abducere & mundus & dæmon, ille illecebris, hic fallacijs, dies noctesq; non cessant. Vale animæ dimidium meæ, & Deum ora pro me. Cum primum de mea Romam uersus profectione aliquid statuero te certiorem reddam. Floren. 27. Nouembris. 1492.

IOANNES PICVS MIRANDVLA PHILIPpo Beroaldo, S.

ACcepi abs te doctissime Beroalde & epistolam cùm amabilem, tũ eruditam, & uersus plurimos ipsam etiam dubio procul antiquitatem prouocantes, gratissimum id mihi munus fuit. Quare per te bono in negocio, bonas horas sum ociatus, & uoluptari nulla in re uel iocundius poteram uel honestius. Agam uero hominem oppido quàm ingratum si tua quæ sunt optima, remunerari meis uellem quæ sunt pessima, & catullianis salibus suffeni uenena permutare. Sum enim in poëmatis illo nihilo melior, nisi hoc præstem, quòd me suffenum esse agnosco, & quid manticæ in tergo sit uideo. Tu tamen hoc flagitas, ut scilicet de nostris ad te aliquid scriptionibus dedam, atq; ita flagitas, ut quasi postules, uidearisq; repulsam æquo animo non laturus. Quare tibi uel cum dispendio si qua est apud te de me existimatio satisfaciendum, habeas igitur duas epistolas, alteram ad Laurentium Medicem, alteram ad Hermolaum de genere dicendi philosophorum. Quibus & uersiculos quosdam addidi, qui per hos dies etiam agenti alia mihi exciderunt. Tu hæc ita leges, ut memineris in humanioribus his studijs me tumultuaria cura, & subcisiuis esse temporibus, ut qui philosophis operam primariam, & ut dicitur, seriosas addiderim lucernas. Apud quos ut id profecerim quod tu apud rhetores & poëtas, quos inter (loquor ex animo) non uideo cur tibi primas, iure non uendices. Politianus tuus est, totus amat te, ut qui maxime. De me polliceri tibi nihil non potes quod ego possim. Vale.

IOAN-

IOANNES PICVS MIRANDVLA LAVRENtio medico, S. P. D.

LEgi Laurenti Medice Rhythmos tuos, quos tibi uernaculæ Musæ per ætatem teneram suggesserunt, agnoui Musarum & Gratiarum legitimam fœturam, ætatis teneræ opus non agnoui. Quis enim in tuis Rhythmis & numerosa uersuum iunctura saltãtes ad numerũ gratias non persenserit? Quis in canoro dicendi genere & modulato canentes Musas non audiat? Quis in lepõre non affectato, hilari argutia, mellitis salibus aptis illecebris, miro candore, in prudenti dispositione, in grauissimis sensibus ex penetralibus philosophiæ erutis, adolescentẽ hominem quis agnoscat? Scio profecto me non esse in hoc albo, nec eũ qui huc ascendam, id est, ad iudicium rerum. Sed uellem dici posse extra suspitionẽ adulationis, quod de illis sentio: dicerem profecto non esse ueterũ scriptorum quem in hoc genere dicendi longo interuallo non anteceſſeris. Quod ne putes dictum ad gratiam afferam tibi huiusce sensus rationes meas: Sunt apud uos duo præcipuè celebrati poëtæ Florentinæ linguæ, Franciscus Petrarcha, & Dantes Aligerius, de quibus illud in uniuersum sim præfatus, esse ex eruditis, qui res in Francisco, uerba in Dante desiderent. Intelligentem habeat & aures neutrum desideraturum, in quo non sit uidere, an res oratione, an uerba sententijs magis illustrentur. Sed expendamus uelut in libritli particulatim uniuscuiusq; merita. Franciscus quidem si reuiuiscat quod attinet ad sensus quis dubitat ultrò herbã tibi daturũ adeò tu & acutus semper grauis & subtilis, ille uero de medio plurimum arripiens sententias colorat uerbis, & quæ sunt gregaria egregia facit genere dicendi, in quo uideamus quid tibi ille, quid tu illi præstes, in quibusdam dulcior apparuerit. Sed mihi illius dulcedo, ut ita dixerim, dulciter accida & suauiter austera. Ille fusus & æquabiliter deliniens. tu maiestate & quadam uiuaci luce orationis animos perstringens. In illo ambitiosa & nimia, in te neglecta potius quàm affectata diligentia: Ille tener & mollis, tu masculus & torosus. Ille uolubilis & canorus, tu pręsus, plenus, firmus & modulatus. Ille fortè lepidior, tu certe amplior & erectior. Ille fucacior, sed tu neruosior. In illo est quod amputes, in te nihil redundans & nihil curtum. Sed fortè audaculus qui tollendum aliquid de illo dixerim. Ita est certe ita multis uidetur quorum iudicio confido. Nam meo nihil cum sæpe sit uidere peccantem illum, quod Asiatici peccabant, id est infercientem uerba quasi rimas expleat, adhibentemq; uocesplenas & concinnas, non ut exornent, sed ut substineant quasi tibicines carmen ne claudicet. In te omnia uerba non minus in re necessaria quàm in ornatu grata, ita ut qui ex te demat mutilet, qui ex illo tondat & repurget. Quod & si demus (quod nunquam dabo) lepidiora esse quæ ille scripsit & comptiora tuis, facile id fuit præstare hominem cui non esset cum ipsis sensibus labor & pugna. At tuę illa

illæ acres, subtiles, & (ut uno dixerim uerbo) Laurentianæ sentẽtiæ uix di ci potest, ut calamistros respuant, & istos fucos nõ libenter admittãt, quas ille tractãdas si habuisset, quem mollem legimus, nitidum, & iucundum, legeremus equidem spinosum, squallidnm & ingratum, cum sit uidere illum, quoties aliquid tale aggreditur acutum, implicitũ, uel nodosum, tam stylo cadere quàm sensu surgit. Cum uero illam suam uerborum ostentat suppellectilem, sua unguenta cincinnos, & flores, admoneret sæpe si adesset Castritius quod admonuit in Graccho, ne falleremur rotundato sono, & uersuum cursu: Sed inspiceremus quidnam subesset, quę sedes, quod firmamentum, quis fundus uerbis. Quod si facias illic uideas Epicuri quandoque uacuum, ita aut nullum subesse sensum, aut frigidum & leuẽ. Qua parte quamuis est maxima, etiam illi si non præstes, nõ uideo omnino cur præstet ille tibi dicendi gratia. Cum & uerba apud te esse non possint illustriora, & collocatio illorum ita sit apta, ut nec cohærere melius, nec fluere rotundius, nec cadere numerosius ullo modo possint. Sed iam Dantem tecum pensiculemus, de quo fortasse plures controuersiam sint facturi, sunt enim multi, qui in scriptorum collatione non tam expendant merita, quàm annos numerent, iubentq; alios ut priscos legant cum reuerentia, coætaneos ipsi legere non possunt sine inuidia. Primas certe, quod ad stylum spectat denegaturum tibi neminem puto, ita est Dantes nonnũquam horridus, asper, & strigosus, ut multum rudis & impolitus, hoc eius etiam aurarij fatentur. Sed in ætatem & sæculum illud (id quod sit ita) culpam reijciunt, omnino tu oratione cultior, & non ille grandior. At sensibus, inquient, grandior & sublimior. Quæso quid mirum in philosophica re illum philosophari ipsa natura ad hoc cogente, atque ultro suppeditãte sententias. Si de Deo, de anima, de beatis agitur, affert quæ Thomas, quę Augustinus de his scripserunt, & fuit ille in his tractandis meditandisq; tam frequens quàm assiduus, tu in obeundis maximis negocijs publicis & priuatis. Non fuit tam præclarè in Dante hoc feciſſe, quàm non feciſſe turpe fuerat. At fuit dubio procul summi ingenij opus, quod ipse præstas philosophica facere quæ sunt amatoria, & quæ sunt sua seueritate austerula, superinducta uenere facete amabilia. Ita in tuis uersibus amantium lusibus philosophorum seria sunt admixta, ut & illa hinc dignitatem, & hęc illinc hilaritatem gratiamq; lucrifecerint, ut ambo hac copula, & retinuerint, quod erat proprium, & mutuo se sibi ita participauerint, ut habeant utraq; singulatim quæ prius erant simul amborum. Sed non est hoc tam admirandum, quàm illud quod me maximè mouit, ita hæc à te inuecta ut non inuecta, sed de materiæ ipsius, de qua agis, eruta gremio, & ex illa ipsa, ut ita dixerim, te irrigante solum efflorescere uideantur ut appareant natiua non aduentitia, necessaria non comparata, genuina omnino non insititia, hoc est, quod admirari satis non possum, quo mihi uideris Dantem

exuperasse. Nã & si ille sublimis uolat, materiæ alis attollit, tu repugnãte illa, & deorsum trahente tolleris in altũ alis ingenij, atq; ita tolleris ut à materia non discedas, sed illam tecũ simul attollas tãtum de ipsa tu quantum de Dante ipsa fuit benè merita. Iam uidere licet quid, te inter Franciscumq; & Dantẽ intersit, de quibus hoc addiderim Franciscúm quandoque non respondere pollicitis, habentem quod allectet in prima specie, sed ulterius non satisfaciat. Dantem habere quod in occursu quandoque offendit, sed iuuet magis intima peruadentem. Tua nõ minus habent in recessu quod detineat, quàm habeant in prima fronte quod capiat. Adde quòd illi suas poëses in secessibus, in umbra, in summa studiorum tranqnillitate, tu tuas inter tumultus, curiæ strepitus, fori clamores, maximas curas, turbulentissimas tempestates, occupatissimus ceciniſti. Illis erant Musæ, ordinarium negocium & principale, tibi ludus & à curis quædam relaxatio. Illis summa defatigatio, tibi defatigato ocium. Denique eò animum remittẽs pertigisti, quo illi omnes animi neruos contendentes fortasse non pertigerunt. Sed quid dicam de mea paraphrasi? meam enim cur non appellem? uel huius quæ mea est appellationis iure. Demum cur nõ meam, quam & si uereror ut tuam, amo tamen ut meam. Admiror profecto illam, & te in illa, ex qua conijcio quantũ ego aberam à uera laude tuorum uersuum, in quibus quę erant maxima, quæq; maxime illustria, quibus sum noctuinis oculis non introspexeram, uidi deinde per te reuelata, qui id solus & poteras & debebas, debebas tibi & nobis, ne multa & te gloria, & nos uoluptate fraudares. Lego (Deum testor) maxime Laurenti eam, non tam ad delectationem, quàm ad doctrinam. Quot enim ibi ex Aristotele, auditu scilicet physico, ex libris de anima, de moribus, de cœlo, ex problematis, quot ex Platonis prothagora, ex Repub. ex legibus, ex sympositio, quæ omnia, quãquam aliâs apud illos legi, lego tamen apud te ut noua, ut meliora & in nescio quam à te faciem transformata, ut tua uideantur esse & non illorum, & legens discere mihi aliquid uidear. Quod maximo estimo dicio hæc te sapere non tam ex commentario quàm ex teipso. Solent enim plurimi maiore in literis σοφισία quàm opera cum quid scripturi sunt philosophos habere uelut pragmaticos eis dogmata quædam suggerentes quæ ingerant suis libellis ut uideantur philosophi. Sed facile hos deprehendas. Nã uideas illa, nec rectè dispositа, nec cohærentia, & ab ipsis nõ explicata, sed implicata. Atq; homines alioquin eloquentes in illis dicendis apparẽt infantissimi. At te quis nõ uideat ea nõ tenere precario, sed ut in quæ ius habeas & potestatẽ pro arbitrio uersare, agere & tractare, hæc tu (proh felix ingeniũ) in æstu Reip. in actuosa uita es assecutus, quę nos philosophorũ nõ discipuli, sed inquilini in umbratili uita & sellularia sequimur potius ẽ cõsequamur. Sed qd dicã de paraphraseos tuæ suauissimo stylo, is mihi ut deũ penitus qui Cæsaris in Romana lingua, est enim oratio nõ manufacta, non

non bracteata, non tota, sed suo ingenio erecta, candida, & quadrata, nec temerè excurrens, sed pedem seruans, nec luxurians, nec ieiuna, nec lasciuiens, nec ingrata, dulciter grauis, grauiter amabilis, uerba electa & non captata, illustria non fucata, necessaria non quæsita, non explicantia rē, sed ipsis oculis subiicientia. Prætereo quàm tuæ personæ semper memineris, quàm sint ubiq; tuæ illius prudentiæ inspersa passim semina, atque uestigia, hæc ego & cum multis & alius quisquā longe potiora. Sed duo præcipua præter hæc uidi, quæ uideant forte non multi quanquam oculatiores. Primū est illud, ut illa suas diuitias dissimulet, ut inuidiā fugiat, flores in sinu habeat, non ostentet, non exurgat in plantas, sed subsidat in genua ut minor appareat, alterum quid sit nō uideo, neq; enim tam solers, sed uideo esse nescio quid ut dicam signatissimè Laurentianum. Quod si quis uideat Laurentij dotes, ingenium, præstantiam, Laurentium totū uideat graphicè effigiatum. Sed hæc nimis fortasse multa quæ dixi, etiam inuitus ipsa me transuersum, ut dicunt, trahente in uerba animi sententia. Illud non præteribo inhortari te quantū possum opere maximo ut aliquod quandoq; à moderanda Repub. ociolū suffuratus absoluendæ paraphrasi impartiaris, tibi quidem & linguæ patriæ ad honorem, ciuibus tuis & nobis omnib. futuræ ad usum & uoluptatē. Florentiæ idib. Iulijs. 1484.

IOANNES PICVS MIRANDVLANVS HERmolao Barbaro suo, S.

EGo quidem mi Hermolaë nec possum aut tacere quæ de te sentio, aut non sentire ea quæ de illo debeatur, in quo omnia ueluti singula summa reperiantur. Sed utinam esset is meæ mentis captus, ut pro meritis tuis de te sentirem, utinam ea dicendi uis, ut exprimere aliquando possem quod semper sentio. Scio quæ de te concepi infinitum subsidere infra fastigia doctrinæ tuæ. Scias & tu quæcunque loquimur longè esse minora ijs quæ concipimus, tā deesse scias animo uerba, quàm rebus animus deest. & tamen ita me audere credis ut sperem posse imitari tua quorum nec magnitudinem æstimare possum. Admirari te possunt omnes, imitari tam pauci possunt, quàm nemo reprehendere. Et utinam ea mihi felicitas ut quæ scribam Hermolaum meum aliqua ex parte imaginentur. Ipse enim ut taceam cætera, stylus tuus cui tu adeò parum faues, mirum quantum me afficit, quantum me delectat, ita est doctus, grauis, compositus, eruditus, excussus, ingeniosus. In quo nihil expositum, nihil sit triuiale, seu uerba seu sententias spectes. Legimus sæpè ego & noster Politianus quascunque habemus tuas, aut ad alios, aut ad nos epistolas, ita semper priorib. certant sequentia, & nouæ fertiliter inter legendum efflorescūt Gratiæ, ut perpetua quadam acclamatione interspirandi locum non habeamus. Sed mirum dictum quàm persuadeas, & legentis animum quocunque uelis impellas. Expertus sum ego cum semper alias tum hac

proxima tua ad me epistola, in qua dum Barbaros hos philosophos in-
seris, quos dicis haberi uulgò sordidos tudes, incultos, quos nec uixis-
se uiuentes, ne dum extincti uiuant. Et si nunc uiuant, uiuere in pœnam &
contumeliam. Ita porrò sum commotus, ita me puduit, piguitq; studio-
rum meorum, iam enim sexenniũ apud illos uersor, ut non minus me fe-
cisse uelim quàm in tam nihil facienda re tam laborioſe contendisse, per-
diderim, ego inquam, apud Thomam, Ioãnem Scotum, apud Albertum,
apud Auerroem meliores annos, tantas uigilas, quibus potuerim in bonis
literis fortasse nõnihil esse. Cogitabam mecum ut me consolarer si qui ex
illis nunc reuiuiscant, habituri ne quicquam sint, quo suam causam argu-
mentosi alioquin homines, ratione aliqua tueantur. demum succurrit ex
ipsis quempiam paulo facundiorem suam barbariam quàm poterit mi-
nime barbare, hunc in modum fortasse defensurum. Viximus celebres õ
Hermolae & post hac uiuemus non in scholis grammaticorum & pæda-
gogijs, sed in philosophorum coronis, in conuentibus sapientũ, ubi non
de matre Andromaches, nõ de Niobes filijs, atq; id genus leuibus nugis.
Sed de humanarum diuinarũq; rerum rationibus agitur & disputatur. In
quibus meditandis, inquirendis & enodãdis ita subtiles, acuti, acresq; fui
mus, ut anxij quandoq; nimium & morosi fuisse forte uideamur, si modo
esse morosus quisquam aut curiosus nimio plus in indaganda ueritate po
test, atque in his quidem si quis nos arguat hebetudinis & tarditatis, age
amabo quicunq; is est pedem conferat, experietur habuisse barbaros non
in lingua, sed in pectore Mercurium, non defuisse illis sapientiam, si defuit
eloquentia, quam cum sapientia non coniunxisse, tantum fortasse abest à
culpa ut coniunxisse sit nephas. Quis enim cincinnos. Quis fucũ in pro-
ba uirgine non damnet? & detestetur. Tanta est inter oratoris munus &
philosophi pugnantia ut pugnare magis inuicem nõ possint. Nam quid
aliud rhetoris officium quàm mentiri, decipere, circumuenire, præstigia-
ri? Est enim uestrum, ut dicitis, posse pro arbitrio in candida nigrum uer-
tere, in nigra candidum, posse quæcunque uultis tollere, abijcere, ampli-
ficare, extenuare, dicendo demum res ipsas magicis quasi quod uos iacta-
tis, uiribus eloquentiæ in quam libuerit faciem habitumq; transformare,
ut non qualia sunt suopte ingenio, sed qualia uolueritis non fiant quidem,
sed cum nõ sint esse, tamen audientibus appareant hoc totum, est ne quic-
quam aliud quàm merum mendacium, mera impostura, merum præsti-
gium? Cum à natura rei semper uel augendo excedat, uel minuendo defi-
ciat, & fallacem uerborum concentum, ueluti laruas & simulachra præ-
tendens auditorum mentes blandiendo ludificet. Erit ne huic cum philo-
sopho affinitas, cuius studium omne in cognoscenda & demonstranda
cæteris ueritate uersatur. Adde quòd nobis nulla erit fides, lautitias uo-
cum & ueneres affectantibus, quasi rebus parum fidentes, nec uero nixi-
trahe-

trahere in sententiam his lenocinijs homines quæramus. Est ob hanc causam legere res sacras rusticè potius quàm eleganter scriptas, quòd nihil sit magis dedecens & noxium in omni materia in qua de uero cognoscendo agitur, quàm uniuersum istud dicendi genus elaboratum. Hoc forensium est quæstionum, non naturalium atque cœlestium. Non est eorum qui in academia, sed qui in Repub. illa uersantur, in qua quæ fiunt, quæque dicuntur populari trutina examinantur, apud quam flores fructibus longè præponderant. Nonne scis illud. Non omnia omnib. pari filo conueniunt? Est elegans res (fatemur hoc) facundia plena illecebræ & uoluptatis, sed in philosopho nec decora nec grata. Quis mollem incessum, argutas manus, ludibundos oculos in histrione & saltatore non probet? in ciue, in philosopho, quis non improbet, arguat, abominetur? Si puellam uiderimus moribus lepidã, atq; dicaculam, laudabimus, exosculabimur. Hæc in matrona damnabimus & persequemur, non ergo nos, sed illi inepti qui ad pedes uestæ agant bacchanalia, qui grauitatẽ philosophicarum rerum & castitatem ludicris ueluti & calamistris dehonestent, profecto quod Sinesius de adolescẽte, de oratione dici commodè potest, comatam orationem semper cincedam. Quare nos nostram malumus capillis hirtam, globosam, inexpeditam, quàm cum impuritatis uel nota, uel suspitione bellè comatam. Et ut nihil sint reliqua, hoc est uerissimum, nihil esse diuersum magis ab instituto philosophi quacunque in re, quàm quòd luxum, aut fastum aliqua ex parte sapit. Sicionios calceos habiles aptosqúe ad pedem dicebat Socrates, sed Socrati non conuenire omnino, non eadem ratio ciuilis habitus & philosophici, sicuti neque mensæ neque sermonis. Vtitur his philosophus duntaxat ad necessitatem, utitur ciuilis homo etiam ad gratiam. Quam & hic si neglexerit non ciuilis, & ille si affectauerit, non erit philosophus. Si posset Pithagoras uiuere sine cibo holeribus etiam parceret: Si sua sensa aspectu, aut demum minore quàm sermonis opera explicare, omnino non loqueretur, tantũ abest, ut linguam polleat & exornet, quod uel ob id cauendum nobis ne illectus cute medicata lector demoretur ad eam, ad medullam & sanguinem non peruadat, quem subesse sæpe cerusato ori infectum uidimus. Vidimus, inquam, in hisce omnibus, quibus propterea in usu uenit, cum nihil sit intus non inane & uanũ, detinere lectorem in prima facie modulatu uario, atque concentu. Quod si fecerit philosophus, clamabit Musonius non philosophum loqui, sed tibicinem canere. Non ergo nobis uitio detur id non feciſſe, quod feciſſe uitium erat. Quærimus nos quidnam scribamus, non quærimus quomodo, imò quomodo quærimus, ut scilicet, sine pompa & flore ullo orationis. Quam nolumus ut delectabilis, uenusta & faceta sit, sed ut utilis, grauis, & reuerenda, ut maiestatem potius ex horrore, quàm gratiam ex mollitudine consequatur, non expectamus theatri plausum, quòd

aures demulserit æquabilis clausula uel numerosa, quòd hoc sit falsum, illud sit lepidum, sed expectamus paucorum potius præ admiratione silentium, introspicientium penitius aliquid, aut de naturæ adytis erutum, aut de cœli aula ad homines adductum, tum uel aliquid ita arguetum ut defendendi, ita defensum ut arguendi non sit locus. Admirentur præterea nos sagaces in inquirendo, circumspectos in explorando, subtiles in contemplando, in iudicando graues, implicitos in uinciendo, faciles in enodando. Admirentur in nobis breuitatem styli, fœtam rerum multarum atque magnarum, sub expositis uerbis remotissimas sententias plenas quæstionum, plenas solutionum Quàm apti sumus, quàm benè instructi, ambiguitates tollere, scrupos diluere, inuoluta euoluere, flexanimis syllogismis & infirmare falsa, & uera confirmare. His titulis ô Hermolaë uindicauimus huc usque & uindicaturos post hac ab obliuione memoriam nostram non dubitamus, quòd si uulgo, ut dicis, habemur sordidi, rudes, inculti, hoc nobis ad gloriam est, non ad contumeliam, uulgo non scripsimus, sed tibi, & tui similibus. Nec aliter quàm prisci suis ænigmatis & fabularum inuolucris arcebant idiotas homines à mysteriis, & nos consueuimus absterrere illos à nostris dapibus, quas non polluere non possent, amariori paulum cortice uerborum. Solent & qui thesauros occultare uelunt, si non datur seponere, quisquiliis integere uel ruderibus ut prætereuntes non deprehendant nisi quos ipsi dignos eo munere iudicauerint. Simile philosophorum studium celare res suas populum, à quo cum non probari modo, sed nec intelligi illos deceat, non potest non dedecere habere aliquid quæ ipsi scribunt, theatrale, plausibile, populare, quod demum multitudinis iudicio accommodare se uideatur. Sed uis effingam ideam sermonis nostri. Ea est ipsissima quæ Silenorum nostri Alcibiadis, erant enim horum simulachra hispido ore, tetro, & aspernabili, sed intus plena gemmarum, suppellectilis raræ & præciosæ. Ita extrinsecus si aspexeris, feram uideas, si introspexeris, numen cognoscas. At, inquies, non ferunt aures, nunc asperam, nunc hiulcam, semper inconsonam texturam. Non ferunt barbara nomina ipso etiam penè timenda sono, ô delicate cum accedis choraulas & citharœdos pone te in auribus, cum uerò philosophos auoca à sensibus, redeas ad teipsum in animi penetralia mentisq; secessus, assume illas Thianei aures, quibus cum omnino non erat in corpore non terrestrem Marsiam, sed Apollinem cœlestem diuina cithara uniuersi melos inenarrabilibus temperantem modis, exaudiebat. his auribus philosophorum uerba si delibaueris, mellea tibi ad Nestoris inuidiam esse uidebuntur. Sed hæc sinamus nimio plus assurgentia. Profecto fastidiosæ in philosopho subtilissimè disputante minus concinnam eloquutionem

nem, non tam delicati ſtomachi eſt quàm inſolentis. Neque eſt aliter, ac ſi quem in Socrate de moribus docente offendat, aut laxus calceus, aut toga diſsidens & ſectum praue ſtomachetur ob unguem. Non deſiderat Tullius eloquentiam in philoſopho, ſed ut rebus & doctrina ſatisfaciat. Sciebat tam prudens quàm eruditus homo noſtrum eſſe componere mentem potius quàm dictionem, curare ne quid aberret ratio, non oratio. Attinere ad nos ἐν διαθέσει λόγον non attinere πονεν προφόρα laudabile in nobis habere Muſas in animo & non in labris nequid in illo uel per iram ſonet aſperius, uel per libidinem eneruatius, denique ne qua ſit diſcors à genuina ipſa, qua temperatus eſt modulabiter harmonia. Quam Plato cum intelligeret theatrali iſta & poëtarum ſæpe corrumpi à Republica ſua poëtas omnes eliminauit, gubernandam autem philoſophis reliquit, mox certè ſi per laſciuiam diſſerendi poëtas fuerint imitati exilio condemnandis. At inſtabit Lucretius & ſi non egeant per ſe philoſophię commentationes amœnitate dicendi, per eius tamen adhibitionem diſſimulandam eſſe ipſarum rerum auſteritatem. Sicut abſinthia per ſe pellunt morbos, melle tamen illiniuntur, ut puerorum ætas improuida ludificetur. hoc fortè tibi faciendum erat ô Lucreti. Si pueris ſcribebas tua, ſi uulgo, faciendum utique tibi, qui non abſinthia modo, ſed meraciſsima toxica propinares. Sed longè alia nobis habenda ratio, qui uulgus, ut ante diximus non allectare quærimus, ſed abſterrere. Nec terra abſinthia, ſed nectar propinamus. Sed contendet Lactantius ſatis conſtare in auditorum animos uel ſeniorum influere potentius ueritatem & ui ſua inſtructam, & luce orationis ornatam. Si fuiſſes ò Firmiane tam frequens in ſacris literis quàm in fictis litibus fuiſti, & hoc non dixiſſes, & noſtra non minus bene fortaſſe confirmaſſes, quàm deſtruxeras aliena: Dic quæſo quid mouet fortius & perſuadet quàm ſacrarum lectio literarum, non mouent non perſuadent, ſed cogunt, agitant, uim inferunt, legis rudia uerba & agreſtia, ſed uiua, ſed animata, flammea, aculeata, ad imum ſpiritum penetrantia, hominem totum poteſtate mirabili transformantia. Periclis orationibus elaboratis & luculentis nihil ſe commoueri inquit Alcibiades, ſed Socratis uerbis nudis & ſimplicibus. Addit etiam ſi ſint inepta, rapi in furorem, extra ſe poni & uelit nolit, faciendum ei, quòd ille præceperat: Sed quid perdo uerba in re conceſſa. Si non deſipit auditor, à fucato ſermone, quid ſperat aliud quàm inſidias? tribus maximè perſuadetur, uita dicentis, ueritate rei, ſobrietate orationis, hæc ſunt Lactanti quæ philoſopho fidem conciliabunt, ſi bonus fuerit, ſi ueridicus, ſi id genus dicendi appetens, quod non ex amœnis Muſarum ſyluis, ſed ex horrendo fluxent antro, in quo dixit Heraclitus latitare ueritatem. At dicet quiſpiam: Age amice examinemus hæc depoſita contentione. Reuerendum quiddam atq; diuinum per ſe eſt ſapientia,

nec exotico quoquam eget ornatu. Sed quæ inuidia & huc accedere? Quis negat quæ per se decent: si adornentur fieri decentiora: Ego amice hoc in plerisq; nego, adeò multa sunt quorum splendorem si quid adiunxeris elimines & non illustres, ita sunt scilicet, in sua natura optimo statu, ut demutari ab illo nisi in peius non possint: Marmorea domus picturam non recipit, si opus albarium superinduxeris, demas de dignitate, de pulchritudine. Non aliter & sapientia, & quæ tractant à philosophis, tectorio non clarescunt sed offuscantur. Quid plura? Nónne uulgatum bonas formas cerussa deuenustari? In uniuersum quicquid pulchri super imponas, celat, quod inuenit, quod affert secum, illud ostentat. Quare si quod prius fuerat aduentitio præstat, iacturam fecerit illud quicquid est, nõ lucrum, ob eam causam nudã se præbet philosophia, undique conspicuam, tota sub oculos, sub iudicium uenire gestit, scit se habere unde tota undique placeat. Quantum de ea uelles, tantum de forma uelles, tantum de laude minuas, sinceram & inpermixtam se haberi uult. quicquid admisceas infeceris, adulteraueris, aliam feceris, stat puncto insectili & indiuiduo: Quapropter nec ludendum tropis, nec uerbis, aut nimis luxuriandum, aut translatis lasciuiendum, aut factitijs audendum in re tam seria, tanti discriminis, in qua demere, addere, demutare aliquid sit flagitium. At, inquies, age damus hoc uobis ut non sit uestrum ornatè loqui, sed uestrum est certè, quod nec præstatis, ut Latinè saltem, ut si non floridis, suis tamen uerbis res explicetis, non exigo à uobis orationem comptam, sed nolo sordidam, nolo unguentatam, sed nec hircosam, non sit lecta, sed neglecta, non quærimus ut delectet, sed querimur quòd offendat. Bene habet, iam scilicet ad nos deficis, sed amabo incognoscamus quid isthæc sit Latinitas, quam solam dicitis debere philosophos & non persoluere. Si dicendo incurrat exempli causa à sole hominem produci, causari hominem nostrates dicent. Clamabis actutum hoc non est Latinum, huc usque uerè, non est Romanæ dictum: hoc uero uerius, igitur non rectè, peccat argumentum: Dicet Arabs eandem rem, dicet Aegyptius, non dicent Latinè, sed tamen rectè. Aut enim nomina rerum arbitrio constant, aut natura. Si fortuito positu, ut scilicet communione hominum in eandem sententiam conueniente, quo sanxerint unumquodque nomine appellari, ita apud eos rectè appelletur. Quid prohibet hosce philosophos quos nuncupatis barbaros, conspirasse in unam dicendi normam, apud eos non secus sanctam ac habeantur apud uos Romana, illam cur rectam non appelletis, appelletis uestram, nulla est ratio. Si hæc impositio nominũ tota est arbitraria, quod si dignari illam Romani nominis appellatione non uultis, Gallicam uocetis, Britannicam, Hispanam, uel quod uulgares dicere solent Parisiensem. Cum ad uos loquentur, continget eos pleraque rideri, pleraque non intelligi, idem accidet uobis apud eos loquentibus

Αναχαρ.

Ἀνάχαρσις παρ' Ἀθηναίοις σολοικίζει, Ἀθηναῖοι δὲ παρὰ Σκύθαις. id est, Anacharsis apud Athenienses solœcismum facit, Athenienses apud Scythas. Quòd si nominum rectitudo pendet ex natura rerum, debemus ne rhetores an philosophos qui rerum omnium naturam soli perspectam habent & explo ratam de hac rectitudine consulere? fortè quæ aures respuunt, utpote aspe rula, acceptat ratio, utpote rebus cognatiora. Sed quid oportuit noua re eos linguam & si nati erant inter Latinos non Latinè loqui. Non po terant illi ô Hermolae dum legebant in cœlo fatorum leges, & ordinem uniuersi legebant, in elementis nascendi uices & obeundi, simplicium uires, mixtorum temperaturas? non poterant, inquam, eodem tempore in Ciceroue, in Plinio, in Apuleio, Romanæ linguæ proprietates, leges, obseruantias annotare, quærebant quid abhorrens, quid receptum in na tura, quid à Romanis interea, non curabant. Verumenimuero iam te lo co meliore statuo, do tibi eloquentiam & sapientiam mutuo nexu inui cem conspirasse. Abiunxerunt philosophi sapientiam ab eloquentia, ab iunxerunt historici, rhetores, poëtæ, quod deflet Philostratus, eloquen tiã à sapientia, hos tu uicturos celebri fama minime dubitas, illos non nisi in pœnã & contumeliam, uide quid agas. Indisertam mauult Cicero pru dentiam quàm stultam loquacitatem. Non quærimus in pecunia, quæ moneta percussa sit, sed qua materia constet. Nec est qui purum aurum non malit habere sub nota Teutonum, quàm sub Romano symbolo fa ctitiũ. Peccant qui dissidium cordis & linguæ faciunt, sed qui excordes to tisunt lingua, nónne sunt mera, ut Cato ait, mortuaria glosaria? Viuere si ne lingua possumus fortè, nõ commodè, sed sine corde nullo modo pos sumus. Non est humanus qui sit insolens pollitioris literaturæ. Non est homo qui sit expers philosophiæ. Prodesse potest infantissima sapientia, insipiens eloquentia uti gladius in furentis manu non obesse maximè non potest. Ergo, inquies, & statuæ non à figura, sed à materia commendãtur, & si Cherilus eadem quæ Homerus, & de eisdem Mæuius ac Virgilius ce cinissent, futurum erat, ut æquè illi atq; isti inter poëtas reciperẽtur. Nónne uides disparilitatem similitudinis. Illud & nos assueueramus à specie rem æstimari nõ ex subiecto. Est enim à specie res id quod est. Sed alia spe cie quispiam inter philosophos, alia inter poëtas recipiendus. Scribat Lu cretius de natura, de Deo, de prouidentia, scribat de eisdem ex nostris quispiam, scribat Ioannes Scotus & quidem carmine ut sit ineptior. di cet Lucretius rerum principia atomos & uacuum, Deum corporeum, re rum nostrarum insciũ, temerè omnia fortuito occursu corpusculorum fe ri, sed hæc Latinè dicet & eleganter. Dicet Ioannes quæ uatura constant sua materia specieq; constitui, esse Deum separatam mentem, cognoscen tem omnia, omnibus consulentem. Nec propterea quòd uniuersa etiã in fima uideat ac moderetur, è sua pace minimum dimoueri. Sed quid dici

solet κατιοντα μὴ καθίεναι. At dicet insulse, ruditer, non latinis uerbis. Quæso quis in dubium reuocet uter poëta melior, uter philosophus. Extra omnem est controuersiam tam rectius Scotum philosophari, quàm illeloquitur ornatius. Sed uide quid differant, huic os insipidum, illi mens desipiens, hic grammaticorum ne poëtarum dicam decreta nescit, ille Deiatque naturæ, hic infantissimus dicendo, sentit ea, quæ laudari dicendo satis non possunt, ille fando eloquentissimus eloquitur nefanda. Hæc illi fortasse afferent Hermolaë charismè in defensionem suæ barbariæ aut quæ sunt subtilitate multo fortasse meliora. Quorum sententiæ nec ego planè accedo nec ingenuo cuiquam & liberali accedendum puto. Sed exercui me libenter in hac materia tanquam infami, ut qui quartanam laudant, cum ut ingenium periclitarer, tum hoc consilio, ut ueluti Glauco ille apud Platonem iniustitiam laudat non ex iudicio, sed ut ad laudes iustitiæ Socratem extimulet, ita ego & eloquentiæ causam à te agi audiam in eam licentius repugnãte paulisper sensu atque natura inuectus sum, quam si uel negligendam uel posthabendam barbaris existimarem, nõ ab illis ad eam quod nuper feci, ad Græcas literas, ad tuum nunquam satis laudatũ Themistium penè totus defecissem. Quamuis dicam libere quod sentio, mouent mihi stomachum Grammatistæ quidam, qui cum duas tenuerint uocabulorum origines, ita se ostentant, ita uenditant, ita circumferunt iactabundi, ut præ seipsis pro nihilo habendos philosophos arbitrentur. Nolumus, inquiunt, hasce uestras philosophias. & quid mirum: nec Phalernum canes. Sed nos hac fini epistolam claudamus. Si decus aliquod nomenq; sibi promeruerunt Barbari illi sola rerum cognitione, non esse facile dictu, quem locum, quid laudum tu tibi uendices, qui sis inter philosophos eloquentissimus, intereloquẽtes, ut dicam Græcè φιλοσοφώτατος. Florent. 3. nonas Iunias. 1485.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, FRATRI BAPTIstæ Mantuano, ordinis Carmelitarum, Poëtæ, Philosopho & Theologo insigni, &c. Filius Ioannes Mirand.

SAlue Pater dilectissime. de Appollonio Thianeo nihil sentio magis quàm quod tu sentis, super qua rescribam ad te plura, cum erit otium, & quæ tibi erunt fortasse non ingrata. De diuersitate translationis nostræ à litera Hebraica in 3. capite libri Geneseos ubi de Eua agitur & serpente, sic equidem censeo, est in Hebræo: Quemadmodum scribis ipsum conteret caput tuum, referturq; ad semen Euæ de quo dixerat, inimicitias ponam inter semen tuum & semen illius. septuaginta uero & Hieronymus transtulerunt ipsa conteret, caput tuum, utrobique autem idem sensus. Nam quod dicitur ipse conteret, non tam ipsam Euæ personam, quàm Euæ posteritatem respicit, cum id dicatur factura, quod in semine suo factura est. Sed cur maluerint ipsa uertere quàm ipsum. Hoc fuisse arbitror

in cau-

in causa ut significarent, cum ex Eua non fœminæ solum sed mares essent propagandi, quod de semine dicebatur ad fœmineum solum semen referendum. Hæc sunt quæ super hac re in præsentia in mentem ueniunt. Concordiam Platonis & Aristot. assiduè mollior. Do illi quotidie iustum matutinum, post meridianas horas, amicis, ualitudini, interdū poëtis & oratoribus, & si qua sunt studia operę leuioris, noctem sibi cum somno sacræ literæ partiuntur. Tu fac quæso ne tua diutius desiderem. Saluta Beroaldum. Politianus tuus est totus. Vale, & Deum ora pro me. Florent. die 20. Martij. 1490.

IOANNES PICVS MIRANDVLA ALTO Manutio, S.

MItto Homerum quem desiderabas, serius tamen quàm & tu uoluisti & ego debebam. Ita mi Alte distringor occupatione ut neque interspirandi sit locus. Addixi me (quod & tu nosti) iam dudum literis infamulatum. Illę pro suo imperio, ita seuere legendi, dictandi exigunt pensum, ut uix ualitudinem redimam. Tu quod te scribis facturum, accinge ad philosophiam, sed hac lege ut memineris nullam esse philosophiam, quæ à mysteriorum ueritate nos auocet, philosophia ueritatem quærit, Theologia inuenit, religio possidet. Vale Florent. die. 11. Februa. 1490. anno gratiæ.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, HERMOLAO Barbaro Patriarchæ Aquil. S.

AVdio te patriarcham Aquilien sem electum. Gratulor illis hominibus pastorem optimum, toti ecclesiæ militem strenuissimum, tibi tuæ uirtutis illustrandæ amplificandæq; occasionem datam. Tria ferè uiuendi genera: Ciuile, contemplatiuum, religiosum. In illo prudentiam, in secundo doctrinam, in tertio quasi fastigio totius uitæ, præter duo illa, etiam sanctitatem exigimus. Te antehac & tua ciuitas in Repub. gerenda, magnisq; eorum tractandis rebus diligentissimum, prudentissimumq; sunt experti, & studiosi omnes quasi patronum ac uindicem bonarum artium amant, & admirātur. Quod erat reliquum hoc te facturum & procul dubio scimus ita serio gaudemus, ut scilicet, non minus tibi in posterum ecclesia debeat quàm & tua ciuitas, & literæ hactenus debuerunt.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, HERMOLAO SVO, S.

QVid esse hoc dicam mi Hermolaë, quod me quotidie nouis oneras officijs, quasi tu mihi aliquid debeas, cui ego iampridem omnia debeo. Venit superioribus diebus huc Antonius frater in patriam se recipiens, rogo quid Hermolaus agit: Hoc, inquit, ille agit, te amat, laudat, in cœlū fert, apud me, apud alios, apud ipsum Pontificē, atq; hoc ita assiduè, ita ualidè agit, quasi nihil habeat præterea quod agat. Scribunt itē ad me aliquando quos istic habeo amici, unus præcipuē

Cos-

Cosmus Pactius, uir (ut semel laudes eius complectar) dignus, quem tu unicè ames, is uerò quoties scribit, toties de tuis in me officijs scribit, de amore, de mira quadã animi propensione, ut sentias, ut loquaris de me sem per honorificentissime, ô inauditam hanc tuam humanitatem, qui nunquam satis tibi esse in homines dictionis putas, & si talis erga me es, quo me facias magis tuum magisq; obliges, actum, ut dicunt, agis, aut plus debere, aut amare magis non possum. Sed ita homo es, alios omnes prudentia, moribus, doctrina, humanitate etiã teipsum uincis. Vale, & me iam quæso lauda modicè, dum tamen ames immodicè. Salutat te Politianus, in te amando & laudando semper uerus, semper immodicus. Florent. die ultimo Iulij. 1490.

IOANNES PICVS MIRANDVLA HIERONYMO, S.

NIsi Angelus noster ad te scriberet, ego plura ad te scripsissem, sed nolo picas meas illius musis obstrepere, & uoluptatem tuam importunus ego interturbare. Quod si beneficium intulit, qui abstinuit iniuria quam inferre potuit, hanc literarum breuitatem nõ potes mihi pro beneficio non imputare, quod eris pulcherrimè remuneratus si pro breuissimis longissimas mihi ipse reddideris. Nihil enim nobis tuis literis gratius, quibus quæso ne me defraudes, alioquin si silueris, par pari reponam. Namq; ego tunc maxime non silebo, sic enim te perbellè retaliauerim. Vale, & Hermolaum nostrũ delicias Romanæ linguæ meo nomine plurimum salutato.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, IOANNI FRANCIsco Pico nepoti, S.

QVod hactenus tuis literis non responderim hoc fuit in causa: incideruntin manus meas libri quidam Hebraici in quib. iam perpetuam hebdomadam assiduus fui dies & noctes, ita ut penè me exoculauerint. Est enim hinc ad 20. dies discessurus, qui huc libros attulit Siculus quidam Hebræus, quare dum me ab illis extricauerim ne literam quidem à me expectes, neq; enim possum momentum ab illis discedere, ne forte illi discedãt priusquàm ego eos omnes excusserim. Cum ab hac cura liber fuero obruam te literis, quanquam scis animũ me habere occupatissimum. Si quid autem tu unquam mea causa es facturus, da operam qua ratione potes ne meum istuc aduẽtum Barri princeps desideret, studia enim omnia interturbarem mea, quibus nosti tu quàm sim deditus, quanquam nihil præter ea curem. Haud satis autem mihi constat utrum mihi molestius illi, an mihi displicere. Vale, & Deum time, & te quotidie cogita esse moriturum. Ferrariæ 30. Maij. 1492.

IOAN-

IOANNES PICVS MIRANDVLA, MARSILIO Ficino, S.

QVi ab amicis quod cupiunt pluribus contendunt iniuriã faciunt amicitiæ, quasi ipsa non possit quod potest illecebra orationis. Quare agam tecum simpliciter, ut ea exigit quæ mihi tecum iampridem intercedit beniuolentia, est hoc tempore ad mea studia plurimũ necessarius Iamblicus Platonicus, hunc si ad me miseris, perpetuo me tibi officio deuinxeris, erit hic ad dies uiginti, aut summum ad mensem, post illico per tabellarium remittetur. Tu interim & bibliotheca mea & rebus omnibus utere atque tuis. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA ANGELO Politiano, S.

NEc urbanius unquã nec hilarius acceptos se amores mei prædicant quàm his proximis diebus apud te, & quòd amice quidem confosi sunt cum sibi gratulantur maximè, tum tibi plurimum debent. Quis enim nolit ab isto ense mori, dolent tamen indulgẽtius id factum esse quàm oportebat, atq; in eo sunt, ut dubitent amore ipso in amores te cæcutientem factum meos. Ac ita demum dubitant, ut iudicio tuo alioquin grauissimo, in sua causa haud satis cõfidant. Confidunt tamen & iam sese uinculis asserunt, domi esse nesciunt, libertatem & publicũ securè postulãt. Sed quid de Epicteti tui festiuitate dicam, ô rem iocosam & risu dignam Catoniano, uix erat in limine cũ pandens sinus en inquit obelos, en sagittas, si nescitis Græcè, en me si exuestris quisquam audax fuerit paratum referire. Quis cachinnis temperasset eũ Stoicus homo tam lepidè iocaretur, abstinuimus profecto telis, & quòd interminatus erat repositurum sese iniuriam, & quòd ita cutis occaluerat ut tam leues ictus nõ admitteret. Qua igitur ueneratione debuimus, senem excedimus. Qui ut demum apud nos consedit philosophari cœpit de moribus, & id quidẽ Latinè, non tã ob id q; apud Latinos erat, (nam erant in eo consessu, qui Græca nouerãt) quàm quòd Latinè ipse beneficio tuo luculentius saperet. Sed nec operam perdidit, quandoquidem nõ prius loqui desijt quàm nos ex Peripateticis, Stoicos fecerit. Et ἀπάθειαν illã omnes approbauerimus, iam uidere sit pauloante delicatos homines iam factos omnium tolerantissimos, qui lacessiti quidem possumus ab alijs, lædi à nobis tantum, qui fato reluctemur nunquam, & quæ nostra non sunt sic fieri demum uelimus, ut Deus uult, & eos nec culpemus unquam, nec accusemus, nihil doleamus, nihil expostulemus, seruire, uinci, nesciamus. Re non oratione philosophemur, & qui nouitij sumus nos ipsos ut aduersarios obseruemus. Aliorum de nobis opinionem atq; id generis alia quæ externa sunt negligamus, potius quàm reijciamus. Ad diem curemus ut hospitiũ uiatores, habeamus ea denicq; nõ habeamur. Silentium amemus, ne quicquam euomatur non

concoctum. Et nobis alijs raro & nos alijs nunquam risum pariamus. Et ut uno complectar uerbo. Epictetum totum, & sustinere aduersa & abstinere uoluptatibus abundè didicerimus, uide quàm singulatim ad Epictetum tuum effinxerimus uitam nostrã, uide quàm & cito ne hac quoq; parte Stoici non essemus, qui nos admonitos uolunt tamdiu deficere hominem, quamdiu non proficit. Id quod quanquã in cæteris admiratus sum, in me tamen uno uel maxime. Qui cum semper in lyceo uel academia nunquã in porticu sim uersatus, ita uictus sum oratione senis, ut in eius sententiam non pedibus modo, sed manibus quoq; & toto corpore discesserim. Indicem Græcorum librorum, qui mecum hic diuersantur cum Manuelis epistola, quod tuæ literæ postulant ad te mitto. Indicem tuorum itidem desidero. Laurentio iuniori meo nomine salutem dicito, ad quem scripturus eram, sed pudor deterruit ne uidear hominem literis cõpellare. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, THOMAE MEDIO, S.

QVod fabellam tuam & eam festiuam quidem atque concinnã meo nomini nuncupaueris, indicio mihi fuit, & doctrinæ tuæ & singularis in me beneuolẽtiæ, grauis utraq; causa quæ me ad te amandum urgeat & impellat, utra nescio magis, ut enim in amore (quod in prouerbio est) mutuum non reddidisse flagitium est, ita laudatissimum hominẽ, & si non prouoceris, non amasse, aut rustici est ingenij, aut sane improbi. Vide igitur quàm me geminis (ut aiũt) funibus ad amicitiam non uocas modo, sed trahis, quãdo nec in ea est fabella quicquam, quod doctrinam, quod ingeniũ non oleat. Nec de me benè mereri magis præclarè poteras, q̃ egregiæ fabellæ dicatura meo nomini, tã amicè, tam liberaliter consulere, cuius argumentum tantum abest, ut uel negligam, uel accusem, ut etiam summopere probem. Mea enim semper fuit sententia, cui neque ex doctis quenquam reclamaturum puto, acrioris esse ingenij iocularia hæc & fabellas scribere, modo id (quod præstitisti ipse quàm cumulatissimè) eruditè & eleganter fiat, quàm de grauissimis rebus uel ornatè disseruisse. Quippe cum operosius longè ex limo quàm ex ære, auro uel decoram effinxisse statuam arbitremur, cur non itidem erit de humili q̃ de sublimi materia insigne aliquid dictitasse, & pluris certè negocij, & idcirco etiam laudabilius: illorum operi argumenti dignitas lenocinatur. Hi quicquid dignũ afferunt, id totũ de scriptoris pœnu depromit. Nihil ipsa materia, uelut asymbola conferente. Illis natura sedulo opitulatur. Hi aduersus naturam certe contendunt. Quod & si ita sit, non ibo tamen infitias inter has quas dixi humiliores materias, alijs alias mirum in modum præstare, & esse etiam id generis nõnullas ita iacẽtes, ita insipidas, ut nulla ui aut maiestate uerborũ attolli satis & scite cõdiri possint. Quod uitij his nunquã inesse potest, quę uenusta iocorũ urbanitate resarciuntur. At uero summis subsellis cõstituẽdas eas duco, quæ cũ saliũ lepõre admixtũ habẽt

ætatum, personarumq; graphicam exscriptionem, quòd & habent ea omnia, quæ comicorum sunt, & tu in ea quam ad me dedisti fabella pulcherrimè imitatus es. Quantũ ibi argutiarũ? quæ salium oportuna, & ingeniosa permixtio? Vt delectat, ut lepida, ut absoluta est undiq;, & si qua materię humilitate sordidiuscula & debilior apparuerit, orationis luce & dignitate seipsam erigens, & nitorem ac neruos assumẽs: ea est profecto (ut paucis dicam) quæ se à literatissimo homine profectam liquido demonstret. Verum inter cætera omnia illa mihi præcipuè cordi est, morum, ætatum, personarumq;, exquisita & commoda notatio, in qua unam prudentiam tuam, eamq; non mediocrem, uelut è specula longè prospicio. Videres uel lem quem mihi cachinnum moueat octogenarius antistes, qui ut cumq; cætera succedant, hoc tamen continuè saxũ uoluit, ut alicunde pecuniam corrodat, quod uitium senibus cognatum & familiare semper fuit. Quid dicam de parasito nostro qui à parcissimo sene cœnam Saliarem dissimulans extorquet, qui ipsum, ut ita dicam, singulariſsime pumicem emungit. Nullum est mi Thoma in ea fabella uerbum, quod non sibi quoddam peculiare palmarium uendicet, sed neque meum est, referre quæcunque olfeci, neque his sum naribus quæ olfecerint omnia. Hoc tibi constet, rem aut gratam magis, aut iucundam mihi cõtigisse nunquam: & ipsam igitur intra hos lares, & teipsum intra animum recepi. Habes mi Thoma quod (& si tu petis) petendum erat à me, mutua est inter nos amicitia, quam ipse (ut te uirum decebat præstantissimum) à Musis auspicatus es. Reliquum est, ut quoties uel re mea quantulacũq; est, uel opera indigueris, de mea in te uoluntate periculum facias. Neque enim (si qua dabitur occasio) illum erga te officij genus prætermittam, quod ipse aduersum me in amicitiæ uestibulo feciſti prior. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, CONCORDIAE comes suo Nicolao Leoniceno, S.

IAm sæpius & pluribus tecum per literas collocutus fuissem Nicolaë suauissime, si ubi nam esses mihi aut nuncio, aut literis, aut rumore notum fuisset. Ego uero id anxie à multis percuntatus fui, dubiũ ab omnibus responsum accepi. Tandem superioribus diebus in manus meas incideruntAntonij Fauentini grauissimi philosophi ad Thomam Frignanum literæ, ex illis te esse Florentiæ, quod mihi tunc gratissimum fuit, accepi. Hoc simul ac intellexi literas per tabellarium ad te Florentiam dedi. Vanũ fuit iter, neque enim illic te repperit, dolui summopere. Hodie Thomas significauit te Florentia discessisse, & Bononię esse, illico has ad te deferri iussi, in quibus quidem neque meam in te beneuolentiam, neque singularem amorem pluribus aperire nitar, neque enim de nostra in te uoluntate tibi uel pauxillulum quidem subdubitandum, nisi me & egregiæ uirtutis tuæ & tuorum in me officiorum (quod meum non est) oblitum

existimares. Non potui autem non mirari summopere, quòd tum ex urbis tumultibus te eripuisti quæsiturus sedem, in qua uiuere & tranquillè posses & iucundè. Hoc oppidulum nostrum aut certè oblitus sis, aut certè contempseris. Visus es Nicolaë diffidere aut uoluntati meæ, aut facultati, ut uero hæc tuis meritis minor. Ita illa tua maior opinione, gratū mihi erit si me tui consilij admonueris, gratissimum omnium si meos lares tibi communes non dedignaberis mecum ociaturus, dum cæteri cum Marte negociabuntur. Reliquum Ioannis Grammatici ad te mitto, quod per multos dies non inuentum, nunc repertum est. Tuus sum & te expecto. Vale, Mirandulæ die 20. Iulij. 1482. Cura omni diligentia si me amas habere indicem omnium librorum qui in bibliotheca sancti Dominici reperiuntur, mitte uel tecum affer. Vale iterum. Villam exædificaui suburbanam amœnam satis pro loci & regionis conditione. Carmen longum de ipsa composui, & tibi domus suauis, & carmen erit non iniucundum. iterum Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA ANGELO Politiano, S.

QVod proximis literis tuis me tantopere laudaris, debeo tibi tantum quantū ab eo absum ut merito laudet. Id enim debetur cuique quod gratis dat, non quod persoluit. Quare & ipse id totum tibi debeo, quod de me scribis cum in me tale sit nihil. Cū id mihi ipse nullo pacto deberes, id totū tuæ fuit humanitatis, & singularis in me beneuolentiæ. De cætero si me examinaris nihil inuenies, nisi tenue, humile & angustum. Nouitij sumus atq; tyrunculi qui ex insciticæ tenebris pedem modo mouimus, promouimus ferè nihil. Benigne nobiscum agitur si inter studiosorū ordines referamur. Habet docti nomen quiddā aliud, quod sit tibi & tui similibus peculiare, mihi tam grandia non conueniūt, cum eorum quę in literarū studijs sint præcipua, nihil non solum exploratum habeam, sed nec adhuc etiā nisi per transennā uiderim. Conabor quidem (id quod nūc ago) talis esse aliquando, qualem nunc me prædicas, & esse, aut iudicas, aut certe uelles. Interea imitabor te Angele qui te Græcis excusas cp̄ sis Latinus, Latinis cp̄ Græcisses. Simili & ego utar perfugio ut poëtis, rhetoribusq; me approbē, propterea quòd philosophari dicar: philosophis quòd rethorissem, & musas colam, quanquam mihi longè aliter accidit atq; tibi. Quippe ego dū geminis (ut aiunt) sellis sedere uolo, utraque excludor, fitq; demum (ut dicam paucis) ut nec poëta, nec rhetor sim, neq; philosophus. Tu ita utrunq; imples, ut utrum magis haud satis constet, qui & Græcam & nostram Mineruam ita pulchrè amplectaris, quasi cygnus, utriusq; linguæ, ut quæ insitia sit, quæ genuina, nō facile discerni possit. Nam ut de Latinis taceam (de his enim cui è primo loco cesseris) quis credat (ut de Adriano ille) Romanum hominem tam Græcè loqui. Ut rabas

rabat Emanuel noster dum tuas legeret non esse tam Atticas Athenas ipsas. Is es mi Angele (facessat adulatio) cui ex nostris unus aut alter, ne dicam nemo, conferendus sit. Quod si plures essent tales non haberent hęc sæcula cur inuiderent antiquitati. Incumbe quæso & literas quantum potes à situ recipe, ne nitor ille Romanæ linguæ iniuria temporum penitus obsoleſcat, excude semper aliquid nouum, quod rem Latinam adiuuet et illustret. Et quæ domi habes fac tandem exeant in communem studiosorum utilitatem. Ego quidem ut teipsum, ita tua omnia amo atque desidero, tum eò magis quod te mihi exemplar proposui ad quod effingar, & si is es, quem ut sequi omnes debent, ita consequi pauci possunt. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, PAVLO Cortesio suo, S.

BEne cogitas Paule. Mittamus crebro epistolas, ut qui locorum interuallis diuidimur, epistolarum certe uicissitudine coniungamur. Leuare solet absentum desiderium, si quam domi illius aut statuam fortasse habeas, aut imaginem. Mihi uerò inter imaginẽ & epistolam hoc interesse uidetur, hæc mentem, corpus illa effigiat, illa extrema tãtum deliniat, hęc intima etiam plane exprimit & effingit, illa amici quasi tunicam & amictum, hæc uerum nobis amicum repræsentat, illa carnis colores figuramq; quod potest æmulatur, hæc cogitationes, consilia, dolores, gaudia, curas, omnes denique affectus. Et quæ ipse sibi uix quisque præsens loquitur, secreta animi ad amicum absentem fidelissimè trãsmittit. Hęc denicq; uiuum & efficax, illa emortuum & mutum simulachrum est. Mittemus has igitur inuicem animorũ imagines, tu quidem quas potes aureas & argenteas, ego uel æreas uel testaceas, sic enim extra omnem erimus iniuriam locorum & temporum, sicut nec ipsa animi uis, aut loci intercapedines, aut temporum moras nouit. At uero illud quantum est quod ego tibi debeo Paule officiosissime qui me ad hoc officium prior uocasti, tali præsertim epistola quæ me adeò tenuit & oblectauit, ut multos iam dies nulla me magis lectione meminerim oblectari. Est enim plena facundiæ, plena gratiarum, plena amoris & beneuolentiæ, expectabas fortasse ut dicerem plena mearum laudum. Equidem eram & hoc dicturus, non enim adeò ferreus, aut si hoc maius dici, adeò sum philosophus ut amicorum laudationibus non oblecter. Quæ si sunt ueræ meipsum mihi, si falsæ illorum mihi amorem uoluntatemq; commendant. Facile igitur impetrabo à mea philosophia ut tuas epistolas & crebro legam & cum uoluptate, etiam qua parte me laudant. Sed non illud tam facile ut in rependendo officio hoc literarum satis ciuilis appaream aut non ingratus, ita enim imperiosa domina me distringit, ita pensum exigit quotidie, ita denicq; totum me occupat, ut uix quicquam de me mihi etiam ipsi reliquum sit. Sed qua tu es humanitate & epistolas etiam malis cum scribemus

& silentium æqui boni consules cum tacebimus. Politianus communes delitiæ te salutat. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, TROIlo Maluetio, S.

LIbellus tuus de sortibus tanta me affecit uoluptate quãta solet is affici cui optima sors contigerit. Ago tibi ingentes gratias quòd me tuarum lucubrationũ feceris participem, talium præsertim, in quibus & disputandi subtilitas, & multiplex uariarum rerum cognitio facile apparet. Quorum alterum ingenij, alterũ diligentiæ laudem habet. Nugas nostras quas desideras propediem ad te dabo. Incertum enim utrũ indignius illarum te lectione occupatissimum iurisconsultũ detineri, an desiderio amicissimũ hominẽ diu suspẽdi? Vale & me ama. Fer. 19. Maij. 1492.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, THAdeo Vgolino, S.

GRatissimas habui literas tuas plenas amoris, fidei & charitas, nõ ob id tantum quòd tu mei memineris, sed quòd in illis me amicè admones, ut ego ipse mei, id est, bonorum studiorum, & quam dedi expectationis substinendæ, meminerim. Equidem infirmitatis meæ conscius, nihil uel mediocre de me polliceri ausim, sed ille à quo omne bonum, pater luminum clementissimus, ut antehac dedit, unde de nobis aliquid sperarent homines, ita dabit in posterum, ut tam bene conceptam opinionem frustra non habeamus. Romam propero ubi de nostris studijs periculum, uel cum periculo faciemus. Si quid profecerimus, Dei est munus, illi laudes & gratiæ, siquid defecerimus, nostra est imbecillitas, nobis imputato. Cæterum ego sum tuus, ut qui ob tuam, & uitæ & morum integritatem, uix Hieronymo nostro in te amando primas concesserim. Vale, ex Fracta.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, THOMAE MEDIO, S.

SOlidius nunquam me oblectatum memini quàm nuper dum tuam Epyrotam legerem, fabellam proculdubio facetissimam, cum argumenti festiuitate, tum styli eruditione priscas etiam comœdias prouocantem. Quid enim has nouitias dicam, ineptas planè & infacetas, quę authorum infantiam facile declarant, digna profecto fuit, quæ Hermolao Barbaro, nescio an tuo quàm meo magis, nominatim dicaretur? cui uni omnes literatos tantum debere existimo, quantum uix debent antiquitati. Quod me ea minimè fraudaris, feciſti pro tua in me antehac perspectissima beneuolentia. Nec est quicquam apud me tanti, quod si tibi quasi mutuum missitem, relatam abundè gratiam putem. Comœdiæ nouæ, quam mihi polliceris, iam expectans inhio. Neque est quicquam quod ea magis optem, præter unum ad nos aduentum tuũ. Quem nisi ad decem dies hinc mihi

mihi abscedendum foret, ut ex Sita nostro te cognouisse arbitror, efflagi-
tãdo certe abs te impetrassem, est enim ex his cõiicere quæ scripsisti. Quid
sit futurum amœnitatis in consuetudine, quid in ipso cõuictu, quid in ui-
uis uocibus, quæ profecto latitantem habẽt energiam, quę altius animum
uoluptet afficiatq; miris modis, qui omnibus scriptionibus longe prępon
derant. Sed quando hoc non licet, interim à me comœdiæ materiam non
expectes. Malo utrunq; è tuo pœnu promas, ut Thomã Medium, nõ me-
dium, sed totum, fabella sapiat. Vereor enim ne obsequẽdo tibi hebetudo
ingenij mihi iacturam faceret, & ex eo quod de nostro admitteret, ab opi-
ficè opus degeneraret. Apud me nihil est, non expositum, insulsum, fa-
tuum, plebeium. At desiderant hæ comœdiæ nescio quid secretiorum re-
rum, falsum, mordax, elegãs, acutum, tibi tuiq; ingenij amœnitatibus pe-
culiare. Quarem matura mihi futuram quàm gtatissimam, ut quando
te coram frui non licet, fruar hac ratione uel absente. Quod si ut dixi an-
tea, tam citus hinc mihi discessus non fuisset, profecto aliquot dies & ge-
nium simul & ingenium excoluissemus. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, MARSI-
lio Ficino, S.

NOn poteras oportunius Maumethem tuum Latinum repetere,
quàm hoc tempore, quo me propediem Maumethem ipsum, pa
tria lingua loquentẽ, auditurum spero: postquam enim Hebrai-
cæ linguæ, perpetuum mensem, dies, noctesq; inuigilaui, ad Arabicæ stu-
dium & Chaldaicæ totus me contuli, nihil in eis ueritus me profecturum
minus, quàm in Hebraica profecerim, in qua possum nondum quidem
cum laude, sed citra culpam epistolam dictare. Vide quid possit impetus
animi, uide quid labor & diligentia, etiã ubi sint uires infirmiusculæ; Ani
marunt autem me, atq; adeo agentem alia, ui compulerunt ad Arabum li-
teras Chaldæorumq; perdiscendas, libri quidam utriusq; linguę, qui pro-
fectò non temerè, aut fortuito, sed Dei consilio, & meis studijs benefauen-
tis numinis, ad meas manus peruenerunt. Audi inscriptiones, uadimo-
nium deseres. Chaldaici hi libri sunt, si libri sunt, & non thesauri. In pa-
tris Ezte, Zoroastris, & Melchiar Magorum oracula, in quibus & illa
quoque, quæ apud Græcos mendosa & mutila circumferuntur, leguntur
integra, & absoluta. tum est in illa Chaldæorum sapiẽtum, breuis quidem
& salebrosa, sed plena mysterijs interpretatio. Est itidem & libellus de do
gmatis Chaldaicæ theologiæ, tum Persarũ, Græcorũ, & Chaldęorũ in il-
la diuina & locupletissima enarratione. Vide Marsili, quæ insperata mihi
bona irrepserũt in sinũ, cur non ego, & cornucopię iã mihi nactus uidear?
sed qd de Arabicis? in quib. & Maumeth Toletini epistolę, & Abulgalem,
qui Auerroen audiuit (& quod te magis tanget) Adelandi cuiusdam, qui
sub Ammonio Plotini magistro in Aegypto philosophatus est, multę sunt

quæstiones. Deus bonè quàm Pithagoricæ, quàm plenæ priſcorùm dogmatum, & ſecretioris diſciplinæ inuaſit ſtatim animum efficax uotum, poſſe hæc, per me, abſque interprete euoluere & perſcrutari, atque hoc nũc ago, hoc indefeſſus aſsiduusq; ſaxũ uoluo. Hic eſt Marſili meus cupido, hi mei ignes, qui non fluxam & uanam, ſed firmam mihi non pollicentur iam, ſed præſtant uoluptatem, ueram imaginem futuræ gloriæ, quæ reuelabitur in nobis. Sed redeo ad tuas literas. tuus Maumetes Peruſiæ eſt, quo cum rediero (abſum enim ob peſtis ſuſpicionem) ibit ad te continuò: de Plotino, quòd ſcribis haud ſatis intelligo, hoc ſcio, non excidiſſe mihi Plotinum, quem non in manibus habendum modo, ſed diſcendum adeò mihi, & ſemper cenſui, & nunc quoq; cenſeo. Si tu quicquam de me, uel apud Mithridatem, uel apud Petrum Leonem conqueſtus es, non poteſt non iniuria id à te factum in me, qui tibi & tuis rebus, iniurius nunquam ulla ex parte fui: quid tamen illud ſit, adhuc neſcio, uolens neſcio: Pithagoricus ſum, apud quos nihil ſanctius quam amicitia, & ſi quid eſt, quod inter nos uel labefactare poſsit uel minuere, ut dicunt, abeat in Zephyros. Vale, & me ama, qui tuus ſum, æquè atque olim fui. Ex Fratta.

IOANNES PICVS MIRANDVLA HIERONYMO DONATO, S.

IAm diu quæ mea eſt negligentia, ad te nihil ſcripſi, ea una fuit in cauſa ſilentij huiuſce noſtri. Patiar me hoc crimine à te cenſeri, negligentia, ſcilicet, alioquin nec obliuioſum uirum, nec amicitiarum deſertorem, quas mihi aduerſus id ingenij amicos, quo eſt Donatus, non temporarias, ſed perpetuas omninò ſtatuo.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, HERMOLAO ſuo, S.

DEdi ad te literas ſuperioribus diebus per Sitam noſtrũ, neſcio an delatæ fuerint. Cõmentaria quæ petebas in Ariſtotelem, cur non acceperis ex eodem, te intellexiſſe non dubito. uenient, cum primum ego ad Bibliothecam meam rediero, qui alienas huc in præſentia exploraturus ueni. Nec eſt cur uiæ me pœniteat, adeò multa hic reperi, cum Græca tũ Latina ad humaniores literas eruditamq; philoſophiam facientia, quin & hac idſa die, qua hæc dabã, incidit in manus Apuleij fragmentum de Interpretatione. opus eſt eruditum, & quod Apuleij planè eſſe cognoſcas, ſed mutilum mancumq;. Scirem abs te libenter, iſthic ne, aut uſquam quod ſcias, integer habeatur, quanquam cum tua ædideris quæ habes ſubincude, non erit amplius cur Apuleium deſideremus. De ſtudijs meis ego quid ad te ſcribam, nihil habeo, niſi aſsiduũ me in Hermolao eſſe, mearumq; noctium maximã partem, in tuo Themiſtio uigilare. Diuerti nuper ab Ariſtotele in Academiã, ſed non trãsfuga, ut inquit ille, uerum explorator. uideor tamẽ (dicã tibi Hermolaë quod ſentio) duo in Platone agno-

agnoscere, & Homericam illam eloquendi facultatem, supra prosam oratio-nem sese attollentem, & sensuum, si quis eos altius introspiciat, cū Aristot. omninò communionem, ita ut si uerba spectes, nihil pugnātius, si res nihil cōcordius, quòd si quando dabitur, id quod uotorum meorū summa est, tecum ad dies aliquot philosophari, agemus de ijs coram latius, & sensus huius mei periculum aliquod faciemus. Vale, æui nostri decus. Florentiæ. 1484. die. 6. Decembris.

IOANNES PICVS MIRANDVLA FRATRI BAPTIstæ Mantuano Carmelitæ, S.

SAlue pater optime, olim ad te nō scripsi, sed interim legi, quæ tu scripsisti diuina, scilicet, atque sanctissima illa tua poëmata, in quibus ea rerum maiestas, is splendor est eloquentiæ, ut certatim in illis palmam sibi uendicare uerba atque sententiæ uideantur. Felix qui uelis optima, eadem possis, felices nos quibus non solum legere, quæ scripsisti, sed etiā te amare, te uidere, te alloqui, datū est. Dīues hic mihi materia, & quæ non epistolam, sed iustum uolumen impleat, si euagari me in laudādis tuis poëmatis, uel imbecillitas nostra sineret, uel pudor tuus. hoc unum dixero, delectari me adeò lectione tuorum carminū, ut ferè quotidie, cū me uel tædium uel fatigatio ceperit, in illam quasi in hortum solitus sim secedere. Vnde animo tanta semper oboritur uoluptas, ut nihil cupiat magis quàm iterum fatigari, ut iterum recreetur. Philostratum de Appollonij uita, si satis illo es usus desidero, & Zachariæ philosophi, quem te nactum Romæ dixisti, exemplar cura ut aliquando habeam, prætercaq; indicem Bibliothecæ uestræ Bononiensis, si tuo id commodo fieri potest. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA C. P. S.

QVæsitum diu apud me fuit, tecum ne silentio an literis agendum foret. Quæ res utpote ansam utrinq; habens, cum nunc in hanc nunc in illam partem à me iudicaretur, in causa fuit cur in hoc usque tempus tecum siluerim. Videbatur enim præ auribus præsertim occupatissimi, leuioribus his nugis obstrepuisse non minus impudens quàm importunum, & erat quod ad te scriberem te dignum penitus nihil. Rursus si hominem qua tu es dignitate insignem de me optime meritum, quando coram non possem per literas non uenerarer ab officio procul dubio deficiebam. His cum diu fluctuasset animus, uicit tandem pudorem pietas, persuasitq; audaculi & temerarij subeundam potius notam, quàm obliuiosi hominis uel negligentis. Accipe igitur C. P. qua me excipiebas semper cum isthic eram hilari & porrecta fronte literas meas ineptas illas quidem & incompositas, sed fidei erga te meæ, sed deditissimæ tibi profecto uoluntatis grauissimum testimonium. Quibus hoc unum tibi in primis significari uolo, nihil esse quod magis cupiam, quàm dari mihi occasionem aliquam, qua testem dilucidè apud te reliquam

liquam meam in te fidem, pietatem, & obseruantiam. His enim si de nobis periculum aliquando feceris, ita me inter eos qui tibi dediti sunt superiorem esse cognosces, ut tu cæteros tui ordinis Antistites, uirtute, doctrina & sanctimonia, mirum in modum antecellis.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, BALTHASSARI Milliauaccæ, S.

MIraberis & quidem nõ iniuria responsum à me literis tuis uel longè serius quàm tu fortasse desiderabas, & ipsæ literæ tuæ meritò postulabant, id cur ita euenerit paucis accipe. Iturus erat ad uos, eisdem fermè diebus quibus tuas accepi, uir sane probus, sed mihi antea ignotus, negociari sese aiebat Mediolani, oportunam mihi profectionem duxi qua fieret ut per fidum nuncium, & quod in primis optabã sine mora literæ meę tibi redderentur. Sed Austrum perculi, nam cum ille in mensem discessum suum perendinando distulisset, discessit tandem, sed me penitus ignaro. Mihi uero cum iam spe certi nuncij factus essem, negligentior literarum obliuio penè surrepserat. Nunc demum cum tua ad me epistola in manus incidisset, uelut obdormientẽ illico excitauit, admonuitq; temporis sine officio prætermisi. Dolui (Deum testor) non mediocriter, & nunc quoque doleo, nec ideo hæc dicta uelim, ut me excusem, sed ut accusem potius, facile patiar negligentiæ damnari me, & in quam malueris pœnam abs te uocari. Nunc ad literas tuas. Accepi & ex literis ipsis, & ex libris Græcis quorum tu mihi copiã tam liberaliter tam amicè fecisti, uoluptatem non mediocrem, non tam quòd eorum usus ad mea studia plurimum faceret, quàm quòd perpetuæ inter nos futuræ necessitudinis fundamenta iecerimus. Quam unam pluris facio, quàm aut Sunandij aut Ptolemæi uniuersam bibliothecam. Tantum enim abest ut literatorum hominum amicitias negligam, ut nihil mihi aut curæ, aut cordi sit magis. Scio autem quem tu inter literatos homines tibi locum uendices. Quandoquidem doctrinæ, eruditionis, humanitatis tuæ euidentissimum mihi argumentum fuit epistola tua. Quare ni te amem plurimum dedidicerim profecto me, & faciã longè aliter quàm consueuerim. Amo igit unicè quãuis te nunquã uiderim. Amo ita ex animo, ut ex animo magis paucos amẽ, ut demum accedere ad familiaritatem quidem possit nostrã ad amorem non possit. Et si quid, id est, quod possit accedet illud omne aduentu huc tuo. Quẽ & literis tuis tu te ultro pollicitus es, & nos ita ardenter petimus ut impatienter desideramus. Ioannem Grammaticum in Physica & Aristotelis Metaphysica si mihi compararis perpetuo me tibi officio deuinxeris. Nam & apud me non sunt, & sum eorum magna in expectatione. Vale.

IO. &

IOANNES PICVS MIRANDVLA, IACOBO Feltrino, S.

LIteræ tuæ si quando aliâs nunc me maximè oblectarunt, quib. eam de me existimationẽ apud te esse cognoui, qua ne fingi quidem uoto melior possit. Vnum illud me perturbauit quòd cum in ijs quæ ad te scripsi nihil notaueris, suspicionem fecisti ne cuncta nota digna existimaueris. Tunc enim uel placuisse plurima credidissem, cum displicuisse aliqua significasses. Quo fit ut ne testimonio tuo alioquin probatissimo in mea causa satis confidam, amas enim nostra omnia perinde atque nos, & cum ex innata ingenij tui facilitate cunctos tollas, id tibi præcipuè in rebus nostris accidit, qui id omne quod in nobis est ex tuo fonte manauit. Equidem æmulari te, tuis perstare uestigijs, nec desisto, nec desinã, utinam te aliquando consequar. Sed hoc doleo quòd locorum intercapedine fiat quo minus te altissimos philosophiæ locos ut soles grauiter pertractantem coram audiam. Quod etsi eadem quæ dicis per epistolas mitti possunt, id quod impetratum abs te maxime uelim, habet tamen nescio quid uiua uox quod magis afficiat afformetq; discipulum. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA HIERONYMO Donato, S.

ACcepi literas tuas & suaues profecto & eruditas, quibus non aliter oblectatus sum atq; olim tua consuetudine cum Patauij essem, quoties ea mihi fruendi occasio offerebatur, cuius quidem & cupidus & appetentissimus præter tuam etiam opinionem semper fui. Neq; enim latebat me quàm dulce, quàm amœnum esset Donati ingenium, quàm bonis omnibus disciplinis, omni demum uirtute exuberans undique atque refertum. Sed ita est profecto mi Hieronyme, ita mihi persæpe cõtingit facultas & libera & expedita eius quam maxime rem cupimus adipiscendæ, inertes nos facit & negligentes, dum enim id quod hodie prætermittimus & cras fieri per quàm commode speramus, fit demum ut ex hac supina dilatione nostra conniuentibus nobis effluat annus. Sed quando res ita recidit, fecisti tu quidem perpulchre, qui me nunc etiam ad hoc officij genus obdormientem tuis literis excitasti, quo utar aduersum te sæpius in posterum, & te ut itidem facias rogatum maxime uelim. Quod attinet ad tua carmina, fuerũt illa quidem dum essem Patauij apud me complures dies, meminiq; me libelli amœnitate & lepidissima uersuum compositione delectatum plurimum, sed nisi fallor antequam illinc abscesserim Ramusio reddita sunt. De cæteris quæ aut in me, aut mea sunt, ita constitutum habeas, ut uel eis pro tuis usurus sis, uel certè & mihi & amicitiæ nostræ facturus iniuram. Vale.

IOAN

IOANNES PICVS MIRANDVLA ANGELO, S.

CVm tenues Musas meas quibus dum per ætatem licuit de amoribus meis iocatus sum in libellos quinque digesserim, mitto te ad illorum primum, missurus reliquos, in hoc uno amicum experiar te non assentatorem. Ea enim lege ad te ueniunt ut castigentur, & uacuentur, ut erratorum pœnas & ungue & obœliscis luant. Adhibe igitur te illis æquum iudicem non iniquum, hoc est, seuerum, non indulgentem. Nam quæ maior iniquitas quàm amicum fallere de te sibi omnia promittentem, non eo usq; ingenio delicato sum ut alienas lituras fastidiam, non adeò mihi libellus uideor ut censorem uel negligã, uel accusem, quin forte nec tu, nec quispiam crederet, quàm hęc mea mihi non satisfaciãt, quam in ijs etiam quæ magis placent, ne sim, ut inquit ille Suffenus, timeam. Ni mirum omnes fallimur, nec uidemus manticam quæ in tergo est. Quare operam tuam in re honesta & liberali amicissimo homini ne deneges, tam multo præsertim studio, tam ex animo eam efflagitanti. Quod si is essem à quo in eiusmodi re tibi gratia referri posset, non tacerem Grȩcum illud. Lisippum Apellis & Apellem Lisippi alterna opera uicissim uti solitum. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA ANgelo Politiano, S.

CVm superioribus annis Florentiæ essem amatorias elegias quas tuo rapud te reliqui, quas ut fit, exercẽdi ingenij gratia per id tempus penè puer effinxeram. Erant illæ quidem insulsæ, ineruditæ & leues, quæ authoris ætatem & inscitiam facile præseferrent. Tu tamen illas non pro rei merito, sed pro tua benignitate, uel indulgẽter approbasti, & ob id ipsum ut fidem faceres quòd approbasses exemplaria petijsti, profecto non ignarus ea esse animis adolescentum ad uirtutẽ acerrima incitabula ut laudis cupiditate illecti, quã libauerint gloriolam, mox degustare altius enitantur. Vt enim desperatione uires, & iacent protinus & frigent, ita spe attolli, atque inflammari nemo est qui dubitet. Sed iam ætatis patrocinium tollitur, & quibus antea subsignabatur erroribus, nũc uitio mihi uertetur, quòd nõ eos iam maturior annis, aut repurgauerim melius aut deleuerim. Quæ igitur apud te carmina ex nostris sunt, si me amas, aut remittas ad me, aut laceres, aut igni tradas. Ea omnia elaborata magis & complura alia, quę postquam isthinc abscesi mihi per ocium exciderunt, breui tuæ limæ demandabũtur. Interim quæ sine amici intertrimento uiuere non possunt capitali damnentur calculo. Præterea Epictetum tuum, & quæ de Homero in hanc usq; diem à te trãslata sunt, item quæ de Iuliano Medice sermone patrio, & quæcunq; alia Latino sermone composuisti ad me missa, omnino uelim. Hoc ita à te peto, ut qui impensissimè, ita enim desidero ut qui impatientissimè, neq; est quod recuses quòd ea fortè

ad um-

ad umblicum nondum deducta sint, quādoquidem omnia si tua hæc fuerit sententia, clam apud me futura tibi iam prænūcio atq; polliceor. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA MARSILIO Ficino, S.

MEi semper fuit iudicij Marsili doctissime nulla esse in re magis elaborandū quàm ut ab animi nobilitate, qua Trimegisto teste post Iouem proximi existimamur, per desidiam atque recordiam nullo pacto degeneremus, idq; mihi potissimum semper fuit, ut undecunque possem mihi animi cultum & bonarum artium disciplinas compararem. Quod quidem meum consilium, etsi à pueritia usq; cōstantissimum mihi fuit, excitarunt tamen summopere atque inflammarunt cum apud te essem superioribus annis adhortationes tuæ, nec unquam ardenter magis, quàm ex illa in hanc usque diem me totum literis addixi. Iam tres annos Marsili apud Peripateticos uersatus sum, nec omisi quicquā quantū in me fuit, ut Aristotelicis ædib. quasi unus ex eorū familia non indignus admitterer. Quod quidem etsi haud abunde consequutus sum, quippe quòd uix sim in uestibulo, eò usq; tamen processi, ut si nō docti & eruditi, quod nec per ætatem licet, studiosi tamen nomē mihi uendicare non dubitem. Sed quoniam & tua semper & doctissimorum hominū sententia fuit, qui academica peripateticis misceret, eum utranq; sectam & rectius habiturū & locupletius, aggrediendam mihi hanc prouinciam existimaui, ut iam pro mei uiribus ingenij, pro mea quanta maxima potest assiduitate & diligentia, Platonem cum Arist. & uicissim alternis studijs Aristotelem cum Platone conferrem. Verū ut te præmonitore prius, ita nūc adiutore opus est, tuæq; erit humanitatis & in me beneuolētiæ nō deesse proposito meo, atque eo quidem tam honesto & liberali, id quod cumulatissimè abs te factum censeo si librum tuum de immortalitate animorum ad me miseris, quo ueluti præmōstratore quodam in Platonica disciplina profecturum me ut opto, ita cōfido. Quis enim Ficino, in quo, si uera esset Pithagoreorum sententia, reuixisse Platonem crediderim, nō quæq; maxima in eo doctrinæ genere de sei pso sibi polliceatur? Tu modo mihi nō desis, quod impetratum abs te pluribus contenderem, nisi ipsa quā tu plurimi facis honesti ratio hoc idem à te contenderet. Si enim pro amicorum utilitate declinandum aliquatenus de uia, & Cic. noster, & Chilo sapiens, & Theop. grauissimus philosophus existimarunt, Nónne erit in tam honesta petitione amicissimo homini defuisse flagitium? Fac igitur ut quod iam diu adhortatione sequor, tua ope etiam aliquando consequar. Qui enim hac in re mihi auxiliari possit præter te habeo neminem, quandoquidem ut speciosa alia complura, atq; præclara, ita Platonicarum rerum cura apud nostræ ætatis homines penitus exoleuit. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, HERmolao suo, S.

NOn quòd quicquam habeam te dignum quod scribam ad te scribo, sed idcirco tãtum ut rescribas, alioquin mihi nec causa est scribendi ulla, nec argumentũ. Quippe quòd damnarim semper eorum sententiam, qui ad amicos scribendum sentiũt, ut hoc quasi debitum pendatur amicitiæ. Est enim hoc totum scribere, & literas missitare amicitiæ quidẽ, sed infirmæ & frigidiusculæ, quę sua ui subnixa non stet satis, quæratq; aliundè unde cõsistat. At quę in ipsis animi secessibus iam penitus radicem egit, quid amabo adminiculis literarum eget. Dabo igit̃ Hermolaë Barbare ob id ad te meas, ut quas maximè desidero, tuas allicia. Tu contra ne à me frustra desiderentur, tuas reddes quàm cumulatissimè. Vt enim infirmi est animi adhibere literas amicitiæ quasi tibicines neuacillet, ita facilem præstare se amicis, atq; beneficum, liberalitatis est, & beneuolentiæ singularis. Vale & musicam Ptolemæi, si id incommodo non fit tuo ad me dedas futuram hic ad dies pauculos. Quid enim à te nõ audacter petam: cui ego iampridem mea omnia uoui dicauiq;.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, HERmolao, S.

MIhi nunquam aut placui magis, aut debui copiosius, quàm hoc tempore quo una epistola ad te mea tã suaues, tam eruditas, tam tui persimiles literas ad me uocarim. Quod si, & abfuisse te Patauio dum illic fui, & desiderasse me biennium consuetudinem tuã, in causa fuit cur hæc ad me scriberes, non potest mihi illud quicquid sit, nũc non esse iocundum, tam abundè unę literæ tuæ uotum omne meum non adimplerunt solum, sed etiam superarunt, nam ut epistolæ elegantiam, amœnitatem, eruditionem, suauitatem taceam, cuius lectio, uel beneficij uicem cumulatè exigit. Quanti apud me esse credis, quòd tam amanter, tam benigne, atq; adeò ex animo in amicum te mihi dedas, & quo nec optare mihi quicquam maius ausim in me ornando undiq; tuam operam tam liberaliter pollicearis. Quod quidem genus officij non recipiendum adeò, sed mihi ambiendum etiam, fateri ingenue, nec coram erubescerem, quippe nec ipsi Stoici, ut nosti ἀπαθείαν probant, nec inter has, quas Græci πάθη dicunt, affectiones, ulla esse potest aut laudabilior, aut honestior ea, si modo inter illas est, quæ dicitur cupiditas nominis & gloriæ, præstari uerò mihi hoc nec ab ullo uberius potest, quàm à te ipso, in quo uirtutes omnes, ut lut singulæ sibi palmam certatim uendicant, & ego cui debeam libentius habeo certè neminem. Est igitur hæc mihi pollicitatio tua tam grata, tam appetenda, quàm honorifica, qua uel id maximè plurimum gaudeo, quòd egregij cuiusdam amoris in me tui, & amantissimæ uoluntatis fidem facit. Habeo tandem quod ut diu antehac desideraui, ita nunc serio triumpho. Hæ

pho. Habeo inquam Hermolaum Barbarum Latinæ linguæ delicias, & bonarum artium omnium insigne promptuarium, mihi non beneuolum solum, sed amicissimum. Habes & tu itidem Ioannem Picum Mirandulam ita tibi deditum, ita tui studiosum, ut qui deditus, qui studiosus esse magis non possit, mutuis aduersum te officijs, quando præstare nihil uel grande potest, uel Hermolao dignum, futurum imparem quidem, si uero animum spectes certè uel æqualem, uel superiorem. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, ETC.

NIhil mihi dulcius fuit dum hic apud nos esses tua consuetudine, nihil item utilius, ea in te morum suauitas, ea est doctrina. Vide autem quàm mihi dulcis, quàm gratus fueris dū te fruebar, cum nunc dum abes nihil mihi sit dulcius tui memoria. Sed profecto si amicitiæ sedes animus est, & nos id maximè sumus, animus scilicet, ut scribunt Plato & Aristot. non est cur possint dissidium inter nos facere ulla uel locorum remota, uel diuturna temporum interualla. Cogitabam autem nūc an qua etiam alia ratione consequi possem ut tecum essem, neque aliud in mentē uenit quàm ut nostra de septiformi in sex dies geneseos enarratione lucubratio ad te ueniret. Si enim libros quasi liberos parimus, & patris maxima pars in filio est, ueniam ego quoq; ad te in illo quem genui, excipe igitur uenientem ad te filiolum meum, ut me solebas hilaris & lubens, placebit scio quia amas. Scio & displicebit itidē quia amas. Nam eiusmodi pietatis est & eorum errata quos amamus signanter introspicere ut emendemus, & introspectis leuiter indulgere ne uexemus.

IOANNES RICVS MIRANDVLA, F. B. C. TH.

SAlue pater dilectissime. En tibi Apollonium quem si tuę uirtuti tuis in me officijs non deberem, deberem certè uel his literis quib. eum efflagitas, tantus in illis amor, tanta humanitas. Est enim & summi amoris quo illuc uocare quo tu iam peruenisti, ad animi, scilicet purgationem, hoc est, ad uerā felicitatem, & summæ humanitatis hortari me, quasi æqualem cui legem dicere quasi filio potes. Sed utinam usu eueniat aliquando ut in secessu aliquo unà aliquando piè philosophari possimus, uidebis apud me nihil esse prius quàm ut pietatem cum sapientia coniungam. Videbis hoc mihi esse persuasissimum nullam esse sapientiam quæ æternæ in nobis sapientiæ imaginem obliteret, & similes faciat brutis insipientibus. Testem habeo contubernalem Angelum, tantum me quotidie de meis studijs lucro apponere, quantum inde ad certamen purgandi animi instructior fortiorq; euado. Omnifaria hæc disciplinarum tractatio, & quicquid literæ promittere nobis possunt, cutem colorat, & quasi pigmentata facie, non reddit formosiores. At sanam, firmam, robustam mentem sperare non aliundè possumus, quàm à uitæ integritate, à moribus, à diuina denique religione, uolentem igitur cogis (ut ita dixerim) magis uel-

gis uelle. Sed & tuis me sacris precationibus iuua, ut possim etiam quod & ego uolebã, & tu me uelle tantopere uis. Vale pater amantissime quem unicè amo, quẽ in oculis fero. Florentię. 13. Ianuarij. 1490. expecto tua omnia. Politianus meus deliciæ totius literaturæ tibi ascribi salutem iubet.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, HERmolao Barbaro, S.

MEmini me cum deliberarem quamnam potissimum ex Italiæ gymnasijs mihi sedem ad philosophiæ studia deligerem, cum me multa Patauium uocarent, libentius illuc petisse ut amor in te meus quem iamdiu animo nutriueram mutua consuetudine tibi palam esset, Patauij fui & biennium, Hermolaum tamen quis credat nec uidi, nec nisi ut multo ante fama cognoui. Ita sæpe euenit ut dum oblatam occasionem desidiosa quadam procrastinatione cõtemnimus, ea ut lubrica est manibus elabatur. Huius rei me uehementer pœnituit, & pœnitet, & eo magis quòd quam antea rerum omnium doctrinam tuam rumore tantũ cognoueram, eam nunc his oculis, his auribus agnoui, dum Romanum Themistium tuo illo ore, de ingenio animæ, de primis rerum exordijs, de ratiocinandi scientia, disertantem audiui. Deus bone quantũ doctrinæ? quę dictionum diuitiæ? quis candor? quæ mundicies orationis? O uirum prę clarissimum, ô expressam antiquitatis imaginem, Erat mihi frequens uotum, ut Varronis diuinarum humanarumq; rerum scripta aliquando reuiuiscerent, ut esset apud quem Latinè physicas rationes ediscceremus. Tu uero & illum & probatissimos quosque referens, eum te nobis exhibuisti, ut nihil aliud superfit quod desideremus, quàm ut Græca alia interpretando, & tibi uberiorem laudem parias, & cumulatius de naturali historia & de studiosis omnibus bene mereare, hæc omnia doctissime Hermolaë ad nihil aliud spectant, nisi ut me tibi amicissimum esse intelligas, me ita uirtutes tuæ ad te & amandum, & obseruandum accendunt, ut nemini etiam ex cognatione tua amore concedam. Sanciet hæc inter nos epistola amicitiæ fœdus, ut honestissimum certamen mutuæ charitatis subinde certemus.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, ANdreæ Corneo Vrbinati, S.

QVas proximè ad me dedisti literas tuas idibus Octobris accepi. Quas scribis dedisse prius, non peruenerunt, rescripsissem illico si accepissem, ita sum ad scribendum impiger, & in hoc munere siue studio, siue natura minime cessator. Non tamẽ erat quod uereris silentio etiam diuturno amicitiam nostram posse labefactari, perpetuus amicus sum ego, non temporarius. Et firma satis non est amicitia, si qua uelut tibicines has literarũ sibi uicissitudines postulet, quæ (ut Plauti dixerim uerbo) quasi nutãtem infirmiusculamq; furcilent. Sed ut ad ea ueniam

ueniam quæ scribis. Adhortaris me tu ad actuosam uitam & ciuilem, frustra me & in ignominiam quasi, ac contumeliam tam diu philosophatum dicens, nisi tandem in agendarum tractandarumq; rerum palæstra desudem. Et equidem mi Andrea oleum operamq; meorum studiorum perdidissem, si ita essem nunc animatus, ut hac tibi parte accedere & assentiri possem. Exitialis hæc illa est & monstrosa persuasio, quæ hominum mentes inuasit, aut non esse philosophiæ studia uiris principibus attingenda, aut summis labijs ad pompam potius ingenij, quàm animi cultū uel ocio se etiam delibanda. Omnino illud Neoptolemi habēt pro decreto, aut nil philosophandum, aut paucis. Pro nugamētis & meris fabulis iam illa accipiuntur, sapientum dicta, firmam & solidam felicitatem in bonis animi esse, extraria hæc corporis, uel fortunæ, aut parū, aut nihil, ad nos attinere. Sed inquies, ita uolo Martham amplectaris, ut Mariam interim non deseras. Tibi parte nō repugno, nec qui id faciunt, damno uel accuso. Sed multum abest ut à contemplandi uita ad ciuilem transisse error non sit, non transisse pro flagitio aut omnino sub culpæ nota uel criminis censeatur, ergo uicio alicui uertetur, & uirtutem ipsam uirtutis gratia nil, extra eā quærens perpetuo affectet & prosequatur, quòd diuina mysteria, naturæ consilia perscrutans, hoc perfruatur ocio, cæterarum rerum despector & negligens, quando illa possunt, sectatorum suorum uota satis implere. Ergo illiberalem, aut non omnino principis erit non mercennarium facere studium sapientiæ. Quis æquo animo hæc aut ferat aut audiat? Certè nunquam philosophatus est, qui ideo philosophatus est, ut aliquādo aut possit, aut nolit philosophari. Mercaturam exercuit ille, non philosophiam. Scribis appetere tempus, ut me alicui ex summis Italiæ principibus dedam. Adhuc illam philosophantium de se opinionem nō nosti, qui iuxta Horatium se regum reges putant, mores pati, & seruire nesciunt, secum habitant, & sua contenti animi tranquillitate, si bijpsis ipsi supersunt, nihil extra se quærunt, quæ in honore sunt apud uulgus, inhonora sunt apud illos, & omnino quæcunq; uel humana sitit libido, uel suspirat ambitio, negligunt & contemnunt. Quod cum omnibus, tum illis dubio procul faciendum est, quibus se ita indulsit fortuna, ut non modo lautè & commodè, sed etiam splendidè uiuere possint. Magnæ istæ fortunæ sublimant quidem & ostentant, sed sæpe uti ferox equus & sternax sessorem excutiūt, certe semper male habent & uexant potius quàm uehant. Aurea illa optanda mediocritas, qua nos uti manus uehat æquabilius, & imperij patiens nobis uerè seruiat non dominetur. In hac ego opinione perstans cellulam meam, mea studia, meorum librorum oblectamenta, meam animi pacem, regijs aulis, publicis negocijs, uestris aucupijs, curię fauoribus, antepono. Nec mei huius literarij otij illos fructus expecto, ut in rerum publicarum æstu atq; tumultu iacter & fluctuem, sed ut quos partu-

rio tandem pariam liberos, & quod felix faustumq; sit dedam aliquid in publicum, si non doctrinam, ingenium saltem & diligentiam quod oleat. Et ne credas nostræ industriæ & laboris quicquã remissum, scito me post multam assiduis indefessisq; lucubrationibus nauatã operam Hebraicam linguam Chaldaicamq; didicisse, & ad Arabicæ euincendas difficultates nunc quoq; manus applicuisse, hæc ego principis uiri & existimaui semper, & nunc existimo. Sed hæc ut uerè, ita seuerè dixerim, Equidem principes istos excellentissimos in primisq; magnanimũ Barri ducem Ludouicum ita colo & ueneror, ut ex Italiæ principibus neminem magis, illi me multum multis de causis debere intelligo, & nihil est tam graue, nihil tam arduum, quod (mihi si detur facultas) demerendi hominis causa facturus non sim. Sed quæ illorum est amplitudo, & mea tenuitas, ut ego ipsis non egere non possim, ita egere ipsi aut mea opera, aut meo isthuc aduentu nullo modo possunt. Romam propè diem proficiscar inibi hyematurus, nisi uel repens casus, uel noua intercidens fortuna, alio me traxerit. Inde fortasse audies quid tuus Picus in uita umbratili & sellularia contemplando profecerit, aut quid tandem (dicam enim quanquã arrogantius) quid inquam, quãdo tu illi isthuc accedenti doctorum copiam polliceris, aliorum operę indiget in re literaria. Romæ, & ubi, ubi terrarum fuero habebunt principes isti cui imperent, quem uelut trusatilem, ut inquit Plautus, molã pro arbitrio uersent. Quod scribis de re uxoria, nec temerè nec de nihilo dictum existimo, sed Dauus sum, Oedipus non sum, nec si sim esse uolo. Id quicquid est, si uidetur latius explica, sin minus esto Harpocrates. Ego ut sese res dant, in arma cõsilium capio. Rhythmos meos Hetruscos non est quòd desideres, iam dudum amatorijs lusibus nunciũ remisimus, alia meditantes. Sed hoc te quoque monitum uolo Lauram tuam, si eam esses æditurus, supprimas adhuc aliquot dies, nam forsan paulo mox legent nostri homines de amore, (uide quid dicam) quæ nondum legerunt, Et tu annotare plurima poteris qnæ ad rem tuam plurimũ facient. De Alibrana quanquam dignus non est, de quo uerba faciam, hæc tamen dixerim, benemeritum illum domino male gratiam retulisse. Nec est quòd fugam suam in quenquam alium quàm in seipsum reijciat, aut deriuet, quando meis domesticis, quod negare ille non potest, nõ minus ferè quàm mihi debet, sed non primum nunc ut tu nosti, aut fidem fefellit, aut dominum lusificatus est, scio quid postquam etiam aufugit in me ille & de me, sed non curat culicem elephas. Et condonatum tibi uolo quicquid antehac leuis homo peccarit, sed ne abutatur in posterum patientia mea, ne qualem se mihi ille immerito præstitit, talem me ego illi tandem præstare cogar. Quod amicum illum tuum, cui in amore res male cesserit apud Floreanum nostrum excusaueris, ex officio feciſti, habet ille quidem & ex historijs, & ex poëtis, ex ipsa etiam philosophia unde se à nota criminis uẽdicet, habet unde

unde magnorum se hominum præiudicijs, Dauidis præsertim Salomonisq; tutetur, ut Aristotelem taceam, qui dum nonnullas etiam meretrices sæpe deperibat, suorum de moribus præceptorum nil meminit, quando amatæ fœminæ uti Cereri Eleusinæ sacra fecit. Sed ille hæc tutamenta, & quasi propugnacula sui facinoris non amplexat modo, uel amat, sed odit, & reijcit, & recusat, iacturam queritur suam, non culpæm deprecatur, dolet quòd peccauit, non defendit. Et mihi quidem uel hoc nomine uidetur cæteris excusandus, quòd ipse se nil excusat, nihil homine imbecillius, nihil amore potentius. Hieronymi illa inuicta & inconcussa mens, dum cœlo tota inhæret, puellarū choris intererat. Quæ illum pestis potuit uel infestare, quem nō edomabit? Si hoc amor in eremo, in humo collisis membris, in hebdomadarum potuit inedia, quid in pluma, in umbra, in omni deliciarum affluentia non poterit? Accedit quòd ille nunc primo cecidit ruinæ huius alioquin insolens & ignarus. De neptuno cōqueri potest, qui semel tantum naufragium fecit. Si ad eundem iterum offenderit lapidem, nemo manum porrigat, nemo misereatur. Nunc non excusari iure nō potest, quem ita facti pœnitet, ut fauore excusationis se dignum ipse non existimet. Sed hæc etiam nimis, quando amicus tuus huiusmodi facti memoriam, nō solum aliquo modo literis tradi, sed quod sequens uita eius faciat obliterari penitus cupit. Vale. Christophorus non aderat cum tuas accepi. Domino tuo & uniuersæ Bonromeæ familiæ, quam & amaui semper, & nunc plurimum amo, me non uulgariter commendabis. Perusiæ. 15. Octobris, 1486. anno gratiæ.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, IACOBO Antiquario suo, S.

INter uoluptates quas cum eram Florentiæ de Politiani consuetudine maxime capiebam, uiri mea sententia nostro æuo omnium literatissimi, non erat illa mediocris, quòd tuas ad ipsum epistolas graues illas, semper & elegantis, ut quamq; accepisset, statim mihi dabat legendas. Delectabat in illis me uehementer, & prudentia quædam singularis, qua magnis etiam in rebus negocijsq; tractandis à prudentissimis commēdaris, & orationis cultus atq; sobrietas, tum quòd in nonnullis honorificam nostri mentionem faciebas, non solum mihi tuæ literæ placebant, sed in illis quoq; ipse mihi placebam, scilicet testimonio tanti uiri cedente conscientia quæ non nihil dissimulans quod sentiret, qua si ipsa se proderet non magnopere pugnans & propemodum uolens fallebatur. Ita duplici nomine tibi eram deuinctus, inde tuæ uirtutis hinc collati sæpius in nos nō officij modo, sed beneficij cogitaui non semel agere tibi gratias per epistolam, ne forte parum gratus aut ne tecum rusticus existimarer. Verum cum tu Politianusque noster pulcherrimum quoddam inter uos litera-

rum commercium exerceretis, nolui Musis importuna Pica obstrepere, quasi & male uocalis Anser, alternæ sibi concinnentes olores interturbare, alioquin tibi animum nostrum per Politianum nostrum patere sciebam, tum conscius infantiæ meæ interprete utebar eloquentissimo. Nunc ab ipso missæ ad nos tuæ literæ sunt, quas ad Ricium nuper dedisti, iuuenem ingeniosum, in quibus tantum tribuis mihi, quantum nec optare ausim, ne dum mereri me credam. Rupit officij magnitudo nostrum hactenus nescio an inciuile, certe non superbum silentium, nec potui tibi non agere gratias immortales, non quòd premas me laudibus immodicis quas non agnosco, sed quòd ita me ames, ut tuum illud alioquin constans robustúmq; iudicium tantopere tamen in nobis sub amoris pondere uacillauerit. Debeo igitur tibi super quàm uel ego possim persoluere, uel tu facile credere nec est quicquam tam arduum, tam difficile, quod non æquè pro tua dignitate sim facturus, ac pro mea salute. Tu quod in Politiano me possidebas hactenus, nunc uerò nihil mutata re tuis tantum rationibus Pici nomen quod fuberat explicabis. Vale. Ex agro Ferrariensi die. 28. Iunij. 1494.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, ANDREAE CORNEO, S. D.

SAtisfactũ est planè uotis meis abũdè satis Andrea charissime. Quãdoquidem ex tuis ad Christophorum utíq; nostrum charissimũ literis accepi, ísthic te cum tuo & commodo & dignitate uiuere. Est enim fuitq; semper hoc à me optatum maximè, tibi esse bene atq; beatè, & quo nihil demum habeo maius dicere pro meritis tuis, quod quidẽ euenturum nunquam dubitaui. Atq; hoc unum mihi semper cõstitit, dum uel lingua tibi superstes esset, ubi gentium fores, futurum te in sublimi. Noui (quod citra adulationem dictum sit) animi tui generositatẽ, quæ nihil humile aut plebeium patietur. Noui uirtutes tuas, doctrinam, mores, atque prudentiam, quæ omnia te quocunque collineabis facile perducent. Valitudinem tantum tibi timeo tot morbis ab incunte ætate ut mihi narrare solitus es in hanc usq; diem oppressam, debilitatam tamen magis quàm fractam, adeò & illa tuum mouit ingenium, ut uinci nesciat, sed perpetua quadam soliditate sua aduersus fortunæ ictus strenuè pugnet. Habeque so non minus ualitudinis rationem, quàm fortunarum, quandoquidẽ hę ubi uita deficit nullæ sunt. Quod uero de me apud omnes honorificè uerba facias, facis tu quidem pro tua & humanitate, & uetere in me beneuolentia, debeoq; ob id tibi tantũ, quantum qui debet maxime. Sed uereor ne tuã ipsemet telam retexas, dũ meas ineptias, & quę mihi in ætate teneriore nugæ profluxerũt in publicũ euocas, sunt enim ea omnia inepta, satis inerudita, uel si etiã cum eis benignissime decidat, non ea certe sunt, quæ eam quam de me isti homines oratione tua opinionem iam forte conceperunt sustinere possint. Qualiacunq; sint, mittenda duxi, ut tibi uel totius famæ dispen-

dispendio satisfacerem. Te tamen rogatū uelim ut hæc leuiora omnia habeas, nam si res tandem desiderabis meas, & grauiora habemus in manibus, quæ ad umbilicum nondum ducta sunt. Et hæc quoque ipsa quę misimus absolutiorem poscebant limam. Verū & tempora, & philosophiæ studia, quib. maximè inuigilo, ab opere me diuerterūt. Redibimus tamen aliquando ad Musas, & si quid excuderimus tuis auribus dignum, curabimus ad te protinus delatum iri. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, R. C. C. S.

MAtthæus noster uir officiosissimus & salutem mihi plurimam tuis uerbis dixit, & quo me amore, qua beneuolentia prosequare, apertissimè declarauit, pollicitus insuper & tuo nomine studium, operamq; tuam, si quando his mihi uti contigerit. Cui officio utinam par essem pater humanissime. Suscipi enim me in tuam fidem, & inter tuos connumerari & optaui semper, & speraui. At obuium habere te ultro, me tam benigniter, tam amicis, tam liberalibus pollicitis adeūtem, & quasi ad amicitiam, si licet, sed per te licet uocantem tuam, & spem meā, & uotum omne superauit. Quid enim aut quantum est ab eo inuitari, à quo fuerat satis non excludi. Quāquam feciſti rem, & si non me, te tamen dignam. poteram enim pro meis meritis non admitti, non poteram pro tua humanitate etiam non uocari. Quamobrem quantum aut mihi gaudeam, aut tibi debeam, quo pacto explicem, qui nec concipio. Certè ob hæc tanto magis tibi debeo, quanto minus hæc (quæ nulla ex parte) mihi tu debeas. Neq; enim nimis sunt illa grandia, & nimis multa quæ & Matthæus & amici reliqui retulerunt, ex uolūtate potius, quàm ex iudicio me extimantes. Sed qualis tamen, aut quantus sum, patiare me quoque inter omnes esse, qui tuas uirtutes, ut taceam cætera colunt, & admirantur, per quas in te est uidere, & quod uincat antiquitatem & quod uinci à posteritate non possit, ut dixerim hoc merito, cum in te nihil quod uel in honesto, uel prudentia, uel doctrina sit positum, desideretur. Desiderari hoc unum debere ab omnibus, ut per te aliquando, iuxta Platonis uotū, summa potētia, cum summa sapientia coniūgatur. Sed hæc à Deo, à te interim hoc peto, & rogo, ut mihi nō referēdæ gratiæ, neq; enim locus, aut per tuā amplitudinem, aut per meam tenuitatem, sed testandi animi erga te mei, testandæ fidei & obseruantiæ occasionem præstes. Experieris Ioannē Picum hominem supra omnem opinionem tibi deditum & deuotū, de quo polliceri magis tibi non potes, sed potes ea omnia qualiacunque sint, quæ sunt in eo, quibus tu ipse cum uteris splendoris tui aliquid inuehes, fientq; magna cum tua esse cœperint, quæ dum sunt mea magna esse non possunt. Vale.

IOAN-

IOANNES PICVS MIRANDVLA, SVO Alexandro Cortesio, S.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quas non ut putas ad ignotum ignotus, sed ad amicũ, & quidem ueterẽ, amicus nedum ad notum notus nuper dedisti, nosti enim & tu me antea ut scribis, & dignũ existimasti quem amares, ego itidem de tua doctrina atque uirtute cum à pleriscp, tum à Politiano nostro sæpius audiui, cuius iudicio quis nõ confidat? fecit ille apud me tuæ probitatis fidem, facere potest & apud te cœptæ meæ iampridem fidem beneuolentiæ. Cui quidem & si erat maxima, per epistolam tamen tuam eos scito cumulos accessisse, quos cõcipere animo uel pauci possint. Quid enim illa suauius? quid eruditius? ut est docta, ut est amabilis, & Puccio nostro de me amicè magis quàm uerè loquenti largissimè subscribens. Profecto nec mihi quicquam illa gratius à te poterat cõtingere, nec tua de me opinione quicquam honorificentius, pro quibus uniuersis & tibi gratias ago quàm maximas, & quęcunqp aut mea, aut in me sunt debere Alexandro meo confiteor. Epistolam quam petis nostram ad Laurentium Medicem, ad te mitto. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, DOMINICO Benituenio, S.

SAlue mi Dominice in Domini sortẽ electe. Gratæ mihi fuerunt literæ tuæ, gratius quòd & corã ex fratre dum hic agebat, & per literas ex Petro Anto. nostro cognoui, firmiori te esse habitu corporis & meliori stomacho. Cura si nos omnes, si literæ tibi sunt curę, ualetudinem tuam, de qua profecto non ob id tantum fui, semper sum sollicitus, quòd te amo (amo enim uehementer) cęq propterea quòd literas amo, quas tecũ simul periclitari & credo, & certè scio. Si qua de nostra in beneuolentia tibi retulit frater, fidem habeas plenissimã, si quid de nostris laudibus, tam parum ei credas, quàm ille me multum amat. Commentariolum nostrum non est quòd admireris, ocioſi cum esse uoluimus, & omnino nihil agere, id egimus, animũ remittentes potius cęq intendentes. Omnino præludium est commentariorũ, quæ in Platonis sympoſium meditamur. Erit in illis quod tu saltem ames & laudes, qui omnia nostra amas & laudas. De concilio, de quæstionibus, ut puto retulit frater, iã nosti cur scripserim me tibi laborare, quod à me petis maximè lubens faciam, cum te intellexero, ex ea qua laborasti hucusq corporis imbecillitate, in primam optatamq ualetudinem restitutum, quam tibi eo animo precor & opto, quo mihi tu salutẽ animi precaris & optas. Vale ex Fratta 10. Nouembris. 1486.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, ANDREAE CORNEO, S.

ETsi ad te literas dedi, aut raro, aut nũquã, cogitaui tamẽ de te, & tuis rebus, aut sæpe, aut semper. Sed nolo tibi spem uẽdere, nec prius ad te scribã quid faciam in tuam utilitatẽ, quàm cum scribere potero quid

quid perfecerim. Quod si nunquam pro tuo uel meo infortunio contin-
get, malo credas me nihil potius quàm frustra in tuis rebus laborasse. Sed
fortè lætior tibi erit fortuna quàm aut ipse speres, aut illa soleat. Carmina
nostra non est q̃ tua Laura moretur, qnoniam reuocata ad incudem sunt,
ut pressius afformentur, nec prodire, quo nunc sunt multa, audent in pu-
blicũ. Differt aũt emendationem instans ratio, & urgẽs noui operis quod
habeo in manibus hortatu Laurentij Medicis, in quo Dauidicos hymnos
non solum illumino longiori interpretamento, sed qnoniam quos ecclesia
decãtat, hi à septuaginta uersi sunt interpretibus, eãq̃ translationem plus
quàm sexcentis locis, uti parum fidelem Hebræi coarguunt, ego proprie-
tati innixus Hebraicæ & Chaldaicæ literaturæ, cũ & sensuum integritati
illos ab omni Iudæorũ calumnia assero & defendo. Reliquũ nõ est q̃d scri
bam, nisi ut me Hermolao quoties hominẽ uides, toties nõ uulgariter com
mendes. Facitẽuir doctus & grauis Iacobus Volateranus amari se à me ue
hementer intelligat à q̃ si epistolas Simmachi ad paucos dies dũ scilicet ex-
scribant unq̃ impetrauero, p̃petuo me sibi bñficio deuinciet. Vale. 1489.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, BAPTISTAE
Guarino præceptori suo, S.

QVid contrahis frontem? an quòd contra quam præceperis, atque
ideò iniuria tibi inscripserim præceptori. Si præceptor nõ es, iure
tuis nõ sto præceptis. Si præceptor es, iure te appello præcepto-
rem. Tu uerò quid discipulum renuis, quem tãtopere laudas?
Pugnãt hæc inter se nisi alterum forte amoris est, alterum iudicij, & cuius
laudes prædicas ex beneuolentia, eiusdem errata uereris ex conscientia, ne
scilicet tibi pudorem faciant, quæ possis fortè laudator, non possis præce
ptor non agnoscere. At recipe quæso me uel hac lege in participatũ disci-
plinæ, ut te ego in nostræ, si qua erit gloriolæ, participatum admittam, pla
gas sustinerem solus. Sed quid frigidis iocis moror ardorem meæ lętitiæ,
quam ex tuis literis, ex tua tam graui, tam honorifica laudatione concepi,
nunc demum mihi arridet, nunc mihi est grata Heptaplus mea, postquam
sub tuo præconio, quasi clypeo Palladis iam se ostentat æmulis inuulne-
rabilem. Hortaris me tu ad alias hoc genus scriptiones, quod frustra fa-
ceres, nisi dum mihi plena adeò cera subscribis, igniculos bonæ immittẽs
spei feciss es me ad scribendum quàm fuerim antea longè fortiorem. Adeò
enim tam iudicio tuo mihi confido, ut quod totius instrumenti uete-
ris enarrandi onus suscepi, cui omnino sum impar, iam tamen solito lon-
ge fortius feram. Quod attinet ad libros, fortasse tibi melius satisface-
rem si indicem haberem eorum librorum qui sunt apud te, quoniam
possent multi ad rem tuam facere, quibus tamen non egeres. Lauren-
tio Medici tua prædicta uirtus te fecit commendatissimum. Neque un-
quam inter nos mẽtio deuiris doctis huius ætatis, quin plurimus in ore sit

Guari-

Guarinus, præsertim cum noster interuenit Politianus (interuenit autem semper) qui tibi tantum tribuit quàtum nemini. Vale nostrorum optime atq; doctissime, & Pictorium nostrum communes delicias quantum potes meo nomine saluere iube.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, ANTONIO Picimanno, S. D.

NIhil tota uita mihi fuit iucundius his literis quas nuper à te accepi, plenas amoris, officij, humanitatis. Ita sim felix, ut te non fallo, nisi mihi ille fortè dies iucundior, quo me ipse & Grimannus, nescio tuus an meus magis, & conueniistis amicè, & honorificè salutastis, quanquam enim uelut personam mutuati, non qui eratis, sed quasi nescio quos lepido commento nominum mihi uos exhibuistis, suauissimum tamen uestrum ingenium, singularis doctrina, amabilis grauitas, liberalis modestia, Ingenium, os, lepidissimus sermo, Grimannū mihi & Picimannum apertos uerosq; repræsentabant. Quare etsi ipsa falli nomenclatura fraudari tamen uoluptate non poteram, quæ mihi ex uobis debebat, dissimulare nomina potuistis, uirtutem non potuistis, quæ suo se proditfulgore & latere nescit. Illa de rebus physicis tam grauis tractatio, illæ acres cõtortæ argumentationes, illa iudicia castigatissima, quos poterant alios, quàm uos ipsos mihi denũciare? Gratulabar ego mecummet tacitus, cum uos audiebam, ætati nostræ quæ non unum ut putabam Grimannũ, non unum Picimannnm, sed duos Grimannos duos Picimannos fœcundior protulisset. Vt autem mihi noster Politianus quinam fuissetis indicauit, iam non tam ætati meæ quàm meo cœpi iudicio gratulari, ita mihi agnoscere in uobis omnia sum uisus quæ in illis, id est, uobis constantissimo esse omnium testimonio deprehenderam. Sed uide ut me agãt transuersum & à tua epistola ad se uestræ laudes abducant, quanquam & illa eodem quoque uocat uel nolentem, sed reprimam me ne uidear quasi mutua operam uelle laudibus satisfacere, quibus tu plurimis me cumulasti, quæ siue ex animi sunt propensione, siue ex iudicio, nescio honori an uoluptati mihi maiori fuerint. Debeo plurimum mi Picimanne animo isti erga me tuo. Sed fac quæso tu quoque si quando accidit de me periculum, de mea scilicet in te uoluntate, cognosces hominem ita amantem tuæ uirtutis & studiosum ut nec ipsi Grimanno tuo primas in te amando sim concessurus. Vale. Die. 9. Iulij. 1489.

IOANNES PICVS MIRANDVLA, IGNOTO amico, S. D.

QVisquis es noster eris, postquam Roberto Saluiato nostro, ut per eius accepi singrapham es coniunctissimus. Legi literas tuas ad Mithridatem quas illi absenti reddere non potui. Amare te in illis cœpi, non tam iam eo nomine quòd te Robertus amat, quàm

quàm quòd te amare literas (& quòd est principalius) sacrarum rerum & legis studiosum esse cognoui. Et quoniam de his quæ petebas uisus sum mihi posse aliqua ex parte tibi satisfacere, ut hinc bene nostram auspicarer amicitiam, uolui quid ego sentirem tibi significare, quod certe facerē longe locupletius, si hic illos meos omnium hominum amicos, id est, meos libros haberem quos consulerem, sed meilli iam Romam quasi anteambulones dominum præcesserunt, & ego ipse hæc petasatus iam & caligatus in procinctu cū essem ad te dedi tam familiariter quàm festinanter. Quod petis de Iosepho, scias iustum Iosephum apud Hebræos non reperiri. Sed Iosephi epitoma, id est, breuiarium quoddam, in quo & multa sunt commentitia, & quæ de decem tribubus ibi leguntur quæ post babylonicam captiuitatem post liminio non redierunt ea esse notha & adulterina ex Hebræis mihi plures confessi sunt, quapropter illorum Iosepho nulla omnino fides adhibenda. In Iosepho Græco scio esse quædam quæ de Christo, & fidem, & honorificam faciant mentionem, sed eadem esse penitus cum his quæ in Latinis codicibus leguntur, non assererem nisi exemplar Græcum, cuius hic, mihi nulla est copia, recēs legerem. Et ut ad ea ueniam quæ de Chaldæorum Hebræorumq; literis desideras, percunctatus sum ego sæpe in Mithridatē & multos Hebræos de his quæ apud Hieronymum in Galeato prologo leguntur, ubi ille scribit eosdem olim fuisse Samaritanorum & Hebræorum characteres, Esdram autem post instaurationem tēpli sub Zorobabel alias adinuenisse literas, quæ nūc sunt in usu, nescios se huius mutationis omnes prædicant, & (quod est maius) pro comperto habent ijsdem quibus nūc utimur in Hebraica literatura apicibus usos & Mosem & Patriarchas antiquos omnes, cui sentētię ut nūc mihi subuenit, fidem maximam facit sciētia Cabalę, cuius scriptores, qui cum ipso Esdra in synodo fuerunt, sub ipsis literarum characteribus & figuris, quib. nunc legem descriptam habemus, dissimulasse Mosem diuina mysteria, & uoluntate & probant: quod esse nullo modo posset si alijs Moses ab his quibus nunc utimur characteribus usus fuisset. Quo tamen tutari dictum Hieronymum possim, hoc unum habeo quod nuper legi in commentarijs libri quem pater antiquus Abraham de Creatione edidit, dum enim duas illas & triginta portas, quarum meminit, authores interpretantur, dicunt numerum illum ex decem numerationibus & duabus ac uiginti literis conflari. Reliquas autem literas quę sunt mem tzade pe caph, & nunquā duplices dicunt quarū characteres sunt ם ץ ף ך ab episcopis siue perfectis additas fuisse, hoc fortè Hieronymus intellexit, cuius testimonium & haberi apud omnes omnibus in rebus debet, & habetur profecto apud me sanctissimum. Alphabetum Chaldaicum quod petis, nec à Mithridate impetrasses, nihil per illū, licet ut à me impetrare possis, à quo posses omnia. Nam ille docere me Chaldaicam linguam nulla uoluit ratione nisi adiuratum

iuratum prius, & quidem conceptis uerbis, ne illam cuiquã traderem, faã cere fidem huius rei tibi potest noster Hieronymus Beniuenius, qui cũ adeſſet forte dum me ille docebat, furens Mithridates hominem eliminauit. Sed ne frustra omnino scripseris uicarium habeas pro Chaldaico Arabiã cum alphabetum, quod mea manu tibi annotatũ mittitur. Reliquũ quod scribam nihil est nisi me tui quisquis sis, esse non posse non amãtissimum, si ego te amantissimum esse bonarum artium intellexero. Vale, ex Fratta, 10. Nouembris. 1486.

TESTIMONIA CELEBRATISSIMORVM VIRORVM, uitæ, doctrinæ, & commentationum, Ioannis Pici Mirandulæ uarijs ex locis collecta.

EPISTOLAE DVAE FRATRIS BAPTISTAE MANT. Carmelitę Theologi doctissimi & eloquentissimi ad Ioannem Franciscum Picum Mirandulam Concordiæ comitem, de morte Ioannis Pici eius patrui.

ILlustris domine, nuper audita morte Ioannis Pici auunculi tui uiri clarissimi atq; doctissimi, sic animo consternatus sum, ut neque pes, neq; mens satis suo fungeretur officio. Parum abfuit quin & de Deo, & de natura sim conquestus, quòd tantum lumen è mũdo tam cito sustulerint, tantum Italiæ ornamentum, tantam ætatis nostræ gloriam, quasi terrenæ Reipub. bonis inuideant, nulla habita nostri ratione, succiderint, succiderint inquã dum creſceret, dum floreret, dum copiosissima ingenij sui fertilitate pasceret uniuersos. Sed recordatus sententiæ Pauli, qua inquit, iudicia Dei abyssus multa, continui me, ne male de Deo, & de operibus eius, impia temeritate sentirem. In occasu uiri huius passa sunt magnam eclipsim studia literarum, scientia rerũ, integritas morum. Erat enim (ut scis) in patruo tuo sic uitæ sanctimoniæ coniuncta linguarum eruditio, & humanarum diuinarumq; rerum cognitio, ut in uno eodemq; homine uideres uidere Hieronymum & Augustinum reuixisse. Atq; utinã opus illud de concordia Platonis & Aristotelis antequam decederet, absoluisset. Polliceba tur enim titulus eius omnem antiquorum philosophiam, & reconditissimarum ac scitu dignissimarum rerum apertionẽ. Omnia eius opuscula, quæ absoluit, quæ etiam imperfecta reliquit, sunt omni studio & diligentia conquirenda, nam cum à tanta ingenij felicitate profluxerint, non possunt, non esse dignissima, quæ ab omni posteritate legantur, amentur, & adorentur, ad quod officium te prouocarẽ, nisi te sic persuasum & animatum satis crederem. Deerat hoc familiæ tuæ decus immortale, ut apud nobilitatem antiquissimam, diuitiarum & opum affluentiam, rei militaris gloriam, collocaretur etiam excellentia tanta sapientiæ, ut omnia quæ apud mortales, summa laude digna sunt, in unam domum tuam confluerent.

rent, Te uero Ioan. Franc. summa ope niti decet, ut patrui tui uirtutem hæreditate possideas, & ut spiritus eius in te duplicetur, sicut Heliæ spiritus in Heliseo. Hoc à te expectamus, hoc requirimus, cum eius opuscula collegeris, precor, ut me quoq; participem reddas, & erit mihi operæ preciũ isthuc tantæ uoluptatis gratia me conferre cum sciero. Distichum in laudem eius ex tempore factum, quanquam non placeat, tamen subijciam. Vale princeps optime & me ama. Mantuæ, die 27. Nouembris. 1494.

Picus Ioannes, cœlos, elementa, Deumq;,
Doctus, adhuc iuuenis, sanctificatus obit.

ILlustris comes Ioan. Franc. dilatio honestissima tuæ responsionis credidi fecerat literas meas in uia perijsse, & dum propterea nouas ad te dare statuerem, iamq; incepissem eas exarare, superuenerunt tuæ desideratissimæ, ornatissimæ, iucundissimæ nocte insequuta. Credo ex eo quòd die cogitaueram dormienti mihi sub auroram tempore quo cerni somnia uera solent, uisa imago patrui tui iam uita functi superuenire, & mecum multa de angelorum natura, de spirituum aëriorum ac terrestrium, aquaticorum etiam speciebus, nominibus, officijs, cum summa utriusque nostrum uoluptate diserere. Et cum eum interrogassem cur balbus esset (balbus enim uidebatur) id signum esse respondit imperfecti & inabsoluti sermonis, quem de rerum natura, & de philosophia iam dudum inchoarat. Videbar accensus desiderio percunctandi de rebus occultis plurima, quę nobis mortalib. mirabilia sunt & ignota, & nescio quo pacto id primum occurrit quid scilicet amuleta prodessent infantibus, & corallia, & id genus alia, quę infantulorum collo alligantur: respondit in his aliquãdo aliquid uirtutis inesse, & hoc ad magiam naturalem pertinere, sed ut plurimum damnatas cõsuetudines, & superstitiones esse: his dictis euanuit, & ego expergefactus diu multũq; cogitaui, quæ colloquuti fueramus insomnis, quia non inania esse sed pensi aliquid habere uidebantur. Scribo autem hoc non quòd in somnijs ullam fidem adhibeam, id enim est & à professione mea, & à natura alienum, sed quia non satis mirari possum, quonam pacto fiat ut dormientes disputent, doceant, discant, & ea plerunque faciant, quæ à uigilantib. fieri sit impossibile, uel certe difficile. habent certè nescio qd diuinitatis animæ nostræ, & si sanctè ac piè uiueremus, nec tot negociorum ambagibus circumagerentur animi nostri, haberent nobiscum spiritus separati magna commertia. Sed de his hactenus. Quod uelis, ut scribis, patrui tui uitam conscribere, & laudo, & ut maturius id agas hortor, & obsecro, id enim officij tibi maximè congruit, & tibi pluribus de causis est assumendum, nã & stylo & eloquentia plurimum uales, quod est naturæ, & industriæ, & Dei donum singulare. Item quòd gentilis eius sis, & tã mirabili uiro arctissima cognatione propinquus, quo fit ut eius gloriæ non esse particeps non possis. Nec ullo modo pati debes ut clarissima

sima familia tua, quicquam tanti ornamenti ac splendoris amittat. Accedit ad hæc, quòd nulli magis quàm tibi nota esse debet eius uita, quam tibi, iampridem imitandam proposueras, & quidem sapiẽtissimè, erat enim egregium quoddam sanctimoniæ & religionis exemplar, in quo totius sapientiæ lumen apparebat. Dicam ergo tibi quod Christus dixit Apostolis, Colligite fragmenta ne pereant: & id tanto studiosius agendum quanto nobis, qui superstites sumus, & futuræ posteritati magis est profuturũ. Proculdubio & si uideo magis ei gratulandũ qui postquã tam breui nauigatione tantum spiritualium opum congessit tam feliciter in portum peruenit, non possum tamen de tanti uiri iactura tecum non dolere. Mors Georgij Merulæ primum condiscipuli, postea præceptoris mei (nam sub Gregorio Tiphernate cõmilitauimus) tristitia me affecit, sed erat ille iam grandæuus & senio ingrauescente, iam inutilis & functus officio. Hermolai & Politiani duorum illustrium uirorũ lamentabilis occasus, attulit & mihi & omnibns literatis graue cordoliũ, sed altius hoc uulnus insedit, & longe maiorem in Pico nostro iacturam passa est res literaria. Eloquentiæ campi lugent, Mathematicarum artium studia conciderunt, Philosophia omnis, ac metaphysices, & theologiæ altissimæ speculationes, quas ille amplificare ac illustrare iam cœperat, deinceps obmutescent. Sed parco iam, ne dolori iusto plus indulgeam. Curandum magis est ut ei & scientiarum studijs ac exercitijs & morum integritate ac religione similes euadamus, & pari cum eo negociatione ditati, perueniamus olim quo ille iam peruenisse se gaudet. Quam primum potero ueniam, ut diuini eius ingenij reliquias immortales, quæ apud te sunt uideam & adorem. Interea scribendæ eius uitæ da operam, & me ama. Bene ualeat D. tua, cui me commendo. Mantuæ die. 3. Ian. 1495. Frater Bapt. Mant. Car.

EPISTOLAE QVINQVE HERMOLAI BARBARI uiri celeberrimi Patriarchæ Aquileiensis.

HERMOLAVS BARBARVS IOAN. PICO Mirandulano, S. D.

TV uero Piceadeò nihil mihi debes, aut silentij, aut officij alicuius erga te mei nomine, ut mihi literæ tuæ magno etiam rubori fuerint, qui negligentiam meam pro tua deprecaris apud me, cum utrunq; à nobis apud te prius quacunq; mercede redimi debuerit, hæc ingenij tui bonitas, candor, æquitas: Agnoscis alienam culpam, cum aut uitare aut partiri certè possis, in mutuo crimine sollicitus es, qui & antecatego ria & causa etiã meliore securus esse poteras, aut reus est uterq;, aut non tu. Alioquin iam quod ad te attinet purgasti, reliquum est ut & ipse satisfaciam. Sed quid à me, ad te potissimum scribi potest, inhortabor ut literas amare pergas, in quib. es eminẽtissimus, monebo ut uirtuti & bonis moribus

bus dedare, in quibus tantum profeciſti ut difficile cognitu ſit, utri philoſophiæ parti maiorem operam impenderis, ei quæ ſpectatiuas & inſtrumenta continet, an ei quæ dogmaticen paranæricenq; complectitur, omnino ſummum & humano captu maius eſt, quod tu aut genio, aut certè opifici tuo debes, tam tenera ætate conſequutus, quod extrema ſenectute impudentiſsimũ ſit optare. Non ſunt hæc Picę tua, naturæ ſunt, Dei ſunt, quanquam ſi aliquid tuum eſt, hæc maximè tua ſunt, Vide quantum minus tua dici poſſunt, nobilitas fortunæ, ualitudo, forma, quib. bonis tam nulli cedis quàm necillis, quæ magis tua ſunt. Huc te hortor cõuerte, hoc diu & nocte uolue, quantum nomen ei ſis quite uſque adeò ditauit, ut nec ſoluendo, nec exputando ſis unquam futurus, quæ poſsides. Cogita quantum poſsit, qui te iſta poſſe uoluit, quantum amet, qui de tam multis millibus ſibi legit, qui ſenes puer ferè uinceres, quiq; nondum ephœbus eruditorum hominum coronas in admirationem doctrinæ tuæ uerteres, niſi hoc uides, niſi æſtimas, iam nunc affirmo tibi, & libera uoce prædico, te non tantum eſſe quantum es. Immenſum & infinitum eſt quod mihi de te pridem ſpopondi, & ſpondeo, ſed opinionem præſumptam, nec oratio, nec prædicatio conſequitur, facio ego ut ſolent, qui quanto plus aliquem mirantur, & explicare uolunt quod ſentiunt, eo minus id aſſequuntur, quod uolunt, ut quanquam magnum aliquid animo concipiunt, uerba tamen deſint, & moliri potius quàm dicere potuiſſe uideantur. Proinde tu ne hæc auſculta, quæ nec de te ſcribo foraſq; promo, ſed illa potius intellige, quæ intus de te ſolus & tacitus loquor, tanto hercule maiora quanto cogitatio ſermone hoc eſt. Marſilium ſaluta & Saluiatum tuum. De Politiano nihil opus eſt labores, quia breui (ut audio) mecum erit, quo nihil mihi poterat in hac legatione tota iucũdius accidere. Bibliothecam iſthic in dies maiorem & ornatiorem inſtrui, tam gaudeo ut nihil ſupra, debent Florentinis literæ, & inter Florentinos Medicibus, & inter Medices Laurentio, qui gentiliciũ hoc familiæ ſuæ decus, non minori cura fouet quàm rempublicam, cuius adminiſtrandæ conſtituendæq; ius habet. Vale Mediolani Calendis Ianuarij. 1487.

HERMOLAVS BARBARVS ROBERTO Saluiato. S. D.

VAleris Saluiate ſi quid aliud præter occupationes meas ſuſpicaris fuiſſe, quamobrem tibi nondum reſponderim, uulgaris hæc & iactata ſilentij redemptio. Sed me hercule tã uera ut niſi tu eam probes, de meo in te amore, fide, ſtudio male meritus eſſe uidearis. Gratiſſimæ mihi ſemper literæ tuæ omnes, ſed illæ ſupra modum, in quibus Mirandulani mei nomen atque mentio, nihil eſt uno eo mirius in literis, nemo quem laudari, ornari, in cœlum tolli malim, nemo à cuius prædica-

tione digredi minus possim, in quo sum fortasse, nulli tamen esse uideor intemperans, tam multa in eo laus, tam nulla fini, ut iam & ambitioni, & assentationi locus desit. Apologiã eius legi, & in ea me, quid ille mihi tantum tribuit, tam parum merenti? cur ordinario testi, ne dicam gregario, tam honorifica præfatione denunciat? Illo præsertim opere quo nihil subtilius, uehementius, acutius, de quo tamen satius est iudicium meum differam tantisper, dum plane totum perlego. Quam autem rescire cupis quid agam, ecquid aliud possum dicere quàm studeo, publica quidem curatio, non nihil instantiæ ille meæ detrahit, imò studijs non instantiæ. Instat enim acrius, & pensum exigo acerbius, quòd mihi his maior abstulit assiduitate sartio, quanto mihi negociorum plus accesit, tanto auiditatis & alacritatis plus incusit. Itaq; ferias illas omnes, quas ualitudini priuatus homo dabam, in publica distribuo, itaq; mihi ex una causa deperit, ac decedit, alia ratione corrogo. Credo aliâs ad te scripsisse aut dixisse tibi, qui ex me audierint instrumentum Aristotelis, ita enim logicen Peripatetici ferè appellant, itemq; libros octo de auscultatione physica, & tris eius rhetoricos in Latinum à me pridem cõuersos. Dioscorides iam perfectus est, manus ei nunc à me summa imponit, parata, filiæ dos est, propediem locabitur. Tum leuatus onere, Aristotelem aggrediar totus totũ, qui nisi alio me Deus aduocet, ab Dioscoridis edictione biẽnio ferè prodibit absolutus, utiq; in logicis, & cũ eo cõmentarijs, quos in posteriores analiticos iam perfecimus, post emissa hæc inibo naturalia & diuina. Item Rhhetorica & Poëtica partim commentationibus, partim annotationibus, omnia eius philosophi uolumina pro uirili mea instruens. Sunt enim & in problematis & in animalium historijs nonnulla, quæ claritatem lucemq; desiderant, ea cursim & breuis annotamenti lumine præterfluam paratus. Nihil præterea nouum aggredi tota uita, etenim comprimenda mihi est auiditas, imò improbitas hæc ingenij, ne dum rectibile ac fertile haberise uult, id est, operosum & ambitiosum esse uideatur, quotidie uerius experior quàm dici solet paria esse. amplecti omnia & nihil. Vale Mediolani. 12. Calen. Nouembris. 1488.

HERMOLAVS BARBARVS IOANni Pico, S. D.

HExameron tuum nudiustertius ad nos Saluiati opera delatum, ita auidè legi, ut prima statim die nec tota sine interspiratione totum hauserim. Tria me in eo mirifice delectant: Primum quod oratio tua docet & mouet, id quod & in sacris literis ueteres theologos, & in philosophia etiam naturali Pithagoricos & Platonicos obseruasse constat, recentioribus in docendo tantum sudantibus: Alterum quod in tantarum copia & impunitate diripiendi, tam castas & innocentes manus habes, ut

bes, ut in hoc scribendi genere, teipsum non alium sequutus esse uideare, atque hoc iam nec cum ueteribus, nec cum neotericis cõmune, sed tibi peculiare atq; tuum est, in quo quidem (sensum tibi meum aperiam) ita sum affectus, ut quoniam hæc priores illi non dixerunt quæ tu dixisti, nihil ferè dixisse mihi uideantur: Tertium quòd uideo te non tam Aristot. quàm Platonis & sectarum eius sacris initiatum, plenos inde haustus in hanc lucubrationem contulisse. Omitto quàm multa ex Plotino egregia, quàm cursim & eleganter attigeris, ut quicquid ferè quatuor eius & quinquaginta uolumina in sex nouenarios à Porphyrio digesta continent non plus legisse quàm edidicisse uidearis. Nec illud prætereire possum, quòd inter nouos & ueteres theologos ita medium te geris, ut nec illorum simplicem maiestatem oderis, nec horum ambitiosa subtilitate rapiaris. Ita fit ut dum alteros imitari uis, alteros potes, utriusque generis optima decerpseris, id quod in ipsa quoque Dauidici poëmatis enarratione facturum te speramus. Vale. Ven. prid. No. Se. 1489.

HERMOLAVS BARBARVS IOAN. PICO Mirandulæ, S. D.

SAlue humanissime Mirandula. Ego uero de te tã libenter ubiq; prædico, ut nihil maiore uoluptate faciam, non solum quia nihil (ut inquit Plato) iucundius auditur quàm ueritas, sed etiam quia ut Paemo inquit, multo est dicere quàm audire uera iucundius: Accidit quòd labore nullo, ut est apud Aeschilum, Menandrũ, & Euripidem, sæpe etiam non quæsita ueritas prodit, inuitissimo etiam plerunque homini exprimitur, nullis quæstionibus, sed sua tantum ui. hæc est tyrannis illa, quam tu candorem tuum sequutus, humanitatem & bonitatem interpretaris, & Hercule tu iam tantus es, ut qui te non laudat, iudicio & existimationi suæ detrahat. Rem suam agunt, rationibus suis consulunt, suam famam redimunt, qui fauent & cupiunt tuæ. Multa sunt in diario suo nomina, quæ tu nescis, tibi creditores tui debent. Multi cõsilium Prodici sequuntur, Dant ut accipiant, manus manum scabit, ut Epicharmus recinit, quanto sane creditoribus, id est, laudatoribus tuis minus debes, tanto plus tibi, qui eos uelint nolint creditores facis tuos. O inauditum genus, æris aleni creditores esse, non esse debitorem. Sed occupatior sum quàm ut tecum diutius lusitare possim. At tu quam solutus es, dij boni, ut quenquam patiare feriantem. Hactenus obsecro me tuleris, longiorem iocum aliquem ut admittas non postulo, oscitatiunculam breuem postulo. Vale cum Politiano meo.

Romæ idibus Augusti.

1490.

HERMOLAVS BARBARVS ORATOR VENETVS,
Patriarcha Aquileiensis Ioan. Pico, S. D.

BEne est, bene conuenit, qui multum amas, multum ut mihi pontificatum Aquileiensem congratuleris, multo etiam maiora mihi tribuas & omineris, quàm aut possim optare, si sim cupidissimus, aut promereri si modestissimus. Scio pietatem tuam erga me, uideo quanti me facias. Agnosco uim amoris tui, nihil habeo comparatius, utinã aliquando sit ut mihi tecum uiuere, de natura, de Deo, de sanctis moribus philosophari liceat, quantum hoc cupiam, quantum secundis meis rebus accessionis factum iri iudicem si hoc eueniat, nec possum exprimere, nec si possim hoc utique loco uelim. Obsecro si me unquam beniuolentia tua dignum existimasti eodem numero & loco etiã meliore si fieri potest apud te censear Her. & sacerdos, ut quem paganum seculi dilexeris militẽ Christi factum arctius colas & cariorem habeas. Ego te & clarissimas uirtutes tuas, tam possum non prædicare, non admirari, non tollere, quàm tu non augere, si assentior aut mentior tibi, hoc est doctis omnibus sim contemptui, tenuit me pridem super te rebusq; tuis. * Nunc stupor & ecstasis scientiæ: Patienter hæc leges, nec exaltatũ erit cor tuum, nec elatos habebis oculos, cur enim tibi placeas, qui noueris hæc bona, quæ possides non tua, nec de peculio tuo esse, sed profectitia & dominica, Ignosce, rapuit & euexit me transuersum ueritatis aquilo & charitatis fauonius. Vale. Rom. prid. Calen. Apriles.

EPISTOLA FRATRIS BAP. CAR. IOANni Francisco Pico.

ILlustris comes ac domine, Patrui tui uiri doctissimi ac eloquentissimi apologiam uel magis apologiæ prologum legi, tanta animi uoluptate, quanta ueritate subnixa est, quanta luculentia splendet, quanto amore ac reuerentia eius authorem semper prosequutus sum. Sed eam legendo dum cupio sedare sitim, sitis altera creuit, desideriũ scilicet uidendi reliquũ, quod cũ tuæ dignationis munere consequutus ero, magnã felicitatis partem adeptum me putabo. Supergressus est patruus tuus Ioan. Picus iudicio meo omnis ætatis nostræ philosophos, his potissimũ rationibus, quòd alijs in Aristotelis & peripateticorum tantũ dogmatibus æuũ consumentibus, ipse Herculea audacia omnium philosophorũ sectas ac familias ueteres ac nouas miro ingenij uigore scrutatus est, & quòd neotericis nullũ orationis florem sequentibus, ipse ita philosophiã cum eloquentia cõiunxerit, ut antiquã & uerã academiã instaurasse dici possit, quæ tanto maiore admiratione digna sunt, quanto celeriore studio & paucioribus annis ad tantam uirtutis & gloriæ sublimitatem ascendit, nec uidetur scientiam ut cæteri labore ac studio multisq; lucubrationibus quæsiuisse, sed totam simul

mul casu reperisse, ut his accidere solet, quibus longe aliud agentibus ex insperato thesaurus occurrit. Felix ergo tanto alumno tua familia, felix nostra ætas tanto uiri huius illustrata splendore. Vale princeps dignissime & memento quantum te niti oporteat ut patrui habearis dignus imitator. Odio habeo ista locorum interualla, cupio enim tecum esse, ut possemus studiorum tu meorum & ego tuorum particeps esse. Iterum bene uale & Deum time. Mantuæ die. 39. Octobris. 1494. Frater Bap. Man. Car.

MATTHAEVS VERO. CANONICVS REgula. Rob. Saluiato. S. D.

INterpretatio Sex dierũ, quibus Deus cõdidit omnia, Ioan. nostri Miran. quã dono mihi misisti, ab illo Heptaplus inscripta atq; notata, & si plane huiusmodi sit ut ab legente & percurri simul & intelligi haud facile queat, ita me tamen initium operis incendit, & traxit, ut cupidus finis anhelum nusquam spiritũ retinens, illud nõ tam degustauerim, quàm certe uorauerim, ruminãdum per moram acriori deniq; studio & longiore lucerna. Visus est mihi Ioan. hic noster non modo philosophiã omnem & quicquid naturæ legibus continetur callere ac bene sapere, sed super humana etiã sese attollere, peruolare sublimia, & arcana mysteria sacramẽtaq; cœlestia ad mysticos sensus allegorias q; flexisse, quæ nostri temporis, qui sapientes habentẽ & eruditi, uix aut notant aut prorsus intentata prætereunt, difficillima atq; cœlestia hic enucleat, & quantũ res patiẽ, Sole splendidius aperit, patefit, illustrat, & quod mirabile est, iuuenis adhuc & in seculo agẽs apud Dionysios, Hilarios, Damascenos, Aurelios, Ambrosios, Hieronymos, & priscos huiusmodi reliquos sanctissimos, & rarissimos uiros se proximè iungit, quem omnis sit admiratura posteritas, cũ liuor quieuerit, & authoritatem dies lenta præscripserit. Quid supremè Deus daturum illum arbitremur, si par animo ei uita contigerit? qui prima barba quod in Origene atque Hieronymo obstupescit antiquitas, Latinis literis, Græcis æquè eruditissimus iam sit, Hebræaq; nec ignoret, etiam in sacris præterea tantum equidem possit quantum uix credibile est quenquam alium posse, uerũ quicquid delitiarum expectamus in proximum de psalmis carminibus q; Dauid, quæ tractat iampridem, interpretatur, et expli at, rimatus infinito labore, quid Latini omnes Græci, Hebræiq; super ijs scriptum relinquere, ad quod negocium perficiendum lætor meo ho : tempore nostro in Fesulano cœnobio ocium sibi delegerit, quem plane & uidere, & audire felicitas est, habeoq; itaque tibi mi Rob. gratias quantas sane possum, qui in primis opus tam diligenter & emendatè curaueris inprimi, quod ad communem utilitatem & generosi tui animi laudem spectat, subinde quòd me protinus illo donaris, in quo ut gratus tibi si quo modo possum uidear en nostrum aliquid accipe,

quod

quod uicissim legas & fortè deguſtes, cæterum Vale, & felix in Christo age, ex abbatia Fesulana.

EX EPISTOLA HERMOLAI BARBARI ad Ioannem Picum.

O Præclare & planè diuinum ingenium tuum Pice, qui cum optima sint ea quæ tu scribis, ita tamẽ exprimas & effingas aliena quę sunt pessima ut uideantur esse tua, quæ sunt optimã, nam demittere se ac descendere pluris esse deputo, quàm in ardua conari, ut enim sit hoc honestius illud certè laboriosius & operæ maioris, proinde siue uttalia, credis esse nostra, quibus imitandis operã impendas, siue hoc agis demerendi mei causa, utroq; modo tibi plurimũ debeo, relaturus aliquãdo gratiã, nolo dicere cum potero (nunquã enim potero) sed cum tu ipse uel tui posse me putabis. Tanta enim est familiæ totius uestræ bonitas & humanitas, ut beneficiũ, quod non est, imputare pro beneficio soleatis. Quãobrem ex usu meo fecero si uobis & modum & tempus reposcẽdæ gratiæ reliquero, ut in expunctione rationum paralogismus omnis & impostura non à me, sed à uobis tota proficiscat. Quæ uero de ratione studiorũ tuorũ scite scripsisti & cõmunicãda mecum esse uoluisti maxima uoluptate nos affecerunt, gratulatus sum huic seculo uirum tanta doctrina, ut nihil ferè nesciat, tanta cura ut nihil omnino scire uideatur. Video te Poëtam egregium, Oratorem eminentissimum. Animaduerto te Philosophum, prius Aristotelicum, nunc Platonicum esse factum. Video literas Græcas, quæ in te solæ desiderari poterant, & sine quibus nihil eras futurus non didicisse modo, sed hausisse, idq; facilitate tanta celeritateq; ut literas Græcas ignorasse aliquando te, neq; tu memineris neq; persuadere possis alios, id quod de Hieron. Donato meo, non plus libẽter quàm uerè prędico. Horarer te ad has literas uti eas tam plane familiariter quàm Latinas teneres, sed non indiges calcaribus, & reliqua.

EX ALIA EIVSDEM AD EVNDEM.

IAm cum ipse in quodam literarum ad te mearum angulo quasi aliud agẽs & in trãscursu philosophos qui nostri barbaros insectatus essem, quibus te quoq; infensum esse factum & nũcium remisisse scribere, occasione hinc abrepta litem & controuersiam ueterem inter nos & illo de genere dicendi philosophorum multis millibus uersuum comprehensam & explicatam, opus elegans, eruditum, elaboratum, ad nos misisti, perfectum celeritate tanta, ut nisi qui opes ingenij tui perfectissimas habebam, crediturus fuerim, paratum fuisse tibi pridem hoc argumentum, ut ad primam quanque occasionem proferre posses. Sed ut ea mihi res & festiuior & iucundior ueniret, homo lepidissimus, humanissimus, latinissimus, barbaros contra Barbarum defendis, ut hostis pro hoste, socius contra socium, ipse contra teipsum stare patrocinariq; simulares, & reliqua.

EX EA-

EX EADEM PAVLO POST INFERIVS.

MOdo si quis est illo grege, qui possit ea capere, quæ dixisti tanto cultu prædita, tot luminibus, tot emblematis oculos adeũtium stringentia. Adde tot sentẽtias prurientes, tam multas historias & exẽpla remotioris doctrinæ quasi flosculos & omnino ✻ ad quæ si qui sunt ex illis paulominus asini uolebam dicere ἄμουσοι auriculas tantum mouent, cæteri diffugiunt, respuunt, detestantur, & reliqua.

SAlue, accepi librũ Pici de Septem dierũ enarratione, cuius item exemplar non pridẽ ad me miserat Iaco. Volateranus summi Pontif. nuncius. Percurri opus quoad licuit, inter æstum & puluerem. Digna diuino & admirabili ingenio fœtura, sane seges & materia operis tumultuariam, & ad præsens comparatam sententiam nõ exposcit. Sed simul dici potest Picum doctissimũ eloquentiss. & Christianiss. omnia in ea ætate assequutum esse, ferè prodigium est. Debeo tibi plurimum.

NOn me latet, neque unquam dum Patauij uitam degeres latuit Ioannes Pice Mirandula, quanta esset ingenij tui præstantia, quantaq; facunditas, quod tu cum pluribus rebus semper, tũ uel maximè hac tua eruditissima in Mosen enarratione planius indicasti. Ea enim ut de me ipse loquar omnem meam opinionem, quam de te pridem conceperã optimam, nõ cõfirmasti modo, uerũetiam mirum in modũ fouisti, auxisti, & ad apicem quoq; euexisti. Profecto adeò sum hoc tuo in opere legendo delectatus, ut nihil aut præstãtius aut dignius haberi posse existimẽ, quod ab omnibus sit aut legendum aut audiendum. Nam cum hoc tuo luculentissimo opere cõplura laude digna esse noscant, quæ siue coniuncta modo, seu per se etiã singula plurimũ ualerent, illud in primis uideꝫ, quòd ut diuinus, nõ ut humanus, ore (ut inquit ille) diuino es loquutus. Præterea eam tu sis adeptus, in enarrando Moseos ænigmata facilitatem, quã Iesus Christus tibi uni bene alioquin de eo merenti concessisse uideꝫ, præterea nemini. Non ignoro enim hoc potius supra cœlestis cuiuspiã naturæ esse munus quàm inferiori ulla incomparatum. si quidem non fieri posse humano ingenio quempiam per hos tuos, qui pauci sunt annos, tris linguas percurrere, ne dicam quidem satis callere, ut tu calles. Deinde eas etiam pernoscentẽ, tam abstrusos, tamq; reconditos sensus Moseos, soluere pariter, & interpretari, demum non incultè neque barbare, sed Romano & Latino sermone loqui & scribere, quæ aggressus es, ita enim ut tu scripsisti, paucis quos æquus amauit Iupiter scribere cõtingit, quare te ut alterum Hieronymum trium linguarum peritissimum posteritas cõmendauit. Proinde tibi gratulor, quòd nomen tuum æternum, sempiternũq; reddidisti, etenim hac tua utilissima lucubratione tantum sint tibi debituri omnes literarum studiosi quòd eam omnibus legendam dedisti, quãtum Platoni, Aristoteliq; uni-

uniuersæq; Peripateticorum scholæ sese debere fatentur. Quorum in numero me ascribi uolo, quandoquidem tui amantissimus, tuiq; studiosissimus sim, semperq; etiam fuerim. Vale, & me tuæ præstantiæ commendo plurimum. 12. Calen. Octobris. 1489. Venetijs. Tuus quantus quãtus est Sebastian. Priolus clarissimi Petri S. Marci procuratoris filius.

HIERONYMVS DONATVS ROBERTO Saluiato, S.

PRouocatus sum abs te in amore grandibus blandimentis, paulò ante suauissimo Heptapli munere, dein proximis humanissimis et elegantissimis literis tuis, utrunq; per se satis esse potuit ad omnes amicitiæ numeros complectendos. Accessit eodem Seraticus noster ingenio, literis & moribus tam probùs, quàm elegans, cuius etiam causa te nõ summopere amare non debeo, ex quo quantum humanitati tuæ debeam, malo mihi conscius esse, quàm ad te scribere. Pici erga me beneuolentia iam ante perspecta, uel in fide testimonij tui gratiorem apud me iudicaturam meretur. Scio quanti facere debeam, amari & laudari ab eo homine in quo doctrinarum & morum precia cum summa æui nostri gloria consenserunt. Illius Heptaplum admirari magis quàm iudicare conuenit. Id scribendi genus me mirè delectat, quòd non aliunde uberiorem segetem uideo & doctrinæ & eruditionis quàm ex sacris literis, sed ea audacia felix est. In paucissimis inter quos Picus meus, illum quantum potes meo nomine saluere iube, uel hoc ipso mihi maxime charus sum, quòd eum uehementer amo. Tu Saluiate mi tantum tibi de me polliceberis, quantũ præstari conuenit ab homine amicissimo, & beneuolentissimo. Vale, Mediolani die. 25. Octobris. 1489.

BAPTISTA GVARINVS DOCTISSIMO PRINCIPI Ioanni Pico Mirandulæ, S.

PIctorius noster suo sibi celeriusculo gradu proximis diebus tuum ad me munusculũ attulit, hui quid dixi munusculum ob numerum chartarum? munus potius maximũ, ob latam multiplicemq; scientiam, & facundiam libelli tui, de quo quid attinet à me multa scribi cũ omnium sententijs, qui sunt in iudiciũ, albo iam sit assequutus, ut nec laudatione crescat, nec uituperatione minuatur, finiam uno uerbo ex tuo (quando ita uis) præceptore factus sum tibi discipulus, itaque caue alio post hac nomine me appellasis. Per nostri auditorij halcedonia perlegi omnia, relegiq;, addidici multa, didici pleraq;, ego antea tam te amabam quàm qui maximè, nunc de hoc munere te plus etiam, hoc est supra uires amo, & ingenium suspicio tuum. Ita fac mi Pice, perge his monumentis, cum de reliquis literatis, tũ de sacræ philosophiæ studiosis, quæ uera est germanaq; philosophia existimanda, benè mereri, teq; eripere morsibus edacis æui, scito autem expectari à te maxima, ut ab eo in quo excultam humanitatis elegan-

elegantiam cum reconditiore quàm ferant hæc tempora philosophia con iunctam intelligant omnes. Si quid isthic est boni libelli quod meorũ studiorum interesse arbitreris, meum quoque animum eo cibo participa. Nosti huius urbis librariam inopiam, nosti & meum stomachum iuuant noua, magna tamen νεοπαλαιὰ auiditatem exaturant, tenes quę sint, intelligenti pauca. Magno Laurentio Medici, si ulla dabitur occasiuncula, quòd absque molestia tua fiat, me commendes rogo, hominis enim in tanta fortuna & doctrina admiror, & uirtutem tacitus ueneror. Vale decus Musarum. Ferrar. Calen. Nouembris. 1489.

CHRISTOPHORVS LANDINVS ROBERto Saluiato, S.

QVàm gratum, quamq; iucundum, præclarissimum mihi tuũ munus fuerit, ne altera quidem Iliade satis pro rei magnitudine exprimere posse confidam. Quid enim aut à te tùm liberalissimo homine, tùm doctissimo uiro conuenientius proficisci, aut ad me literarum cupidissimum expectatius afferri potuit, quàm Pici nostri uiri in omnibus literis ac doctrinis nostra ætate facile principis exacta illa in Moseos Genesim Heptaplus, mirificè cõscripta, nam cum apud infinitos penè Hebræos, plurimos Arabas, Græcosq; ac Latinos nõ paucos doctè, distinctè, eloquenterq; eam rem ita tractatam uideamus, ut ne uerbum quidem addi posse crederem, ipse tamẽ nouo pene argumento, uniuersam rem exordiens, atque insolita eodem uia perueniens, quæ tritissima iam & apud omnes uulgata uiderentur, ita descripsit, ut etiam qui doctissimi sunt, ueluti noua atque inaudita admirẽtur. Quamobrem me qui nunquam Hetruriæ fines hactenus egressus sum, per omnes terrarum regiones atque tractatus nullo equo delatum, nullis iumentis prouectum, si perpetuo rationis suæ uehiculo allectum, nullo negocio prouexerit, ac deinceps continente relicto, non Arioneis delphinis, ne dicam humanis naui gijs, per omnia maria sua enarratione ueluti Neptunnio curru uectatum perduxerit, hæc profecto magna omnibus atque incredibilia uideri possunt. Verum alia sunt maiora atque maiori admiratione digna. Nam ab aquis elatus, nescio an Olorinis pennis, an Dædaleis Pegaseisq; alis, per omnem aërem, per omnem æthera, ad summum usque corruptibilium rerum culmen, non ducente modo illo, sed subuehente peruenisse stupore extremo res profecto digna est, mundum hunc inferiorem atque elementalem peragrasse. Sed longe maiore ad cœlestem peruenisse, lunæq; orbem primũ, Mercurijq; deinceps, ac Veneris penetrasse, Solis radios uidisse, Martis ardores sensisse, ac postremo & Iouis salutares, & Saturni graues radios cognouisse, tum postremo octauam illam sphæram ardentibus stellis refulgentem, hosq; omnes cœlos non simplici uniformiq;, sed triplici triformiq;, motu rotari animaduertisse, quæ tamẽ omnia in sensus nostros quis

cadereignorat? Tertium autem mundum idem ita prouolandũ mihi dedit, ut cõſopitis omnibus ſenſibus (hi enim huiuſcemodi inſpectioni obſunt potius quàm proſint) ſola mente, ſola enim ea hæc tanta ſpacia peragrantur, & conſpexiſſem profecto, & perſpexiſſem. Sed illius acies uelu-ti noctua ad ſolis radios cæcutiens tantũ ſplendorem ſuſtinere nõ potuit, quapropter quicqd in huiuſmodi peregrinatione, ſeu ut uerius loquar in patriã reditu uel me latuit, uel oculos noſtros effugit, non index ipſe, ſed is cui indicabatur in culpa facile deprehendit. Nam Ioannis Pici Mirãdulæ diuinum ingeniũ omnia demõſtraturum ſe & recipit & præſtat. Quid igitur mi Roberte eſt, quòd ego tibi debere non fatear, tanto munere à te dilatus, quod quidem ego quàm primum guſtare cœpi, tanta ſemel auiditas excitata eſt in me, tãtuſq; ex pabuli ſuauitate epulandi amor, ut omnis moræ impatiens, nihil malis mandendum mãdauerim, ſed uelut auidiſsimus iuuencus cuncta ſolida deuorauerim. Verum cum cõtinuata lectione rem uniuerſam peregiſſem, eiuſdem pecudis more congeſtans in ſtomachum, ad os reuocans diligentius ruminaſſem, tunc uerò mira apparuit ſuauitas, tunc qualis nunquam ſtupor inceſsit. At dices, nónne antea hominis doctrinam admirabaris? admirabar quidem ita illum in omnibus diſciplinis uerſari, ut in ſingulis tamen excellere uideretur. Nullus eum in phyſicis, nullus in mathematicis diſputantem locus fugiebat, in metaphyſicis uerò & in omni theologiæ genere, ſiue eam quæras, quæ à Mercurio excitata, et à Plat. conſummata eſt, ſiue noſtrã atq; Chriſtianam omnium excellentiſſimam, atque ueriſsimam, nihil noſtra hæc ſecula, & aliquot etiã ſuperiora illo eruditius uiderunt. Sed ne fortè putes (quo uitio plerique noſtrûm laborarunt) ipſum à ſapientia eloquentiam ſeiũxiſſe. Nónne & grauiſsimè, & copioſiſsimè, prętereaq; ornatiſsime, omnia deſcribit, ut priſcis illis oratoribus iure ſuo optimo admiſceri iam poteſt. Hæc igitur ita de illo hactenus admirabar, ut nihil huiuſmodi adinuentioni addi iam poſſe putarem. Verum ſua Heptaplo perlecta, admirari iam cœpi, quòd illa ſuperiora admirarer. Quapropter neq; temere, neq; ſorte quadam, ſed Deo ita iubente eueniſſe crediderim, ut diuinus hic uir tribus his nominib. inſignis euaſerit. Ioannes enim ſiue Domini gratia, ſiue in quo eſt gratia, ſiue cui donatio à Deo facta eſt, interpretatur. Quis non uideat non potuiſſe eum quam aſſequutus eſt doctrinã ſine præcipua maximaq; Dei gratia aſſequi? In Pico autem eam roſtri duriciẽ ſcimus eſſe, id capitis robur, ut nullum neque tam oſſeum (ut ita dixerim) neque tam lapideum lignum inuenias, quod hæc auis non perforet, atque in eo latebram, quo ſeſe recipiat, nidũq; conſerat artificioſe excauet. Eodem ergo modo nihil ex omnibus diſciplinis humano ingenio tam difficile cognitu eſt, quin ipſe eius quæq; duriſsima tundens penetrauerit, nidificauerit, pullos excuderit, atque produxerit. Cum uero omnia in eo uiro miranda ſint, quis non Mirandulam eum appellandum

pellandum duxerit? Quamobrem ut tibi qui illius familiaritate assiduo utaris gratulor, sic mihi doleo, mihi inquam, qui in hoc me infelicem putem, cui propter multas necessarias q occupationes meas, illi, quod ardentissimè cupio, noctes diesq adhærere nõ liceat. Si enim liceret, à latere non dico senis, sed iuuenis unquam discederem, eius dico iuuenis, in quo omnis sapientia, omnis doctrina senilis, canaq est. Tu autem, cui longe maius otium fortuna obtulit, natura autem ingenium excellens tribuit, quod tamen deinceps diuturna tua in omnibus bonis artibus exercitatio ususq frequens auxit atque expoliuit, fruere hoc tibi cœlitus delapso bono, hauri ex hoc uberrimo fonte, uel potius immenso oceano, atque tantum hauri, quantum non solum ad præsentem, uerum & ad futuram omnem sitim sedandam satis esse potest. Reputa ergo te, computa, disputa tecũ, quàm paucissimis mortalibus tãtum boni unquam euenerit. Gloriatur Alexander ille Magnus in Aristotelis tanti philosophi tempora incidisse. At tibi Aristoteli Platoniq simul familiariter conuixisse felicissima tua sorte datum est, atq ita Aristoteli atq Platoni, ut in illis præter ueterem academicorum peripateticorumq doctrinam, Paulos, nostros Ioannes, Dionysios, Augustinos, Hieronymos, Thomas, reliquaq huiuscemodi lumina relucere uideamus. Quamobrem ex his rebus collige qnantum uel te ipsum, uel ex hoc amare debeas optime Roberte, cui & ipsa fortuna obtulerit, & tu tua prudentia profeceris, ut hic uiro & familiarem apprime reddideris. Vale. 10. Calendas Decembris.

ALEXANDER CORTESIVS PICO SVO, S.

EGo in tota uita nullam maiorem cœpi uoluptatem quàm nuper ex literis tuis, & quanquam summa omnia de te credideram, uicisti tamen (fateor) opinionem meam, atque ita uicisti, ut iam gloriæ tuæ, & si longè lateq diffusa est, angustos tamen terminos putem. Loquamur apertius & procul ab assentatione à qua illustres animi semper abhorruere: Quid in te est non egregium? Quid non admiratione dignum? Singula possent quenq honestare, quæ in te omnia pariter sunt collata, omnibus (ut ita dicam) unus omnes ueneres surripuisti. Et quanquam maiores tui eò accesserunt, quò non nisi à se geniti facile peruenirent, tu tamen tantus euasisti, ut maiorem illis reddere, quàm accepisti gratiam uideare. Et authoritatem quidem reliquis senectus affert, tuam uero dignitatem iuuenta extollit, & quam alij tempore, tu inuicta uirtute superasti. Meo quidem iudicio extra omnem ingenij aleam positus es, ac te ut Græcas perquiram laudationes, cui merito conferam non inuenio, & ad summam, parem tibi aliquem quandoque fuisse opinari licet, uidere autem hoc tempore non licet. Dent ueniam ingenioſi omnes, multum ab uno Pico omnes superantur, quem ita naturę benignitas fouit, ut ipsi quoque uirum uideri debeat tantam in unum laudum cunctarum copiam esse confertam. Quid eru-

beſcis? an me falſum putas? equidem cedam ſi amori tribueris qui cæcus pingitur. Sed teſtes habeo Politiano meo, qui in me ſolo decipiꝫ, locupletiores, & ſi ille indies, ut audio, non minores auget auri diuitias quàm orationis, eoq; illi gratulor æque ac gratias ago utinam poſsideat copiæ cornu, poſtquam neq; immemor eſt hoſpitis, neq; ueteris amicitiæ noſtræ. De Puccio autem hominum amantiſsimo aliâs, quis illi non ſe debere cupiat, ſed diutius remoror altioribus ſtudijs incumbentem. Et Marſilium Ficinum philoſophorum ætatis noſtræ principem ridere uideo has nugas. Quidni rideat? qui mortalia omnia non minus penſat quàm deſpicit. O qui me in ueſtram academiam ſiſtat, & ingenti ramorum contegat umbra. Præſertim quòd cœlum hoc Mars ſolus habet, nõ ullus aratro dignus hoc nos, ſqualent abductis arua colonis, & curuæ rigidum falces uertũtur in enſem. Sed contenti ſumus hoc Catone, Tu interim collige ex his quiſquis ijs amoris mei fructum, nec paruifeceris amari à me, ſed uicem redde. Deſiderium enim tui lenire poteſt ſpes hæc cum credula mutui in qua totus conquieſcam. Sis felix Latinæ Princeps iuuentutis, & memor mei. Viue. 7. Calen. Ianua. Ex Gradulis uelocius quàm aſparagi coquãtur. De panagyrica epiſtola ad Laurentium Medicem quid ſentiam, ſcribam cum licuerit, cum Romæ fuero. Dedidici penè literas tanto in ſeceſſu ut uides, & niſi tecum contrahendæ confirmandæq; beneuolentiæ ſtudium cogeret, non uſque adeò humanitate ac lenitate tua abuterer. Nunc boni conſule. Item ἐρρῶσο meum mel. Vale iterum.

HIERONYMVS DONATVS IOANNI Pico ſuo, S.

QVæ meæ partes eſſe debuerant eas omnes tibi ſumpſiſti Pice doctiſsime, teipſum apud me negligentiæ inſimulans, & in eo crimine cuius ego apud te maxime reus ſum, excuſationem quæres, parum tibi uidetur alios ingenio & eruditione præcellere, niſi modeſtia quoq; & humanitate uincas, non ſolum alios, ſed teipſum. At uero obſecro harum uirtutum munera ita amplectaris, ut nobis quoq; aliquam obeundi quoque officij noſtri occaſionẽ relinquas, ne dum harum omnes tibi partes uendicas, nos inhumani atque inciuiles habeamur. Quæ ego in re quæ mea eſt impudentia, iam nõ excuſo negligentiam meam, ſed accuſo humanitatem tuam, quòd ſcribis te non temporariam mecum, ſed perpetuam amicitiam ſtatuiſſe, non ſolum ea cauſa tibi me plurimum debere intelligo, uerumetiam rectè mihi amicitiam definiſſe uideris, quę temporaria cum ſit iam amicitia eſſe nõ poteſt. Illud ſcito me eam in meorum ornamentorũ delectu ſepoſuiſſe. Quid enim mihi accedere poteſt præclarius, quàm à tanto uiro nõ laudari ſolum ſed etiã amari? Hermolaũ noſtrũ incredibilem doctrinarũ tranquillitatẽ, & ſtudiorũ φιλοτονίαν cura maxim

utili

utilitate eruditum, uideo esse summum ac rarum quiddam, quod sperare possunt literæ eo incolume. Eius ego consuetudinem, quam mihi tanto pere inuides eadem penu seruo, qua & amicitiam tuã, nihil præterea adeò τοῦ μασου censeo quod assequi ingenio & eruditione non possis, præsertim quòd audio te * isthuc demigrasse, quod ego consilium ita laudo ut magis laudare non possim. Nam οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πᾶν ἐιδέναι ego Politianum tibi inuideo hominem fertilissimi & facundissimi ingenij, cuius Rusticum nuper legi, uisus est mihi splendor ætatis nostræ & * cui ea de me polliceri à te meis uerbis postulo, quæ ab homine amicissimo expectari possunt. Vtor autem te internuncio in auspicanda mihi cum eo beneuolentia, fretus humanitate tua, tamen quòd τῶν μουσῶν κοπύρῳ σόματι per te qui eruditissimus es me cõciliari conuenit. Vale, & puta nihil mihi tuis literis esse iucundius. plura laxiore ocio scribam ad te. Venet. 17. Calendas Ianuarij. 1484.

PHILIPPVS BEROALDVS IOANNI PICO Mirandulano, S.

COenaturus apud Minum Roscium qui in studijs literarum est politissimus, & senatus nostratis maximum ornamentum, lectitabam Plautinas fabulas urbanissimis salibus scaturientes, cũ mihi literæ tuæ allatæ fuerunt oppidò quàm literatæ, quàm tersæ, quàm emunctæ, statimq; sepositio comico lepôre, lepidissima tua scripta festinanter legere incœptauimus. Dij boni quantum in illis uenustatis, quantum eruditionis, quantum maiestatis inesse cognouimus. Magna Ioan. Picum fama præcesserat, maior inuentus est, nihil protritum, nihil triuiale resonãt tuæ scriptiones. Res uerbis, uerba rebus adamussim quadrant, Latinè loqueris & purè, elocutione uteris splendida atque magnifica, dialecton habes plenam iucunditatis atque candoris, suppellectilem uerborũ optimorum copiosissimam, sententias crebras atque rotundas, tam luculente tam eleganter animi sensa depromis, ut uni tibi dij immortales dedisse uidean tur, quod quàm paucissimis dederunt, uidelicet optima sentire & optima dicere, idq; non minus uersu quàm prosa oratione complecteris, Scribunt Liuius & Homerus prope diuinitus, non omnia uni Deos tribuisse, hinc est quòd sæpe legimus alios eloquentia præstantes, alios eruditione præditos floruisse, paucissimos uerò & eloquentes & eruditos simul extitisse. Hinc duo Romanæ linguæ culmina, Terentius Varro, & M. Cicero referuntur, à quorum altero rerum, altero uerborum doctrina petebatur. Alter doctissimus undecunque à Terentiano, alter eloquentissimus ab omnibus nuncupatur, Virgilium, ut inquit optimè Seneca, illa felicitas ingenij soluta oratione destituit, Cicero carmina scriptitauit nulla uenere, nullo q; lepôre, Musis scilicet, inuitis atq; repugnantibus. Tu uero & doctissimus es & eloquentissimus. Tu prosa polles & uersu, scribis legenda, calles

ſcribenda. Tu Muſarum alumnus meritò potes nuncupari, qui nõ ut multi unam alteramúe crateram muſicam ebibiſti, ſed tãquam alter Apuleius epotaſti crateras omnis & in primis illam philoſophiæ limpidam atq; nectaream, quam pauciſſimi primoribus uix labris attingunt, uixq; à limine ſalutant. O magna fœcunditas animi. O immortalis ingenij beatiſſima ubertas, quæ in Pico Mirandulano adhuc puero adhuc ephœbo tãtas uirtutes excudit, tam multijugas diſciplinas infudit, tantas animi dotes inſeruit, qui ætate tyrunculus eſt, eruditione ueteranus. Perge uir doctiſſime quo cœpiſti, effice ut creſcentibus annis ſcientia augeatur, ingenium adoleſcat, memoria fiat uegetior, atq; adminiculatior. qui in iuuenta es noſtri ſeculi decus & uirtutis exemplũ, qualis es futurus in ſenecta. Papinianus à Spartiano iuris aſylum & doctrinæ legalis theſaurus nominat. Tu à nobis aſylum ingenuarũ diſciplinarum nũcupaberis, tu nobis quoties abdi tum quippiam in literis interioribus occurret theſaurus eris, imò ut uerius loquar iam nunc theſaurus es. Omnia etiam penitiſsima in literis tibi ſunt ad manum, omnia præſto occurrunt, orbis ille doctrinæ qui laudat à doctis tibi in famulatu eſſe uidetur. Tibi Græcæ Latinæq; literæ ancillantur. Tibi licet ingenium nunc hac nunc illa meditatione uegetare, altera enim alterius eſt condimentum. Et ut terras uaria ac mutata ſemina recreant atque reficiunt, ita mutatio ſtudiorum animos refouet ac amœnat. Tibi licet ingenium dulcioribus poëtices ſtudijs exhilarare, ſi quando auſteriorib⁹ philoſophiæ dogmatibus laſſeſcit. Tu denique in arce ſtas atq; faſtigio bonarum diſciplinarum, cũ nos in primo uix cliuo ſudemus, Tu gradatoris gradu arctam uirtutis uiam cõſcendiſti, nos teſtudineo ac formicino inceſſu conſcendere conamur, & in confragoſis callibus laboramus, ſubinde labantes, ſubinde nutabundi, ac titubantes. Scribo quod ſentio, ſentio quod ſcribo, calamus cum mente concordat. Incredibili deſiderio afficior te unà cum Politiano uiſendi, cui deſiderio intra pauciſſimos dies faciam ſatis, nam Minus Roſcius qui literatorum omnium eſt amantiſſimus, qui nos ambos potiſsimum miro amore proſequitur, ferijs hiſce paſchalibus iſthuc uenturus eſt ad uota ſoluenda. Ego hominem comitabor, tunc dextram copulare uiciſsim licebit, & mutuo colloquio fruibor. Tunc ego literator & grammatiſta uos literatiſsimos adibo, alloquar, ſalutabo, tunc ego qui hic ſapere uideor, iſthic fortaſſe muſſabo, uel tanquam anſer inter olores clangore obſtrepere perſonabo. Interea

uale literarum aſylum, meq; mutuo ama & Politianum deſideratiſsimum meo nomine ſaluta. Bononiæ. 6. Idus. Mart. 1491.

BAR-

BARTHOLOMEVS FONTIVS ROBERTO SALVIATO.

SAlue. Siquidem unquam summa cũ uoluptate Roberte legi Picum tuũ proxima nocte legi duabus de causis, & quod à te uiro amicissimo mittebatur, & quòd authorem operis per se amarem, quem adhuc non legisse mihi turpe putabã fore. Ex quo uero tua benignitate quod maxime optabam sum consequutus, & tibi pro tali munere ago gratias, et illi uehementer gratulor, quòd tantum opus ab omni Christianitate concelebrandum ædiderit, in quo equidem ambigo magis ne mirer plurimarum maximarumq; rerum inuentionem, an in tanta uarietate tam incredibilem ordinem, an in tam laboriosis descriptionibus elegantiam tantã orationis. Nam quid in Heptaplo commemorem, quæ maxime operum authores commendant, nullam esse loquacitatem, nullũ tumorem, & sine ulla liuoris suspicione, modestiam in omnibus singularem. utinã uero huic tuo suauissimo & optatissimo muneri consimile munus reddere potuissem, quo cerneres animũ in te meũ significantius. At quod potui Budæ nuper orationem à me habitã ad Matthiam coruinũ regem iam primum omniũ ad te misi. Quã tu ipse cũ legeris Pico quoq; tuo legendã dabis. Quem omnium ætatis nostræ quorũ scripta adhuc uiderim in omni doctrinarũ genere præstantissimum iudico. Vale, & meut facis mutuo dilige.

BAPTISTA GVARINVS DOCTISSIMO PRINCIPI Ioan. Pico Mirandulæ, S.

NOndum concedo secundum te litem dari oportere, nã facile possum tuas istas captiones in te ἀρτι σφέροντα. Si tibi præceptor sum cur mihi nõ obsequeris? si nõ sum cur me præceptorem appellas? Nec; ideò nomen hoc recuso quòd te discipulum spernam quẽ mihi præceptorem assero, sed quòd tuam doctrinam & ueneror & prædico. In quate nec; ingenium meorum uota, nec; transuersi calami signo, nec; minuta cerula, nec; obelisco denic; aut asteriscо tantũ promouisse mihi cõscius sum. Sed in nouũ quoddam iudiciarium genus ut uideor incidimus, dum tu mihi eam possessionem asserere contendis qua ego conor. Quæ unquam rhetorum causa huius generis actorem aut reum habuit? ego mi Pice nũquam in hac pugna tibi herbam porrigam, nisi prius bona cũ gratia composuerimus, ut quando aliter non succumbis uterq; nostrũ alteri præceptor pariter & discipulus iudicet. Sed obmissis iocis seria agamus, & Heptaplus tua & tu ipse tibi merito placere potes, cũ omnia doctorum hominũ pũcta ita sis assequutus, ut ne in tabella quidẽ latebra liuor ullus appareat. Idem in reliquis scriptis facilius tibi datũ iri sperandum est, cũ usus etiam accesserit, qui solet in scribendo magister haberi optimus. Quod ad me attinet gaudeo uehementer laudato uiro, & ab omnibus ac ubiq; laudando Laurentio me in ore esse, addito præsertim Politiani calculo: Cuius ego copiosam & arcanam multiplicis disciplinæ lectionẽ ita amplector, ut admiror,

ita admiror ut commendare nō desinam. Quo fit ut extra doctrinæ aleam meab illo poni triumphi instar existimem. Quod librorum meorum indicem petis id mihi laboriosum est & inutile, satis erit si pro tempore postulatis meis inseruies. Nunc Martianum Capellam & Senecæ quæstiones naturales opto, si modo emaculati sint codices, nam qui apud nos sunt opera Sybillæ indigent, eos si impressos emere possim gratius mihi erit, sin minus non longo postliminio tui ad te redibunt. Vale spes mea, & bonarum disciplinarum, meq; amare perge. Ferrariæ nonis Decembris. 1489.

EX EPISTOLA HERMOLAI AD IOANnem Picum.

QVanquā has epistolas ipse tuas amo quòd fluunt, quòd affectatæ non sunt, q; curam nō dico non norunt, sed respuunt, hoc est, de composito non recipiunt, & accedentem inferriq; cupientem excludūt, ita ut diligentiæ quidem sint penitus in ijs uestigia, sed repressæ, quodammodo & repudiatæ. Non sum tam solers ut introspicere possim ingenium tuum, extimareq; magnitudinem eius, atque fœcunditatem. Illud uidere uideor, nec fortasse fallor, quò dirigas collimesq; item quo euasurus sis. Et quidem paulo mox: Indoles ista tua nihil est liberalius, nihil risibilius, & semel dicatur uel duriuscule nihil expromitētius, si modo indoles appellanda est. Quæ fructus ædiderit ne maturis quidem ætatibus & doctrinæ quamuis exercitatæ despiciendos. Age quantus, ut audio in poëticam, spiritus, quæ felicitas, qui nerui, quanta demum in omni uel præcipuè literarum actu nobilitas, atque splendor. Quid cum agis philosophum, quæ memoria, quanta subtilitas, quæ celeritas animi, cum totius corporis uigore consentiens. Sed rapior tamen in laudes tuas ingratis, imò uero perlubens, id enim quisq; uult maxime, quod inuitum & reluctantem quoque ui conuertit ad se. Dabitur, si modo is tibi ambitus, laudari à parum doctis. Dabitur profecto tempus accommodatum magis ad hoc officij. Nunc uenio ad id & reliqua.

EX EPISTOLA HERMOLAI AD IOANnem Picum.

GRatulatus sum huic seculo, uirum tanta doctrina, ut nihil forè nesciat, tanta cura, ut nihil omnino scire uideatur. Video te poëtam egregium, oratorem eminentissimum uel esse iam uel breui fore, animaduerto te philosophum, prius Aristotelicum nunc etiā Platonicum esse factum. Video literas Græcas, quæ in te solæ desiderari poterant, & sine quibus nihil eras facturus, non didicisse modo, sed hausisse, idq; facilitate tanta, celeritateq; ut literas Græcas ignorasse aliquando te, neque tu memineris, neque persuadere possis alios. Id quod de Hieronymo Donato meo non plus libenter quàm uerè prædico. Hortarer te & reliqua.

EX EPI-

EX EPISTOLA IACOBI ANTIQVARII, AD Angelum Politianum.

NOli igitur longi incubatus fœtura, nos in expectatione macerare, sed accepto in tui nominis securitatem, sponsore Pico, cuius tota uita, gloriarum plena est: à quo in amicorum gregem, pro te receptum iri omnibus uotis expeto, cuius uestigia semper adoro, quicquid ex altilium cohorte domi nascitur spectandum, legendum, ediscendū emittas, detenturus eos omnis in fidibus tuis, qui aliquo uirtutū simulacro aut harmonia ducuntur. Vale.

ANGELVS POLITIANVS, IOANNI RICO Mirandulæ suo, Salutem.

ARsi penè semper (nimis improbè forsitan) sed arsi tamen, semper studio famæ perpetuæ, sic ut pro nihilo superstite gloria conferretur. Sed quoniam quæ scribebam, uix etiam uetustatē nominis pollicebantur, extitisti tu Pice, qui quod ego non poteram, præstiteris, dedicato scilicet Commentario, de uno & ente (sic enim titulum facis) in quo riuos per Lyceum decurrentes, & Academiam reuocas ad unum caput, & cum philosophia magis una, quàm gemina, nostrā quoq; theologiam copulas. Quod igitur iam Glauci gramen requiram, uicturus æternum per te: sed & tecū, narrabit autem quandoq; posteritas, fuisse olim Politianum quendam, quem tanti fecerit ipse quoque Picus, omnium doctrinarū lux, ut ne librum quidem nuncupare illi pulcherrimum de rebus altissimis dubitauerit. Ago itaq; tibi gratias pro immortalitate, sed immortales. Vale.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS, GERMANO de Ganai, Parisij præsidenti, S. D.

CErtior esse uis de obitu Pici Mirandulæ, tibi ut uidetur adhuc incerto, grauius certè dolere uis Germane. nam cum grauiter hactenus, hoc ambiguo damno doleas, certior profectò factus, grauissimè mox, ut puto, dolebis: præstabat forsan, dubia quadā iactura mœrere, quàm cruciari certa. Heu, quid rogas desiderati sime mi Germane, ambiguus equidē adhuc esse malim, nec sine lachrymis in præsentia possum te reddere certiorem. Superiore Nouembre, quo die Carolus rex Francorum magnus urbem nostram Florentiam est ingressus, noster Mirandula nos deseruit, tāto ferme dolore literatos afficiens, quanto Rex interim gaudio ciuitatem, ita prouidus loci genius & populi gaudio, literatorum gemitum compensauit, & pro extincto philosophico lumine, regium interea lumen accendit, ne forsan obscurior eo die Florentia uideretur, Mirandulanum lumen extinctū, inquā terris, cœlo redditum. ea enim Picus hilaris securitate, ex hac umbra uitæ migrauit, ut ab exilio quodam, in cœlestem patriā uideret proculdubiò rediturus. Desideras præterea scire q̄ Picus olim

cus olim cõposuerit, uel quæ modo cõponeret: Hexameron, Apologiãq; ac de uno & ente conscripsit, Epistolasq; nonnullas. Quicquid de amore olim feruente adhuc adolescentia composuerat, iudicio deinde matũriore damnauit, uoluitq; penitus aboleri, nec sine illius iniuria edi potest. noui equidem ultimam pñ hominis uolũtatem. Nam & ætate mihi filius Picus erat, & familiaritate frater, & amore prorsus alter ego. Moliebatur quotidie tria, concordiam Aristotelis cũ Platone, enarrationes in eloquia sacra, confutationes astrologorum: omnia quidem tam facundè q; subtiliter disputata, sed quàm stylo luculenta, tàm nouis obscurisq; characteribus adumbrata, ut uix ab eo legi possent. itaq; nec dum absoluta ab eodem uel recognita sunt, nec ab alijs, nisi forte uaticinentur, exscribi possunt, nam si fortè possent, nec adeò desideraremus Picum nostrum, uelut absentem, nec usquam suspicaremur extinctum. Sed pius nepos eius Ioannes Franciscus, literis & ingenio pollens, è tenebris in lucem eruere quotidie studet, uitamq; patrui & gesta describit. Accipe denique hoc in eum Epigramma nostrum. Antistites secretiora mysteria, raro admodum concedunt oculis, statimq; recondunt, ita Deus mortalibus, diuinum philosophum Ioannem Picum Mirandulam, trigesimo ætatis anno maturum. Vtautem tibi nota sit reliqua literarum iactura, hoc autumno Florentiæ facta: Angelus Politianus noster, Latina Græcaq; lingua doctissimus, Septembre proximo, ante Pici obitum migrauit è uita quadragesimo ætatis anno: ediderat iam diù Miscellanea, & Syluas & Declamationes quasdam, epistolasq; nonnullas acutè quidem omnia eleganterq; composita. Multa quoque quotidie, ad elegantiam necessaria, incertis sicut Picus characteribus annotabat, ut in utroque grauior literarum iactura contigerit. Die. 23. Martij. 1494.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS, IOANNI Francisco Mirandulæ Concordiæ comiti, S.

EPistolam de obitu laudibusq; Pici breuem, misi in Galliam post discessum tuũ, longas autem, singularesq; Pici laudes, è multis iam diù scriptis meis passim colligere licet, ex libris epistolarum præsertim posterioribus, sunt enim duodecim iam impressi, ex procœmio in Platinum, ex libro de Sole: ex commentarijs in Timæum atque Parmenidem, epitaphiũ in eum accipe. Antistites secretiora mysteria raro admodũ concedunt oculis, statimq; recondunt, ita Deus mortalibus diuinum philosophum Ioannem Picũ Mirandulam, trigesimo ætatis anno maturũ. Hucusq; sit epitaphiũ. Deus omnia Ioanni Pico, animi corporisq; fortunæ bona cumulatissima dedisse uidetur, si modo longius uitæ spaciũ cõcessisset. sed neq; in hoc fas est prouidentiã incusare, nã si Deus illũ breuissimo tempore, supra naturæ uires perduxerat iã ad summũ, ad melius progredi fortè nõ poterat, in eodẽ uerò cõsistere mobilitas naturæ nõ patit̃, ad deterius uerò

uerò relabi, uirtus consummata non tollerat, sed hęc, cæteraq; id genus, ipse in uita Pici melius latiusque scripsisti, non tam ut illustrares ipsum (quis enim addiderit soli lumen?) quàm ut occulta quidem illius opera, sed luce dignissima discussis nubibus serenares. Tuam igitur in patruum tantum pietatem, & mortales mirificè commendabunt: & Deus nõ mediocribus dignam præmijs iudicabit. De primo Nouembris. 1495.

COMMENDATIONES IOANNIS PICI Mirandulæ.

Matthęus Bossius Canonicus Regularis, uir doctus & eloquẽs, in proœmio suarum recuperationum Fesulanarum de quodam suo dialogo prius ædito uerba faciens, ad Ioan. Medicem Cardinalem sanctę Romanæ ecclesię, ita inquit,

Cum eodem ipso Politiano nec inuitus legit semel & pluries ad calcem usq; insignis & clarissimus Ioannes Mirandula, cuius ingenium super humana omnifariamq; doctrinam omnes obstupescunt, & à cuius integritate animiq; nitore omnis abest hallucinatio palpansq; cõsensio.

Ex epistola Angeli Politiani ad Picum qua defendit locos ab Hermolao damnatos in suis commentationibus.

Quo circa tu mihi nunc adeundus mi Pice, doctiorum omnium doctissimus, nõ quidem ut iudex, sed arbiter honorarius, qui uidelicet inter amicos disceptantes, litem dirimas.

BACCIVS VGOLINVS ROBERTO SALVIATO, S.

MEritò te Roberte docti diligunt, quos miro quodam ardore coluisti semper, & studiosi omnes amant, quos non modo opera, sed & impensa iuuas, ut commodius proficiant, ego uero & si nec doctis, nec studiosis quidem annumerandus, plurimũ tamen tibi debere me fateor, quòd per te nobis uel remotioribus copia facta sit, diuini admodum operis æditi nuper à Pico Mirandula uiro sane præ omnibus qui sint, quiq; fuerint admirando, quem recte non iam Picum, sed suam uocat phœnicem, in sacra Medicum Lauro nidificantem, Politianus meus, aliud ætatis nostræ miraculum. Illius tu librum de Septiformi sex dierum geneseos enarratione uerę philosophiæ & Christianæ religionis argumentum magno Laurẽtio Medici patrono meo dicatũ, cũ diligentissime imprimendũ tum ad loca diuersa, ac distantia transmittendum, & plurimis ejus lectionis percudis, uel gratis habendũ curasti. Quos inter & mihi contigit, per Victorium Caianum tuum hominem, multi ioci, multaq; suauitate aspersum, & salibus optato hoc munere potiri. Hoc tuum in uiros claros studium, hãc in omnes uirtutis amatores officiosam liberalitatem, qui nõ laudet & gratiore affectu prosequatur, is ab omni humanitate discors,

& ea

& ea literarum consuetudine alienus proculdubio est habendus, non enim publicæ utilitati consuli amãtius, rectius, celeriusúe potuit. Quare hoc ap prime tibi esse exploratum uelim, haud tenui mercede sumpsisse te huiusmodi prouinciam, cum inde & bonorum gratiam, & non mediocrẽ gloriam sis consequutus. Vale. Neapoli. 12. Calendas Aprilis. 1490.

IVNIANVS MAIVS ROBERTO SALVIATO, S. D.

QVòd Ioannis Pici Mirandulæ diuinum opus, non minori cura imprimendum curasti, quàm ille confecit, & tuæ plurimum gratiarum diligentiæ, & illius diuinæ doctrinæ habendum puto. Tibi, quòd tam sublime opus inter tenebrarũ obliuia delitescere passus non sis, qui una opera & amici perpetuitati, & communi omnium utilitati consuluisti. Illi autem, quòd neq; priscorum uirorum authoritate uel sanctitate, qui hæc eadẽ enarrarunt deterritus, neq; aliorum insectatus uestigia, suo quodam lumine, illa eadem collustrauit. Nam cum primum tam reconditum, & à multorum cognitione remotum opus ad meas peruenit manus, diligentius id legere cœpi, quod non modo cum admiratione attulit uoluptatem, uerumetiam & eò sublimitatis contemplantem euexit animum, ut neq; admirabilius neq; enucleatius quid unquam uiderim, aut audierim. Quippe cuius ingenium supra cæterorũ acumina præstat, scientiarum indaginem incredibilem callet, & rerum omnium cognitionem, supra quàm credibile sit iam habet, isthac præsertim ætate qua paululum pubertatem egressus, tantam rerum notitiam adeptus est, quantam etiam doctissimis & ætate prouectis attingere non licuit. Quapropter omnium bonarum artium, atq; scientiarum sacrum domicilium, & nostri sæculi miraculum nominare uerebor nunquam, præsertim cũ operis recondítos sensus à paucis hominibus excogitatos, rerum progressus naturæ & Dei patefacta latibula, & tandem summi opificis arcanas opes iam in propatulum æditas accuratius lego, quo quid admirabilius unquam audiuerim ignoro, aut quid altius legerim nescio. Cum philosophos inter & Mosen, qui diuerso inter se itinere rerum opificiũ contexebant, iam pa. em initam & naturæ & Dei quædã coniuncta fœdera sine controuersia comprehendantur, sed hoc altius repetendum, atque uerbosius explicandum in aliud tempus reseruo. Venio ad te mi Roberte uir quidẽ egregie, quem ex tuis scriptis unicè diligo, quæ quamuis paucula sint, tamen tale tuæ uirtutis specimen ostendunt, ut non minorem prouẽturam ingenij frugem, quàm gratiorem nunc flosculorum spem offerunt, polliceantur. Sic itaq; tuum scito Iunianum & si qua deinceps de tuis ad me scriptis dederis, non minus tuarum rerum præconem, quàm ob idipsum tui amatorem scias. Victorius itaque tuam prædicat ingenij præstantiam, tuamq; harum literarum eruditam humanitatem, ut eadem cupere prouocer & prædicare. Vnum tamen rogo, ut quem Victorius blandis hortationibus ad amandum

dum inuitauit, tu tua humanitate quam profiteris & amplecteris prosequi non desistas. Quocirca meam excitabis desidiam, ut sæpius ad te scribam, modo nostra nõ asperneris. Et si ex uerbis nostri Victorij meam nõ post habeas amicitiam, necessitudinis uinculo ad te omni officio prosequendum prouocabis. Nihil est enim quod malim quàm cum ingenuis & doctis uiris mutuo amore & literarum mutatione concertare. Tuum Mirandulam, quem humanitatis columem prædicas, & ipse naturæ delitias appellare audeo, mihi à se amari cupienti amicum reddas, & saluum ex me dicas. Vale. Neapoli pridie nonas Iunij. 1490.

Ex Miscellaneorum Angeli Politiani procœmio.

Deisto enim præ cunctis admirando, non Pico iam, sed (ut ipse appellare soleo) phœnice potius, qui nunc in tua Lauru nidificat, tanta mea quidem expectatio est ut ausim Propertio succinere: Cedite Romani scriptores, cedite Grai.

Item ex capite eiusdem operis. 14.

Vt idem & comparit & ostendit Ioannes Picus Mirandula meus unus omnium prorsus ab omni parte beatissimus, in opere singulari atq; admirando, quo Psalmus à Septuaginta uersos isto notarum præcipuè argumento docet Hebraicæ ueritati respondere, ne iam insalutare Iudæus aut obijcere possit ea nos in templo singulis canere horis quæ ne ipsi quidem satis uersa fideliter existimemus.

Item ex capite eiusdem operis. 90.

Qualis est item Ioannes Picus hic meus è Mirandulanis principibus, absolutissimum naturæ opus, à quo philosophia Latinè iam meditans loqui summum puto fastigium accipiet.

Item ex capite eiusdem operis. 94.

Percurrimus aliquando ego & Picus hic Mirãdula, nunquam satis homo laudatus, subsiciuis horis antiquos enarratores instrumenti sacri ueteris, Græcos maximè Diodorum, Philonem, Gennadiũ, Aquilam, Origenem, Basilium, Didimum, Isidorum, Apollinarem, Seuerianum, alios id genus compluris, quorum ille sicutiq; Latinorum sententias omnes quàm diligentissime cum Iudæorum & Chaldæorum interpretum conferens opinionibus, nihil non euentilat & pensiculat, unde modo, aut ueritas elici, aut obscuritas tolli, aut roborari fides, aut refelli possit impietas.

Ex libro de scriptoribus Ecclesiasticis Ioannis Abbatis Spanheimensis.

Ioannes Picus natione Italus, Comes Mirandulæ, & Concordiæ Dominus, uir omnis bonæ literaturæ studiosissimus, & sicut præclaro sanguine, ita Diuino admodum ingenio nobilissimus, magna familiæ omnigenum artium stipatus caterua, dignus & optimè meritus cuius profe-

ctionem Musæ sequantur, doctissimus nostra ætate philosophus est, atq; disputator acerrimus. Scripsit stylo elegantissimo nonnulla, quæ ætas nostra tum comprobare tum uel maxime admirari habebit, quibus nominis & gloriæ suæ memoriam non indignè sempiternam reddit.

Ex compendio reuelationum doctissimi, & sanctissimi uiri fratris Hieronymi, Sauonarolæ Ferrarien sis ordinis Prędicatorum.

Comes Ioannes Mirandulanus uir temporibus nostris ingenio & multiplici doctrina singularis.

Ex secundo commentario in Propertium, doctissimi ac eloquentissimi uiri Philippi Beroaldi Bononiensis, super illo uersu: Non tot achemenijs & cætera.

Susa pro Hetrusca scriptum legi in codice Ioannis Pici Mirandulani, qui uir est seculorum memoria dignus, qui multijugis disciplinis prædi-tus, exornat ætatis nostræ gloriam, cui accommodari potest illud, quod de Varrone scripsit Terentianus. Vir doctissimus undecunq; Picus, qui te Mine mi, ut pote eruditũ eruditissimus, nobilem nobilissimus non solùm diligit, sed uehementer amat, qui de te honorificè loquitur, & optimè sentit, hic post seueriora studia in Propertij lectione tãquam amœnissimo diuersorio requiescere consueuit, & mihi hunc locum ita legenti adstipulatus, ostenditq; in suo codice susa scriptum esse non Hetrusca: &c.

Robertus Saluiatus Laurentio Medici S.

Cum eo natus ingenio Laurenti clarissime atque ita natura sim institutus, ut nihil mihi sit prius quàm illos amare, colere & uenerari, qui uel ingenio excellentes uel doctrina sint singulares, non potui Picum tuum Mirandulam non amare præ omnibus & admirari uirum profecto omni admiratione dignissimum. His cum nuper tibi librum de Septiformi sex dierum Geneseos enarratione primitias studiorum suorum dicauerit, opus non meo modo, sed omnium iudicio excellentissimum, dare operam uoluí ut mea impensa emendata impressione publicaretur, nihil dubitans simul me & meo in illum amori, & publicæ studiosorum utilitati satisfacturum. Accessit quòd non ingratam me tibi rem facturum speraui, si quæ tibi ille physica & diuina mysteria communicauit, per me deniq; omnibus fierent communia. Vale.

EPISTOLARVM FINIS

IOAN.

IOANNIS PICI Mirandulæ Concordiæ Comitis Disputationum, in Astrologiam,

PROOEMIVM.



OMERVS atq; Cecilius antiquissimi uates pessimos esse prædicant inimicos, qui sub amicorum specie nos circũueniunt. Qua sentẽtia nulla uerior dici, nulla salubrior prẽcipi potest. Quãquam quid egemus testimonio poëtarum? cũ diuina nos ueritas, uitæ, morũq; magistra, sub ouium pelle lupos euitari, & ne de facie iudicaremus admonuit. Siquidem hoc unum inimicorũ genus quod nec auerti, nec euerti possit, quodq; superare ipsi non uolumus, sed occurrimus, ultro osculamur, excipimus, & ab illo contra nosipsos, nõ contra illud ut oportuit stamus, quod sanè prẽstigiũ, quia magno constat, & altius introspiciendum, & diutius examinandum, nec temerè admitti, nec statim profligari debet. Vbi uero detecta fallacia est, tanto acrius explodendum, quãto tectius ad perniciem sub prætextu beneficentiẽ illabebatur. Nec minus mala putanda sunt, quæ ideò non uidentur esse pessima, quia bonis interdum sint admixta, cum tanto noceant exitialius, quanto per speciem admixtionemq; boni cum facilius admittũtur, tum admissa quòd semel inuasere, tenacius occupant, retinentq; potentius. Quo pacto si cum mero uenenum propinetur, quanquam sua natura saluberrimum merũ est, attamen ueneni malitiam illam tum suo sapore dissimulat, tum uigore ad uenas & intimius adigit & celerius. Est autem hoc obseruandum cum in omni uita, tũ in artibus maximè & disciplinis, quarum illæ pernicioſissimæ, quæ præstigia cum sint, aut alio genere uanitates, ita tamen mẽdacio lenocinium aliquod prætenderunt, ut scientiæ uel artis nomen sibi uendicauerint. Siue illud captatum ab antiquitate fictis authoribus lenociniũ, siue à magnis promissis illecebra curiositatis & cupiditatis humanę, siue ab aliquo fuco speciemq; probabilitatis, cũ interdum sint falsa probabiliora ueris Aristotele teste, præsertim nõ introspecta nec explorata populo præsertim & multitudini, cui proprium errare decipiq; semper fuit, & nihil sapere. Quid autem exitialius? quid inexpugnabilius? quàm cum titulo sapientiæ ipse se nobis error insinuat, ut quod ille dixit, operam demus, ut cũ ratione insaniamus. Non aliud hoc quàm consilium & mentem, cuius sola uis abigendæ falsitati nobis innata est, missam facere, ut mendacium ipsius & testimonio

honestius, & potestate robustius, & præsidio munitius euadat. Porrò nul
lis spes ultra ad sanitatem, cum natura ipsa adiuuat morbū. Hoc autem ut
dudum dicebam, euenit per insaniam, quæ sub specie uel artis uel scientiæ
populo se circumfert & uenditat, nō ideò minus insania, quòd sapientiam
summa cute mentitur, sed quo fallacior eo perditior. Quemadmodū apud
medicos, nulli delirant, ut sic dicam, deliratius quàm qui delirio præferūt
uultum serium. Est autem hæc propria labes omnium superstitionū, quā
rum non alia professio quàm præcepta tradere insaniendi. Sed in primis
hunc sibi titulum uendicauit astrologia, sicut & inter ipsas superstitiones,
quarum mater alumnaq; meritò existimatur, obtinet principatum. Astro
logiam uerò cum dico, non eam intelligo quæ siderū moles & motus ma
thematica ratione metitur, artem certam & nobilem & suis meritis hones
tissimam, authoritateq; hominum doctissimorum maximè comproba
tam, sed quę de sideribus euentura pronunciat, fraudem mercenariæ men
dacitatis legibus interdictam, & ciuilibus, & pontificijs, humana curio
sitate retentam, irrisam à philosophis, cultā à circulatoribus, optimo cuiq;
prudentissimoq; suspectam, cuius olim professores Gentilicio uocabulo
Chaldæi, uel ab ipsa professione Genethliaci dicebantur, mox ut nominis
cōmunione honestarentur, mathematicos se dixerunt & astrologos, qua
si hæc quoq; de liberalibus disciplinis una foret, quæ de sideribus cum ra
tione loqueretur, hoc se tantum discrimine separans ab illa uera mathema
tica, ut illi astronomię, ipsi astrologiæ nomen daretur, nimis improbo zes
lo alieni tituli inuadendi, siquidem astrologia alterius artis nomen ut de
clarabimus, ipsam uero diuinatricem semper hoc ambitu laborantē, ut no
minari uellet ab astris, non altero modo, sed utroq; cognomento dignabi
mur, & ad illius de motu siderum tractantis æmu'ationem pro astrolo
gia astrologiam, pro astronomia astronomiam satis cōgrue satis pro me
rito nuncupabimus. De qua utcunq; de nomine decidatur, ego quidem
cum rationibus nixus, tum præiudicijs hominum sapientissimorum ni
hil dubitauerim affirmare, non esse inter artes præstigiosas, quæ aut plus
fallat credulos & imperitos, aut quæ persuasis fallendo plus noceat, tan
to reliquis superstitionibus exitialior, quanto propius accedere uisa ad ue
ritatem. Nam ille quidē in prima facie notas suæ dementiæ leuitatisq; pre
ferentes, uix cuiquam imponunt præterq; penitus exoculato, hæc in sinu
habens, & in præcordijs alens insaniam, præfert speciem habitūq; sapien
tiæ, ut si eminus inspectes uel per transennam forma capiaris, si cominus
admoueris oculum, exploratorem ipsam uideas umbram, aut quasi laruā,
& sub aperta luce fallaciam tenebrarum abomineris. Ita est certe, ita perra
tiones manifestissimas, luce clarius fiet, nullam esse maiorem fallaciam,
nullam pernicioſiorem, ostentat procul cœlum & planetas, unde facile
credas in tam sublimi, tam lucido spectaculo, nihil non posse uerissime

præuis

præuideri. Mox ubi attentius consideraueris, uides & sublime adeò esse speculum, ut imagines illuc terrenarum rerum non ascendant, & ita lucidum ut ad eius fulgorem nostra calliget infirmitas, tum propius cum accesseris uidebis intextas illius peplo, pro cœlestib. portentuosas effigies, & stellas in animalia transformatas, & plenum fabulis cœlum, imò pro uero cœlo commentitium cœlum non factum à Deo, sed ab astrologis fictum, sic instructa uidetur omni firmamento dogmatis comprobati, quæ simul & libros circumferat magnis nominibus prætitulatos, & rationes tàm multas decretorum suorum & præter rationem experimenta, tã diuturnis obseruationibus, tam diligentibus annotamentis corroborata, tum ab usu tot seculorum, & tam multarum ætatum approbatione recepta. Mirum quàm per caligines istas & nebulas oculis imperitia offensis, & speciosam, & uenerabilem, & serie plenam authoritatis imaginem sui repræsentat. Quas ubi tenebras & præstigia radio rationis, & diligenti tractatione discusseris, uidebis in illis libris nihil esse libratũ, in authoribus nullam authoritatem, in rationibus nihil rationale, in experimentis nihil consonum, nihil constans, nihil uerum, nihil credibile, nihil solidũ, sed pugnantia inuicem, falsa, uana, ridicula, ut uix credas qui scripserunt fidẽ adhibuisse his quæ scribebant. Quod uero spectat ad unitatem, nõ inuenias temerè quæ plus spei proponat suis aurarijs, quæ maiora desiderabiliora promittat. Prudentiæ se facit conseruatricẽ, cuius de futuris coniecturam certa præcognitione stabiliat, sed & philosophiæ cuius maxima pars quę de cœlis (ut isti uolunt) per cœli influentiam ad liquidum absoluatur. De medicina non attinet dicere, de nautica, de agricultura, dum non solum futura prænunciat his, sed & uires cœlorum ad terrena deducit, unde omnium artium opera efficacissimè, unde õmnium artiũ magistri quod uolunt facile consequantur, & hæc quidem ueteribus, sed etiam neotericis persuasit, religioni si Dijs placet, cũ uniuersæ, tum Christianæ plurimum conferre authoritatis & emolumenti, & ut semel dicatur imitata suum magistrum, & regna mundi adorantibus se promittit, & suum lignum gustantibus, æmulationem diuinitatis, boni maliq; cognitionem. Quæ non modo ullis ut pollicetur uitæ usibus commoda sit, sed fraus est omniũ pestilentissima, siquidem illa ipsa est, ut demõstrabimus, quæ philosophiam omnem corrumpit, medicinam adulterat, religionem infirmat, superstitiones parit, aut roborat, idolatriam fouet, prudẽtiam aufert, polluit mores, cœlum infamat, homines miseros, anxios, quietos, & de liberis seruos, & in rebus penè agendis omnibus planè facit infortunatos. Quod cum ego exploratum habere mihi uiderer atque compertum, putaui piaculum me facturum, nulla uictima expiandum, si tacerem, si dissimularem, nec uel penitus pro uirili uenenum, hoc de credulorum manibus extorquere tentarem, hac præsertim ætate, qua si quando aliâs ad hanc frau-

dem omnis ætas & ordo sexusq; caligat. Est autem tanto magis pro veritate pugnandum quanto plures habere cognoscitur oppugnatores, siquidem ut prodesse omnibus, ita placere tantummodo bonis desideramus, nec iudicium multitudinis fidem habet, ubi contra stat ratio consensusq; doctorum, nec nos auram spectamus popularem, sed lucem veritatis & publicam utilitatem.

IOANNIS PICI Mirandulæ Concordiæ Comitis Disputationum, in Astrologiam,

LIBER PRIMVS.

PRIMVM omnium scire Lectorem uolo, non hoc nostrum inuentum audaciamq; fuisse reijciendi confutandiq; astrologiam, sed à prima antiquitate bonis ita iudicijs semper uisum non esse professionem, quæ tot homini incommoda, tot insanias undiq; sub prætextu scientiæ & utilitatis inueheret. Hinc Cæsarum legibus & prudentum, uti noxia uitæ ciuitatibus eliminatur, hinc oraculis Prophetarum, Pontificũ sanctionibus, hominum sanctissimorum uocibus & doctrinis, ut moribus & pietati pestifera condemnatur, hinc à philosophis & mathematicis quicunque sapere ex libris non loqui didicerint, quasi falsa, non utilis, non possibilis, non amica philosophiæ, uel contemnitur ferè uel confutatur: Id quod alijs uel nescientibus, uel denegantibus prius quàm rationibus res agatur, hoc libro sumus declaraturi, ut post tales accusatores non ad inuidiam nobis hæc accusatio, sed potius ad pudorem bonę frontis hominibus, si qui suscipiãt, possit esse defensio. Exordium uerò faciemus à philosophis, quorum maior authoritas, quæ prudentum, & communior interdũ esse solet, quàm Prophetarum. Pithagoram astrologiæ fidem non præstasse, tum author est Theodoretus, tum Laërtius, quoque Diogenes, & Plutarchus, indicaverunt. Democriti illud fertur, quod ante pedes nemo spectat, cœli scrutatur plagas. Academicus Phauorinus & Panætius Stoicus ipsam incessuerunt, ridetur eadem à Seneca, confutatur à Cicerone, sed & disputantem aduersus illam Carneadem, & diuinis infensum, Bionem philosophum quis ignorat? Quod si superat omnem insaniam, cui nec insanus accedat

Ore-

Orestes, quantum insaniæ continet astrologia, cui nec multa delirans assentiri potuit Epicurus. Plato & Aristot. philosophiæ principes indignam putauerunt, de qua uerbum aliquando facerent tota sua philosophia, plus eam silendo quàm quisquam uoce scriptisúe condemnantes. Nam qui aliter sentiunt, illud quæso respondeant cur toto decursu suarum commentationum, ubi uel proprietates explicandæ cœlestiũ uel causæ inferiorum inde erant petendæ astrologicum illi nihil unquam attulerint? An ad philosophum hæc spectare non putarunt partes uniuersi primas & nobilissimas, corpora mota, rursusq; mouentia, causas efficacissimas, sine quibus fieri quicquam in natura aut cognosci non possit, si quid tales esse credantur, quales eas astrologi faciunt, de quibus uniuersalia quædam cognoscere, qualia scribunt philosophorum duces, si qua propria magis possent intelligi, non philosophi sed imperfecti philosophi est. Cur igitur Aristoteles libros suos de cœlo tam ieiunos reliquit? ubi tam multa tam splendida dicere potuit, & si potuit debuit de stellis, de planetis, eorum efficientiam, proprietates, cognitionem, indicans nobis? Cur in metheorologicis, imbrium, cometarum, uentorum, causas perscrutatus, astrologicarum rerum semper obliuiscitur? Cur in libris de animalium generatione, nec gemellos, nec partus portentosos atq; monstrificos, nec sexus numerumúe puerperij, nec formam, nec qualitates ad sidera aut refert, aut referri posse meminit in transcursu? Cur idem in Timæo facit & Plato? Cur ante Platonem Timæus ipse Pithagoreus in libro de natura, summus, ut ait Plato, philosophus pariter & astronomus? Cur & Ocelus, idem Leucanus in libro de mundo, testimonio etiam ipse Platonis in philosophia eminentissimus. An hæc quasi parua contempserunt, quæ si sunt uera maiora esse non possunt, an non contempserunt quidem, sed ignorauerunt, & in Aegypto Babyloniaq; uersati non potuerunt hæc intelligere decantata apud hos populos, & cuique de medio etiam nota? professionis certe suæ non esse (ut diximus) non putauerunt, nisi suam ignorarunt professionem, ut philosophi munus crederent apum & formicarum minutissimè quærere proprietates, Iouis & Saturni etiam non putarent, præsertim si ueritatem super his non solum obseruatio docet, sed & ratio monstrat, quod scriptores astrologi maxime cõtendunt. Quidnam igitur aliud dici potest, quàm in ea fuisse Platonem Aristotelemq; sententia, nõ esse causas cœlestia quorũ dicunt astrologi, nec astrologiam uel artem esse uel scientiam, cuius erat cum alijs, alioquin mentio facienda, sed ex ludicris unam, siue fraudibus potius circulatorum, quo genere geomantiæ, hydromantiæ, prestigia, incantationes, quarum ueteres nulli philosophi inter scientias artesq; meminerunt. nam si foret ars astrologia penderet à naturali sciẽtia, sicuti medicina, ut quemadmodum medicus à philosopho, fruticum, herbarum, animalium natu-

ram mutuatur, quibus utatur ad sanitatem corporibus conciliandam, ita discat astrologus à philosopho siderum uires & proprietates quibus utatur, & uti doceat ipse ad prædicendum, nam qui diuinatricem astrologiam partem aut finem mathematicæ putat astronomiæ, plus quàm cum ea, si qua esse putetur, quàm cum naturali philosophia habere commercij, is quàm longe fallat postea declarabimus. Nunc tantum admonemus rem positam doctis, tamen extra controuersiam, ad philosophum pertinere scire de sideribus quicquid eorum substantiã ordinemq; consequitur, admotus & moles eorum dimetiendas astronomo delegato, ad prædicenda futura de habitu posituraq́ue eorum astrologo, si quis artifex scilicet, esse concedatur astrologus. Quare nimis omnino dormitans & inexcusabile Platonis Aristotelisq; silentium foret, ea nec indicantium quidem, quæ fuerant illis etiam exactissime pertractanda. Quod ubique apud Platonem Miscellaneam agentem, omnigenamq́ue doctrinam tum apud Aristotelem in Problematis maxime licet admirari. Quo libro de mathematicis, deq́ue omnibus artibus, & disciplinis quæstiones proponens, & earum ex omni genere dogmatum etiam antiquatorum afferens solutiones, hiscere tamen astrologicum uerbum nusquàm inuenitur, licet item in Ethicis ad Eudemum ubi de bona fortuna differuit. Quo si satis indicio non mouemur, audiamus discipulos utriusque philosophi, eam nobis sententiam testificantes, quam magistri silendo nobis eloquuntur. Plotinus in Platonica familia primæ ferè authoritatis habetur, eum scribit Porphirius cum diligentem astrologiæ operam dedisset, comperisseq; tandem artis uanitatem falsitatemq;, prædictionum omnem astrogis fidem abrogasse, quare libro quoque dicato, cui titulus de Stellarum efficientia, dogmata astrologorum asseueratè risit & confutauit. Quod ægreferens Maternus multa super eius morte mentitur, quasi de eo pœnas sumpserit fatum. nam illa esse falsissima ex Porphirio ipso Plotini discipulo facile intelligitur, qui & genus morbi quo decesserit, & causam, & cur Roma discesserit planè fideliterq; describit. Origenes Adamantius in philosophica secta sicut in omnibus disciplinis eminentissimus, sæpe multisque rationibus astrologicam uanitatem fugillauit, nisi forsitan eius testimonium minus faciunt homines superstitiosi, quoniam fuit etiam Christianus, sed non fuit Christianus Eudoxus, qui etiam Platonem audiuit, & in Aegypto uersatus est, & habitus princeps Astronomorum sua tempestate, qui tamen nihil credendum astrologis ex hominum genituris eorum fata prædicentibus scriptum reliquit. Alexander ex Aphrodisiade summus author in Aristotelica philosophia de Fato librum ad Cæsares Seuerum primum & Antoninum filium scribens, & fati reiecit necessitatem, & de astroligicis siluit. Ad quæ fati tamen commemoratio trahit uel transuersos.

Nec

Nec forsitan aliud ei consiliũ elucubrandæ commẽtationis, quàm ut prospensum Seueri Cæsaris animum ad istiusmodi superstitionẽ philosophica ratione castigaret. Auerrois celeber in eadẽ familia philosophus, & rerum naturalium grauis æstimator, ubique astrologiã lacerat, damnat, insectatur, nam in prima quidem philosophia astrologorum opinionem de cœlestibus imaginibus, quibus subesse terrena figuræ similis animalia putãt, fabulosam dicit, qua tamen sublata, ruit maxima pars astrologicæ superstitionis, idem Cantica exponens Auicennæ, Alibi quidẽ ait contraria esse philosophiæ, alibi fere omnia falsa dogmata astrologorum, tum artem ipsam in uniuersum uanam & infirmã. In libris item aduersus Algazelem, artificiosas imagines in quas cœli uirtutes deriuare se posse putant astrologi, prorsus inefficaces asseuerauit. Auicenna uir magnus in omnib. disciplinis, ultimo suæ primæ Philosophiæ libro, multis rationibus comprobauit ab astrologis præuideri futura non posse, quare nec eorum prædictionibus ullam fidem adhibendam. Mitto Henricum ex Asia cõplures{que} neotericos illustres in academia Parienſi dicatis operibus hanc uanitatem persequentes, quanquam maxima pars philosophorum contempserunt eam potius quàm confutauerunt, sicut artes alias circulatrices, & aniles fabellas, & deliria præstigiatorum. Sed illud animaduersione dignũ quòd astronomi quoque ipsi professionem istam reiecerunt, quod fieri omnino non potuit, præterquam conscientia compertæ falsitatis, cum alioquin illis in cœlestium motibus exercitatissimis tantum accederet & scientiæ, & gloriæ, & quæstus, quantum astrologiæ fidei & authoritatis. At ille quem citauimus nuper Eudoxus Gnidius summus fuit in mathematicis, cuius in astronomicis rebus iudicio nititur. Aristot. sed prudentissimus legislator, scripsit enim leges ciuibus suis, & sub Philistio medicus insignis, & philosophus sub Platone, qui tamen ne crederemus astrologis nos admonuit literis{que} mandauit, ita scilicet, ei mathematica ratio demonstrauerat, & magister etiam Plato persuaserat. Cassandrum & Archelaum cum in astronomia præcellerent, hoc prædictionis genere nunquam usos author est Panetius. Hoychilax Halicarnaseus quanquam doctissimus in omni mathematica, totum hoc tamen diuinandi per astra genus repudiauit. Veniamus ad neotericos. Nicolaus Oresmius & philosophus acutissimus, & peritissimus mathematicus, astrologicã superstitionem peculiari commentario indignabundus etiam insectatur, nihil ratus ille fallacius, nihil detestabilius, nihil omnibus quidem ordinibus sed principibus maximè uiris esse pestilentius. Ioãnes Marlianus nostra ætate summus in mathematicis & erat & habebat, is nõ modo prædictionibus istis semper abstinuit, sed etiã de ipsarũ falsitate postremis annis scribere instituerat, quan{que}, erat em̃ longæuus, interceptus morte id nõ effecerit. Aiebat homo minime glorioſus habere se aduersus astrologos certissimas demonstrationes.

ſtrationes. Quod cum alij, tum familiaris illi Luchinus noſter & ipſe præcellens mathematicus mihi non ſemel retulerunt. Paulus Florentinus in medicina quidem, ſed præcipuè in mathematicis Græcè Latinéq; doctiſſimus, quoties de iſta profeſsione rogabatur, toties eam incertam fallacẽq; aſſeuerabat, afferens inter cætera de ſeipſo euidens experimentũ, qui cum quinq; & octuaginta iam impleſſet annos, in ſua tamẽ genitura quam exa minarat diligentiſsime uitalem nullam conſtellationem reperiſſet. Afferrem multos ex his etiã qui uiuunt & philoſophos & aſtronomos idem ſentientes, ſed neſcio an inuidiam aduerſus ſe concitari uelint hominum, cœli, fatiq;, potentiũ. Porrò noſter Marſilius ſcripſit aduerſus eos apertè Plotini ueſtigia ſecutus, in quo interpretando & enarrando magnopere rem Platonicam iuuit, auxit, & illuſtrauit. quòd ſi ualitudini conſulens hominum aliquando corrogat ſibi de cœlo quædam etiam auxilia, optat illepotius ita fieri poſſe quàm credat, teſtari hominis mentẽ fideliſsime poſſum, quo familiariter utor, nec habui ad detegendam iſtã fallaciam, qui meſe pius & efficacius adhortaretur: nec quoties unà facetiamur uberior nobis occaſio ſegesq; ridendi, quàm de uanitate aſtrologorum præſertim ſi tertius interueniat Politianus, interuenit uerò ſemper omniũ ſuperſtitionum mirus exibilator. Forte uero nec Nicolai Leonicœni noſtri iudiciũ ſuper hac re diſsimulandum: Is cum mathematica, ut omnes liberales ſcientias fideliter teneat, ita tamen hanc uanam iudicat prophetãtem aſtrologiam, ut nec illos qui ſcripſerũt, præſertim doctiores fidem putet adhibuiſſe his quæ ſcribebant, quòd ſi cauſam interroges cur igitur ſcripſerint, reſpondet partim auaritia, partim imperitia principum effectum. Nam cum, inquit ille, in demetiendis aſtrorum motibus & corporibus quod mathematica facit aſtronomia, præcellentes illi uiri die noctuq; laborarent, nullum erat eis inde apud principes emolumentũ, quibus ſcilicet nihil curæ quàm magno ſydera corpore, aut quàm ueloci motu per cœli ſpacia reuolueren tur, hoc illi cum uidiſſent ne cœleſtia perſcrutantes interim eſſent inopes terrenorum, lepidam excogitaſſe fallaciam, qua ſibi principũ animos obligarent, & ſuæ profeſsionis facerent amatores. quare commentos ab his aſtris omnium fortunas, ſed præcipue principum dependere, liberos ſcilicet, uitam, imperia, uictorias, ualitudinem, ſibi uero qui illorum diu motus & naturas obſeruaſſent, penitus cognitum & exploratum, quid cuiq; uel boni pollicerentur uel aduerſi denunciarent, tum habere præterea ad manum ſe remedia quibus præuiſa mala repellerentur, bona confirmarentur. nam ſi felix hora notaretur, imagines ex materia quadam cœleſtibus illis naturis cognatiores poſſe conflari, ad quas miris machinamentis deducta uirtus ab aſtris feliciſsimos faceret homines, rerumq; potentes, illarum uel tactu uel geſtatione quicquid appeterent facile conſequentes, quibus omnibus rebus quo plus fidei facerent, illud addidiſſe reuelata ſibi diuinitus

nitus huius artis secretiora mysteria, quemadmodū à potentissimo Mercurij numine & Petosirim & Æsculapium accepisse q̄ plurima. Legit apud Maternū, tum uerò principes illiteratos & curiosos, & rerū quas promittebāt appetentissimos, adductos facilè ut crederēt, ut professores fouerēt, & præmijs studia hæc quotidie magis & magis excitarent. Hæc serio nosster Leonicenus, nec procul à uero, super astrologos loquitur & sentit. Cauendum autem in primis ne qua nobis ad fidem irrepant astrologi mentita magnis authoribus uolumina perscribentes, quod est illis cum omni superstitione cōmune. Nam quoniā quæ produnt ab his ratione cōfirmari nō possunt, siue ipsi illa uera credunt, siue credi uolunt ab alijs, libros huiuscemodi fabularū uiris clarissimis & antiquissimis inscribunt, & fidem errori suo de fictis authoribus aucupātur. Ex hoc genere liber de proprietatibus elementorum, in quo de magnis agitur coniunctionibus, & de secretis ad Alexandrum quos tribuūt Aristot. nulla culpa boni philosophi, nullo demerito: sicut libros Platonis de uacca Magi circumferūt, & quos uocant institutionū, execrabilibus somnijs figmētisq̄ refertos, & à Platone non minus alienos q̄ ista sint mendicabula à Platonis procul & probitate & sapientia. Sic olim hæretici Gnostici nuncupati Zoroastri libros ostentabant, quibus hæresim suam de Zoroastri antiquitate uenerabilem facerent, quos nouos & cōmentitos esse non Zoroastri Porphyrius multis argumentationibus demōstrauit, falli autem facile possunt & circumueniri per hæc mendacia si qui sint humaniorū literarum rudiores, quanq̄ alioquin docti, cū per illas maxime & phrasim & indolem statim authorū cognoscentes adulterina à legitimis discernamus, quāquam astrologorū nostrorum & quæ nunc in manibus artiū superstitiosarū figmenta sic abhorrent ab omni similitudine ueri ut cuiuis è medio etiam pateant. Quis enim adducatur ut Ouidium de uetula Ouidiū credat, in quo de magnis etiam coniunctionibus & Christiana lege mirabilia, pronunciantur, adeò ut Rogerius Bacon magnus astrologiæ patronus, nullius libentius scriptoris testimonijs utatur, nisi forte præferat Artephium qui omnino secreta alia prodit innumera, quale illud: Inspecto non astro, sed lotio posse hominis & uitam, & ingenium, & conditiones, denicq̄ omnes ad unam præcognosci. Sic magnam quoque ille fidem Ethico philosopho, cuius liber de cosmographia translatus dicitur ab Hieronymo. Est autem lectio adeò deridicula ut nulla magis, sed frequenter citata à Rogerio nostro in epistola ad Clementem, ita ut ferè adducat compositum ab eo libellum quendam cui titulus de erroribus studentium theologiæ, quo imprimis uolumine erroris accusatur, quòd theologi nostri mysteria religionis magis ex Aristot. cæterisq̄ philosophis confirment, quàm ex authoribus quos modo nominauimus, Ethico, Arthephio, Ouidio de uetula poëtisque similibus. Præscribitur uerò liber Alberto, sed mendacissime cum nunquam

in theo-

in theologicis ſuis ſcriptis hęc ille ſomnia memorauerit, ſed merito ad Baconem uidetur referendus, cuius alia ſcripta in ea eũ fuiſſe ſententia facile declarant, illorum ſemper authorum teſtimonijs oraculisq; perſcatentia. Quibus ſi potuit credere, nihil mirum ſi credere potuit etiam aſtrologiæ. Ita uero ſuperſtitioſum hoc genus hominum frontem perfricuerunt, ut etiam ſub Aquinatis Thomæ titulo libros circumferant de necromanticis imaginibus, ut iam minus mirandum quòd neſcio quos Ptolemæi de anulis, ſed & ad Ariſtonem aſtrologicos fingant libros quos Ptol. nunquam ſcripſit: qua temeritate uel ignorantia Eboracenſis etiam cuiuſdam opuſculum multi referunt ad Albertum commemorant, & Hippocratis libros de prognoſticis ęgritudinũ ex ſiderum curſu, quos puto ignorabat Hippocrates cum prognoſticorũ libros ſcripſit à Galeno expoſitos, & tota Græcia celebratos, aut ſi nouerat, quaſi tamen ſecretiora ſepoſuit puris & ritè initiandis communicanda. Prætereo quæ ſuper pluuijs, ſuper quæſtionibus Alchindus, & alij Pithagorea & Ariſtotelea commemorãt, & qui liber inſcribitur Ariſtot. de regiminibus, ita loquuntur ipſi, cœleſtibus. Qui utinam ad ſanctos etiam uiros profana non retuliſſent, & libri cuiuſdam de excantationibus interpretem diuum Hieronymum non feciſſent, quanquam ſi angelos infamarunt facile poſſunt homines, dum & hæc quidem deliria ab Adæ angelo, illa à Salomonis, alia à Thobię cuſtode tradita dicũt. Sed ad aſtrologos reuertamur omiſsis Magis ad quos quaſi confines erroris communio nos deduxit Ariſtot. quid de hoc hominum genere ſentiret uno uerbo monſtrauit, qui in problematis cum mimo & præſtigiatore aſtrologum deputauit. At dices ſi nihil tale iſti philoſophi ſcripſerunt, qui tamen ea ſcripſerunt fuere philoſophi. Qualis Albumaſar, Ptolemæus, Haly Aberagel, Iulius Firmicus, innumeri alij, tum Latini, tum Gręci, barbariq; authores aſtrologię, uiri & doctrina, & ingenio pręſtãtiſsimi. Tu uir me opportune admonuiſti, ne id ſolum dicerem aduerſus te, neglectam à philoſophis aſtrologiam, ſed & quicunque eam etiam ſcripſiſſent, aut nihil aut male philoſophatos. Quare relinquite nobis ſi Dijs placet & Pithagoram, & Platonem, & Ariſtotelem, & ueſtros uobis habeatis Aomaras, Alchabitios, Auenazras, Abenrageles. Qui omnes quantum abfuerunt à philoſophico ingenio palàm demonſtrabitur, cum accedere illos fabuloſiſsimis rebus & aſſeuerare quę nullam habeant rationem, & pugnantia dicere, & ſeipſos euertere palàm oſtendemus, quę diuerſiſsima à philoſopho ſunt, cuius maxime proprium nihil credere, nihil affirmare, quòd uel euidentia uel ratione demonſtrari nõ poſsit. Sed age dicamus hic & aliquid unde conſtet authores aſtrologię, aut parum, aut male philoſophatos. Porrò Ptol. principem aliorum facile concedẽt, eſt enim doctiſsimus aſtrologorum, & quod attinet ad mathematica uir ingenioſiſsimus. Quod autem ad genethliacos, quemadmodum dici ſolet, opti-

let, optimus malorum. Is igitur quo iudicio philosophicas res tractauerit, & in proœmijs magnæ compositionis quam uocant Almagestum, & in libris Apotelesmaton satis indicauit. Exordiens enim libros mathematicos partitur philosophiam contemplatricem ex Arist. sententia in tria genera, theologicum, naturale, & mathematicum, tum rationem partitionis exponens, omnia, inquit, quæ sunt ex tribus constant, materia, forma, & motu, quæ separari abinuicem cogitatione quidem possunt, re autem non possunt. ab his igitur tribus, tria illa genera philosophiæ dicuntur, à motu theologicum, cum primi motus causa non aliud sit quàm Deus, à materia physicum, à forma mathematicum. Hæc est Ptol. sententia, in qua tot esse apud bonos philosophos errata quot uerba, nemo paulo doctior dubitauerit, neque enim omnia ex illis tribus. Quod si omnia dum dicit naturales res intelligit, quomodo circa has uersabit ipsa philosophia, in tria illa deinde genera diuisa, physicum, diuinum, & mathematicum. Sed neq; ex naturalibus quicquam constat ex motu, quanquam non fiat, nec permaneat sine motu, sed demus ei hanc ueniam loquendi. Aristot. ipse quē probat, quomodo ei dabit à motu oriri genus theologicum? Cū & ipse Deus quatenus primi motus author & causa, non à theologo, sed à philosopho inuestigetur. Reliqua etiā aut falsa, aut quæ facile uideas ab homine prolata parum perito gnaroq; philosophiæ. Iam uero ex libris Apotelesm. quos uocant Quadripartitos insigniores errores & magis euidentes, cū & Lunam humiliorem credit, quia humidus uapor à terra ad eam reliquis astris terræ proximiorem ascendat, & eadem ratione aridum Saturnum, quia ab his uaporib. magis elongetur, eundem uerò & frigidum esse, quia sit procul à calore solis, Iouem temperatum quòd inter gelidum Saturnum, & feruidum Martem medius collocetur, atque alia hoc genus multa de siderum proprietatibus quæ exibilabunt philosoppi potius quàm confutabunt. Et quanquam magistri errorem erubescens Arabs enarrator conetur in sensum aliū Ptol. uerba transferre, ipse tamen defendi uel excusari Ptolem. non patitur, qui adeò hæc asserit, affirmat, & sæpius iterat, ut de sensu eius dubitatio nulla relinquat. Tu uero ex uno hoc disce omnes, & ex optimo indica deteriores. Primus fere à Ptol. habetur Albumasar is nec philosophus fuit, nec dialecticus, & in mathematicis imperitus, erat enim grammatices artis professor, & à scribendis historijs (ut narrat Auenrodan) ad astrologiam se conuertit, in qua etiam sua professione quàm esset uerus uel hinc cognoscas, quòd Ptolemæum astrologum ex Aegypti regibus putat fuisse, qui Alexandro successerunt, quasi inter hos & illum non plus quingētis etiam annis interceserit, cum reges Ptol. ante Christū per quadringētos annos floruerint, Ptol. astrologus sub Adriano scripserit & Atonino. Vide mirum rerū altissimarū indagatorem & obseruatorē fidelem, qui in re tā aperta tāta sit ingenij uel somnolentia uel tarditate? Idē in

astrologicis rebus quantū errauerit, quàm apertis confessisq; mendacijs institerit quasi ueris, postea declarabimus. Quid memorem Maternum & in rudimentis arithmeticæ sic hallucinantē, ut scribat: quid decernat Mercurius, cum in nocturna genitura cœli medium occupauerit, quasi à Sole Mercurius plus quadraginta aut circiter partibus abesse unquam possit, aut à cœli medio Sol per noctem plus septuaginta semper non absit. Mitto alia multa in quib. cū semper multæ loquentiæ, exiguæ semper sapiētiæ hominem deprehendes. Iam Malliū nisi esset poëta bone Deus, quo risu prosequeremur, qui cœlestes illas quas fingit imagines paucis stellis inchoatas potius dicit quàm absolutas, ne pluribus ibi ignibus accensis incendio mundus flagraret. Ad iuniores non descendo homines plebeos & idiotas, ad quos quasi ad iustos possessores tota ferè professio deuoluta est: Est Bonatus inter eos primæ authoritatis, is non ignarus modo est philosophiæ, sed furit plane atque delirat. Lege eius primū librum de iudicijs in quo super opere ipse procœmiatur, mentior nisi Helleboro dignum hominem iudicaueris. struit ubi desipit minus rationes quasdam quib. astrologiā probet esse uerā, illas quid dicā falsas, imò supra quā dici possit pueriles atq; ridiculas. Quam uerò putat efficacissimā, illa est quadriuiū destrui si astrologia tollat, esse enim unā ex quatuor artib. mathematicis, uide ut nescit etiā quid sit hoc ipsum quod profitetur? Astrologia enim hæc diuinatrix quam confutamus tantū distat ab ea quæ mathematicis annumeratur, quātum à tenebris lux, quantū ueritas distat à mendacio. Et hæc quidem quæ futurorū prædictionē usurpat, si prior illa ueriorq; tollatur stare non potest, at non remeat ratio ut diuinatrice sublata, mathematica quoq; illa auferatur, quod adeò est perspicuū, uel his qui prima harum artium attigerint elementa, ut pluribus hoc declarare superfluum sit. Ptolemæus ipse in procœmijs Apotelesmaton postquam de duplici dicit astronomia, tamen ad priorem & mathematicam referens sermonē ita inquit. Duo sunt Syre, quibus peruenitur ad astronomicas prædictiones, præcipua quidem & maxima, Vnum quod primū & loco est, & potestate, quo Solis, Lunæ & stellarum motuum configurationes cū erga se tum terram deprehendimus. Alterum quo de illarū configurationū, &c. quæ sequuntur. Quod si forte quibusdā interdū bonis iudicijs non displicuit ista professio, nō statim tamē est bonū, quod bonus etiā aliquis nō improbauerit, quoniā & boni non semper usquequaq; boni, & docti prærogatiuam omnibus numeris pauci consequuntur. Et si dicendum est aliquid, nō omnes docti philosophi, philosophi semper sunt. Sed illud etiā opus meminisse esse ueritates quasdā quib. nobis libido reluctat, esse quib. nulla in primo genere, omnia quæ sunt de moribus & theologica multa continentur: in altero maxima pars quæ de physicis rebus & mathematicis est. Porro hanc ueritatem quam nos tractamus de uanitate astrologiæ ad primum genus spectat

spectare manifestum est, quoniam innatum homini curiositatis uitium illi repugnat, quod cum sit inter omnia potentissimum, cum sit homini proprium quatenus homo est, efficit interdum ut plures huic ueritati uel inuestigandæ non uacent, uel inuentæ etiam non libenter accedant. Et quemadmodum multi post tractatas philosopho aduersus auaritiam euidentissimas rationes opibus tamen inhiant cumulandis, sic plærique postquam eis constiterit uera omnino esse posse quæ astrologi dicunt, ab astrologis tamen innata curiositas ægrè se diuellit, & si rerum auidi nouarum, etiã fabulas audimus libenter, ita curiosi futurorum, & mentientes in illis astrologos cum uoluptate sentimus. Accedit qui nos semper infatuat nimius amor nostri, qui quæcunq; attinent ad nos prospera uel aduersa, facile sperat, facilia timet, & ad ea quærenda etiam ubi inueniri scimus non posse, cæca tamen identidem cupiditate sollicitat. Quid quòd uulgato hoc diuturno consensu præiudicatum quasi multi existimant etiam omnino esse aliquid astrologiam, nec illud eis unquam uenit in mentem ut introspicerent, quisnam fundus huic rei, aut quàm solidum firmamẽtum subessent. Quare quoscunq; ferè ista uanitas tenuit, inuenies aut parum fuisse philosophos, aut certe parum astrologos, quorum altero ne uideãtur, altero ne iudicentur errores eorũ effici potest. Deniq; gustata forte potuit placuisse quibusdã, potata uero philosophi palato nunquã satisfecit. Habet enim in fronte aliquid quod alliciat, quod magnũ, quod uerisimile, quod utile uideatur, sed ubi altius introspexeris falsa, incerta, fabulosa, omnia uides, aut nullis aut debilissimis quibusdam cõiecturis nata, de quibus postea libris sequentibus abundanter lateq; disseremus. Verum illud forte & aliquem fefellerit, quòd cum sint aliquorum & philosophorũ & astrologorum affinia nomina, poterit existimari eosdem fuisse, qui & philosophica & astrologica conscripserint. Est enim Albumasar apud philosophos, est item apud astrologos, sed quanquam hæc nomina Latinus sermo confuderit, apud Arabes tamen diuersa dignoscũtur. nam qui philosophus est Albumasar, qui autem astrologus Aboasar appellatur. Scripsit etiã Abubater de natalibus prædictionibus, & eodem nomine alius philosophica, præcipueq; librum quo quisq; pacto per se philosophus euadat, quem anno superiore ex Hebræo uertimus in Latinum. Sed ille Altasibi, hic uerò Tripdis filius. Eadem in plerisq; affinitas nominum, quanquam & tẽporum & professionum magna dissensio. Et de philosophis quidem satis. Trãseamus ad Prophetas, hoc est ad ueteris & nouæ legis oracula, ab Esaia exordium facientes. Is igitur cum Babylonijs, apud quos hæc secta maxime uiguit, unde astrologi etiam Chaldæi dicebantur, futurum excidiũ minaretur, & Cyrum regem Persarum per ducentũ etiam annos antequã nasceret unctum appellatum aduersus illos dimicantem, tubis excitaret, ita Chaldæorum ciuitatem desolandã alloquitur: Stent nunc & saluent te au-

gures cœli, qui contemplabantur sidera & supputabãt menses, ut annũ-
ciarent euentura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combusit eos, nec
liberabunt animam suam de manu flammæ, & ante hæc paucis interiectis,
de hac cœlestium obseruatione eos ita taxauerat, Sapientia hæc, & scientia
tua decipiet te, ueniet super te malum, & nescies ortum eius, & irruet super
te calamitas quam non poteris expiare. In quibus uerbis Propheta diui-
nus duplicem astrologorum temeritatem accusat, quarum altera est puta-
re se ex cœlo posse futura præuidere, altera cum sint præuisa uel depellere
mala uel bona confirmare. Veniet igitur inquit malum, cuius nescies ortũ,
hoc est q̃ tibi nec Mars, nec Saturni frigida stella præsignificauerit. Tunc
nec irruentem calamitem poteris expiare, hoc est horarum electionibus, et
astrologicis imaginibus, aut superstitiosis aliis machinamentis à te propel
lere. Dignum autem animaduersione confutari per hæc responsiones eo-
rum qui Chaldæi pariter esse uolunt & Christiani. Soliti enim dicere non
simpliciter damnari à sanctis & prophetis astronomiam, sed quatenus so-
lum aut uitia, aut uirtutes referunt ad cœlum, aut rerum humanarũ euenta
fatali necessitate deuinciunt, quare cum hos errores boni etiam astrologi
confutent, non astrologiæ scientiam, sed astrologorum quorũndam erra-
ta illos abominari. Dicant igitur mihi & Petrus Alliacensis & quicũq; hac
se defensione defendunt, an ad mores spectaret quòd Assyriis bellum rex
Persarũ inferret? Etiam si ad mores nõ attinet, cur præuideri tamen à sum-
mis astrologis id non posse Propheta existimauerit? Quod si in eo etiã er-
rore fuissent, ut quæ essent futura necessario uentura putarent, nõ eis obij-
ceretur uenturam calamitatem per eos non expiandam, quam nec expiari
posse, ipsi tamen sperarent, qui necessario euenturam illam ut omina, exi-
stimarent. Sed nec ullo recto indicio bonæ artes damnant, quia mali quis-
dam eis abutuntur. Alioquin damnanda erat imprimis sacrarum lectio li-
terarum, unde tot hæreses, tot suas insanias, indocti quidam superbiq; cõ-
firmarunt. Damnanda item philosophia, quoniam hic philosophus ani-
mam mortalem, ille unicã dicat in omnibus. Alij negent prouidere Deum
hominibus, alij ullam omnino esse religionem. At euertentur hac ratione
omnia bona, cum nihil sit adeò bonum quo abuti natura hominũ nõ pos-
sit. Quare qui ita se defendunt, iudicium ecclesiæ, quod contemnere erube-
scunt, oblique interim grauiter calumniantur. Sed cogi omnino possunt,
ut uel repudiare istam uanitatem, uel à maioribus suis, hoc est ecclesiæ du-
cibus deuiare in sinistra non possint. Nam quacunq; illi ratione astrolo-
giam damnauerint, dicant quæso iusta ne damnauerint? an iniusta? iniu-
sta dicere nolunt, si iusta, cur non cum illis uos quoq; eam pariter damna-
tis? Sed damnamus inquient & nos illos errores, propter quos illis astrolo
gia displicuit. At ego illud quæro cur non propter eosdem illa displicet uo
bis? Nam interdicere illos astrologiã non quadamtenus, sed omnino om-

nem

nem prosequi, abominari palam est, & mox ostendemus. Vos factum con tenditis propter quosdam errores, esto, sed illud respondete, an recto indi cio propter illos errores tota abijciatur, si recto, cur non idem facitis uos? imò quam damnauerunt, uos approbatis, quam insectati sunt, defenditis, quam interdixere, disseminatis, quam sciri nolunt, publicè docetis. An quod inquit Alliacensis, crescenti fidei potuit obesse, ideoq; primi eã do ctores nascentis ecclesiæ sunt prosecuti, nunc adulta non nocet, imò pro dest etiam & uehementer. At qui hoc postea cõfutabitur, nam pestiferam illam ut olim, ita nunc etiam esse palam demõstrabimus, quod ipsa etiam num experientia demonstrat, sed nec erat illa damnanda, sed eius abusus. Cur igitur philosophiam quidem non damnabant, sed impietatẽ quorun dam philosophorum, non aũt pariter astrologos, sed ipsam astrologiam? Vtiq; quoniam in philosophia si quid erratur professoris est uitiũ, in astro logia ipsa professio uitium. Quorum authoritatẽ una cum ratione etiam nos secuti, aduersus impios disputantes, non philosophiã, sed philosopho rum errata confutauimus. Hic autem nõ astrologos, sed astrologiã, quo niam ipsa astrologia error est. Sed redeamus ad testimonia Prophetarum: Deus per Mosen ita loquitur nobis: Gentes augures, & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo aliter es institutus, pro eo autem quòd nos legi mus augures, in Hebræo est מְעוֹנְנִים per quos Achinnas maximus do ctor Hebræorum eos ait intelligi, qui tempora supputant, & felices ho ras ac infelices obseruant, deriuatur enim dictio illa ab עִינָן quod Hie ronymus augures transtulit, sed & apud Esaiam astrologos augures ui dimus nuncupari. Neque enim nomen astrologorum usquam in sacris li teris. Nam & ipsa habet uarias locutiones, & uarias uarijs temporibus su perstitio ista appellationes sortita est. Olim enim Chaldæi & Genethlia ci, Augustini temporibus mathematici & planetarij, nunc astrologi pas sim uocitantur. Quod autem Hieronymus & eo loco, & alibi plerunque transtulit diuinos, in Hebræo est קֹסְמִים quod Auenazra ipse, quan quam astrologus, ait, hoc est quidem cõmune omnibus diuinantibus, sed propriũ magis nomen astrologorum Hieremiæ illud quis ignorat? A si gnis cœli nolite timere, quę gentes timent. Quid igitur homo Christianus astrologorum iudicijs uel gaudet, uel tristatur, à quibus nihil sperandum Esaias, Hieremias, nihil timendum, imò per utrunque diuina nobis ueri tas affirmat, cum totum hoc quod profitentur, sicut inquit Ambrosius, quærere absurdum, cum quæ pollicẽtur sint impossibilia. Vnde cœli do minator apud Iob? Nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra? & infra: Quis enarrabit cœlorum rationem? Duplex enim error astrologorum, alter quòd multa cœlo subijciunt quę inde non dependẽt, alter quòd quæ etiam efficit cœlum, inde tamen ab eis, ut putãt, præuide ri non possunt, quod allata in medium apud Iob uerba nobis ostendit.

Et cum doctores ecclesiæ utrunq; pariter refellant, quomodo dici potest, id eos tantum non probare quod libertatẽ tollat arbitrij, aut fati necessitatem inducat. Augustini ratio illa de geminis nónne eó tendit ut omnem tollat ab eis præscientiam futurorũ? Idem in Enchiridion, nónne ipsam solam temporũ obseruationem, ut hæc fausta, illa infausta putemus, ad magnum dixit pertinere peccatum? Cum tamen in hac horarum dierũq; electione libertatem potius nostram exerceamus quàm auferamus. Sed ita est certe, displicebat eis undiq; astrologia, licet ea maxime parte, qua religionẽ & mores cœlo subijciebat, hac eam execrabantur, ubique confutabãt, hac impiam arbitrabantur, ubiq; uanam, hic blasphemam, ubiq; superstitiosam, hic abominabilẽ, ubiq; ridiculam. Quare Augustinus in libro de doctrina Christiana ad perniciosam dixit superstitionẽ pertinere eos qui Genethliaci dicunt, non solũ quia actiones nostras, sed quia & actionũ euẽtus à stellis putent procedere. Et in libro confessionum de Planetarijs loquẽs, hoc est, astrologis, quos Christiana, inquit, & uera pietas expellit & damnat, & illud Moseos exponens: Posita sidera in signa & tempora, non signa inquit, dicit quæ obseruare uanitatis est, sed uitæ usib. necessaria, qualia nautæ, agricolæ, & id genus artifices obseruant. Eodem loco Basilius eam occupatissimam esse dixit uanitatem. Ambrosius inutilem & impossibilem. Theodoretus à philosophis etiam confutatam. Chrisostomus uanam, falsam, ridiculam. Legamus Bardesanem, Enselaum, Didimum, Apollinarem, Tertullianum, & innumeros alios plures, etiam Apostolicos uiros, & quid plura, uidemus Hebræos hæreticos gentes eadem genus hominum hoc censoria uirgula prosequutos. Quo factum ut miraretur Augustinus cum redarguentia hæc astrologos testimonia tali celebritate in ecclesijs legerentur, plena tamen esse conuenticula nostris hominibus, qui tempora rerum agendarum acciperẽt à mathematicis. Idem cum super Psalmo tertio & sexagesimo ad populum concionaretur Mathematicum produxit pœnitentem, qui professioni scilicet renunciauerat, non aliter quàm si aut Iudæus aut Ethnicus aliquis regenerationis lauacrũ accepisset. Quàm pulchrè idem interpretans Ioannem insaniæ nostræ nos admonet, qui ad astrologos liberi intramus ut exeamus serui, & mendacijs emptis libertatem illis nostram erogamus. In libro uerò de Natura dęmonum ait expresse, nemini licere post Christum genituram alicuius de cœlo interpretari. Hieronymus ex opprobrijs Aegypti, hoc est, reliquijs idolatriæ esse ait, requirere stellarum cursus & futurorum ex eis euenta rimari. Seuerianus in libro quem de Septem artibus, quem falso, quasi Cassiodori citat Rogerius postquam de uera dixit astronomia: tum ea inquit quæ attinent ad præuidenda futura ita debere nesciri, ut nec scripta esse uideantur, sunt enim fidei nostræ sine dubitatione cõtraria. Hæc ille ad uerbum. Quod si quos tantorum hominum & tam præcellentium sententia nihil

mouet,

mouet, deterreat saltem Pontificalis authoritas quę istam professionem ita nostris hominibus interdicit, ut Alexander tertius Pontifex Maximus, sacerdotem nescio quem integro anno à ministerio altaris uoluerit abstinere, quòd per astrolabium cuiusdam ecclesiæ furto inuestigando aliquid esset perscrutatus, quanquam ut idem Pontifex testatur nullam ibi aut magicam, aut aliam superstitionem admisisset. In Martini Pontificis sinodo scriptum, non uere Christianos aut Lunæ cursus, aut stellarum, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, uel sociandis coniugijs obseruare, sed & sub nomine etiam aruspicum astrologus decreto Gregorij iunioris anathema pronunciatur. Et in concilio Toletano: Si ipse presbyter aut diaconus fuerit in monasterijs relegatur, sceleris ibi pœnas perpetua illa detentione daturus. Solent enim ut docet Augustinus in libro de Natura dæmonum sub aruspicum nomine apud nostros designari, qui dies & horas in agendis negocijs operibusq; custodiunt, ubi notari illa maxime uidetur pars astrologiæ quæ est de electionibus. Quis iam igitur audeat homo Christianus (cunctis enim nunc mihi sermo) astrologiã tueri, sequi, extollere, à lege prohibitã, à prophetis damnatam, à sanctis irrisam, à Pontificibus & sacrosanctis sinodis interdictam? Quod si mihi opponas Albertum theologum præstantissimum fautorem tamen astrologorum, admonebo te primum multa referri in Albertum, quæ Alberti non sunt, quod & supra tetigimus. Tum si mihi forte obijcias librum de Licitis & illicitis, in quo reijcit quidem magos, astronomicos autem probat authores: respondebo existimari quidem à multis esse illud opus Alberti, sed nec ipsum Albertum, nec libri inscriptionem usquequaque hoc significare, cum author ipse quicunque demum fuerit nomen suum consulto & ex professo dissimulet: quid? quòd in eo multa leguntur indigna homine docto, & bono Christiano, qualia illa sunt imagines fieri posse, quibus etiam non unus homo, sed una etiam ciuitas tota uel infelix fiat uel infortunata, tum non esse magicos libros abijciendos qui ecclesiæ utiles futuri aliquando sint. Elt enim hoc planè aduersum iudicio ipsius ecclesiæ, quæ illos ubi locorum fuerint inuenti uri iubet, & prorsus extermiari. Nam qua ratione utile erit seruare integros libros, quos utilimũ erat nunquam esse conscriptos? Quæ utique aut non scripsit Albertus, aut si scripsit dicendum est cum Apostolo, in alijs laudo, in hoc non laudo, sed sicut inuidiæ est quærere in magnis uiris potius quod dãnes quàm quòd extollas, ita insaniæ si cubi defecerunt non potius damnare uelle quàm imitari. Laudabo ego in Petro Aliacen. studium literarum, experientiam rerum, multiplicem lectionem, & quod scitè atque subtiliter theologicã quædam scripserit & tractauerit. quòd uero altero opusculo astrologiam historiæ, altero theologiæ conciliare uoluerit, ut ibi lueram, hic piam ratione probaret, plane nõ laudo, sed damno, execror, atq; detestor,

cum tueri positionē nullam possimus, aut magis falsam, aut religioni magis aduersam, de qua re quoniam in sequentibus libris latè differemus, nihil ultra hoc loco dicendum. Ibi enim etiam suis fautoribus testatū abunde relinquemus esse illos libellos & inimicos religioni, & tot erratis historicis & astrologicis plenos, ut dici nostrum illud possit, si uis errorem tollere, tolle librum. Diximus de Philosophis & de Prophetis, restāt leges ciuiles, hoc est Cæsarum, ac prudentium iussa atq; iudicia, quorum finis potissimum consulere utilitatibus, quibus hominum uita bene beateq; transigatur, quæ cum inter omnia bonis maxime artibus adiuuetur, noxijs perturbetur, summo studio curauerunt, ut illæ quidem abundarent, hæ nullæ (quantum fieri poterat) essent in ciuitatibus. Quod ut consequerentur illarum professoribus præmia, honores decreuerunt: Harum autem publicas ignominias & supplicia tanto grauiora, quanto noxias magis artes illas existimarunt. Illi igitur de astrologis quid putauerint, nemo nescit qui legales Iustiniani Cæsaris codices legerit, in quibus ars Mathematicorum (sic enim se uocabant astrologi) ut abominabilis interdicitur, mandante Imperatore ne quis Mathematicum consulat, sed omnibus sileat perpetuo curiositas iudicandi. Si quis autem Mathematicum consuluerit capitis ei (quod est summum supplicium) pœna denunciatur, quod profecto non statuisset sapientissimus Imperator tot & sapientum usus & legibus & iudicio, nisi non solum uitæ inutilem, sed pernicioſam hominibus istā professionem experientia demonstrasset. Ipse felicissimus Iustianus ita hoc hominum genus horrebat, ut si quis in eius comitatu deprehenderetur Mathematicus, summis ad eculeum usq; tormentis, temeritatis suæ lueret pœnas. Tum postremo de hac loquens superstitione pronunciat Imperator eiusdem esse culpæ affines, & qui docent ista, & qui addiscunt. Ante Iustinianū etiam nónne legimus sæpe expulsos urbe Roma omnes Mathematicos? quod in calce istarum disputationū aperte demonstrabimus. Quod si omnis ratio recta, uel prudentia regit, uel philosophia perficitur, uel diuini splendoris radijs illuminatur, erit profecto astrologia omni recto iudicio profligata, quam & prudentissimi Legum latores exterminarunt, & doctissimi philosophorum confutauerunt, & uiri diuini atque sanctissimi abominati sunt.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVlæ aduersus Astrologos libri I. Finis.

IOAN-

IOANNIS PICI Mirandulæ Disputationum, in Astrologiam, Lib. II.

INCERTAM ESSE ARTEM ISTAM IVDICIO etiam principum illius. Cap. I.

SED ne sola authoritate pugnemus demonstrabimus toto hoc opere certis rationibus reiectam iure à sanctis istam superstitionem, quia religioni maxime aduersaretur, utiliter legibus interdictam, quia uitæ inutilis sit, imò noceat & peruehemẽter, rationabiliter à philosophis confutatã, ut quam falsam incertamq; cognoscerent. Et quanquam inde uidebatur exordiendum ut falsa demonstraretur, quoniam statim inutilis etiam reddebatur. Aliter tamen faciendum putaui, ut scilicet priusquàm de eius falsitate disputarem, ostenderem amatorib. astrologorum, etiã si esset talis ista professio, qualem ipsi eam faciunt & affirmãt, nullum exteriori homini ab ea commodum prouenire, interiori autẽ non solùm maxima detrimenta, sed etiam exitialia. Quod priusquam aggrediamur, præfari quędam oportet, ex quibus intelligamus quantum suæ professioni summi ipsi astrologorum principes tribuant. Ptol. igitur in primo Apotelesmaton, postquàm iudicia astrologorum sæpe esse mendacia dixit uitio prædicentis, tamen hæc ita subijcit ad uerbum quæ nos uoluimus trãsferre, quare male habentur in translatione communi, & peius in trãslatione Auenrodan, & ab eo male exponuntur, sed cum fideliter erunt translata expositione non indigebunt. Verum illud tum liquet etiam si quis disciplinas istas uestigijs rite quantum fieri possit indagauerit, necesse esse tamen, ut is etiam quàm sępissime offendat, non ualet ob illa quæ supra diximus, sed uel ob ipsam potius rei naturam, uel quoniam maior est nostra imbecillitas, quàm ut tantæ professionis magnitudini pares simus: Etenim cum omnis contemplatio quæcunque in materia affectionibus uersatur, magis uerisimilia capiat, quàm quicquã pro uero decernat. Tum uero hoc illius maxime proprium, quæ quasi confusa ex multis inter se dissimilibus est, atque ex antiquis errãtium siderum figuris aspectibusq; dependet, quoniam quę circa rerũ euentus obseruata sunt à priscis, ea nos ætati nostræ quoties quidem ad eundem modum se res habet accommodamus. Cęterum quis nõ uidet euenire illud posse, ut figurę ipsæ atq; aspectus magis minúsue inter se similes sint longis temporũ anfractibus, ut aũt concordia prorsus eadem cunctorum quæ in cœlo sunt, præsertim si terram quoque adiunxeris reuertatur, ne

tur, ne sperandū quidem uidetur, nisi quis forsitan inaniter glorioseq; se iactet in comprehendendis cognoscendisq; rebus, quæ uel cōprehendi suapte natura penitus nequeunt, uel eo certe spatio temporis, quod sit hominis modo sensibus indultum. Quo fit ut dissimilib. propositis exemplis etiã quandocunq; in præscitis aberret, atq; in his aspiciendis quæ circa ambientem nos rerum naturam proueniunt. Nihil præterea est arduū, in ipsis autem genituris, atq; in priuatis omnino singulorum collationibus, nec paruæ nec leues incidunt causę, quibus sui cuiq; mores conciliantur. Nam & seminum differentiæ plurimum ualent ad generis proprietatem, quando etiam si idem corpus ambiens, idemq; finitor sit, plurimum tamen menti habet unumquodq; seminum ad uniuersalem figuræ peculiaris informationem, puta in homine, equo & alijs. Afferunt & loca generationis non minimum discriminis. Nam si genus idem seminis, ut uidelicet humanum, statusq; idem fuerit ambientis omnia corporis, plurimum tamen ex regionum diuersitate corporibus animisq; distant qui gignuntur, plurimum quoque interest ad uitæ actus uariandos etiam si cætera paria sint, quibus quisq; cibis, aut quibus utatur moribus, quod nisi unūquodq; horum intra ambientis corporis causam contineatur (quod uim scilicet hanc habet potissimam) ut illis ipsis quãobrem talia sint, pars aliqua sit causæ, quod contra eum fit plurimū, habere omnino possunt. In quo hæsitent hi qui se omnia posse opinantur, quamuis non eadem plane sint, ex solata men sublimiū corporū motione dignoscere. Hæc ibi Ptolemæus qui primo etiam enunciato alterius libri qui inscribitur fructus uulgo Centiloquium dicitur de scientia loquēs astrologiæ, ita, inquit, fieri nequit, ut qui sciens est, particulares rerum formas pronunciet, secuti nec sensus particularem sed generalem quãdam suscipit sensibilis rei formam, oportetq; tractantem hæc rerum coniectura uti, soli autem numine afflati prædicunt particularia, hæc ille ad uerbum, quanquam aliter & mendosa & depraua ta in uulgatis codicibus habeantur. Sed & Arabum & Hebræorum qui astrologica scribunt, indubitata sententia est, quocunque stella sua promiserit, posse tamen non euenire, & quia materia non idonea sit influxui suscipiendo, & quia humana ab arbitrio nostro plurimum dependeant, & quare fatum particulare uniuersalioris fati aduersantis potestate superetur, & quare fato omnipotentior, & cœlo maior diuina prouidentia, fieri interdum aliter ordinet, quàm ordinaria cœli reuolutio erat effectura, quę

cum passim sparsa apud astrologos, tamen simul omnia leges apud Auenazram capite primo libri de natiuitatibus.

AVSPI-

AVSPICATIONES, QVAS ELECTIONES DICVNT INVTILES esse, testimonio unius astrologi, ratione & experientia. Cap. II.

IAm hæc si sint uera, proferat astrologus quodnam emolumentum ex eius prædictionibus uita consequatur. Respondebit fortasse duplex, alterum uerum dicit, & horam doceri qua auspicari actiones nostras debeamus, ut feliciter fiat quod facturi sumus. Alterū cum prædicit quod est futurū, unde illa est utilitas, ut quibus in rebus infelices nos fore cognouerimus illis abstineamus, contra ea aggrediamur, in quib. felicitatem natalitia nobis hora polliceatur, sed age excutiamus utrunque, ab eo exordientes quod primo loco proponebat, & quoniam nobis cum astrologis disputatio, utamur his maxime assumptionibus, quæ apud eos uerissimæ existimantur. Aut igitur in re quā auspicato facturus es, fauorabile tibi cœlum natalis constellatio fecit, aut aduersum: si aduersum non prodest auspicatio ex sententia Ptolemæi, quare rem illā infeliciter semper aggredieris, & ab ea semper feliciter abstinebis: si fauorabile nulla opus horarū electione, sed tua tibi electio sufficit, quoniam tunc felicissime rem illā aggredieris, cū te ad illam animus inuitabit. Neq; enim aliud est esse fortunatū (si fortunatus est aliquis à cœlo) quàm uim nostrā imaginariā famulam rationis ita cœlitus moueri, ut his & modis & temporib. unūquodq; faciendū suscipiamus, quilibet quàm felicissimè uotū perfici possit, quo circa dixit Aristoteles non prodesse fortunato consiliū, in ea scilicet re in qua eū natura formauit, ne forte aliò te consiliū distrahat & abducat q̄ institutus ille animi impetus te uocabat. Mitto quòd Haly interpres Ptolemæi friuolam esse ait & inefficacē hāc partem astrologiæ quæ est de electionibus. Mitto fidē ipsam experientiæ qua nulla certior, nulla constātior, ea enim quotidie facit manifestum eos potissimum in suis rebus agendis parū esse felices, qui uanam hanc temporū discretionem obseruāt. Contra, longe feliciores qui ista superstitione reiecta, sola electione & prudentia ducibus utuntur. Quis enim nostra ætate fortunatior Francisco Sfortia? qui militari felicitate amplum sibi & florentissimum Insubriū parauit imperium, & posteris auctū confirmatūq; reliquit. Cui tamen semper omnes astrologi uel odio fuere uel contemptui, ne dum eos in suis rebus aut bellicis aut domesticis cōsiliarios adhiberet. Quis Zoroastre inter antiquos in astrologia, in magicis & in omni superstitione potentior? & tamen eū in bello & uicit & occidit Ninus, nec astrologus utique nec magus. Pompeius diuinatorū responsis plurimam fidem, Cæsar nullam, adhibebat: illi aduersa, huic felix lætaq; fortuna. Cæsarē Iustiniano exterminatorem, ut uidimus, astrologorum, domi & militiæ felicissimū quis ignorat? Contra, Iulianus Imperator & Christiani nominis inimicus, & omnium superstitionum curiosissimus obseruator, quàm breui quàm infeliciter & uitā amisit pariter & imperiū. Possem ego tamen unū

aut

aut alterum etiã astrologos doctos, & mihi familiares afferre nominatim, quibus fides istius uanitatis, ad quam scilicet uitæ rationem instituerant, uel exitio fuit, uel detrimento nõ mediocri, sed nolo homines alioquin bonos infamare, & in re ueritati non admodum necessaria sanctæ amicitiæ iura uiolare. Sed utinam huic quidem patrimonium non abstulisset, illi patriam & uitam, multos spe uana stolidos & insanos, multos timore miseros nõ effecisset. Ita mea delicta Deus non uideat, ut nullos uidi earum rerum magis egenos, quas suis hominibus astrologia promittit, quàm qui astrologiæ penitus se deuouerunt, & per eam cœli fauorem in horas singulas aucupantur. Mutauit uir quidam magnus mihi notus uitæ rationem, facta ex hoc consilio prioris fortunæ iactura nõ mediocri, astrologica maxime spe cõmonitus, quòd in noua professione magnas felicitates cœlesti fauore esset cõsecuturus. At uerò in ea cũ aduersam quotidie magis fortunam experiretur, solitus erat dicere, à Marte se deceptum, nolens illud dicere quod erat uerius, ab astrologica uanitate se deceptũ. Idem paulo post obijt morte etiam ualde miserabili, quam nec à cœlo ipse præuiderat. Parabat enim multa, & magna moliebatur, ut qui sibi adhuc longos uiuendi fines constituisset. Possem multa hoc genus connumerare, sed refugit animus narrationem earum rerum quæ uix sine lachrymis possum meminisse, & quoniam inciderunt in homines amicissimos, comiserationẽ exigunt potius à me quàm reprehensionem. Sed utinam hæc dissimulatis nominibus ueterum amicorum inuita redargutio, amicis uiuentibus prosit, quos per omnia quæ mihi cum illis amicitiæ iura intercedunt, per fortunas eorum, per uota felicitatis admonitos, & rogatos etiam atque etiã uelim, ne unquã in suis rebus uanitatis istius consilio se cõmittant, habeant eam (si ita libet) quasi poëticã fabulam super qua rideant, ludant, iocẽtur, pro duce, pro magistra uitæ non habeant. Sed ubi saluti corpori erit consulendum medicos consulant, ubi externis perspiciendum prudentiæ & rationis oculis utantur, quorum utrunq; diuina nos sapientia docet, quæ & creatum medicum dicit ab altissimo ad nostram necessitatem, & prudentiam ait homini esse seruandam ut eruatur à uia mala. De astrologia nihil tale scriptum inuenimus, cuius professionẽ ita probauimus esse inutilem, ut illi etiam tantum tribueremus, quantum astrologi putant tribuendum. Nam cum erit deinde probatum nihil eam habere ueritatis, erit extra omnem controuersiam sufficienter, quod hic probare sumus conati, periculosissime credi res nostras consilio astrologorum. Quod si quando exilorum prædictionibus recte usu accidat, non in rationem, quæ nulla sit apud eos, sed in temeritatem casumq; esse referendum.

NON

NON ESSE VTILEM ASTROLOGIAM IN DECERnendo quid sit agendum, quid fugiendum. Cap. III.

ALterum ut supra dicebamus astrologiæ emolumentum fingi potest, ut scilicet eam rem prosequamur, quam nos sequi iusserit astrologus: Contra ea fugiamus quæ ille uetat. Quod utiq; uel superfluum esse uel noxium ita demonstrauimus, nã quod ille prædicit, aut ad ea attinet quæ sunt corporis, aut quæ externa atq; fortuita. In his igitur quæ sunt corporis, si spectant ad ualitudinem quæro astrologi ne iudicio, iudicium quoque medici pariter consentiat, an ab eo potius sit diuersum, si idem sentit uterq;, nihil tibi cõfert astrologus quod medicus solus præstare non possit, si dissentiunt utri potius quæso putas accedendum. Sane si medicum repudiando astrologo te committas insaniæ pœnas dabis. In agendis rebus similiter interrogo, ne quod astrologia consulit prudentia etiam consulat faciendum, an hæc sibi iudicia penitus aduersentur, si consonum, quid quod intra nos est tam procul, quæramus in cœlo? si dissentiunt, quis recte? quis rationabiliter factum defendat? quòd in rebus agendis prudẽtia relinquatur: quæ nihil aliud est quàm recta ratio rerum agendarum? sed erunt hæc exemplis dilucidiora. Prædixerit igitur astrologus Martem tibi hoc anno tritæum comminari, excitaturum enim bilem ex potestate quam in annua habet conuersione, quare utendum frigidis potius & uitæ rationem aduersus ardorem Martis instituendam, hoc ipsum quod de cœlo ipse prænũciat, aut ipsa quoq; signa demerabunt, quæ à corporis tui dispositionib. petunt, quibusq; medicorum nititur coniectura, aut non demerabũt, si demerabũt hoc tibi erit satis indicij ad præcauendam futurã malam ualitudinem si non demonstrent, rogo recte ne factum putes ut cum nulla erunt indicia bilis exæstuãtis. Sed lotium albicans & crassum, uenarum segnes pulsus, facies pallore deformis, membrorum pigricies, reliquaq; id genus quibus medici pro notis utuntur, non bilis, sed pituitæ dominium indicabunt, tu tamen bilem euacues, quare Martem tibi de cœlo astrologus finxerit minitantem: quid quòd nec prudens tibi astrologus consulet, qui etiam si de Marte illa uerè pronunciet, potest naturalis tua temperatura, potest uniuersalis ipsius anni dispositio, potest uitæ ratio qua diu usus fueris, ad cõtrarium te uertisse. Denique causam unam uidet astrologus qua hoc possit efficere, & illam remotam ac uniuersalem. Medicus non modo ex proprijs & propinquis iudicat causis, sed rem ipsam percipit sensu, & quod ex omniũ simul causarũ complexione dissultat ipsa hoc monstrante naturæ præsentis euidentia tenet. Mitto quòd qui etiã astrologorũ iudicijs fauent, nõ ita tamen insaniunt, ut minus illa falli medicorum iudicijs putent. Proponamus simile exemplum in tractatione rerum externarum: ut principi scilicet consulat mathematicus, ne bellum ineat cum inimicis, quoniam Mars ei pa-

rum propitius sit. Quæro utrum quo tempore hoc illi dederit consilium, nulla iusta causa bellandi principi sit, aut si causa bellandi, nulla tamen occasio opportunitasq; uincendi. An potius & bellandi iusta causa non desit, & ad uictoriam omnia suppetant instrumenta. Si dederis primum iure non bellabit, sed sola duce prudentia, si fileat etiam omnino mathematicus. Si secundum, nec ipse utique astrologus si non sua interfit, abstinendum bello iudicabit, & si abstineat quid erit aliud quàm sensum & euidentiam ob rationem coniecturamq; relinquere.

NON ESSE ASTROLOGIAM RELIGIONI VTILEM, quod Rogerius Bacon, & Petrus Alliacensis existimarunt. Cap. IIII.

AT si uitæ inutilis est, an religioni utilis fortasse? quod putasse uidetur & Rogerius Bacon, & Petrus Alliacensis, atq; hic quidem duplici maxime ratione, altera quòd ex magnarum quas uocant coniunctionum astrologica supputatione haberi ueritas possit de numero annorum ab Adam ad Christũ, de quib. inter ecclesiasticos codices tãta sit concertatio. Altera quòd confirmari Prophetarũ possint oracula, si illorum prædictionibus astrologicæ quoq; prædictionis testimonium adiũciatur. Nam cum omne uerum omni uero sit consonum, necessario uerũ astronomicæ scientiæ, theologicæ ueritati esse concordem, quinimò præ omnib. aliũs scientiis illi ueluti ancillã dominæ seruire, cũ inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt uisibilia conspiciantr, nihil sit aũt inter illa cœlo nobilius. unde illud Dauidicũ: Cœli enarrãt gloriam Dei, & opera manuum eius annũciat firmamentũ. Quam ipse opinionem quasi opere cõprobaturus opusculum scribit per uiginti theoremata, quę uocat uerba distinctũ, in quo plane tot errata q̃t uerba, titulus est de Concordia Astrologiæ & Theologiæ, quasi non legerit Paulũ exclamantem quæ societas luci cum tenebris? aut quæ participatio Christi cũ Belial? nititur autẽ in eo opere duo illa efficere quæ dicebamus, ut scilicet quæ Prophetæ afflati diuinitus prædixere, cœlesti etiã cõstellatione ostendat præsignata, tum ut annorum ab Adam ad Christum cõputatio ex astrologorum dogmatis inuestigetr. Adiũcit alterum huic opusculum de Concordia Astronomiæ & Historiæ, in quo septem à mundi exordio coniunctiones maximas notans, ad illas nititur referre quę mediis temporibus magna & mirabilia ex historiis colligunt, astrologorum hinc dogma confirmaturus, qui ex magnis illis coniunctionibus magnas semper in rebus humanis & legum & regnorum fieri uolunt mutationes. Et quidem optarẽ scripsisse illum potius quæ mihi laudanda essent quàm confutãda, quoniam ut ingenium habens ad literas amo, & personam ueneror, quam in ecclesia gesit. Sed forte illi etiam rem facturus sum gratam, si quid parum cautè &

tę & uerè se profuturum scripsit ecclesiæ cũ & falsum & noxium procul dubio inueniatur, iusta hac redargutione, quantum erit in nobis oblitere tur. Duxit autem hominem alioquin doctum in hunc errorem ignorantia potissimũ astronomiæ, quam cum post studia theologiæ, in quibus in ce leberrima Parisiensi academia se exercuerat, cœpisset iam senex paululum degustare, allectus est magnifica illa specie istius artis de maximis differen tis, & quæ in primis humana curiositas scire desiderat, & priusquam eo peruenisset ut infirmitatem dogmatis profanda examinatione deprehen deret, scripsit properanter nimis, duo illa opuscula de quibus factus pau lo peritior retractauit, deinde multa in eo libello quem uocat Elucidariũ, cum tamen in eo multæ sint tenebræ, quos omnes libellos siquis legat ru dis astronomię, tanto magis mirabitur, quanto minus intelliget. Sed qui uel mediocriter in ea arte profecerit eum potius scriptorem, quàm astrolo gum fuisse iudicabit, & quęcũq; dicit potius lecta ab eo, quàm medulitus intellecta. Ferè autem quæcunq; scribit ex Rogerio Bacone, Abraham Iu dęo, Henrico Macliuien, Albumanasareq;, & summa nescio qua Ioannis cuiusdam Britanni ad uerbum accipiuntur. Quod ipse autem esset audi tor tantum, & parum peritus rerum astronomicarum, uel hinc potest co gnosci quòd in ipso Elucidario, quod est eius opus emendatissimũ, ca. 11. ait fuisse nos cum illa scribebat, anno scilicet quarto supra millesimum & quadragentesimum in aërea triplicitate, futurosq; per annos adhuc unum & sexaginta, donec scilicet super mille & quadringentos quintus & sexa gesimus annus ageretur, tunc igitur futuram magnã Saturni & Iouis con iũctionem, cum ab aërea ad aqueam triplicitatem mutatione. Ea uero mu tatio per annos fere quadraginta præcesserat, anno scilicet Christi quinto & sexagesimo supra mille atq; trecentos, quo tempore die nona atq; uigesi ma mensis octobris in septima parte Scorpionis Saturnus & Iupiter simul fuerunt, & deinceps in aqueis semper signis ad hęc usq; tempora se coniun xerunt, noster uero Alliacensis quòd per centum ferè annos ante contige rat futurum adhuc prestolabatur. Alteram autem utilitatem quã ex astro logia idem putauit prouenire de uero scilicet annorum numero colligen do, abundãter refellimus, eo libro quem de uera temporum supputatione conscripsimus, quanquam si iuuaret rempublicã Christianam hac parte astrologia non ad eã spectaret, quã hic confutamus in futurorum prædi ctione uersantẽ, sed ad ueram astronomiã quę una est ex liberalibus disci plinis cuius est tempora supputare & siderũ motus mathematica ratione metiri, sed nõ hic locus cõfutandi eius errores, quod sequentibus libris su mus facturi. Ibi enim quod attinet ad concordiã philosophię & theologię ostendemus, quę à Prophetis enunciata sunt à cœlo nec fieri, nec significa ri, atq; ita si uera etiam sit astrologia, prędictionem tamen earum rerum ad eam non pertinere, qui uero quatenus quidem supra naturam sunt eximũt

à cœlo, quatenus autem naturale aliquid est in eis & fieri à cœlo & prænideri per cœlum contendunt, hos ostendemus nihil dicere, cum dicere aliquid tamen uideantur, tantum aũt abesse ut Prophetica oracula per astrologorum decreta utiliter confirmentur, ut nihil fieri possit ad infirmãdam religionem, potentius & efficacius. Tũ qui hoc facere sunt conati & mendaces semper esse deprehensos & imperitos astronomiæ, tamen historica professione plurimum aberrare. In uniuersum autem non solum quod ad leges & diuina miracula pertinet, sed ad alias & humanarum rerum mutationes, quas ex magnis ut dicunt coniunctionibus prænũciare multi uoluerunt, ibi eorum uanitatem & falsitatem dogmatis aperiemus, ubi nobis cum Albumasare authore illius erroris, cum Hieron. eius interprete, cum Abraham Israëlita, cum Ioanne Exoniensi erit pro ueritate certatio. Alliacensis librum in quo idem facere uoluit de concordia scilicet astrologiæ & historiæ narrationis, ita à capite totum retexemus, ut à prima illa quam notat coniunctione ad postremam usque decurrentes ubique & de cœlestibus pariter & de terrenis nihil ab eo sanum aut ueritati proximum, dictum ostendamus. Neque unam ex illis septem quas notat coniunctionibus quo putat tempore contigisse, sed ab ipsa temporum, hoc est, rerum gestarũ enarratione ac uera supputatione magnopere esse diuersam. Sed uideamus & illa quæ postea afferebat, an aliquid faciant, uera scilicet omnia inuicem consonare, & cœlos Dei gloriam enarrare. Sane illud primum ueri simum est, sed ita erat deinde assumendum cum falsa sit astrologia theologicæ ueritati non posse concordare. Dauidicum testimonium Paulus Apostolus ad cœlestes Apostolorum mentes docet referendum, qui gloriam illam Dei annunciauerunt, de qua postea scribitur: Lex domini immaculata conuertens animas. Sed & si referaẽ ad uisibile cœlum, quæ ista est consequentia, si cœli enarrant gloriam Dei, fauere ea gloriæ Dei quæ de cœlo astrologi fabulantur? Sed inuisibilia, inquit, eius, & uirtus atque Diuinitas uisibilibus intelliguntur, sed à philosopho cuius proprium est è cœli ordine, motu, natura, ad inuisibilem cœli diuinum opificem conscendere. Astrologus si est aliquid cœlum inuitè uidet, & de cœlo ad terram oculos deflectit, solus philosophus ex uisibilibus inuisibilia speculatur.

QVAM NOXIA SIT ASTROLOGIA, QVAMQVE pestifera Christianæ religioni. Cap. V.

SAne lustranti mihi undique omnia & ecclesiæ hostes exploranti, non uideo unde omnibus pariter plus copiarum, plus armorum aduersus ueritatem suppeditetur, quàm ex ista professione, hinc enim ad impietatem, hinc ad malam religionẽ, hinc ad hæreses, hinc ad uanam superstitionem, hinc ad perditos mores irreuocabilemq; malitiã, præceps & facillimus lapsus, Vnde enim se potius aduersus

uersus tela religionis armabit impietas', quàm ut diuina miracula quibus omnis potissimum religio confirmatur, ad cœlum pertendat esse referenda? Si Martyres mortem contemnentes, si Apostolos paucos, inopes, indoctos, euangelicæ mundum legi subijcientes obijcias, si ipsos etiã ab inferis homines reuocatos, ut maiora quidem quàm ut humana, meliora quàm ut à dæmone efficiantur, diriment in eis uirtutem, nisi quæ solus agnoscet sideris cursus, & cœlestis afflatus facere potuerit, quòd si quis dicat nónne hoc erit securi religionis radicibus admouere? si persuadet, nónne illam examinare & penitus extirpare, quòd si dicas non esse hoc artis uitium sed professorum, in ipsa sua professione errantium, fatebor ita esse. neq; enim hunc ego astrologiæ errorẽ dicebam, sed facilem esse ab ea lapsum in hunc errorem, nec si uera esset astrologia propterea ab hoc munere desisterem, ut ab eo periculo homines diuerterem, quoniam nulla ueritas mendacijs est confirmanda, sed cum sit falsa utiliter eius falsitas detegetur, quæ si uera putetur, possit in mentibus imperitorum tam grauem pestilentiam generare, quanquam si uideas omnes alicuius artis professores easdem habere uanitates, parum absit ut culpa in artem ipsam uerè non referatur. Ego uero ex scriptoribus astrologiæ præcipuis, neminem legi qui religionem & leges omnes, ut reliquas res humanas constellationibus siderum non subijciat. Ptolemæus in secundo libro Apotelesmaton, quòd apud hanc gentem illud numen, apud aliam aliud coleretur, non aliunde natum intelligit, quàm ex uaria siderum imaginumq; natura, populis illis & gentibus imperitante, nec procul ab eo loco Græcus quidam interpres Ptolem. miraculum Moseos, qui sicco pede cum populo mare rubrum transiuit, factum ait quòd ille accessum & recessum maris obseruauerit, quasi non simul in ijsdem aquis & illæsus populus Hebræorum transiret, & cum astrologis suis Pharao submergeretur, quasi non Iosue Iordanem sicco pede transierit in quo nulli æstus, nulla undarũ reciprocatio fingitur ab eis, sed hæc alibi omnia atque his similia nugamenta satis confutauimus. Albumasar Arabs & legem Saracenorum, & suam, & nostram, & omnes pariter leges, sic à cœlo deriuat, ut quænam quamq; constellatio fecerit, & ad quot unaquæq; annos sit permansura, ex eadem constellatione pronunciet, in quibus rebus quàm parum tum astrologiæ, tum ueritatis inueniatur, post declarabimus. Interpres eius Hẽricus Macliuiensis ita delirauit, ut nauem etiam inuenerit in cœlo, ad quam Noë arcam illam suam sit fabricaturus, quod Alliacensis quasi diuinum inuentum maxime est admiratus. Denique redigi ab eis legem in ordinem earum rerum quæ cursu naturali & cœli mutatione contingunt, hinc cognosci potest. Quotquot annorum reuolutiones ab ascendente legis ad eius usque casum sunt futuræ, è cœlo uolunt cognosci. Et Haly Abenragel ut reliquos taceam felicitatem & sterilitatem anni inde pronunciat, ut si ascendens legis loco Iouis aut Ve-

neris applicuerit, fertilis annus sit futurus, contra si locis siderum infeli-
cium. Abraam Iudæus non qui dicitur Auenazra, ut falso credidit Al-
liacensis, sed quem uocant Nasi, hoc est Patriarcham, nónne & legem Mo
saicam, egressionem Iudæorum ex Aegypto? & quæcunque sub lege po-
pulo contigere ad uarias coniunctiones inepte quidem atq; ridicule refer-
re conatus est? Sed utinam soli quos commemorauimus inter tenebras
malæ religionis lucem huius ueritatis non peruidissent, utinam nostri ho
mines in Euangelij splendore non ita cæcutirent, non peius quàm illi de
nostra & illorum religione sentirēt. Insanus ille Bonatus usum ait Domi-
num Iesum horarum electione cum Apostolis consulentib. ne in Iudæam
rediret. respondit 12. esse horas diei. Horam enim, inquit, sibi elegit qua il
li eum lædere non possent, quasi illos cum uoluit non prostrauerit, & in-
ter eos in luce diei melius transiens, eos non latuerit. Mitto quàm temera-
rie, quàm blaspheme de Diuina Francisci familia loquat, & Diuini amo-
ris miraculum Martis opus fuisse fabuletur. sed quid quærimus remotio-
ra? in his quæ quotidie de annorum euentibus publico uaticinio foras in-
uulgantur, nónne & legem Christianā Christi, Mercurijq; doctrina esse
petfectam, & Iouis religionem & à uirgine suscipere puritatē. Ita hæc ocu
lis & non indignantibus Christiani homines legunt, & in procœmijs ne-
scio cuius theoricæ aduersus Geardum multa disputantis, nónne etiā scri-
ptum est cum de nouo deligendo Pontifice tractaretur deotè supplican-
dum? ut sidus Mercurius le suo sancto radio temperet (aiunt enim) Mercu-
rio nostram subesse legem, atque ideo homines Christi Mercurij homines
uocauit, quod nescio qui possit homo Christianus æquis auribus audire.
Rogerius Bacon eo usq; est euectus ut scribere non dubitauerit errare Chri
stianos, qui die sabbati non ferientur, & operibus uacent ritu Iudæorum,
cum sit ea dies Saturni quæ stella rebus agendis parum commoda & fe-
lix existimatur, in quibus uerbis non solum nostros accusat, sed Mosen,
imò aperte ex Propheta astrologum facit, docens quæ de sabbati ferijs il-
le constituit, non diuini alicuius mysterij, sed astrologici dogmatis habere
rationem. Quæ omnia siquis recto iudicij examine penset, uidebit nullo
magis errore pietatem ueræ religionis offendi, cum ęquè sit impium tota-
liter nullam putare esse religionē, & ex cœlo fatali quadam eam necessita-
te deducere. Quod si qua astrologo capessenda religio sit, ad quā erit pro-
pensior quàm ad idolatriam, ut eos potissimum deos & colat & reuerea-
tur, à quibus omnia hominibus & bona & mala putet prouenire. Iam hę-
reses Manichæorum arbitrij libertatem tollentes, unde potius putamus
emanasse, quàm ex ista de fato astrologorum falsa opinione. De superstiti-
tionibus nulla est controuersia prodire ab astronomia omnes, & eas qua-
si alumnas ab illa contineri confirmat Varro. Geomantiam omnes illius
scriptores astrologiæ filiam uocant. Magi ita huius artis usum sibi neces-
sarium

farium putant, ut magiæ clauem astrologiam appellent. Chiromantici in uola manus septem pro numero planetarum montes effingunt, unde ex lineis quæ ibi conspiciuntur futura præuideantur. Sed has fatuitates particulatim prosequemur, cum post euersam dominam ac reginam, reliquam omnem superstitionum turbam in cursu proteremus. Sed parere eam omnes, & sine ea stare non posse hinc satis manifestum, quòd nulla est superstitio quæ dierum & horarum electionibus non utatur, de qua eas sola instruit astronomia, ut de ipsa illud ecclesiastici dici possit. Vanitas uanitatum astrologia, & omnis superstitio uanitas. De moribus plura dicere non oportet, cum satis pateat patrocinium uitio maius dari non posse, quàm si cœlum authorem habere existimentur, nihilq; esse quod nos minus metuere gehennam, aut sperare felicitatem faciat. Quæ si proculdubio uera sunt, etiam si uera esset professio ista, quænam utilius ueritas ignoraretur? & cum sit falsa quæ utilius falsitas impugnatur? quam utique prouinciam utinam tantis uicibus exequar quàm eam iuuandæ religionis & ueritatis tuendæ desiderio sum complexus.

FALLACEM ESSE HANC ARTEM, SI QVA SIT, TVM PROpter plura, tum propter discrepantes astrologorũ sententias. Cap. VI.

HActenus confutari utiliter astrologiã ostendimus, indignũq; esse illius patrocinium, & philosopho homini & Christiano. Nunc priusquàm cum astrologis pedem conferentes, confutationem aggrediamur, uideamus quãtum illam res ipsa euentaq; refellant. Quota enim quæq; res euenit prædicta ab eis? aut si euenit quippiã cur istud euenerit? quo magis soleo mirari nõnullos qui disputantibus aduersus istam artem, illud semper obijciunt, cur si uera eorũ ars non est, prædictiones tamen eorum ueræ? Præclare enim secum agi putat astrologus, si nobis prædictionũ falsitatem obijcientibus possunt aliqua satisfacere, tantum abest ut ex hoc loco argumentũ aduersus nos posse sumere se putet. Attulimus supra uerba Ptolemæi conantis dissoluere istam quæstionem, in quibus uidimus eũ mendacia astrologorum nõ solum in ipsos astrologos parum uel peritos uel diligẽtes, sed in ipsam etiam artem reiecisse quæ sit incerta & falli plurimum possit. Porphirius ipse oraculorum responsa, inquit, falsa deprehendebantur, quare numina illa ex cœlestibus causis quas habent exploratas illa prænunciabant: Fallax autem prænunciatio quæ ex illis. Quod si dæmones ipsi quos nihil latet rerum cœlestium futura inde perspicientes decipiuntur, de hominibus quæso quid iudicabimus? quorum qui sunt qui & fuere excellentissimi istius artis (si ulla est) ne millesimam quidem partem unquam attigerunt. Denique inter omnes artes quarum omnium proprium est excidere à ueritate, nullius esse iudicium magis incertum, nec ipsi credo astrologi denegabunt. Nam & arbitrium, inquiunt, hominis multa aliter facit euenire,

& materiæ fluxus, atque mobilitas cœlestium sæpe actionum opera frustratur, & aliud alio fatum uertitur uel impeditur. Quod si res humanas diligenter examines, nullam fere inuenies in qua non aliquid ex his quæ diximus, præuisum etiam uerè de cœlo exitum non immutet. Nam & hominis proprium arbitrio & ratione res suas disponere, & id quod materiæ undique annexum est & colligatum illius mutationi uehementer est obnoxium. Tum cum nihil sit male ita omnes ferè inuicem homines dependent, ut non sit quem alterius uel lædere uel iuuare fortuna non possit. Sic & filius felix patris infelicitatem, infelicem exitum etiam, & felix felicem ex bono parentis fato sortietur. Et seruus sua genitura parum fortunatus fortunato domino aget feliciter. Sic militis fatum ex fato imperatoris, & fortuna ægroti ex medico, & contra medici ex ægroto, aliter atq; aliter fieri continget. Ex quibus omnib. illud declaratur quàm sæpe non euenire sit necessarium quod cuique prædixerit mathematicus, etiam si sit uera ista professio, ne dum ut ueritas professionis, ex ueris professorum prædictionibus possit comprobari. Quid quòd tanta inter authores istius artis dogmatis est dissensio? ut uel omnes uel maximam eorum partem de futuris mendacia dicere sit necessarium. Admirantur ipsi maxime & uenerantur aliquos Aegyptios, Persas, & Indos, & Babylonios quasi antistites cœlestium misteriorum, & eorum nomina quasi numina inflantibus buccis imperitorum quotidie auribus insonant. At si ueri illius uera, ô astrologi dicere uos non potestis qui iuniorum libros solos habetis quos imitemini, à uetere illa disciplina undiq; discrepãtes. Ptolemæus enim parens uester, astrologiam quæ scilicet erat Aegyptiorum ubique taxat atque conuellit, nunc eam parum dicens consonam rationi, nunc alijs probris lacescens, quod libros Apotelesmaton legenti facile constat. Neque uero solummodo ab illis Ptolemæus, sed illi inter se pariter dissentiebant Indi scilicet, à Chaldæis Aegyptij, cum & à seinuicem & ab his & alijs Indi, & ab his omnibus Persæ. Nec ipsa minus inter se Græca quàm Barbara concors astrologia, cum quæ reijcit Ptolemæus, Dorotheus amplectitur, & alia quoque Paulus, alia Ephestion, alia alij sentiunt, & opinantur, nec ex eis quenquam inuenies qui authoritate experimenti, euentorum fidem non colligat. Arabes nónne & inter se & à Græcis digladiantur? Porro sicut Ptolemæus illam antiquam, ita Ptolemæi astrologiam abijcit Albumasar, adeò ut in eis libris legi nihil dicat quod uel rationi uel experientiæ consonum inueniatur. Contra Auenrodan nullum fuisse loquutum in astrologia cum ratione ait præter Ptolemæum. Et quòd si inspexeris dicta aliorum inuenies ea multum à ueritate remota, dicta uero Ptolemæi nullo modo posse falsa reperiri. Hebræi quoque Hebræorumqúe primus Abraham Auenazra dissentit à Ptolemæo, & Albumasarem sæpe lacerauit, imò totum eius librum qui La-

qui Latinè censetur de magnis coniunctionibus abiiciunt atq; repudiant. Si ueri igitur erunt sequaces Ptolemæi, nónne & ueteres Arabes eorum sectatores necessariò mentiuntur. & si libri illi quod isti iactant, in omnium erant admiratione, quare uera prodebant: nónne necessario & risu fuit Ptolemæus & Albumasar suo quisque seculo? & alij similiter ab illorum decretis omnino deuiantes. Et tamẽ ita fuisse semper comperies, ut apud omnem gentem, apud omnem ætatem, uiri fuerint semper qui uera prædici dixerunt ab astrologis, quod non ueritate dogmatum, sed casu contigit, nec unquam defuisse qui fallaciam istam non ludibrio, atq; contemptui, aut etiam odio habuerint. Sed quicquid de priore seculo fuerit sane hac nostra tempestate professorum ueritate dogma confirmari non potest, cum & malos plurimum authores sequantur, & bonos non intelligant, tum ita negligenter obeant istud munus, ut nesciant multa quæ scire eos oporteat, plura etiam omittant quæ sint consideranda, & labori parcentes, & ad pecuniæ quæstus properantes. Quod si docere hic potius astrologiam quàm confutare instituissem, funderem manum ad errata iuniorum profitentium hanc artem, sed non hoc meum consilium. Annotare tamen fortasse aliqua fuerit operæprecium, quo magis fiat manifestum non posse eos uera prædicere, etiam si uerissima essent dogmata astrologorũ.

DE IGNORANTIA ASTROLOGORVM NOstræ ætatis. Cap. VII.

PRænunciata hominum ista uel sunt uniuersalia, ut cum ex schemate anni, ex defectu Solis & Lunæ, ex congressionibus siderum superiorum, futura in uniuersum bona aut mala prænunciant, uel sunt particularia, qualia ex propria uniuscuiusque genitura de priuato illius fato aliquid diuinant. In primo genere nihil efficacius defectu luminarium, à quibus utpote uniuersalissimis causis uniuersales maxime inferiorum mutationes eueniunt. In altero nihil habet maius momentum æquatione, quæ de spacio uitæ, & annorũ numero fieri solet, in utroq; mirum quãtum aberrent neoterici barbariq; scriptores, quorum authoritas usus q; potissimus apud nostros astrologos, scribit Ptolemæus secundo libro Apotelesmaton, in defectu Solis duo in primis obseruanda, locum scilicet, in quo deficit Sol, & angulum qui eum locum proxime sequitur, ut si gratia exempli in nona cœli regione defectus obtigerit, decimi loci angulus obseruetur, si in undecima uel duodecima angulus orientis, quoniam autem ibi Græcè scribitur ἐπομένου κέντρου, hoc est sequentis anguli, in uulgata translatione habetur anguli præcedentis, unde cõtrarius omnino sensus elicitur, data est barbaris erroris occasio, ita ut Ioannes Astendensis in eo opere quem uulgo uocant Summam Angelicã, cui fides præcipua apud nostros, postquam se longa & argumentosa torsit quæstione, tan-

ne, tandem ex sententia Ptolemæi definit eum debere angulum obseruari non qui sequatur, sed qui præcedat locum, in quo defectus luminaris acciderit, quod esse omnino sententiæ Ptolemæi contrarium, ex eo patet quod diximus, quare scilicet Græcè ἐπομένου est scriptum hoc est sequentis non ἡγουμένου, hoc est præcedentis. Sed quia etiam paulo post Ptolem. explicans ipse, quinam sint isti anguli, meridianum Solis & Orientem angulum nominauit. Vbi admonet nos Græcus interpres omitti angulum occidentis, qui sequi defectus locum non potest, nisi sub terra Sol obscuretur, quod cum accidit uim futurorũ effectricem habere nõ putant. Quod si præcedens angulus esset obseruandus, & Oriens omitti debuit à Ptolemæo, qui præcedere Solem deficientem, nisi sub terra non potest, & Occidens annumerari, qui siue octauo siue nono cœli loco defecerit, præcurrere semper eam & antecedere inuenietur. Ex hoc autem errore tota præcedendi ratio commutatur, cum nihil in prædicendo magis respiciãt, quàm naturam & statum siderum cum loco luminarium, tum illi angulo prædominantium, qui cum alius erit atque alius, erit etiam alius aliusq; dominator. Et pro diuersa dominantis sideris natura uaria, immo contraria fiet semper de futuris euentis pronunciatio. Super spacio uitæ præuidendo, quã nihil uideant isti diuinaculi paucis ostendam. Haly Abenragel oraculum astrologorum huius ætatis quarta parte operis sui, ex sententia ait Ptolemæi quinque esse Hilech, ita enim ipsi loquuntur, Solem, Lunam, Horoscopum, partem Fortunæ, & locum Plenilunij uel nouilunij proxime antecedentis. Præter autem hæc quinque Planetas considerandos in illis quinque locis, & ius, & authoritatem obtinentes. In proximo capite de eo loquens quem uocant Alchochoden, est autem annorum dator, Ptolemæus inquit, Alchochoden faciunt Planetam qui plus authoritatis habuerit in Hilech siue cum respexerit, siue non respexerit, & ita deinceps multa iterat sæpe de hoc Alchochoden ex sententia Ptolemæi, nostri astrologi, qui hunc & alios barbaros sequuntur in eodem errore uersantes. Quisnam sit Hilech, quis sit Alchochoden, ex sententia Ptolemæi in omni genitura perscrutantur. At uerò apud ipsum Ptolemæum tam est nihil omnino illud Alchochoden, quàm est nihil hircoceruus atq; chimera, lege omnes eius libros, lege omnes interpretes, lege etiam barbaras translationes, nec dictionem, aut dictionem ei respondentem, apud eum inuenies. nam ista quidem opinio, aliud faciens in genituris Hilech, aliud uitæ annorumq; largitorem, quem appellant Alchochoden, posteriorum est. Ptolemæus nec eo antiquiores tale aliquid unquam opinati sunt, ipse loca primum enumerat, quę uocat Aphętica, Arabes Hilech, alia Latinè dicere possumus dimissoria, sic dicta ab eo quòd inde uitæ cursus, quasi ex carceribus dimissionis initia sortiatur, & sunt nota illa supra terram uel occidenti, uel Horoscopo aliqua affinitate

tate connexa. Tum Aphętas hoc est dimissores ipsos constituit, qui ex illis locis quasi carentibus suo (ut ita dixerim) afflatu uitæ impetum largiantur, quos esse uult Solem, Lunam, Horoscopum, partem Fortunæ, et prædominantes in illis locis erraticas stellas. Præter hos quibus Hilechij omnes numerantur, nullum alium facit annorum distributorem, quanquam quod hi quos diximus Aphętæ largiuntur & accumulari & exhauriri posse putet, commertio felicium siderum uel infelicium, barbari & nostrates præter istos Aphætas, quos ipsi Hilech uocãt alium esse credũt ex sententia etiam Ptolemæi, qui uiuendi spacia decernat, quem uocant Alchochoden, de qua re ut dicebam nihil usquam ipse Ptolemæus, ex cuius tamen opinione de eo ipsi multa quærunt, disputant, & definiunt. Nec solum errant in hoc unde tota rei summa dependet, sed in ipsorum etiam Hilechiorum numeratione, cum inter ea Haly locum nouilunij, aut plenilunij præcedentes poni dicat à Ptolemæo. Quod tamen siue nocturna fuerit genitura, siue diurna, faciendum nunquam censet Ptolemęus. Quid quòd iste Haly accusat Ptolemæum quasi secum pugnantem, gloriaturq; magnopere super hac Ptolemæi taxatione, in qua neminem sibi unquam ait aduersatum, & Deo secretorũ reuelatori gratias ait ingentes, pugnare autem ita eum dicit quòd octauum locum inter Hylechia nõ enumerat, quia Horoscopum non respiciat, in Alchochoden tamen deligendo nihil putet referre respiciat Hylech an non respiciat. Quid desipis Barbare? aut quid somnias? ubi apud Ptolemęum Alchochoden legistis, sed scio quid eum cæterosq; deceperit. Ptolemæus inter Hilechia Planetas ponit in reliquis locis Hilechialibus dominantes, isti rem esse eos diuersam putant ab Hilechijs, ut reliqua quatuor, Sol, Luna, Horoscopus, & pars Fortunę, cui & falsò nouilunium pleniluniumq; addiderunt, sola Hilechij haberent rationem, Planetę eorum locorum dominatores annos decernerent. Et quoniam Ptolemęus de dominantibus Planetis nusquam dixit esse necessarium ut Hilechia aspicerent, mirati sunt, cur illa duo quę scilicet ipsi duo esse putant, Hilech, scilicet & Alchochoden aspectus societate copulanda non existimauerit, cum nulla sit tamen culpa Ptolemæi, si inter ea quę unum sunt societatem aspectus non quęsiuit. Non enim apud eum unquam cum Sol aut Luna erunt Hilechialia, alius erit Planeta prętereaq; uitę dispositor, sed tunc utitur dominatore Planeta cum in annorum donatione reliqua Hilechia authoritatem non habent, quod cum est nullum, potest relinqui uitali Planetę commertium cum aliquo Hilechiorum, quòd pręter eum scilicet nullus inueniatur, quod nescio quomodo isti ex uerbis Ptolemęi non intellexerint, aut non ex eis aliquis hoc deprehenderit. Sed ita in hunc errorem gregatim omnes abierint, ut non sit qui Alchochoden & Hilech ex sententia Ptolemęi non requirat. Vide quomodo sunt uera dogmata astrologorum, & quomodo prę-

do prædicere isti uera de uitæ spacio possint, præsertim cum his quæ diximus erroribus maximus accumuletur, quòd numerum annorum etiam ex opinione Ptolemæi præscribũt planetæ qui sit uitæ largitor iuxta illud apud eos uulgatum annos tot esse Solis maiores, tot minores, tot medios, tot Lunæ, tot Martis, atq; ita de sideribus alijs, cum tamen Ptolemæus & Aegyptiacam istam reijciat opinionem, nullam eam dicens habere rationem. Et ubi de uitæ spacio loquitur, non ex natura Planetarum, sed ex numero partium circuli æquatoris annos dinumeret, iuxta locum uitæ, hoc est diuisorem: & letalem alium siue interimentem interceptarum, ad quem scilicet primum lassescentis iam uitæ cursus grauiter offendat natum, ut cum Aphetes inter finitorem & fastigia cœli fuerit collocatus, inambulatio illa seruetur quam Græci uocãt ἀκτινοβολίαν, hoc est radiosam proiectionem, cum autem à fastigio declinauerit ad occasum utroque uersum ducta, utamur percensione quam uocant ὡριμαίαν, nos dicere horariam possumus, quæ omnia ita nesciunt nostri astrologi, ut hæc etiam si legant, monstra audire se putaturos. Equidem nihil dubitem, & nos tamen illorum prædictionibus nimis misere creduli, Nestoream nobis senectam promittentibus, Dominicę uocis obliuiscimur, iubẽtis esse paratos, qui nec diem obitus nostri, nec horam sciamus, Si breuem uitam fuerint cõminati, torquemur an 12. dies & noctes, & unius tabulæ uox omnem nobis eripit uitæ iucunditatem. Inquit Haly si Planeta fortunator fuerit in horoscopo, addet ex sententia Ptolemæi annis uitæ, annos suos minores, & tamen ut mox dicebam apud Ptolemæum nulli sunt Planetarum anni, uel maiores, uel medij, uel minores, & de annorum additione loquens Ptolemæus, aliam omnino uiam sequitur, usus horarũ partitione, quam ille puto non intellexit. sed non oportet singula prosequi, alioquin in immensum liber excresceret. Iam in ipsis quæstionibus quas uocant interrogationes nónne etiã ita insigniter errant, ut ex uno errore tota respondendi ratio peruertatur, uulgatum enim quasi proloquium est apud eos septimum thematis locum, hoc est occidentem dari rei quæsitæ, & tamen Ptolemæus hunc locum non consulenti, aut rei de qua consulitur, sed ipsi qui consulitur Mathematico præcipit dari, quod & mathematici Indorum obseruabant, adeò quòd cũ occidẽs & dominus occidentis male se haberent quæstioni non respondebant, errorem scilicet, metuentes. Sexcenta hoc genus haberem eorum errata quæ referrem, nisi illud potius spectarem ut tota professio errare declararetur. Nam nuper Ptolemæi libros cum Barbaris & Latinis authoribus conferenti, fuerunt fere omnia uerubus confodienda.

DE IM

DE INDILIGENTIA ASTROLOGORVM NOSTRAE ætatis, quę tanta est, ut etiam si uera esset astrologia ueri ipsi esse non possent. Cap. VIII.

TAm uero indiligentia quanta, paucos enim inuenies etiam ex his, qui supputandi habent rationem (qua tamen eorum maxima pars caret) qui ut ueram positionem siderum assequantur ad ephemeridas non confugiant, quod & quodam loco testatur Bonatus his uerbis: Sapientes inquit istius artis utuntur Almanach, sic enim Arabes uocant ephemeridas, hoc autem qui faciunt, & perperam dicere, & omittere multa est necessarium, unde omnis prædictionum ueritas infirmetur, ferè enim ibi nunquam de latitudine Planetarum ulla significatio, qua ignorata ubi non errabit? ubi non mentietur astronomus? Si uera istius artis decreta existimamus, maximam enim habere uim putãt sidera in initijs duodecim cœli locorum constituta, præsertim in cardinalibus, at in illis cum erunt non esse, & cum non erunt esse putabit, qui solam eam quæ in rectum progressionem obseruans declinationem ad latus siderum non prospexit. Cũ enim stella uel ad aquilonem uerget, uel ad meridiem, & serius oritur, & uelocius semper ea parte signi, in qua est collocatur, atq; ita interdum putabis supra terram esse planetam qui erit sub terra, & iam occidisse qui supra finitorem conspicuus etiam apparebit. Quod cum in omni prædictione errorem pariat, magis tamen eos tum faciet excidere à ueritate cum natalitiam horam ex conceptionis hora inuestigabunt, quia si Lunam proximam esse contingat occidenti, poterit putari iam occidisse, quando erit adhuc supra terram: & contra nondum esse demersam cum latebit sub oriente, quod ab hora conceptionis per multos etiam dies faciet aberrare, Planetarum radiationes latitudine ignorata quis recte determinauerit? Quis in ambulationẽ sideris alicuius, sic enim Græcè dicitur, uulgo directio nuncupatur, recte dimetietur? Cum omnis semper utroque uersum à uia Solis sideris declinatio uel locorum aliquot annis rei euentum, uelociorem faciat, uel tardiorem, hinc in stellis non erraticis disponendis quantus etiam lapsus, cum uulgo eo loco collocentur ad quem recta in lineam progressione feruntur. Cum qua autem cœli parte in uarijs regionibus, uel occidant, uel oriantur, uel initijs etiam reliquarum domorum affulgeant, omnino non considerent, quid quòd & locum Planetarum parum sæpe ex fide ostendunt ephemerides, non solum uitio librariorum, sed sæpe authoris qui aut parum diligens fuerit, aut parum peritus. Mitto quòd alij alijs utuntur astronomi tabulis, interdum parum exactis, aut cum quidem etiam ille suum sibi fecit diariũ à ueritate parum aberrantibus, hac autẽ tempestate magnopere. Sed tabulas Ptolemæi iam omnes reijciunt, Alphonsi pars magna doctiorum sequuntur, in cuius radicibus euidentem iam constat esse falsitatem. Sed nec minus somniculo-

si horoscopo in deligendo, & duodecim reliquis locorum cœlestium initijs capessendis. Vidi ego multos & peritia non mediocres, & boni etiam nominis in ista professione, nescio qua sua uti tabella pro distribuendis 12. domibus (sic eas uocant) quocunque cœlo natus ille fuisset, cuius genituram erant inspecturi. Quod si aliquando uolunt esse diligentes nota climatis differentia, quam solam eis Alphonsus ostendit, uix ultra exactius aliquid perscrutabuntur. Iam declinationes ab æquatore, & circumferētias Planetarum, & sublimationes uarias in circulo breuiore, uel in exentnio motuum latitudinalium uicissitudines, ingenituris dijudicandis, quis nūc obseruat? de æquandis diebus quàm multa nesciūt, quàm multa perperam dicunt iuniores. Quæ omnia ideò diximus ut fiat manifestum non posse ex fide prædictionum istam prædicendi artem confirmari, cum esset si uerissima constet ratione, artificū tamen uitio hoc est, uel ignorantia uel negligentia, ueritas de futuris sciri non possit, ut si id non persuadetur astrologiæ fidem non adhibendam, persuadeamus saltem istis, ut dicitur in epigrammate * astrologis ne fides adhibeatur.

RARO EVENIRE QVAE DICVNT ASTROLOGI, quod tum externis, tum domesticis exemplis ostendit. Cap. IX.

IT si sani, si ueri essent, etiã non omnino, sed magnopere, non solum non eiecti ciuitatibus, & apud prudentissimū quēq; ludibrio semper habiti, sed summo in honore apud omnē ætatem, apud omnes gentes fuissent. Tanta scilicet est hominū curiositas præsciendi futura, præsertim quę ad se attinent, & de his qui hoc prę stant tanta iure etiam opinio & existimatio, & tamē erectas statuas, decretos publicos honores, & philosophis legimus, & medicis, & poëtis, & imperatoribus, astrologis nunquam legimus, sed legimus eiectos, irrisos, in fabulam etiam populi uersos, ita ut fabularum allegoriæ, quæ de sensu uitaq; communi plerunq; dicuntur, taxationem istius uanitatis apud ueteres continerent. Qui enim Homerum allegoricè exponunt, per illam Icarisabulam qui facticijs pennis cœlo tenuiore se committens in mare præcipitatus est, astrologos aiunt designari, qui pennis temerariæ professionis in cœlum se subtollentes, cum de cœlestibus suis dogmatis quibus sublimari uidentur quid sint prędicturi, in pelagus ruunt mendaciorū, & quid alijs egemus uel testimonijs, uel coniecturis, cum ipsa hoc nobis quotidie experientia testificetur, in re præsertim, in qua si cubi potest maxime, posse debet astrologia præstare, ueritatem aëris, scilicet mutationibus prædicendis, pluuia, siccitate, æstu, frigore, uentis, grandine, terræmotu, in quibus adeò falsi quotidie deprehenduntur, ut nullius ferè nunquam diei status eorum prædictionibus respondeat. Obseruaui hyeme ista in suburbana mea uilla, in qua hæc scripsimus insignem omnē singulis diebus aëris muta-

mutationem, ipsis interim ante oculos positis decretis astrologorum, ita salubre mihi ubique faueat cœlum, ut in dierum supra centum atque triginta iugi obseruatione non plus sex aut septem tales uidi dies, quales in eorum libris futuros ante præuideram. Meminit puto adhuc Pandulfus Collennutius meus iuris quidem consultus, sed in omnibus literis ingeniosissimè eruditus, quantum nobis Bononiæ risum, super ista re dederit quidam mathematicus, qui nos ea die copiosissimos imbres iubebat expectare, quam totam lucidissimus Sol & clarissimam & serenissimam reddidit. Ambrosius in Hexameron, cum ante, inquit, dies aliquos esset sermo de pluuia, quæ forte utilis diceretur, ait quidam ecce neomenia dabit eam, attamen nullus imber effusus est, donec precibus ecclesiæ scilicet, imber datus manifestaret, non de initijs Lunæ eum sperandum esse, sed de prouidentia misericordiaq; creatoris. Hæc ille. Ex cuius uerbis & uanitas astrologiæ, & efficacia religionis re ipsa comprobatur. Possunt igitur qui sunt rationū minus capaces, & suam fidem istis hominibus mancipauerūt, hac se uia asserere in libertatem, ut de aëris statu identidem eos interrogent, de quo cum falsa eos dicere fere semper inuenient, facile animaduertent si de nubibus, etiam nebulones isti, tanta mentiuntur, multo magis in hominum & populorum fatis dijudicandis falsa prædicturos, cum hic scilicet prædicantur & quæ cœlo subiacent minus, & quæ difficilius longe laborioſiusq; præuidentur. Quod si quæ super hominum genituris quotidie mercenario uaticinio fabulantur, quis examinauerit: uidebit etiam multo plura mentiri quàm cum super aëris qualitate respondent, & nisi dum minutatius aliorum prosequor ineptias, ineptiego uitium mihi metuerem afferre, multas & uiuentium, & iam uita functorum genituras, felicium infelices, & infelicium oppidò quàm felicissimas, in qua re sanè tam nihil mentior, quàm scio diuinam ueritatem, cui præsens expeditio militat mendacijs nostris nec egere nec delectari. Sed contentus ero domesticis quibusdam exemplis quibus præsertim admonitos uelim, qui diuturnam à mathematicis uitæ promissionem habentes, Euangelicæ uocis obliuiscuntur, monentis nos uigilare ne dies Domini occupet imparatos. Pino Ordelapho principe Foroliuiensi cui Lucretia soror nupserat, quo anno obijt omnimodam uitæ incolumitatem fuerat pollicitus Hieronymus Manfredus astrologus nostra ætate singularis, à quo tamen nihil mirandum, minus præuisam aliorum mortem, qui nec suam ipse præuiderit, nam cum proxima æstate uita sit functus, in istius tamen anni publico uaticinio, qui scilicet ei fuit fatalis, multa & mira sequenti anno dicturum se non semel pollicebatur. Qui nescio oppignoratam fidem quomodo reluet, nisi forte de cœlo uerius nunc terrena despiciat, quàm de terra olim cœlestia suspiciebat. Petrus Attendalus iuuenis ingeniosus, qui Heleonoram habuit uxorem Galeoti fratris fi-

liam, obijt anno superiore, subiti & inopinati morbi molestia necatus, cum nihil ei tamen tale astrologus prædixisset, cui maxime ille credebat, sed securitatem uitæ promisisset. Constantia Antonij fratris uxor amantissima, quæ Romæ abhinc biennium publico ferè luctu totius urbis uiata excesit, nonne uanitatem istius artis nobis testificata est? Quæ quo anno desiderium nobis sui reliquit, non solum prosperæ ualitudinis, sed felicissimę etiam uitæ ab astrologo promissionem acceperat. Quod illa nihil oblita, cum iam animam agens collachrymantis uiri à quo unicè diligebatur manum teneret. En, inquit, quàm uera uaticinia astrologorum? Contra ipsi Antonio fratri Deus bone quæ mala, quas moles molestiarum, quantum periculorum, hoc anno astrologia minitabatur? Et tamen nullam ille cælorum expertus iniuriam, uixit sospite familia, re salua, ualitudine integra, nulla uel infortunij, uel periculorum quassatione iactatus. Et ne forte mentiri solum nostros putes astrologos, scias idem etiam ueteribus accidisse. Seneca quodam loco lacerans Claudium Cæsarē scelestissimum, introducit Mercurium apud deos illius mortem procurantem, & ut obiter istam conuellat uanitatem, inter alias causas quibus Mercurius mortem persuadet imperatoris, commiseratione, inquit, hoc etiam Chaldæorum faciatis, qui iam tot annis illum efferunt, prædicebant scilicet mathematici singulis annis Claudium moriturum, nec tamen ille moriebatur. Quod cum legerem uenerunt in mentē nostri diuinaculi qui Romanum Pontificem ipsi quoque singulis annis efferunt. Scribit Cicero, & Pompeio, & Crasso, & Cæsari à Chaldæis prædictum, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate, esse moriturum. Quare & miserum uideri sibi inquit orator prudentissimus, quenquam extare, qui credat his quorum prædicta quotidie uideat re & euentis refelli.

CVR ASTROLOGI ALIQVANDO VERA PRAEdicant. Cap. X.

SEd eueniunt tamen interdum quæ prædixerunt, at cum multo sint plura quæ non eueniunt, cur incidisse eos casu in ueritatem non arbitremur? Quid quòd nulla est ars tam anilis, tam uanæ superstitionis, quę non eodem argumento uera comprobetur, quia aliquando scilicet accidat quod ex ea prædictum sit. Neque enim ulla est quæ hoc non assequatur, etiam quam tu te ipse tibi temeriam fortuitamq; confinxeris. Quare dicant mihi qui ratione ista mouentur, putent ne omnem artem diuinatricem ueram, an multas potius uanas & falsas? Si multas falsas, probabo ego illas ueras eodem argumento, quare interdū scilicet eueniat quod prænunciauerint. Si omnes ueras, pugnantia eos credere demonstrabo, quia de eisdem rebus diuersæ artes diuinatrices idem non respondēt. Expertus enim ego sum sæpe, atq; centies, cum

sup

super eadem quæstione figuram mihi & geomanticam interpunxissem, & astrologicam deliniassem, alium mihi in notis, alium in sideribus euentum apparuisse. Quod si quis forte non credit, experiatur ipse, & super eiusdem hominis fato consulet, Chiromantem Astrologum, & Geomantem, & uidebit fere semper non idem in manus lineis designari, quod uel ex notis geomanticis, uel ex Planetis astrologicis, pronunciabitur. Et si euentum rei respiciat, ueritatem ibi magis inueniet, ubi minus sperabit, siue quòd ibi plus possit casus, ubi minus est rationis, siue quòd in illis spiritalis improbitas libentius nos ludificet. Astrologorum prædicta multiplex, tamen adiuuat fallacia, cur sæpius Apotelesmaton fides non tam probentur, quàm probari multis uideant̃. Nam si de præteritis eis est dicendum ut ostendat̃ talia euenisse, qualia cœlum significabat, nihil eis deest ad irretiendos animos imperitorum, quoniam nulla siderum est positio, nulla genitura, in qua & prosperæ & aduersæ significationis multiplex constellatio non inueniatur. Cum præsertim non pauciora ipsi sibi finxerint in cœlo, quàm ibi ab initio sidera Deus formauerit, quare semper habebunt in præteritis rebus, unde positionem tueantur, raro enim inueniẽt in Planetis quod uolent, tamen multis eos modis & felices faciunt & infelices, plus in cœlestibus scilicet iuris habentes quàm in terrenis, ita eis semper cœli locus uel signi bonitas, uel malitia, uel alterius stellæ radiatio, uel cum Sole amor, cum horoscopo odium, uel amicitia suffragabitur, aut si tandem illi non satisfaciant, auxilium implorabunt à stellis, non erraticis, in quibus ipsi nunquam non errant, aut si nec ipsæ satisfacient, satis præsto erunt eis uel Indorum imagines, uel partes Aegyptiorum, uel antiscia Firmici, uel dodecathemoria Chaldæorum, uel fictum omnino aliquid ab eis, in quo tanto magis quasi super occulto dogmate glorientur, quanto magis & falsum erit & commentitiũ. In futuris prædicendis minus habent occasionis ad fallendum, quanquam nec in his desint, nam & multa coniiciunt, tetram potius, ut dicitur, quàm cœlum obseruantes, Euripidis illud: Recordati bene, qui coniiciet, is uates optimus esto. Et generaliter quædam enunciant, quæ non possunt ferè non euenire, aut non putari saltem non euenisse, & ambigue proferunt, more oraculorum multa, semper aliquid excipientes, quo possit illud quod est prędictum, uel minui, uel augeri, uel impediri, ut si euenerit non dicas non prędictum, si non euenerit, nihilominus ueri existimentur. Explicitum particulare, certum ab eis raro audies quicquam, & cum tale aliquid audent, uel quod est rarissimum casu probant, uel quod est frequentissimum experientia refellunt̃. Sed accidit quod de templo ille dixit Apollonis, ut bene dicta memoriter celebrentur, errata nemo recordetur, quoniam & hęc sciri nolent qui eis fauent, & qui contemnunt tam hęc quã illa omnino nesciunt. Non est autem prętereundum quod dicit Aug. & ratio persuadet occulta dęmo-

num afflatione, quam nescientes patiuntur assequi eos interdū ueritatem quam alioquin non assequerentur, quod fieri putandum si mirabili prædictione, particulariter aliqui factum dictúmue pronunciauerint, quod nec ipsam artem astrologiæ præstare posse testatus est Ptolemæus. Sed mirabitur aliquis quomodo hoc nescientes patiantur, & tamen quicquid prædicunt afflatione tamen dæmonica prædicere illa eos putemus. At uero hoc fieri multis modis potest, de quibus astrologos in re simili admonebo. Est enim confessum apud eos alium esse alio magis fortunatū astronomū, in assequenda ueritate, pari in utroq; ingenio, doctrina, & diligentia, hoc igitur esse fortunatum dicant mihi ipsi quid sit, si non alia uia uestigant ueritatem, quàm ex dogmatis artis, quæ qui æquè aut melius etiam tenuerit, non erit tamen in ueritate prædicenda æque fortunatus. Porrò hoc aliud non est quàm quoniam ferè semper super eadem re uariç cōstellationes, & super eadem constellatione pugnantes, uel diuersæ authorum opiniones occurrunt, flecti cœlitus animum prædicentis, in ueram sententiam multa tentando incidere imprudenter in ueritatem. Hoc igitur idem etiam poterit occulta & latens dæmonis inspiratio, à qua quis actus agitamen se non percipiat, quod cum fit, qualiter fiat, non est nunc latius explicandum. Sed neque hoc solum dæmones posse diuina potestas & sapientia sinit, sed illud etiam ut quod falso prius fuerat prædictū opere implentes ipsi, uerum efficiant, nullam decentius summa iustitia pœnam exigente quàm ut quæ diuinæ ueritati superba ingenia non subduntur, nebulonis deinde unius & sycophantæ mendacijs, & fidem, & libertatem obliget suam. Sed puto satis multa iam diximus, cur aliquando isti nugatores uera aliqua effutire & spargere uideantur, quanquàm utà principio dicebamus, non est in hac re magnopere laborandum, quando quæ temerè uel astutè uera prædicunt, præ his quæ mentiuntur, teste Phauorino, pars ea millesima nunquam inueniatur.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVlæ aduersus Astrologos libri II. Finis.

IOAN

IOANNIS PICI MIrandulæ Disputationum in Astrologiam, Liber III.

QVID LIBRO PRAECEDENTI ACTVM SIT, ET quid deinceps agendum, quoue ordine. Cap. I.

SOLVIMVS populi quæstionem scisitantis, identidem super astrologis, unde responsis illorum fides, si professioni nulla soliditas, dixi quæstionem, qua scilicet accurati doctioresq; non utantur, quibus notū nec sæpius euenire quæ dicant, sed raro quasiq; dixeris ex accidenti: Nec si eueniant colligi tamen necessario ueram artem, sicut nec ideo necessario falsam, quòd in prædictis sæpissime mentiuntur, si quidem possunt ex præceptis ueris pronunciari falsa, non tam ob artis omnimodam falsitatem, quàm opinabilem coniecturalemque incertitudinem, ut artificis omiserim uel ignorantiam uel indiligentiam. Sicut contra uera de falsis non ueritate dogmatis, sed astutia pronunciantis, siue felicitate, siue casu, siue occulta promotione prænoscentium numinum quæ prædicunt, siue aliis de causis, quas superiore libro satis explicauimus. Quod si cui persuaderi non potest, reuocet ad memoriam quanta paulo ante super incuria, super erratis astrologorum ætatis nostræ, utinam citra odium inuidiamq;, diseruimus, nec poterit (nisi falli cupit) adduci, ut quoties ueritatem assequuntur, putet eam ab illis inuentam, potius quàm repertam, omnino litem hanc dirimet sequens tractatus, in quo demonstratum cum fuerit quę de cœlo prædicunt, ea causas ibi uel signa non habere, quibus efficiantur, uel indicentur, aut si fiunt inde, fieri tamen aliter quàm astrologi sentiant, aut si eo quoque modo, non tamen ab his causis in cœlo, neque ab his rerum in terra primordiis, tum si dentur hæc omnia certe non hæc primordia, non illas causas ab hominibus posse deprehendi, uel si deprehendi forsitan possunt, nondum tamen esse deprehēsas, hoc totum inquam, cum fuerit demonstratum, puto fuerit bonis ingeniis extra controuersiam, si quando ad ueritatem astrologus offendat, in nullam hoc causam non uerius posse redigi quàm in ueritatem professionis. Quæ tam multis uidelicet iam nominibus falsa, nec ullis ueri rationibus nixa, sed commentitia, præstigiosa, propterea q; sua natura mendax liquido apparuerit, igitur confutationem iam ipsam aggrediamur, id primum excutientes quod totius negocij summam habet, an efficiat cœlum quæ de cœlo pronunciant isti diuinatores. Id quod ita tractabitur à nobis, ut hoc quidem libro defendamus agere cœlum in nos tantum motu & lu-

mine, præter hæc frustra occultiores afflatus alios cogitari, tum à lumine illo siderum & motu non aliud communicari materiæ patienti quàm motum, lucem & calorem. Calorem inquam, & corpora consummantẽ influxu generali, & ad uitã uitæq; functiones capacia uitæ corpora disponentem, hoc ab omnib. fluere stellis, quanquã non sit confessum omnium ad nos etiam Planetarũ defluuia prouenire, quicquã uero præter ea largiri sidera rebus inferioribus, nec ratione probari, nec experimentis cõuinci, nec authoritate persuaderi procerum philosophiæ, Quin hæc omnia obstare, ne præter hos communes influxus pertinere cœlestium uim ad sublunaria corpora aliquo pacto intelligamus. Quare peculiares rerum proprietates, etiam corporeas, siue quæ speciem, siue quæ rem particularem consequantur à stellis originem non habere, præterquã ratione principij uniuersalis, sed àpropria natura ipsarum rerum causisq; earũ proximis & cognatis. Atq; ipsam hanc nostrã opinionem non alijs magis q; quib. utuntur astrologi contra nos argumentis asseueratã probabilemq; reddemus. quod cum fuerit satis explicatum, tamen ad eum tractatum quarto libro deueniamus, ut si demus astrologis uires occultas ineſſe radijs præter lucis effectum atq; caloris, unde homines reliquaq; natura uarias sortiri dotes & potestates peculiariter possint, eas tamen non ineſſe illis quas existimãt uires, nec ab eis quæ de cœlo diuinãt, apertissimis rationibus, & consensu philosophorum theologorumq; omnium quicunq; illustriores indubium faciamus, id quod ubi confectum satis uidebitur singulis retractatis quę de sideribus uaticinantur, adijciamus & illud relinquemusq; testatissimum quę non fiunt à cœlo, à cœlo non significari, hoc est, quorũ cœlestia causę non sunt eorũ nec esse signa. Quare nullam esse rationẽ, quamobrem præuideri de cœlo possint. Nunc pręstaturi quod primum proposuimus, uideamus quib. nos petãt, qui omnia stellis quasi euincta duci gubernariq; contendunt, ut mox eadem non repellamus solum, sed in aduersarios ipsos ui maiore quàm uenerint ope diuina freti propellamus.

QVINQVE RATIONES QVIBVS ASTROLOGIA ROborari posse uidetur. Cap. II.

RAtiones quibus astrologi persuadere conantur mutationes quascunq; sublunaris mũdi, sed & rerum omniũ diuersitates, tũ fortuitos casus, & hominũ mores, ingeniaq; pendere de stellis, hę potissimę sunt. Theologorũ & philosophorũ una uox est mũdum inferiorem à Deo per cœlũ gubernari. Hoc Aristot. uulgatissima illa sententia docet: Necessariò mundum hunc inferiorem superioribus motib. esse contiguũ, ut omnis eius uirtus inde gubernetur. Sic Aurelius quoq; dixit August. per corpora subtiliora grossiora hęc regi atq; moueri. Quis igitur inquiunt, dubitauerit mutationes quascũq; rerũ terrenarum à motibus fieri corporũ superiorũ? Quod uel ipsa quoq; demonstrat expe-

experientia, uariatis anni temporibus ex accessu Solis ad nos atque recessu, unde uiuentium quoque omnium habitus & conditio uariatur, dum temperat arua cœlum, dum uariat fruges, redditq; rapitq;. Sed & in diurna reuolutione, Sol aëris qualitates mutat, plus, minus, tum meridie, mane, uespere, calefaciens, exiccans, humori frigoriq; derelinquens Luna, quantas habeat uires in omnia corpora præsertim fluxiora quis ignorat? Aestus hæc Oceani faciens ascendens atque descendens, Pontum mouet & terris immittit & affert, sed & summersa fretis concharum & carcere clausa ad Lunæ motum uariant animalia corpus, Crisimi dicis à medicis obseruati Lunæ Solisq; motus sequuntur. Luna plena nascente, diuidua persæpe cieri tempestates, & in corporibus agitari uidemus humores, hinc pastoribus, nauticis, agricultoribus, obseruationes multę de Lunæ motibus acceptæ, multiplicique experientia, multis retro sæculis comprobatæ. Cur igitur si luminarium manifestiores impressiones, & in permutandis inferioribus authoritatem persentimus, cessare reliquas stellas, & inefficaces esse credamus? nec eorum uires ad nos quanquam occultiores peruenire, quibus subdita illis corpora uarijs modis afficiantur. Quarum gnari atque prudentes, secretiora quædam de futuris euentis possint prę cognoscere, quàm quæ medici, pastores, agricolæ, nautici prædiuinant. Præterea nemo pernegauerit aëris habitum tempestatesq; de siderum statu posituraq; uariari, cum & calor, & frigus, & siccitas, & humiditas, & quæcunque in sublimi fiunt impressiones à cœlestibus motibus & influxibus generentur. Quod si terræ uisceribus inclusi sicciores halatus terram mouent, Si causationes in aëre, ex quatuor illarum qualitatum, uel exuberantia, uel defectu, si caritatem annonæ, uel humiditas nimia facit, uel siccitas, Cum aut fructus leguntur, aut seruntur, inuicem fertilitatem status aëris modicus & opportunus, quis negabit à stellis non modo tempestatum mutationes, & terræ motus, sed pestilentias quoque, & morborum uaria genera, in hominibus, in pecoribus, salubritatem regionum, & fertilitatem sterilitatemq; prouenire? Tum si constamus nos quoque ex ijsdem qualitatibus & corporis temperatura, mores, ingeniaq; uariantur, integra tamen libertate, cur non fieri potest, ut propensiones in nobis ad iram, mansuetudinem, ad effectus alios bonos & malos, à siderib. fiant, bilem, sanguinem, pituitam, atrabilem, uel suscitantibus uel frenantibus, quos humores affectus illi plerunque comitantur? Cur non pariter siccæ calidæq; cœlorum impressiones bilem exacuentes in nobis, ad litem, iurgia, contumelias, inimicitias excitare possunt? Vnde bella, cædes, uastationes, unde imperia regnaque mutantur. Post hæc ita colligit Ptolemæus, si faciunt stellæ diuersitatem corporis & animi, deriuatur hæc deinceps ad ea quæ sunt quidem extrinseca, sed habent cum illis affinitatem qualem cum corpore uxor facultates, cū animo dignitas & honores,

hæc est

hæc est præcipua ratio Ptolemæi, nec omnium effectricem siderum uim probat, aliter ullo loco quàm ex efficiẽtia primarũ qualitatum, quas producendo cætera quoq; producant consequenter, quare nec alias affert causas quòd hęc quidẽ Saturnus, hæc Iupiter, illa uero Mars operetur, quàm quòd Iupiter sit planeta calidus & humidus, Saturnus siccus & frigidus, Mars siccus magis & feruidus, hoc de stellis erraticis, hoc de non erraticis pariter sentit, ex natura primarum qualitatum erraticas, ex erraticarũ natura iudicans non erraticas. Verum enimuero possent alij relictis primis qualitatibus, ad occultas uires eminentiores q; confugere, quas ineſſe cœlestibus plurimas & efficacissimas ambigi non conueniat. Si quid in terrenis quascunque singulares & excellentes dotes intuemur, eas cœli solemus munera existimare, qui non elementares, de quibus illa corpora coalescunt qualitates, sed infusam illis potius uirtutem cœlitus consequãtur. Quanto igitur magis non carebunt huiusmodi uiribus & proprietatibus nobilissima illa corpora luce tam clara, mole tam uasta, agitatione tam rapida, aut quonam pacto si cum motu lumine transmittuntur ad terram, nõ erunt mirabilium apud nos effectrices? Postremò cursus humanarum rerum de quib. astrologorum potissime diuinatio cœli fatiq; potestatem uel nolentibus undique persuadere uidetur, in quo uarietas ipsa familiaris & frequentissima, tum multa supra uires nostræ mortalitatis fieri uidemus, multa præter rationem & meritum, plurima præter ordinem & institutum conditionis humanæ, quæ causas alibi quàm in cœlo nullas habere posse uidentur. Hic habilis ad philosophiam, ille nascitur ad poëticam, alias literas aspernatus, uel ciuile negocium, uel arma libentius feliciusq; pertractat, Vnde ista uarietas ingeniorum? Est qui diuitias nihili faciat, est qui animam lucro uendat, hic sobrius, ille nequam, hic audax, ille meticulosus, unde tanta in moribus dissimilitudo? Alexander Orientem tam cito uicit quàm uidit, unde impetus tãtæ felicitatis? Quæ uis Aristoteli præceptori illius? quæ Platoni? prius Pithagoræ, Socrati, cæteris naturæ secreta reserauit? Hæc ratio maior quàm ut de terra pullulasse credantur. Illa rursus astrorum fortuitis cursibus quis nõ ascribat? hominem innocentem condemnari, nocentem præmijs affici, industriam plurimorum, solertiam, ingenium, doctrinam, mendicare, aliorum ignauiã nequitiamq; locupletari. Piratam cædibus cruentatum inter mille pericula maris & terræ, tandem domi inter suos, & senectute, uita fungi, hominem mitissimum & paratissimum uel à nolentibus imprudenter gladijs obtruncari? tum portenta ingeniorum quædam & monstra uel fœtidis gaudentium, uel ut semel dicatur à legibus exorbitantium humanitatis, nõne illam sibi uim quadam, necessitatemq; fatalis potentię testari uidentur? hæc sunt illa quibus cum plena sit uita mortalium, persuadent multis istas bonorum malorumq; uicissitudines meritas uel immeritas, tantãq; rerum uarie-

uarietatem à stellarum motibus fieri, quarum impulsibus fragilis & caduca mortalitas ægrè aut nunquam reluctari possit.

RETORQVETVR PRIMA RATIO ATQVE OSTENDITUR cœlum causam esse uniuersalem neq; ad ipsam indiuiduorum uarietatem referendam. Cap. III.

NOs istas rationes astrologorum nedum labefactare, sed exaugere studuimus, ne quid se defraudatos expostularēt. Primum autem illud Lectorem scire uolumus, etiam si rationibus his concederet, non propterea sequi, ut aliqua possit esse astrologia, quod sequētibus libris innotesceret. Sed adeò illis nō concedimus, ut ex ijsdem locis ualida cōtra eos argumenta sumamus, nam quod ad primam attinet rationem, simul atq; dixerunt astrologi, motū omnem inferiorem à cœli motu dependere, statim dogmati suo cōtradixerunt, cū inde illud sequat̄ tritum apud philosophos, esse cœlū uniuersalem causam effectuum inferiorū, causa aūt uniuersalis effectus nō distinguit, neq; cur hoc fiat, aut illud quæritur ab ea, sed à proximis causis, quæ uariæ & differentes sunt, pro effectuū differentia & uarietate, & cū ex his alia aliud faciat, uniuersalis causa cum omnibus omnia facit. Quod cū manifestè appareat in rebus, natura, specieq; diuersis, mirū quomodo nō intelligant multo magis idem credendum de uarietate indiuiduorū, quæ quāto magis & particularis est, & à materia plurimū trahens originem, minus referri potest in causam maxime & formalem & uniuersalem, At quis non uidet cœlū cū equo equum generare, cum leone leonem? nec esse ullam siderū positionem sub qua de leone leo, de equo equus non nascatur? Cur non eadem ratione cum diuersis parentibus diuersos cœlum pariet filios, licet eadem similiúe constellatione, quod ipsa experientia cōprobatur, cum interdū eadem hora natos, & sub eadem inclinatione cœli, fortuna tamē, ingenio, corpore diuersissimos uideamus. Quo loco plagā astrologus uitare non potest. Solent enim cum partus geminorum illis obijcitur ad Nigidianam rotā confugere, in qua nō est bis eundem locum attramēto designare, sed & hic male se explicant, cum non possint ipsi tanquā rapidi momenti assequi differentiā, ex qua tamen sit tanta ut uolunt differentia fati, quare dum efficientiam cœli conantur defendere, alios incidūt laqueos, ut de illa scilicet efficientia scientiam se habere non posse, inuiti confiteantur, tum nos & illis geminos non obijcimus quorū cum alter exeat post alterū quæ intercedit morula, ansulam eis præbet aliquid respondendi. Sed natos simul eodem momento, ex diuersis parentibus, intra eandem tamen eiusdem regionis & latitudinē & longitudinē, de quorū genitura idem thema cœli describere, eadē pronunciare debet astrologus, tam de his quæ post natalem horā euenient, q̄ quę intra matris etiā aluum illis contigerunt, ut sicut eadē hora nati, ita eadem cōcepti ab illo existiment. De his inquā quid respondebit astrologus? cum

eadem

eadem ſcilicet omnino conſtellatio, non idem tamen utriuſq; fatum apparebit? An poterit aliud dicere niſi inſaniat, quàm afflatus illos ſidereos uirtute & poteſtate uniuerſales à proximis & ſecundis cauſis determinari & diſtingui? Quod ſi eſt quomodo illi de omni indiuiduorum uarietate expoſita ſiderum hora genituræ reddituros ſe cauſam pollicẽtur, quòd hic niueus, ille niger, hic breui, ille procero corpore, hic tardo ingenio, ille ſollerti, hic omnibus gratus, ille moleſtus, hic ad philoſophiam, ille fatus ad mercaturam, hic diues, ille egenus, hic breuis uitæ, ille longæuus, quæ tota ſub eadem ſpecie uarietas indiuiduorum longe minus à cœlo eſt, quàm quæ ſub gen ere eodem diuerſitas ſpecierum, ut nunc leo, nunc homo, nũc aſinus, nunc elephas pariatur, quæ ſicuti omnia ſpecificam proximarum cauſarum differentiam conſequuntur, ita illa indiuidua uel ſeminum differentiam conſequuntur, ſi corporeas qualitates uel ingenij educationis arbitrij, ſi animales uel facultates parentum propriæ electionis, prudentiæ, occaſionum ſi fortuitas externasq; conſideremus.

COELVM QVALITER MOTV AGAT, ET LVMINE, & elementorum metheorologicorum mineralium, uiuentiumq;, uniuerſalis cauſa ſit. Cap. IIII.

QVanto igitur cauſa uniuerſalis particularibus cauſis diuinior & eminentior, tanto nos ſicuti uerius, ita honorificentius de cœlo ſentimus quàm aſtrologi, Quæ ratio uniuerſalis efficientiæ, quo magis eluceſcat, tum quid efficiat cœlum, quid non efficiat, clarius explicetur, altius exordiendum de natura cœli dicere, deq; eius actionibus erga corpora inferiora. Cœlum corpus naturale eſt, omnium corporum naturalium perfectiſsimum. Corpus naturale, tam motus quàm ſenſibilis qualitas conſequũtur. Perfectiſsimo igitur corporum naturalium perfectiſsimus quoque motus & ſenſibiliũ perfectiſsima congruunt. Nullus motus perfectior orbiculari, nulla qualitas perceptibilis ſenſu luce perfectior. Erunt igitur hæc cœleſtis corporis propria. Quare immarceſsibili quoque ſubſtantia cœlum, quando motus eius & qualitas contrarium nihil habẽt, ſed & quoniam perfectiſsimum corpus primum quoque loco ſcilicet ſupremum eſſe debet, cui primus etiam motus debetur. Eſt autem quod primum in uno quoque genere cauſa reliquorum ſub ea ſerie contentorum, licet non omnia eandem cauſæ habeant rationem. Quare quod primo motu mouet reliqua mota mouet, nec illo ceſſante cætera mouebunt, ſicut in minore quoq; mũdo, ſi ceſſet motus cordis, omnes animalis motus perire neceſſe eſt, quocirca recte dixit Ariſtot. lib. octauo Phyſicæ auſcultationis, motum primi cœli uitam eſſe omnibus, quandoquidem euidentiſsima eſt & communis operatio uitæ intimus motus, ergo una hæc cœli dignitas & efficacia erga mundum inferiorem, ut proprio illius agitatu infatigabili, cæteri motus omnes & ordinentur & excitantur.

Quę

Quæ quidem efficientia quàm sit uniuersalis, nec inferiores motus hac ratione distinguat, satis euidens est, quoniã sicut descendenti glebæ, ita flammæ sursum se mouenti, & alio genere motibus omnibus unus & idẽ cœlestis motus pariter cooperatur. Altera illi de luce prærogatiua, nam quando lux summa qualitas corporũ, corporeæ uero naturæ primus uitæ gradus, & summa semper ordinis infimi, extrema ferè superioris ordinis assequuntur, fit necessario ut lux & consummatricem quandam habeat corporum uirtutem, & uitale nonnihil interim possideat, non quòd ipsa aut uiuat, aut uitam afferat, sed corpus uitæ capax ad uitam maxime præparat, & disponit, quoniam sequitur lucem quasi proprietas eius, calor quidam non igneus, non aëreus, sed cœlestis, sicuti lux cœli propria qualitas, calor inquã efficacissimus maximeq; salutaris, omnia penetrans, omnia fouens, omnia moderans, hoc est cœli munus præcipuũ quo corpora perficiuntur, & uiuentia disponuntur ad uitam, præter agitationem circularis motus, non modo necessariã ut lumen istud atq; calorem deuehat ad nos, & per uices oportunitate mira plus minus terris impartiatur, sed ut motos nos quoq; calori reddat hiliores, qui de perpetue moto corpore iugiter emanat, huius beneficentissimi uim caloris in toto corruptibi mũdo peruidemus, tam inchoatis quàm absolutis, tã inanimis quàm animatis, nam elementa quidem continet & conseruat, sicuti locus eorũ, & forma quasiq; artifex omnia quidem ambiens, sed per omnia quoq; intime se diffundens, & quemadmodũ illud primi motus priuilegium ut torqueãt sine eo reliqui motus, ita primæ sensibilis qualitatis, uti sine illa cæteræ qualitates agere nihil possint, Quare si cœlesti calore destituant, nec frigiditatẽ agere frigus poterit, nec calor caliditatẽ, non enim calor ille sidereus frigori contrarius, sicuti calor igneus uel aëreus, sed omnes continet elementares qualitates eminentia simplici, sicuti cœli natura continet omne corpus, sicuti motus circularis omnes motus, sicuti lux omnes calores, & quod Pithagorici dicerent, sicuti unitas continet omnes numeros, ut fallant qui negant conseruari cœlitus elementa frigida posse, nisi præter calorem influant & sidera frigiditatem. Dicerent enim aliquid si calida conseruaret cœlum, calore eiusdẽ naturæ & rationis, sed omnia pariter calida, frigida, humida, sicca, conseruat sua ista qualitate, quæ sicuti nulla est ex illis quatuor qualitatibus, ita claudit in se omnes, nõ quales sunt in elemẽtis, sed quale quod multiplex in unitate cõcludit, uirtute scilicet principali, per quam illas ita regit, ut & quamlibet ipsimet uniat conseruando, & in ipsis totum conseruet omnes moderãdo, & ex ipsis alia pariat omnes commiscendo. Verum fallit nomen caloris, quod cũ audimus rem intelligimus statim aduersam frigiditati. At cœlesti illi calori proximior quidem natura calor elementalis, quàm elementalis frigiditas, sicuti etiã est perfectior, sed nihil hoc prohibet illum ab utriusq; elementi proprietatibus exaltatum, utraq; uirtute

complecti, ſicuti candorem, cũ dicimus rem aduerſam, uidemus, dicere fu
ſco, nigroq; colori. Nec tamen negauerit quiſpiam non ſecus nigrum co
lorem quàm album candore lucis & conſeruari & efficacẽ fieri, licet alius
luci naturæ proximior, nomen etiã ferè habeat cõmune, ut & candidus ap
pelletr interdum, denicq; ſi ſubſtãtia cœli utpote primi corporis omne cor
pus perfectiſsime continet, & uirtute, debet neceſſario eius propria quali
tas omnem corpoream qualitatem uirtute perfectioneq; cõtinere. Hæc eſt
quam calorem cœleſtem uocamus ſobolem lucis, uocamusq; calorem, &
quòd uitaliter calefacit, & quòd inter omnes elementorũ proprietates ca
lor illi proximat magis, ita cum à ſua ille cœleſti conditione degenerat, hu
ius maxime operationem exerceat, ut poſtea declarabimus. Igitur ſi ca
lor iſte perfectione uirtuteq; continet corporum inferiorum omnes qua
litates, omnes etiam cum cauſis illarum proximis, & generabit, & uege
tabit, ſicuti calor ipſe ſeminalis, licet calor eſt, & dicitur materiam, tamen
omnem fœtus ſiue illa calida ſiue frigida regit, digerit, ſeruat, format, mo
deratur. Propterea ſi quis quærat à me frigiditatem ne cœlum faciat per ſe,
an ex accidenti, Reſpõdebo, ſiquidem quæras quid ſe ipſo faciat cœlum,
nulla media cauſa, fieri ab illo per ſe tantum calorem, cæteras qualitates ex
accidenti, ſicuti calor ipſe per accidens frigefacit, ut ſequenti capite decla
rabimus, ſi uero quid tanquã uniuerſalis cauſa cum ſecũdarijs cauſis agat,
agere illũ per ſe tam frigiditatẽ q; caliditatem, tam ſiccitatem q; humidita
tem, quomodo non minus cum aqua generat aquã, quàm cũ igne generet
ignem, nec magis poſſet ſine illo aqua aquã, quàm ignis ignem generare.
Cum aũt generat elementorũ ſubſtantias, generat cõſequentes quoq; illas
proprietates, quare cũ aqua frigiditatẽ, cum igne calorẽ facit. Et ſiquidem
hoc modo negaremus per ſe fieri aliud à cœlo q; calorem, ſequerent abſur
da illa quæ dicit Thom. frigiditatem, ſiccitatẽ, & humiditatẽ nõ per ſe eſſe
in uniuerſos, ſed per accidẽs, ne formas omnes ſubſtantiales inferiorũ cor
porũ in uirtute cœleſtiũ corporũ cõtineri, quæ nullo modo ſequunt, cum
negamus cœlũ per ſe & ex ſe, uel aërẽ uel inferiora alia corpora frigefacere.
Quocirca probãt rationes illæ Thomæ non quod negamus ipſi, ſed quod
aſſerimus. Vidimus in elementa quid agat cœlũ, & uniuerſalem hic primũ
efficientiam cõprobauimus, deſcendamus ad alia quæ fiunt ex elementis.
Idem igitur ille calor filius lucis ſuſcitans è terrenis corporibus uaporoſes
halatus, extenuans craſſa, fœculenta q; diſſoluens, parit ea quæ fiũt in ſub
limi, diuerſa pro diuerſitate materiæ quæ ſurſum tollitur. Nam ſi uapor à
fluxo tollitur corpore, facit humidas impreſsiones in media aut infima re
gione aëris. Si à ſicco atq; terreſtri tollitur euaporatio ignea ad ſuperiora
quæ contigua ætheris, neceſſario ex motus & ignis uicinitate concaleſcit.
Hæc igitur omnia quoque calor ille cœleſtis operatur, ſiue frigida illa, ſi
ue calida, quoniam de uaporibus omnia, quos ſolus elicit calor omnia, igi
tur ca

tur calor & uniuersaliter omnia, cum eorum distinctio atque uarietas à uarietate constellationis ut astrologi fabulantur, sed penes materiã & locum in quo generantur, ut ex metheorologis Aristotelis libris, & Timæo Platonis innotescit, propterea tractaturus Aristot. hanc naturæ partem, uulgatum id protulit, continua superioribus esse inferiora, quo uirtus eorum omnis inde gubernetur. Id quod quamuis uniuersalius accipi uere possit, ab ea quæ diximus de cœlesti motu, atque calore, quibus omnia mouẽtur fouenturq́, dictum tamen ab Aristot. propter metheorologicas impressiones, de quibus maximè tunc agebat, quare probaturus uel explicaturus quod dixerat adiunxit, horum quidem omnium inferiora esse materiam, cœlum autem efficientem causam. Miror aũt interpretes quosdam fatigari, ut à calumnia defendant, quòd omnem uirtutem inferiorem cœlitus dixerit gubernari, quasi in his uerbis nostra quoq́ libertas periclitet̃, nec uideant ex uerborum contextu ad elementa duntaxat pertinere quod dicit̃, mundum enim ibi cum dicit elementaria corpora, spatium hoc replentia sublunare, mundum uocat non cum elementis, ipsa quoq́ quæ mundum istum inhabitant. hoc de serie patet orationis euidentissime, nã postquam dixit à se determinatum in libris superioribus, quatuor esse corpora infra cœlum, ignem, aẽrem, aquam, terram, tum ita subiungit, quoniam itaq́ circa terrã totam mundus ex his constat corporibus, cuius affectiones dicturi sumus. Est ex necessitate continuus iste superioribus lationibus, ut omnis ipsius uirtus gubernetur inde, Mundus igitur cuius omnem uirtutem à corpore superiori gubernari dixit, hæc ipsa est moles quatuor elementorum, quando nec alius mũdus continuus est superioribus lationibus, nec alterius mundi dicturus erat affectiones in eo libro, in quo certe de plãtis, de animalibus, nulla mentio est, sed de ijs tantum quæ fiunt in elemẽtis, ut cometis alijsq́ impressionibus, & quæcunq́ aëris & aquæ cõmunes passiones sunt, ut in procœmijs pauloante ipse præfatur. Proinde desinant nostri diuinatores in annuis uaticinijs hoc philosophi testimoniũ quasi suæ fraudis honestamentum roburq́ prætendere, cũ uel eo maxime libro deroget astrologiæ prudentissimus Aristot. dum nec pluuiarum, nec terræmotuum, nec huiusmodi aliorũ effectuum causas quærit in sideribus, sed in materia, pro cuius uarietate, nõ pro diuersitate constellationis, aliter atq́ aliter illos solis calor afficiat. Sic igit̃ se res habet in Metheorologicis impressionibus. Corpora perfectiora expertia uitæ, qualia gẽmæ atq́ metalla, sicuti ex inferiori materia coalescũt, ita radios illius caloris ui digerunt̃ atq́ formantur. Nec obstat quòd à luce prodire calorem hũc diximus, nec lux tamen ad subterranea quædam loca pertingit, in quibus id genus preciosissima mixta generantur. Nam si non illa uera opinio Platonicorũ quorundã penetrare omnia corpora cui diaphano lucem, licet corporibus uel densissimis inculcata uel per rarissima dispersa non uideat̃. Certe illud ne-

gari non debet diffusum à luce calorem eo posse pertingere quo lux ipsa non peruenit, sicut potest trans parietem calor ignis sentiri, nec potest tamen ipsa flamma uideri, sic nihil est quod prohibeat infusam montibus & cauernis lucem intus ipsam quidem nõ intrare repulsam opacitate corporis & densitudine, quæ non sunt luci suscipiendæ idoneæ dispositiones, sed tamen intus mittere suum calorem, quia licet non possint talia corpora illuminari, calefieri, tamen possunt etiam magis quàm quæ rara sunt atque perspicua. Quomodo uero huiusmodi rerum mixtio fiat à cœlo, quomodo rursus à secundis causis, in solutione dicemus quartæ rationis. Reliqua sunt ea quæ de caloris istius afflatu uiuunt, quippe ut paulo ante collegimus, cum summum teneat in corporibus ista qualitas gradum, sicut habet ut corpora ipsa perficiat, qualia diximus, ita ut proximè substernatur uitæ, quasiq; extrema compilet inuicem, corpori uitã, & uitæ corpus, quapropter in omnibus etiã uiuentibus, inter hoc quod uidetur crassius habitaculum, & animam uitæ fontem medius est quem spiritum appellamus, tenuissimum corpus & inuisibile luci, caloriq; illi sidereo maximè cognatum, cui uita præcipue adest, perq; eum suas in hoc uisibile atq; retrorsum uires explicat, atq; diffundit. Sic in materia seminali latet hoc genere spiritus, cuius in primis utitur mysterio, uis illa diuinior artifex uitalium operum uice animæ fungens aqua defluxit, & speciem generantis propagans in materiam quam occupauit. Non sunt autem uel gignendis corporibus, uel seruandis, uel muneribus sensuum obeundis utiles isti spiritus, si cœlestis spiritus (hoc est caloris quem diximus) ope destituantur, qui mobilior, purior, efficacior, propterea q; proximior uitæ, roborat infirmitatem spiritus inferioris, & suo commertio reddit animæ cognatiorẽ. Vt iam non sit argumentum uiuere cœlum quia uegetet suis radijs ea quæ uiuunt, nam uiuunt hæc quidem omnia per suas animas, perq; animæ uim seminibus insitam propagantur suffragante illis calore cœli, non quasi uiuifico, sed ad uitam, ob id quod diximus, commodissime proximeq; disponente. Nemo autẽ dixerit in luce, siue per lucem esse, quæ ab anima est uim uidendi, quanquàm sine luce nõ uideamus, possit alijs nec ne uita cœli rationibus comprobari, disputatum à nobis in concordia Platonis & Aristot. ita patet in corporeo mundo nihil quidem fieri sine cœlo, uerum tamen quòd hoc aut illud fiat, id à cœlo non esse, sed secundis causis, cum quibus omnibus cœlum talia facit, qualia ipsæ facere natæ sunt, siue illis ad speciem, siue ad indiuiduum causæ pertineant.

PRAE-

PRAETER COMMVNEM MOTVS ET LVMINIS influentiam nullam uim cœlestibus peculiarem inesse. Cap. V.

EST autem caloris istius effusio communis omnib. stellis, siquidem naturam cœlestem consequitur uniuersam, sicuti lux, sed an sphæris conueniat, dubium, nam si non illæ lucidæ, nec caloris istius propagatrices. Si lucidæ, quæstio est, ante raritate lux sicuti fit inuisibilis, fiat erga nos esse parum efficax, ut Auicenna scribit in lib. de Cœlo, De stellis ipsis quæcunq; ueniunt sub obtutum dubitari non potest, nisi cœlestem illis naturam & lucis dotes pariter adimamus, ergo præter motum & lucem quicq; prodit à luce uiuificus calor, alios à sideribus ad nos influxus deuenire, aut illis inesse corporeas, alias effectiuas qualitates, nulla, ut uidimus apertiusq; uidebimus in sequentibus, experientia monstrat, cum per motum & calorificam lucem suũ satis officium cœlum undequaq; implere posse uideatur. Sic Aristot. non aliter usquam dixit affici nos à cœlo quàm motu atque calore, id quod Auerrois & Plotinus magni in sua quisque familia uiri, asseuerantissime uoluerunt, & sane quod attinet ad frigorificas influentias, uidetur ratio id ualde pernegare. Solent enim qui contra sentiunt, cum lucem omnem caliditatis effectricem esse conuincuntur, ita decernere esse omnes quidem stellas quæcunq; lucent generali quadam communiq; omnibus proprietate productiuas caloris, sed per proprias deinde illis uires competere, ut hæc siccitatẽ, illa frigus, humiditatem alia largiatur. Sic noctes in plenilunio esse calidiores, quia lumen uberius plus calefaciat. Verũ id non obstare quin Luna propria influentia uel frigefaciat aërem uel humefaciat. Ego igitur eos interrogo, calorem ne istum quem communem omnibus stellis, sicuti lucem esse fatentur, ipsum ne inquam talem credant, qualem nos diximus continentem eminentissime omnes quatuor qualitates, ideoq; omnium cum secundis causis productiuum, seipso uerò diffusiuum tãtum modo suũ ipsius, an potius contineri non creduut in eo cæteras affectiones, sed calorem duntaxat, frigus uero ut diuersam rem à calore, à particulari alia sideris alicuius uiriute manare, utramuis eligant, incidũt, nisi fallor, in incõmoda non mediocria, si primum respondent ita instabo, non alicui ex propria ratione, & si uolũt in sideribus ita dici specifica cõuenire, aliquid imperfectius eo quòd illi conuenit ex communiori natura, cum semper uniuersali differentiæ contractior differentia perfectionis gradum adiungat. At qualitas ea quæ continet omnem qualitatem perfectior ea est quæ tantum frigoris est effectiua. Non igitur si debetur illa stellis communi omnibus, generaliq; conditione debebit alicui stellæ ex propria natura frigefaciens influentia. ergo restat diuisionis alterum membrum, in quo non minus hæreant est necesse, si quidem nulli competit ex natura propria repugnans aliqui-

bus proprietatibus illi de communi natura conuenientibus, ut si competit homini quatenus animal est habere sensum, non potest eidem quatenus est homo stupiditas conuenire, aut si quatenus uiuit, cõpetit illi intimi motus habere principium, fieri poterit, ut quatenus hoc illud uiuẽs est, ratio aliqua congruat inanimatæ immobilitatis, quin potius particularis gradus, id quod in communi ratione est distinguit, ut si uiuentis absolutè sit non extrinsecus tantum sed intrinsecus moueri, necessario sit animalis naturæ quæ uiuentium species est principium esse intimæ alicuius operationis, & rationalis rursus quæ species alia est intimæ operationis alterius, pari igitur exemplo si naturam cœlestem quatenus est cœlestis consequitur calor ille uiuificus, non consequetur peculiarem naturam sideris alicuius effectiua uis frigiditatis & siccitatis, quæ sunt uitæ contrariæ qualitates, sic nos aduersus illos argumentamur. Rationes autem opinionis aduersæ partim solutæ sunt, partim suis quoq; locis postea dissoluentur, nam quod sequi putabant & frigida elementa non posse cœlitus conseruari, & cæteras qualitates à calore futuras in uniuerso per accidens, tum nec fore uerum quod creditur omnes substantiales corporum formas in uirtute cœlestis naturæ contineri, omnia hæc in præcedentib. iã dissoluimus, sicut & illud quod in his locis plurima generent actione cœlesti, ad quæ lumen tamẽ cœli nõ pertingit. Duo reliqua sunt, alterum posse tam subito à calore ad frigus, & quidem intensum permutari aërem, ut experientia deprehenditur, nisi superueniens frigus, nouæ constellationis opus credatur, alterũ quomodo Luna sub terras atq; adeò sub terrarum ima perlata moueat æstus oceani, ad quem Lunares indubie radij tunc non pertingunt, nisi per influentiam agat hoc, & à lumine, & à calore lumen consequente disiuncta. Hæc uero postea dissoluentur, primum capite 13. quo de mutationib. inferiorum à sole tractabitur, alterũ ubi de causa reciprocationis oceani late disputabitur à nobis, tantum hic satisfaciemus quærentib. quomodo Luna per interlunium nos afficiat, cum tamen per id tempus minime nos illuminet. Galenus sicuti non illuminat, ita nec afficere quopiam pacto eam in coitu nos affirmat, propterea q; mensem facit dierum 6. atque 20. horarum q; 12. quot dies sunt quibus ad nos Lunæ lumen cum efficacia peruenit triduum fere illa sub Solis radijs delitescente. Agit autem in nos Luna Soli cõgrediens, eo modo quo quis agit nihil agendo, nam destituens corpora suo lumine nocet illis, sed eadem adolescens plenius alit, & succulentius implet. Quod si credimus adesse proprium Lunæ lumen licet obscurissimum & tenuissimum, unde in coitu non omnino fugit obtutum, poterit credi retinere illam efficaciam, nonnihil etiam ab illo lumine.

LVNAE

LVNAE LVMEN SICVTI ET SOLIS VITALE esse: neutrumq; frigus aut humiditatem præter quàm per accidens facere. Cap. VI.

IStigitur (ut ad unũ quæcũq; conferant) calor iste cœlestis opifex uniuersalis rerũ corporearũ, nec est, cur credamus à stellis alios flatus terrenis corporib. inspirari, ne aut plus superiorib. illis corporib. aut minus demus inferioribus quàm oporteat. Tãtum Lector hoc ad memoriam reuocet, quicquid à natura meliore deteriori participat, & ob hoc ipsum quòd inde exit & quod pro captu conditionem suscipientis admittitur necessario fieri, & quoquomodo aliud & quàm sit ex origine sua prima deterius, aliud quia peregrinæ naturæ alienæq; commiscetur, deterius, quia deteriori, qui cum aliunde multijugis etiam afficiatur impressionibus colluuione multarum affectionũ inficit necessario atq; confundit quod loco meliore susceperat: Proinde hoc ipsum euenire quoque dubium non est in calore isto cœlesti, quoties in sublunari mole recipitur, ut à naturali scilicet sua, & actione, & perfectione deficiat. Fit autem in duobus modis, nam & cum sua natura salutaris sit semper imbecillitate suscipientis, euadit tamen interdum noxius, & cum nullam faciat elementarium qualitatum, utpote ab illis sua proprietate diuersus, degenerat tamen in elementari natura ad actiones elementorum præcipuè uerò caloris cui sicuti nomine, ita natura proximat magis, quare facit sæpe non tam quòd cœlestis, quàm quidem quod igneus calor & elementarius facere solet, quæ non fieri ab illo natura sua sed materiæ uitio, patet hac euidentia (ut omittamus rationem) quod cum inter sublunaria corpora materiam reperit sibi cognatam, & beneficus semper uiuifice tantum calorificus inuenitur. Etenim nulla potius talis quam spiritus & præsertim humanus qui sanguineus uapor tenuis, clarus, mobilis, cœlo, quemadmodum scribunt Aristot. & Auicẽna, proportione respondet. Hunc cœli calor ita semper fouet, & roborat, ut ferè sit illi quod ad crassius corpus ipse spiritus est, cui si nocet interdum non alia ratione nocet quàm ex infirmitate suscipientis, cuius signũ radio eodem imbecillum lædi & roborari robustiorem, ut hic etiam illud sit uerum habenti dari, non habenti auferri & id quod habet, nõ igitur à Sole quod illi nocet, quoniam alteri non profuisset, sed à materiæ debilitate quæ sub pondere tantæ bonitatis ægritudine sua fatiscit. Alioquin quæ sunt paria Solis radijs quo plus insolantur, plus uitæ uigoris q; nanciscũtur, propterea nemo putauerit aut calorem edacem aut contrariam uitæ siccitatẽ à Sole profluere, sicut nec à Luna suffocantem aut fluxam nimio plus humilitatem frigiditatemq; torpificam, quando hoc si esset Lunæ lumen adolescens uim insitam rebus genitalem non adiuuaret quo corpora uegetarentur, & cum ipsa pariter adolescerent, nec plena Luna, q̃d Hippocrates scribit in lib. de

octimestri partu, conceptibus utilis foret, fœcunditatem in fœmina ma-
req; fœcundans. nec uerum diceretur ab Aeistot. Lunam esse principium
quasi alterum minorem Solem cõducereq; ad omnes generationes & per-
fectiones. Nam quo pacto hæc uera, si nõ eius lumen sua natura sit almum
uitale, fœcundum, sicut & Solis & siderum aliorum, quibus omnibus hoc
esse, sicut cœlestis quoque proprietas omnibus est communis. Verum (ut
dicebamus) cœlestis hic calor sicuti pro patientis debilitate nimius fit in-
terdum, ita pro elementari natura in quam delabitur ferè euadit calor ele-
mentalis, ut non temere cum cœlestem agnoscas, præterquam in corpu-
sculis spiritalibus, quæ declarauimus inter omnia corpora cœlo esse simi-
lima, his enim infusus & perficit omnem mixtionem, & operibus anima
perficiendis ubique famulatur, cæterum duris, asperis, crassis, aquosis, fœ
culentis, corporibus incidens à cœlesti degenerans proprietate, facit fere
quæ solet calor ipse elementalis, hic si quid cum potentior fuerit urit, exic-
cat, in cinerem redigit Contra si tenuis & exiguus, fluxum facit, humo-
remq; dissoluit, sic cœlesti calori pro materiæ conditionibus euenit, unde
opinio nata Solem siccitatem facere, Lunam augere humilitatem, quia sci-
licet Solis calor ardentior, Lunæ uero tepidior. Sed in idoneis affinibusq;
subiectis, nec exiccabit radius Solis humorem salutarem, nec generabit
Luna inutilem, noxiamúe humiditatem, sed operabitur idem sua natura
sidus utrunque, licet Luna remissius quod intentius Sol efficiet, ex acci-
denti uerò per infectionem peregrinæ materiæ dissimiliter illis euenient
Soli ut exiccet, Lunæ humefaciat, nam radij Solis cum propinquiores no-
bis, ut in Borealibus signis uel rectioribus angulis nos attingunt, ut in
meridie, uel cum in concauis asperis & contumacibus coëunt coartati
repulsiqúe dissiliunt, ignea proprietate quam tali uel uiolentia uel infec-
tione fortiuntur, corpora quibus incidunt siccant, & torrefaciunt, in-
uicem Luna suo illo exiguo tenuiqúe calore, si quod humidum corpus flu
uidumq; tetigerit soluit, quod in illo reperit humiditatis facitqúe fluui-
dius, non afferens ipsa frigidam & aquosam illam humiditatem, sed
quam inuenit in aquoso & frigido corpore suo ipsa calore dissoluit, euo-
catqúe diffundens. Est enim hæc natura caloris, ut si ualidior est, humi-
ditates quas de corporibus euocat, euocatas consumat, si debilior euo-
cat illas, quia est calor idem scilicet medicans, sed quia debilis deficit in
conatu, nec euocatas absumit ulterius, sic ex accidenti Luna quidem hu
mectat immodicè, Sol desiccat, sed & uterque frigiditatem facit ex acci-
denti, nam quemadmodum scribit Aristoteles principia sunt ambo
frigoris & caloris, & terminum tum principij tum finis qualitatum ea-
rum motus horum siderum obtinet. Quod quomodo sit intelligendum
idem author alibi declarat. Nam facit, inquit, Sol per totum annum hye-
mem atq; æstatẽ, idemq; Luna facit per mensem, sed est ista diuersitas quòd

hæc

hæc quidem à Sole per accessum atq; discessum, à Luna non hoc modo, sed alterum fit in crescente luce, alterum decrescente. Sic igitur Sol à nobis procul digrediens frigori nos derelinquit, atque ita frigus facere dicitur, sic & Luna cum lumine ad coitum identidem spoliatum frigefacere dicitur, non quòd afferat frigus, sed quòd à nocturna frigiditate minus quàm alias nos tueatur. Cæterū examinatione dignum quòd Aristot. in eisdem libris de animalium scilicet generatione, tempora decrescentis mensis humidiora dicit esse & frigidiora, cū tamen uulgo confessum sit, senescente Luna siccari humiditates. Hoc ego ita soluerim, Luna decrescēte uiget humiditas non à Luna proueniens, sed ab elementis inferioribus quibus Luna minus resistit, & debilitata calore & sub finitorem maximam partē noctis delitescens, quare humiditas illa quoq; aquea insalutaris excrementitia, unde nouilunio propinquāte uapores multi tollunt, seges pluuiarum, fluuntq; plærunque menstrua plenius, ut Aristot. in historijs & de animalium generatione scribit, adolescente uero Luna crescit humiditas, uel qualis in corporibus præerat facta fluidior, uel uiuifica magis beneficio lunaris caloris accedens. Sic enim putat Aristot. ex lunaribus incrementis echinos & id genus uiuentia fieri pleniora, non aliam ob causam quàm quòd illa frigida cum sint, ut quæ sanguine carent fœta lunæ lumine uberiore sicuti uitalius incalescunt, ita melius concoquant, unde necessario succulentiora & habitiora fiunt. Fluunt igitur & crescente Luna humiditates & decrescente, sed aliæ atque aliæ, crescente bonæ, decrescente malæ. Quo clarissime patet non humefacere Lunam quia frigida & humida sit, nam talis humiditas crescit Luna decrescente, sed quia salubriter & uiuifice calida, quando sub copia luminis eius illa fiunt humidiora corpora & robustiora, nec aliter humidiora quàm ui caloris & altricem uim adiuuantis, & quod illi est proprium euocantis humores ab intimis ad extrema. Quo circa tunc quoque sanguinis missio commodissimè fit, ut magnopere errauerit Haly Hamec astrologus qui deficiente Luna dixit incidendas uenas. Igitur asseueratè concludamus, humorem qui cum Luna pariter augetur, propterea q; illius augetur influxu, saluberrimum esse humorem non elaxantē corpora fluxu, aut frigiditate mortificantem, sed firmiora uiuaciora q; reddentem, attestante, uel illa experientia, fide medicorum omnium comprobata, qui per initia mensis decubuerit, eos iniuriam morbi fortius ferre, & qui conclamati iam animā agunt uix ascendente Luna deseri uita posse. Potest autem & Sol & Luna non solum deserendo nos lumine, sed afficiendo (quanquā id quoque per accidens) frigefacere. Sol quidem dū aut nimia exiccatione mortificat, aut uitalem calorem prouocat foras, aut pluuias generat ex marinis uaporosis halatibus, quos plures omnino suscitat q; dissoluat, aut uentos cōmouens, aut alijs etiā de causis. Luna uero p apertos tenui suo calore, rarefactos q; patētius meatus

corpo-

corporis nocturnum frigus suis quoque radijs tentauerũt, in nos uberius intromittens. Hinc enim ille, unde multi fallluntur, Lunam frigidam existimantes, ille inquam dormientibus sublunaribus radijs torpor atq; frigiditas, cui de terra scilicet atque aqua per noctem aërem occupanti, uiam facit in corpus radius sideris imbecillior, ad hunc ergo modũ & frigefaciunt, & nũc duris corporibus, nunc aquea crassitudine distillantibus incidentes exiccant, humefaciuntq; siderum radij, sua tantum natura saluberiter calefacientes, noxij quoque interdum non suo uitio, sed infirmitate susciptentis.

NON POSSE DEFENDI DOGMATA ASTROLOGORUM, UT PUTAUIT AUENAZRA, SI OMNES STELLÆ PONUNTUR CALIDÆ. CAP. VII.

VErum dicet aliquis forè satis astrologis, si uel hoc pacto siccitatem hæc stella faciat, illa humorem, alia qualitates alias. Nam & Abraam Auenazra magnus in astrologica professione stellas tantum caloris effectrices esse contendit, nec aliter posse de corporibus lucidis & perpetuo motis. Verum stellas aliquas dici frigidas, quia non tantum nobis caloris impartiantur quantum sit satis temperamento nostro. Sic Saturnum frigoris accusari, quia procul à terra positus, & Ioue minor tepidius quàm oportebat inferiorem naturã foueat, propterea q; cum fuerit genituræ dominus nõ ob frigus impressum, sed caloris inopiam mortem significare. Ego uero Auenazram laudo de calore stellarum recte sentientem, sed nimis amauit professionem, cuius dogmata non peruiderit ueritati illi necessario repugnare, nã procedat in Saturno quod dixit ut frigidus habeatur, quia calidus parum ideoq; mortificet, in reliquis ista ratio non procedit, quæ nec procedit undique in Saturno, quandoquidem qui parum calet Planeta, humefacit per accidens, ut declarauimus, non exiccat, ipsi uero Saturnum siccum esse cõtendunt. Præterea nonne statim sequeretur euidenter stellas omnes hærentes præsertim citra primum magnitudinis gradum Saturno esse frigidiores, siquidem & minores illo & remotiores à terra sunt, non aliter aũt frigidæ stellæ quàm quia calidæ parum. Erit igitur cor Leonis frigida stella, quæ tamen astrologis decernitur esse flagrantissima, tum in ipsis Planetis, si penes hoc principium quod recipitur ab Auenazra uoluerimus examinare, quæ plus stella, quæ minus nos calefaciat, nullo pacto consona colligemus dictis astrologorum. Tria enim fere facient intentionẽ caloris, magnitudo lucis, densitas & propinquitas. Non est aũt ad liquidum exploratum quantum magnitudo densitati, quantum densitas magnitudini, quãtum alteri uel utrique præponderet ipsa propinquitas, quare rationari uolentibus in incerto res erit, nec arbitrari poterit sensus, cum præter Solis & Lunæ cæterorum radios non persentiat, & hoc primum obstat astrologis, quorum ars nul-

ars nulla si remanent in ambiguo uires cœlestium radiorum. Coniecturam uero sequi uolentibus apparebit omnino aliud quàm quod ipsi determinarunt, nam molem quidem considerãtibus Martis radij, Saturnijs, Iouijsq; minus calidi putabuntur, quòd si calidiores esse respondeãt, quia de proximo magis & de compactione luce prodeant, dicam nullo modo esse credibile tantum hæc posse. Præterea disci paruitate ut Saturnus ferè quinquagesies maior frigore torpeat, æstuãte Marte, alioquin si tã parum detrahit efficaciæ luminis corporis exiguitas, addit uero tam multũ cum propinquitate copia lucis, fouebimnr magis à Venere quàm ab ulla stellarum, præter Solem & Lunam, quando alma supernæ nectareum ridens late splendet cytherea, unde sola inter omnes facit umbram, nec est stella terræ proximior, quàm iuxta uulgatam terræ opinionem Veneris orbis amplitudine non excedat, & tamen eam damnant frigiditatis plærique astrologorum, sicut omnes à Ioue & Marte superari plurimum calore non dubitant, in quo rursus ad imaginationẽ corporis si se referunt, erit id factum deinde parum ex ratione, ut cum Iupiter non multo plus quàm Saturnus discum Veneris superet, habita scilicet ratione tantæ uastitatis, nec multo item illo terræ proximior, ita tamen definiant, ut longe magis Venere calefaciat Iupiter, longe minus Saturnus, imò foueant quidem corpora Venus & Iupiter, Saturnus ea frigiditate mortificet.

OBIECTIO ADVERSVS EA QVAE DICTA sunt. Cap. VIII.

SEd esto inquiet aliquis nec cognitæ sint astrologis differentiæ radiorum, nec cognosci possint, pertinet hoc ad aliã quæstionem. Nunc illud uidendum an ista possit in radijs esse diuersitas, ut quæq; omnes sua natura calidi sint, & uiuifice calidi, pro copia tamen luminis & inopia, siue tenuitate uel efficacia, alter alteri collatus frigidus & contrarius uitæ dici possit, & hic siccus, alius humidus, siue hoc sua natura, siue contagio elementaris materiæ faciat. Nam si hoc quid prohibeat, quanquam cœlum causa sit uniuersalis, cum tamen pro continuo motu aliter atque aliter se habeat, pro uario siderum habitu, aliter causis ipsis inferioribus cooperari, ut non omnis tam uarietas effectuum ab ipsis inferioribus, sed ab ipsa quoque uaria uniuersalis causæ dispositione contingat, præsertim si non tantũ luminis qualitate uel quantitate, sed alijs suis dotibus peculiaribusqúe proprietatibus stellæ inuicem differunt, quod aduersus nos quarta ratio prætendebat. Tunc enim uidetur fieri posse ut per motum atq; calorem sideribus omnibus quatenus cœlestia sunt, communem, communis quoque illa cœlo debeatur efficiẽtia, sed per influxus qui particulares astrorũ naturas consequunt, particularius aliquid fiat ab eo, perq; uarias itẽ eiusdẽ stellæ, & ad alias stellas, & ad cœ-

ad cœli loca corporaq; terrena figuram, positum & habitudinem uariet non mediocriter opera causarum inferiorum. atque ita stet prima adhuc argumentatio astrologorum effectuum ipsam etiam diuersitatem refe rens ad cœlestia.

SOLVITVR OBIECTIO, ATQVE OSTENDITVR NEque specificas, neque indiuiduales rerum differentias à cœli motu pendere. Cap. IX.

OPortuna obiectio, multa reuocans in memoriam quæ nos illis obijciamus, & ferè ita est mala causa, quò se plus defendit plus prodit. Contra, ueritas sicut ignis, quò plus excutitur plus cla rescit, ita igitur satisfaciemus. Declarabimus primum quæ sit in influxu cœlesti diuersitas, uel pro diuersa natura multiplicium siderum, uel pro uaria sideris eiusdem uolubiliq; mutatione. Dicemusq; de his quid euidentia, uel ratio naturalis necessaria demonstratione præscribat. Nam quid errent circa aduersarij, plus exigit opere quàm ut peragatur in transi cursu, quare sequentib. libris tractabitur, hic cum satis fuerit explicatum quid possit à constellatione differre constellatio, uidebimus quantum ha beat illa diuersitas in uariandis effectis inferioribus authoritatis. Vnde & quod ipsi uolumus confirmabitur, primariã substantialem fereq; totã eo rum distinctionem à secundarijs esse causis, & astrologorum fallacia ma gis detegetur, profitentium de cœlestibus causis prædictionem huiusmo di distinctionis. Diximus cœlum agere in nos motu & luce. Motu credi tur tria facere, mouere, calefacere, & lumen afferre. Tertium hoc postea tra ctandum est, cum de luce tractabitur. Sed & quod aiunt ipsum motu cale facere, difficilis quæstio est, & seorsum in libris philosophiæ discutienda, nam ad rem astrologicam parũ attinet. Sane quomodo moueat superius explicauimus, dum scilicet motus omnes à primo motu dependent, sicut à motu cordis animalis motus. Videamus igitur quantum spectat ad mo tum, an aliæ aliter stellæ moueant, & an eędem alias aliter, tum de luce ui debimus. Differunt motus siderum triplici ratione: Primum quòd alia ue locius mouentur, alia tardius. Secundo quòd hæc pluribus, illa motibus paucioribus. Tertio pro situ regionis in qua mouẽtur, quòd hæc illis sub limiores obtinent sedes, & ampliora spacia peragunt. Aristot. multitudi nem motuum & paucitatem pertinere non putat ad effectarum siue mo tarum rerum diuersitatem, sed pro dignitate mouentium fieri, ut quod no bilior paucis ignobilior non nisi multis motibus assequatur. De uelocita te tarditateq; eorum nihil satis exploratũ. Nam Aurelius Macrob. imita tus antiquiores affirmat pari passu procedere omnes Planetas, cui senten tiæ suffragabitur Auenazra, collocans in eadem sphæra Solem, Venerem & Mercurium epicctiorum sedibus separatos, qui uero faciũt illos inęqua les, inter se digladiantur. Nam Alpetragius qui uidentur uelociores, eos

astruit

astruit esse tardiores, Contra alij restitutionis tẽpus obseruant. Quod omnino fallat necesse est, nisi quis proportionem morarum spaciorũq; pensiculatius examinauerit. Verum utcunq; se res habeat, siquidem motu calefaciunt, uelociore motu magis calefacient. Quod autem ad istam quam dicebamus principalitatem motuum attinet, nullam potest hoc facere uarietatem, quando motus inferiores à cœli motu dependent. Quatenus ille primus & circularis motus ita ut nihil referat segnior aut concitatior. Non moueretur lapis deorsum, aut sursum ignis quiescente cœlo, sed non ocyus an descendit ille aut hic ascendit, quia cœlum rapidius reuoluatur, tantum habet inde ut moueatur, sicut à natura uniuersali uegetãte quemlibet motum. Speciem motus à sua substantia, remissionem & intentionem à mouente, ab impetu, à figura, à similibus alijs cõdictionibus habet. Proinde non aliter nos mouebit Saturnus, quia tardius ipse mouetur q̃ Mars qui rapidior existimatur. Nam quod dicunt astaologi serius dare segniores planetas quę largiuntur, postea confutabitur. Nunc dari nihil aliud ab eis per motum suum defendimus, quàm ut ipsi quoque moueamur, quod certe non aliter fit ab eis, siue tardius ipsi siue uelocius circumagãtur. Porrò de eodem Planeta non est quòd ambigamus, diuersis nos ab illo moueri modis, quia aliter aliâs ipse moueatur, quando firmum philosophorum dogma est esse motus cœlestes sibi similes semper, sibiq; pares, nec suppri mere cursum sidera aut uertere, licet hoc ita uideaẽ nobis, id quod ad ecentricos circulos, uel ad diuersos motus cõtra se nitentes, uel ad alia id genus refertur à mathematicis. Tantũ ista posset esse diuersitas, ut per epicyclio-rum ima delati felicius nos afficerent, utpote propinquiores, quod astrologorum tamen decretis potius dissonat quàm consentiat, ut in sequentibus latius explicabitur. De dignitate graduq; motorum, siue corporum quæ mouentur, quæstio est idem omnes faciant pariter in his rebus quæ fiunt, an alius motor aliud. Sunt enim qui putent totum quod fit à proxima fieri causa, nec aliud agere superiora, quàm ut ipsam proximã causam moueant ad agendum, tot interpositis à natura medijs causis, nõ ut aliud alia faciat, sed ut ordine suo res efficiatur, cũ nec fieri effectus nisi à cognata causa possit, & illa inefficacior pro materiæ uinculis, quibus inferiora strictius obligantur, quàm ut non mota moueat, quæ cum rursus statim à nobilissimis & supremis causis moueri non possit, intercedere tot oportuit medias, quot in ordine causarum dignitatum gradus intercedebant, quare credunt hi à totidem fieri causis, non quòd operis partem aliam sibi alia uendicet cum essentiali inuicem nexu colligantur, sed quoniã ut idem agant, alia necessario de triplici serie mouetur ab alia. Sunt contra qui uelint non idem facere in his quæ fiunt superiorem causam & inferiorẽ, sed pro gradibus perfectionum quas substantia continet operis, illam à causis quoque dependere gradatim inter se ordinis profectione distantibus,

propterea rationem in opere communiorem ad causam pertinere magis communem, hoc est in efficiendo, sicut præstantiorem ita magis uniuersalem, atque ita quæ fiunt habere quòd sunt à Deo, quòd sint substantiæ, à causa quæ deinceps, rursus quòd sunt corpora ab ea quæ consequitur donec ad propriam deueniatur rei speciem & naturam, quæ ad ipsam quoq; propriam & proximam causam referatur, utrumuis autem sentiamus, patet, nedum indiuiduas sed nec specificas rerum differentias à cœlestibus esse, quatenus istam motus efficientiam consideramus.

STELLAS ALIAS A SOLE ET LVNA AVT NIHIL aut certe parum in nos agere. Cap. X.

DIximus de motu, reliquum est de lumine, sed aduertere prius oportet differẽtias quasdam interactionem stellarũ in nos per motum ab ea quæ fit per lumen, illius uirtus à mouente magis anima quàm à moto corpore, huius ab ipso corpore Planetæ, ille sphærarum potius quàm astrorũ, hæc astrorũ creditur potius q̃ sphærarum, in illa dependent à superioribus inferiora. cum nulli sit dubiũ, motu primi orbis subditos Planetas, & cum reliquis Solem circumagi. Delumine contra putatur, consentientibus fere philosophis, non modo Lunã, sed reliquas quoq; stellas à Sole illuminari. Plus item mouẽt nos quæ sunt altiora, quando in illorũ uirtute cætera mouẽtur. Sed luminis in nos, si alia paria sint, de loco propinquiore potentior est influentia. Sed nec liquet, ut declarabimus, agant ne in nos lumina corporum superiorum, an Lunæ tantum & Solis, cætera hucusque cum efficacia non pertingant, ob lucentium corporum uel paruitatem uel distantiam. De motu dubium non est, in quo (ut diximus) superiora potiora sunt. Ex quibus omnibus colligi potest quod à philosophis dicitur, ordine quodam essentiali, seriem quasi q̃ cathenam causarum inuicem necti pendereq; deorsum, ad hanc maxime motus efficientiã pertinere, quando hoc agmen ordoq; causarum & in mouentibus magis animis intelligitur quàm in corporibus, & proprium eius est ut à primis secunda dependeant, & superior causa plus habeat uirium & potestatis quàm quælibet inferiorum, ne dum cesset superior & inferior agat. Non tamen negamus habere calorem Solis ad seminalis calores rationem causæ in essentiali ordine superioris, sed non ultra protenditur iste ordo. Quare nõ est hic illa ducta à primo ad infimum per intermedios gradus conspicatio causarum, de qua loquuntur, sed in mouentiũ, quatenus sunt mouentia, serie, cõpletius inuenitur. Est tamen utrobiq; quaternarium ferè obseruare progressum, in motu primum obtinet locum sphæra illa uel uniuersum quod diurna agitatione reuoluitur, unde cæteris quoq; motus iste communicatur. Sequitur chorus Planetarum suo per polos signiferi currẽs in aduersum, nec in eo sunt plures gradus distinguendi, quoniam inuicem nec mouentur, nec mouent, quare quasi mobile unum

unum sicut à primo mobili rapitur, ita mouet suo quoq; motu (qui diuersitatis dicitur à Platone) Mouet æthera inquam aëremq; supremum. Vnde quarto quoq; gradu motus ad nos & inferiora corpora prouenit dum uegetantur inde rerum naturalium particulares omnes motus. In lumine quod cum dico calorem à lumine profluentem, semper intelligo, fons totius influxus oculus mũdi Sol est, hic illuminat Lunã, Luna afficit aërem, aër omnia corpora quæ sub aëre & in aëre uiuũt. Sed ista diuersitas, quòd à mobili primo mouemur per Planetas, à Sole aliter quàm per Lunam illuminamur, quæ nos omnia ob id potissimum recensemus, ut priusquàm sermo de differentia, si deralium fluxuum habeatur, sciamus non constare, pertingãt ne qualescũq; sint illi superiotes influxus ad nostrã regionem, sed quod de minutiorib. quibusdã stellis creditur ab astrologis credi possit de omnibus, etiã Planetis, præter Solem & Lunam. Cui quoniã opinioni obstare poterat id in primis, q; cœlestia corpora causæ sint essentiales inferiorum rerum, in quo ordine nulla cessare possit, uolui declarare hũc ordinem non ad corpora illuminantia, sed ad mouentes uirtutes potius pertinere, nam frustra condita à Deo sidera, quorum non persentiantur afflatus, astrologi dicere non possunt, ne illa sint frustra, de quibus hoc ipsum ultro confitentur, alioquin forsitan nec candelabrum hoc sublime tot luminibus radians factum ob id primo putant, ut nocturnis nostris oculis lucem afferens, lustret lucifugis habitata cubilia talpis. Sed cur inquies tot sidera, si nobis Sol unus Lunaq; sufficiunt? Hoc cœlesti naturæ conueniebat, hoc rerum ordo, hoc uniuersi totius prefectio postulabat, nec si non omnia nos illuminant, sequitur ut non alius inde nobis & usus & commoditas esse possit. Auerodam sic argumentatur: Aguntin nos Sol & Luna, igitur cætera, cum sint omnia eiusdem naturæ. Placet species argumentationis, & Aristotelem sapit, qui sic quoque argumentatur: Luna non mouetur proprio motu, sed cum sphæra quod eius maculæ declarãt, idem ergo de cæteris iudicandum, cum sit una natura omnium cœlestium. Quare nos ijsdem uestigijs insistentes ita colligemus: Sol calefacit, igitur Luna, quia sunt omnes eadem natura. Et recte nos quidem colligemus, quoniam hoc tantum ratio probat, esse easdem omnium conditiones, quatenus absolutè ad se considerantur, sed cum ad alias comparas, quoniam nõ eodem modo comparantur ratio uacillat, quoniam si eadem quidem sua natura facturus est Sol, quæ Saturnus, nõ sequitur, ut uterq; erga nos idem faciat, quia alter ut propinquus, alter ut remotus nobis comparatur. Sic qui diceret agere in nos tantũ Solem & Lunã, habent quas afferãt rationes suæ suspicionis, licet in omnib. sit cœlestibus eadem natura, nã luminis efficacem in nos actionẽ tres præcipuè faciunt lucentis corporis cõditiones, magnitudo, densitas & propinquitas, hæc in Sole concurrunt omnia prçcellenter, nã & proximus nobis, præsertim si supra Lunã collocat quód ueteres &

post Ptolemæum, Ieber, Theonq; contendut & corpore ita uasto, ut maximam stellarū plus sesquialtera propositione superet, tum densissima luce conspicitur, omniū fulgentissimus. Luna adeo nostris regionibus est finitima, ut nō possit nō afficere quæ etiā contingit, inde lux eius efficax necessario, quæ nō alia ferè quàm solaris. Has nō ita conditiones in alijs reperias, ut quod de Luna Soleq; cōcesseris, nequeas de reliquis non cōcedere. Sed obstabit forsitan in octauæ sphæræ luminibus, etiā maximis, ipsa distātia, obstabit eadem in Saturno Joueq; sideribus, quæ sunt terræ propinquiora, ita etiā illis minora sunt. tradunt enim maximæ hærētes stellæ terræ molem centies septiesq; continere, at Iupiter nonagesies quinquies, Saturnus nonagesies tantum & semel. Quæ non sunt dicta tamen scrupulosissime, & si sequimur experientiā uidemus hærentium illarū, quanquam adeo uastæ magnitudinis, radios nocte non persentiri, etiā si cum illis supra finitorē Saturnus & Iupiter nos irradient, Mars longe magis corpore decrescit quàm situ propinquat, nā proportionem habet ad terram sesquialtera paulo maiorem, ut unus Sol centum ferè martes includat. est enim Sol terra maior centies sexagesies sexies. Proinde cur absurdissima dixerit, qui sensu testante, uires solis in corpora fassus credat fieri posse, ut uires ad hæc Martij sideris non pertingant, tanto illo minoris & remotioris item à terra. Credat idem de stella ueneris remotiore forsitan etiam à nobis quàm sit Sol, certe longe minore quàm sit ipsa etiā terra, cuius nec pars uigesima esse putat. Nā Mercurius Luna minor, sicut à nobis quoq; distantior. Quare quid mirū, quòd hic quoq; tam parū sentiat, quàm raro quoq; conspicit, cui tamen astrologi tribuere plurimum solent. Sed & ita putantibus astipulari uidet Aristoteles, qui quidem cū de motu agit, omniū meminit, ut in lib. de cœlo, & supremi maxime motus, ut in postremo physicæ auscultationis, quoniā scilicet mouentur ab his motibus omnia corpora. Cū uero de calore illo uiuifico fouente rerum generationes perficienteq; loquit, aut tantū Solis, ut cū à Sole & homine generari hominem dixit, aut Solis & Lunæ, ut in libris de animalium generatione, facit mētionem. Vt si quis hanc Aristotelis opinionem fuisse contendat, nullis possit eius philosophiæ dictis refutari. Nos nō tam illud, q; hoc asseueramus, quicquid deorsum peruenit à sideribus alijs, id pertenue, perexiguū esse, ut si forte siderū luminib. nocturnis aër nō nihil mitescat quo fiat generationi accommodatior. quanquā si quis generationem omnē uni Soli referat acceptam, possit ita decernere, ut quod lumine suo per diem Sol operatur, operet & nocte per id lumen ad Lunā, quasi speculum repercussum, unde reflectat ad terrā, natura uices has sapientissime disponente, quoniā ferre iugiter Solis radios imbecillitas terrena nō possit, quare nocte per Lunam illos excipiat fractiores imbecilliores, propterea q; suæ infirmitati magis accommodatos, ut nec planè deserantur luce uegetali, nec sub illius iterum plenitudinem

nem quasi fatifcant. Quo pacto etiam salutarius ad nos primo uere Sol redit postquam tota hyeme procul fuit, quàm si prope nos semper assiduus habitasset, quin adeò premitur bono cœli, si nimium sit, nostra fragilitas, ut nec Luna ipsa se tota, solares semper radios nobis refundat, sed nũc parcius, nunc uberius pro suis ad Solem schematismis, quos ad eam utilitatem diuina cura sic ordinauit, quando nec propria luce ob eã causam proximum nobis sidus impleuit. Si igitur totã naturam circumspicias, nullũ uidebis ab ea indiciũ dari, foueri à se res inferiores alio calore quàm Solis. quod sicut pertinaciter non defendimus, & in consortiũ huius officij stellas, multis hoc philosophis opinãtibus, admittere nõ recusamus, ita coarguimus astrologos putantes in aliqua genitura (si pertinent ad stellas hominum geniturae) principatum interdum deberi Planetis alijs, posthabito Sole uel Luna, siue diurna siue nocturna fuerit genitura. sicut ipsum quoq; Solem opprimi radijs aliorum, & male affici posse putant, ut quasi unus è numero in ordinem planè redigatur. Verum de his postea, nunc tantum admonemus magis ab euidentia sensuum redargui qui plurimum posse stellas alias à Sole credunt in permutandis inferioribus, quàm qui fere nihil eas posse contendunt totam hanc sicut illustrationem ita uegetationem inferioris mundi phœbeæ lampadi tribuentes, unde nobis per noctem lucerna quoque lunaris accenditur.

QVO PACTO STELLAE EADEM ALIAS ALIter in nos agere possint. Cap. XI.

VErum demus astrologis, & nobis quoq; nõ id magnopere pernegãtibus, defluere à stellis omnibus aliquid in nos, restat examinandum, quod illorum obiectio postulabat, an idem eadem semper, an idem quoq; diuersæ largiantur, ut si non idem, uideamus an ex illa diuersitate uarientur quoq; inferiores effectus. Proprias esse uires unicuiq; stellæ, præter motũ & lumen in quarta ratione, probãt ex cœli nobilitate uiribusq; corporum quorũdam quæ à cœlo esse putantur, has itaq; ibi dissoluemus. Hi tantum pro ratione ipsam stellarum asserunt diuersitatẽ, ut cum stella differat à stella, sintq; omnibus lux motusq; communes, habeant necessario præter hæc propria quædam quibus inuicem differant. Sed Paulus dixit stella differt à stella claritate, quid igitur si quemadmodum cum sit omnibus circularis motus cõmunis, ita differũt motu, ut hæc uelocius, illa tardius moueant. Quanquã nec hoc ipsum concedat ab omnib. pariter sit de luce, ut scilicet luce conueniãt, lucis cõditionib. differant, dum cõpactior, copiosior, cõtra rarior uel tenuior lux unius sideris sit quàm alterius, erit enim qui credat plus à sphęra etiã sua, stellam, quàm à stella stellam esse diuersam, nec aliter tamen illa differũt, quàm raritate densitateq;. Quod si recipiatur, consequenter putabitur, nõ aliter corum actionẽ in nos uariari, quam ut quæ densiora, maiora, propinquiora,

plus ea lucis, plus caloris effundant, minus quæ rariora, minora, remotiora, denique idem esse spiramen ab omnibus calidæ lucis lucidiq; caloris, unde salus, uita, fomentūq; corporibus tantumq; differre, quòd ab alijs tenuius, ab alijs exuberantius, ab his cominus, & ab illis eminus inspirat. Cęterum de eadem stella quid decernemus pro sui motus perpetua uolubilitate. Porro sententia peripateticorū est, stellas nō mutare qualitatem, sed locū, præter Lunā, quæ lumine fulgens mutuatitio pro suis ad solem conuersionib. plus minus identidem illuminat. Quare pro uersura quā fecerit à Sole, lumen nobis uberius partiusq; refundet, & cū lumine suo calorē, sic destituit ferè nos in nouilunio parte qua nos respicit destituta lucibus, fouet amplius & calefacit in plenilunio, sicut adolescens magis, minus decrescens. Quæ uarietas in siderib. esse non potest luce stabili propriaq; fulgentibus propterea mutationū fere omniū, quæ frequentius accidunt corporibus, si qua cœlitus causa, solet esse de Luna, quia mutabilis ipsa, non modo situ, sed qualitate proxime nos cōtingit. Alijs Planetis sola per motum locorum mutatio fit, unde uarietas influendi nō alia, quàm ut intentius remissiusq; nos afficiant, quatenus huc illuc migrantes fiunt nobis propinquiores, & remotiores. Duplex aūt illis motus, uniuersalis & proprius, uehit ad nos illas quotidie motus uniuersalis supra terram extollens, eripitq; quotidie, ducens sub occasum. unde primū diuersitas agendi, quòd de fastigio fortissimos radios eiaculant, quia rectiores cadūt ad perpendiculū, quare quāto magis culmini proximāt, tanto potentius nos afficiūt, quanto magis inde descendūt, imbecillius. sub terram mersi, possint in nos aliquid nec ne, discutiendum. Nā cum prope finitorē nondum plane nobis eripiant, possunt aliquid certe, licet perexiguū, radijs adhuc ad nos ex obliquo peruenientibus. Cæterum cū terræ latebris penitus latēt, & à nobis longius auferunt, si nihil posse credidero, sensus suffragabitur, ratione nō repugnante, siquidem credi qui potest aliter? Si uerū, quod hactenus defendebamus, nihil ad nos à cœlo nisi luce uehente peruenire. Quod Auicēna quoq; dixit in libris metheorologicis, lumen uocās uehiculum uirtutū omniū cœlestiū, & Albertus in libro de somno uigiliaq; confirmauit. Quocirca sicut lumen ad nos tunc nō pertingit, ita nec ulla uirtus utiq; pertinget. Solum solem adesse nobis & nocte dicemus, eā ob causam, quòd sororem uicariā faciens, per impressum illi splendorem, nobis affulget. Nisi fortasse illud quoq; dici possit, cum sit aër iste superior inferiori continuus, de Solis ibi præsentia non nihil istum quoq; aërem sic foueri ut futurus frigidior sit, si nullus omnino Sol, nullā aëris partē illuminet. Sed hoc ipsum, si quicquam est, quàm sit ferè nihil, oculi tactusq; renunciabunt. Astrologi, si quas sibi somniauere uirtutes quibus tota terræ moles nihil obstat, saltem nec in somno sic delirent, ut non concedant, has uirtutes imprimi nobis purius & efficacius cum per aërem tantum ambientē in nos effundun-

tur,

tur, quàm cum brutæ terræ densissima crassitudo tota illis est perforanda. Quod quando non cõcedunt, quis eos defenderet ab insania? putant enim siderum uires duodecimo loco qui supra finitorem proximus orienti sese tollens, una tantũ mansione distat à summo, torpidas, & cessatrices, & imbecillas, easdem in imo terræ uigoris & efficaciæ plurimũ habere. Sed eorum errores ostendemus postea, nunc tantũ quid decerni debeat ex ratione tractamus. Diximus de motu uniuersali. Motu proprio Planetæ nunc ad austrum feruntur, nunc ad aquilonem, quod & facere stellæ credũtur hærentes, iuniorum sententia, facit idem Sol non quòd ab occupata semel orbita deflectat, sed quòd illa obliqua, nũc proximũ eum nobis, nũc remotiorem reddit, proximũ in aquilone, remotũ in meridie. Vnde alia nascit uarietas influendi, siquidem maior efficacia radijs inclinãtibus ad nos, minor secedentibus uersus austrũ. Præter hæc aut similia his, quæcũq; cogitat in actione stellarũ diuersitas, uana prorsus & irrationabilis, qualis apud astrologos, quòd eãdem stellam pro locis duodecim, pro signis quæ prætercurrit, pro stellis uel hærentib. uel errantibus, quib. certa ratione copulatur interuallis, quos aspectus uocant, affici aliter atq; aliter putant, & diuersissimas ad influendum uires adipisci, contra quem errorem totus sexto liber sextus accinget, hic tantum perinitia capitis huius authoritatẽ illis peripatheticorum obijciemus, negantiũ in stellis mutationẽ aliã quàm situs, præterquàm in Luna, nã si mutationẽ duntaxat corruptricẽ & nocentem excludunt, nõ oportuit Lunã excludi, quãdo nec ipsa sic mutatur à Sole, quanquã nec à noxijs, ut uidebimus, astrologi mutationib. sidera liberãt, labefactantibus & si nõ substantiã, uires tamen eorũ & facultates, sed hæc postea. Illud ambigat quis de Luna recipiat ne Planetarũ aliorum radios, sicut Solis, apparet enim probabile, propterea quòd sua natura susceptacu lum potius incidentis lucis, quàm lucida, sed & omnium infima uideat ad hoc munus potissimum esse parata. Verum nec maiorum authoritas, nec ipse sensus accedit, siquidem, coëunte Luna cũ Sole, si tũc Iouis aut Martis radijs opponatur, unde reddere nobis illorũ lumen plenius debet, nihil tamen habere radiorũ & lucis agnoscitur. Tetigimus hãc quæstionẽ, quoniã si de cæteris quoq; lumen hauriret, fierẽt erga nos Planetæ efficaciores, hac etiam ratione quòd Lunæ copularentur, transmissa per eã ad nos uirtute, quæ per se minus forsitan huc attingeret. Verũ si fieret hoc, fieret aliter omnino quàm astrologi putãt, putãt enim eius maximè sideris ad nos radios Lunã trajicere cũ quo simul inuenit. Ego uero quanto longius à sidere Luna digreditur, tanto plus luminis sideris eius communicari nobis per eam non dubito, tanto minus quanto minus distãt, minimũ aut certe nihil cum nihil distant. moueor euidenti experientia, quòd iuncta Soli, nec Solis radios ad nos transmittit, mole corporis eius maxime negocium facescente, quanto minus igitur radios aliorum, & solaribus longe tenuiores, &

remotiores à Luna. Vide quantum fallantur qui fortunatam diem & genitura̅m credunt qua Luna cum beneficis ſtellis cõgrediatur, infortunatam qua cum malis, cum non aliud ſit illis congredi Lunã, quàm illorum influxus per denſitudinem Lunæ nobis intercipi. Forſitan aũt & illud habet ratione̅m, ut in permutãdis inferioribus habeat non nihil prærogatiuæ Planeta matutinus, propterea q̃ exoriens ante Solem, ſibi uẽdicet aërem prius quàm à Sole totus occupeẽ. Sed hoc ſi quid eſt, haud magnum habere momentũ poteſt. Reſtat examinãdum, an ex mixtura radiorum noua uis coaleſcat effectrix operis noui, quod ſinguli ſeorſum radij̃ non efficerent. Plotinus negat hãc radijs accidere poſſe tempetaturam, ut eorum coalitu noua uirtus ſiue forma noua diſſultet, puto quoniam radij̃ nõ corpora ſicut liquores, nec affixæ corporibus qualitates, quarũ more nec in corporibus ſuſcipiuntur, ut ſcilicet uel inficiant inde uel ex habitu ſuo quoquomodo permutentur. Quo circa ueriſimile fit iſti philoſopho, nõ uſu uenire radijs quod plurimis qualitatibus, ut ex aliqua cõcretione ſiue mixtura in aliam formam ex omnibus coaleſcentẽ aliquãdo commutentur, pr̃ſertim cùm hoc non ſine interitu confluentium ad idem ſimpliciũ particulariũq̃ qualitatum, ſoleat euenire, quem in radijs nõ facile quis cogitabit. Quod ſi dicemus aſtrologis radios commiſceri uel calores à radijs profluentes, illud aſſeueramus radios omnes miſceri ſemper, non autem quaſi eſſe aſymbolos, qui alijs per eos quos nunc uocant aſpectus minime fœderẽtur. Quare mixtura præſentis horæ, momenti, anni, menſis, diei non uariat ab alterius temporis radioſa mixtione, præterquàm his de cauſis quibus uariari ſiderum actiones expoſuimus, ut ſit aliud ſcilicet noctis aliud diei tẽperamentum, aliud recedentibus aſtris ad meridiem, aliud inclinantibus ad aquilonem, unde ſola caloris exoritur intentio atque remiſsio.

QVAE EFFECTVVM VARIETAS IN COELVM redigi poſsit & quæ non. Cap. XII.

COgitemus omnium radiorum mixtionem in aëre, in ea eſt aliquid quaſi dixeris ſubſtantiale, aliq̃d quaſi accidentale, ſubſtantiale eſt eſſe unum lumen ſiue unum calorem ex omnib. cœlicolis minibus uel congregatũ uel reſultantem, & hoc quidem perpetuum & immutabile eſt. Sed quòd hic quidẽ radius in eo nũc fit intentior, alius ſit remiſsior accidentale eſt, mutaturq̃ ſubinde, pro cœleſtium corporum iugi mutatione. Ratio diſtinctionis iſtius noſtræ facile patet. etenim in cœlo, quod ſcimus huius caloris eſſe principium, aliquod ſubſtantiale dici poteſt, ſicut ſubſtantialia dicimus eſſe quæ ſubſtantiam rei conſequuntur inſeparabiliter, talia ſunt immarceſsibile corpus, & primum omnium corporum circularis figura, motus in orbem, & cum ſuo calore lumen omnia uegetans, & ſiquidem proprias habent ſidera poteſtates, ſunt illæ etiam uires ſiderum ſubſtantiales. Eſt aliquid rurſus in cœlo &

lo & stellis sicut uariabile, ita accidentale, ut in omnibus astris sola mutatio situ, atq; in Luna uicissitudo lucis. Quòd igitur in mixtura est radiorũ substantialia cœli consequẽs, dicimus substantiale, quod accidentalia, accidentale, ut complecti quidem Saturniam potestatem & Iouiam & Solarem cæterasq; similiter, substantialiter sit in ea, sed has habere intentiores uel remissiores illas, pro radiorũ uarietate, accidentaliter dicit. Adiutus igitur Sol ista uirtute superiori, quæ non est uirtus utiq; mutabilis, alioquin semper non adesset agentibus omnia causis, ut adesse conspicitur, adiutus inquã ab ea, generat hominem, quatenus homo est, & hunc hominẽ, quatenus hoc semine & ex hac materia generat, quare ad hãc effectus substantialem conditionem siue naturam siue caracterem indiuiduum spectes, indifferens quælibet constellatio est, quòd uero ex constellationis diuersitate, hoc est uario siderum statu habitudineq; ad terram plus minusúe caloris in aërem effunditur, & pro alia radiorũ mixtura noua calidæ lucis proportio mensuraq; diffultat, hoc est quòd accidentale in cœlestib. accidentalem quoque in effectis rebus facit diuersitatem. Vt si quis dicat in plenilunio fieri meliorem conceptum, & crescente Luna plus augescere fœtum, & sub temperato cœli statu melius affici semiplena, propterea q; meliorem quoque sobolem procreari hoc genus. Illa diuersitas quæ de cœlestiũ uaria positione in substantijs generandis esse potest, quam accidentalem dicimus & aduentitiam, quoniam ut declarauimus, ipsa propria substãtialiq; nota concepti fœtus de suo principio proximo substãtialiq; materia sua dependet, tum ad accidentales quoq; proprietates plus accidentia seminis & materiæ faciunt, utpote cognatiora, proximiora intimioraq;, q̃p extrinseca dispositio aëris ambientis, id quod experientia quotidie manifestat, ita ut si quis pro parentum seminibus filius non effingat, & inde ducat suam similitudinem, monstris enumerandum dicat Arist. Proinde nihil nobis obstiterit, uniuersales tantũ causas sidera facientibus, & effectus distinctionem quærentibus, à causa secundaria, quod uaria siderũ dispositio pro mutationibus aëris, corporum uel genitorum iam uel generandorum uariare dispositionem aliquo modo possit, quando, ut diximus, hæc accedens extrinsecus & generalis ualde mutatio est. Ea uero quæ pertinent ad substantiam quòd qualitates intimas magis & propius à propri̇s indubie trahit originem, propterea q; de cœlo prouideri nullo modo potest. Et hoc quidem uerum in corporis rebus quæ perfecta substãtia sunt, quib. omnibus adsunt efficientes proximæ causæ, uel quod illis proportione respõdet ut in his q̃ generant ex putrefactione & mixtis inanimatis, de quib. in quartæ rationis solutione dicemus. Sed enim aëris mutationes ad calorẽ & frigus, humorẽq; & siccitatẽ nulla media causa facere cœlũ potest, quas ideo tamen uniuersaliter facit, quoniã ex se tantũ salubriter calefacies facit cætera ex accidẽti, p cõditione materiæ, sicut uno eodẽq; calore durescit

reſcit limus & cęra liqueſcit, & ſub eodem Sole lintea dum lauant albeſcũt, & lauantis interim facies denigrat. Cæterũ quoniam hæc accidentalis mutatio eſt, plurimũ in ea poteſt id quod in cœleſti cõſtellatione accidentale uocauimus, hoc eſt ſiderũ poſitus & habitudo, unde uis radiorũ intenditur atq; remittitur, propterea plus minus in aërem calor inualeſcit, ſcilicet ob hoc ipſum pro uario Solis flexu uariant quatuor anni tempora & oriẽs atq; occidens, aſcendens atq; deſcendens eaſdẽ fere facit in die quatuor mutationes. Sunt aũt inter has primas corporũ qualitates, & inanimata mixta, mediũ quaſi locũ ſortitæ metheorologicæ impreſsiones, quarũ etiã efficiens cauſa cœlum, inferiora materia ſunt, unde plus earũ diuerſitas quàm corporũ perfectorũ cœleſti diſpoſitione dependet. Sicut uere & autũmno ferè fiunt tonitrua, æſtate grandines, hyeme niues & pluuiæ, minus autem quàm abſolutè ipſę quatuor qualitates, quandoquidem has facit radius in materiam lapſus ſua uirtute, illę mouẽtur quidem radio, ſed de materia inferiore concreſcunt. Quapropter pro illius plurimũ conditione uariãtur, ut in tractatu tertiæ rationis latius explicabimus. At perfectæ ſubſtantiæ, quæ non ſolum materiã, ſed & propriã habent efficientem cauſam, quicquid (ut ſæpe idem repetat) ſubſtantiale propriũq; ſortiunt, à proprijs habent cauſis, cœlo, per immobilem ſuũ influxum, ut uniuerſali cauſa cooperante, permutabilem uero nõ nihil extrinſecã aliquam generalemq; ualde mutationem faciente, de qua tamẽ aſtrologi dicere nihil etiã poſſunt, quippe quæ nec à cauſis cœleſtibus quas finxerunt, nec ab hora natali, ſed ab alijs principijs pendeat, ut poſtea declarabimus, nam nũc quidem id tantum inueſtigamus quid efficiat cœlum, quid non efficiat. Hæc igitur intelligens quæ differuimus Aurelius Auguſt. non uſquequaq; dixit, abſurde putari poſſe, ad ſolas corporũ differentias afflatus quoſdã ualere ſidereos. Non aſſeruit ita eſſe, non accuſauit aliter ſentientes, ſed eleuauit culpam ſic opinantium, eã non tam abſurdam opinionẽ, quàm nõ uſquequaque abſurdam eſſe pronuncians id, quod tamen de quibus etiã corporũ differentijs eſſet intelligẽdũ explicaturus adiunxit: ſicut in ſolaribus acceſsibus & deceſsibus uidemus ipſius anni tempora uariari, & lunaribus incrementis atq; decrementis augeri & minui quædam genera rerum, ſicut echinnos & conchas, & mirabiles æſtus oceani. Hæc illius uerba, in quibus nihil uides annumeratũ, quod ad perfectæ alicuius ſubſtãtiæ faciat generationẽ, quarũ diuerſitates quanquã maxime corporales ad ſtellas referri non debere, ſed proximas cauſas, ſtatim admoniturus adiecit: quid tamen ad corpus quàm corporis ſexus? & tamen ſub eadem poſitione ſiderum, diuerſi ſexus gemini concipi potuerunt. Hæc ibi pauloante ſupra confirmãs eandem ſententiam, probauerat Hippocratem ex propriſs & ſecundarijs cauſis rationem reddentem, quòd duo fratres ſimul ęgrotarent, ſimulq; conualeſcerent. Poſsidonium uero non probauerat, ad conſtellationis paritã tem

tatem id referentem, acceptabilior, inquit, multo coniectura medicinalis, quoniam parentes ut erant corpore affecti dum cõcumberent, ita primordia conceptorum affici potuerunt, ut consecutis ex materno corpore priorib⁹ incrementis, paris ualitudinis nascerentur, deinde in una domo, eisdem alimentis nutriri, ubi aërem, & loci positionem, & uini, aquarũ, plurimum ualere ad corpus uel bene uel malè accipiendum, medicina testatur, eisdem etiam exercitationibus assuefacti, tam similia corpora gererent, ut etiam ad ægrotandum uno tempore eisdem causis similiter mouerẽt, ad constitutionem uero id cœli siderumúe referre, quando concepti siue nati sunt, nescio cuius sit insolentiæ. Hæc noster August. cuius ipsa uerba prætexim⁹, quòd multi id tantum ex eo intelligentes usurpatũ sæpius à nostris, non absurde corporum differentias ad afflatus sidereos pertinere, putant opinatum Augustinũ omnem effectuum corporalium diuersitatem esse à cœlo, proindeq; de illis, Augustino cõsentiente, astrologos posse uaticinari, parũ memores nihil tam dici merito posse corporale, quàm corporis ipsius temperamentum, cuius tamen causas in cœlo quærentes, insolentiæ titulo taxantur ab Augustino.

SOLEM MVLTA OPERARI QVAE AB ALIIS stellis fieri astrologi putant. Cap. XIII.

PRimam astrologorum argumentationem retorquentes in eos, declarauimus lõga digressione, sed necessaria, quid in nos ageret cœlum, & cœlestium actio quomodo uariaretur, siue stellas ipsas siue materiã suscipientem consideremus. Vnde palam factum est, esse cœlũ causam uniuersalem, nec effectuũ distinctionem præsertim principalem substantialemq; inde esse petendam. Nunc ordine conuenienti, quasi gradu facto per ea quæ disputauimus, secundæ rationi soluendæ manus admoliemur, quoniã scilicet deprehendit uariari dispositiones inferiorũ corporũ ad Solis & Lunæ uarias ad nos habitudines, idem alijs de rebus & planetis cõtendebant esse credendũ. Nam uices, inquiũt, quatuor temporũ per solares anfractus & omniũ corporum status cum ex illa uicissitudine, tum pro lunaribus incrementis decrementisq;, uariat. Quid igitur? duo scilicet sunt quæ colligi putãt ex his, Primum, ut sicut echinos, conchas, oceanũ, corporũ humiditates, ad curricula Lunæ uidemus immutari, generaliterq; terrenã molem pro Solis annua reuolutione pariter & diurna, ita de cæteris quoq; rebus assentiamur eas stellis euinctas ab illis gubernari. Alterũ, ut manifesta Solis & Lunæ potestas in permutãda sublunari materia, cogat idem nos credere de radijs aliorũ siderũ, hoc est, illis q̃q; quanq; occultiorẽ, uim tamen inesse magnã in permutãdis rebus & multipliciter afficiẽdis. Nos neutrũ colligi, palã faciemus, quãdo hæc ipsa quæ pro se afferũt, fauere potius aliter suspicãtibus, q; priusq; fiat obseruationũ illarũ omniũ ex principijs iam cõstitutis rationẽ reddemus, ut pateat sicut

argu-

argumentis, ita nec experimentis nos adduci de siderum efficientia cœlestiumq; uirtutum mutatione sentire aliud quàm quòd hactenus ipsa naturali ratione duce præscripsimus. Nec interim cessabo multas astrologorum fallacias, multa obiter eorum errata suggillare. Exordiamur igitur ab operibus Solis. Variat anni tempora Solis accessus atq; recessus. hoc nos etiam iureiurando si oporteat asseuerabimus. At hoc ipsum zodiaci facit obliquitas, non natura signorū, hoc est, non ideo flagrat in leone Sol, quia signum leonis, aut solis domus, aut calidum signum, ut fabulantur astrologi, sed quòd in eo Sol constitutus & proximius ad aërem nostrum, & per sexquimensem proximior ante calefecerat. alioquin & in cācro feruentissimus est, cum non sit tamen, etiam apud eos, Solis domus aut exaltatio cancer, nec sit igneum signum, sed aquaticum. Sic in ariete ferè mundum instaurat, floribus euocatis, auctisq; seminibus, quia tūc primum rediens ad nos fœcundum commodumq; teporem corporibus inspirat. Astrologorum uero fabulamentum est, Solis exaltationem arietem esse, quasi non ad alios populos idem in libra faciat arieti aduersa, quod apud nos facit in ariete. Dum scilicet hinc recedens accedit ad illos. Totius igitur uarietatis quæ cū tempore euenit, sola causa est, Solis ad terras quas habitamus maior minorúe distantia, unde plus minus ab eo caloris participamus. Hinc quoq; uere tonitrua fiunt, quia cum peruenerit Sol ad arietem dissoluitur aëris calore hyemalis humiditas, unde multa ad aërem sursum tollit̄ euaporatio seges scilicet nubium, unde tonitrua fulminaq; proueniunt. quod si astrologi quoque intelligunt, quę ista demum uel somnolentia uel fallendi cupiditas? ut quasi natura illius signi, hoc est arietis, operaretur, arietem esse definiant signum suscitans pluuias atque tonitrua, quare Lunā quoq; in Ariete tonitrua facere, non dicerent ullo pacto, si possent aut uellent animaduertere id non pro signi eius uirtute, sed Solis ad signum id perueniendi actione cōtingere. Pari fallacia scriptū à Ptol. in libris apotelesmaton, Lunam in ariete si facit morbum, præcipuè facere uitiliginem, quā ἀλφὸς Græci dicunt, uulgo morphęam, in cancro mentagram, quā lichenas Gręci, uulgo impetigines, in libra lepram, in capricorno lentigines. Tractum enim hoc ab aëris statu, quādo per illa signa Sol defetur, hoc est à ueris qualitate, quo tempore Sol est in ariete. Aestatis cum est in Cancro, autumni cum libram, hyemis cum percurrit signum capricorni, siquidem conditionibus horum temporum illa morborum genera quadrant. Veri uitiligo quæ facile tunc inuadat occupetq; supremam cutē ob humores ea potissimū anni parte redundantes. Aestati mentagram, quæ de sicciore materia acutioreq; prouenit. Autumno lepra, si quidem atrę bilis infectio existimatur, Lentigines hyemi, quæ de frigidioribus superantijs humidioribusq; generātur. Extrema igitur tarditas, quod à Sole fit, aërem magis uel minus calefaciente, pro uarietate sui situs, adscribere signis, sub quibus per ea tem-

ea tempora Sol defertur. Aut si hoc intelligũt, quasi tamen non intelligerent, putare alios quoq; Planetas in hisdem signis eadem operari. Concludamus statam in temporibus anni diuersitatem, non aliunde quàm à Solis occasu recessuq; fieri pro obliquitate signiferi. Quòd si nec æstates æque feruent omnes, nec hyemes rigent, pro materiæ potest dispositione cõtingere, quæ momentum habet in aëre maximum, testimonio sensus & Ptolemæi, nec eam ad cœlum referre necesse est, præterquam uelut ad uniuersalem causam omnis rei corporeæ, ut ex metheorologicis Aristotelis libris intelligere licet. Sic quòd in eadem æstate sit alijs dieb. calor intentior, alijs hebetior, nec hoc ipsa tamen exigat positura Solis. mutatio facit inferior, uel excitatus, scilicet uentus alicubi, uel inundatio pluuiæ, uel hoc genere quodpiam aliud quod à nobis procul ita fieri potest, ut causam ipsi non uideamus, cuius uim cum effectu ad nostrũ usq; cœlum redundantem nihilominus experiamur. Quod si Planetæ sunt alijs alij calidiores, & quicunq; minus calent, possunt ex accidenti, dissolutis humoribus nec consumptis, pluuias generare nebulisq; prætexere cœlum, unde deficit calor, intenditur frigus. Contra qui feruentiores, ad siccitatem caloremq; conducere, non abest à principijs nostris, ut ad aëris mutationem uarij sideris dominatus aliquid faciat, modo nõ alium hic dominatum intelligamus, quàm ut nobis proximior, aut radijs rectiorib. nos illuminat. Verũ quoniam si quid peruenit ad nos à stellis superioribus, id omnino pertenue esse suspicamur, præsertim quod ad sensibiles istas pertinet qualitates. Tum causę tempestatum, si quærantur in cœlo, plerunque non inueniuntur, siue de stellis ex astrologorum sententia siue philosophorũ, ut definiuimus, sentiamus. Videtur hoc totum quod actionibus luminarium detrahit & adiungit, ad materiã potius esse referendũ, ipsa uero luminaria alterũ solo situ, alterũ etiam permutata luce, permutat, neutrũ pro signorum natura quæ percurrunt, pro locis quib. insident, pro Planetis quib. configurant, ut per consequentia manifestabitur. Quare quod mare Persicũ Sole uirginem ingrediente fluctibus agitetur & æstuet, præcipue uero cum peruenit ad sagittarium, rursus placidum sit & nauigabile, Sole ad pisces delato, & præsertim ad geminos, contra Indicum sub uirgine & sagittario tranquillum, sub piscibus & geminis nauigabile sit, non de qualitate signorũ, sed de situ Solis cõditioneq; materiæ prouenit, quod astrologi quoq; confitentur. Proinde utilis fuerit nec superstitiosa nauticis obseruatio horum temporum habita maris ratione quod nauigant, à quibus etiam obseruati dies, quibus abstinendum nauigatione prædicant. Si quam habẽt à cœlo causam, aliunde habere quàm à Sole non possunt, quoniam stata de illis & perpetua obseruatio est, quare ad Solem tantum referri potest, cuius ijsdem temporibus eadem ferè omnino semper est habitudo, ad alias constellationes nullo modo, quæ nunquam eadem ijsdem temporibus inue-

niuntur, uerbi gratia, ſuſpecti dies nauticis ſemper Martij primus 7.15.17.19.& 25. Aprilis ſex. quintus 6.12.20. Februarij, ſextus. 12.15.17.19.20. hac illi inuariabili obſeruatione ſemper utuntur, aiuntq; per hos dies magnas maris plerunq; fieri mutationes uel ad tranquillitatem uel ad tempeſtatem, quare dubij cum ſint euentus, ſecurius agent qui abſtinent, ne forte in malum mutatio eueniat. Hoc igitur ad ſiderum poſituras, quas aſtrologi notant obſeruariq; præcipiunt, rediqi non poteſt, cum per eaſdem anni partes illæ ſimiles non redeant, ſed diſſimilimæ. Quia illos ipſos dies gubernatoribus ſemper ſuſpectos, interdum innocuos nauigationi feliciſſimosq́ue pronunciabit aſtrologus, & quos illi non multum cauent periculoſiſsimos, ut eam horam uario ſtatu Solis, atque Planetarum mixta ſe illi agmina repræſentabunt. Quapropter nauta huiuſmodi regulas, uti ſuis principijs inimiciſsimas, non probabit, quæ cum diutina experientia & ſublimis artis uſu quotidie comprobentur aſtrologorum uanitatis fidem locupletiſsimam faciunt. Poſſunt autem duplicem habere cauſam, alteram à Sole, alteram ab aqua, ut ſicuti noſtri corporis humores ſuas habent periodos, quibus mouentur, ita habeat ſuos oceanus, à Sole quoniam ſecundũ ſui ad nos acceſſus receſſusq́ue momenta & maris & corporũ omnium immutare diſpoſitionem euidenti fide cognoſcitur. Illud autem admonendum eſſe lectorem oportet, hanc temporum uarietatem ab his qui rem ruſticam & nauticam ſcribunt, per occaſum & ortum ſtellarum fixarum denotari, ut arcturi, uergiliarum, Hyadum, cæterarũq; ſimiliter: non quòd ipſæ ſint quarum influxus cauentur uel expetunt, alioquin nec aſtrologi hoc dicerent, qui per ſe illas, præſertim niſi cardines teneant, eſſe uolũt ineffícaces, ſed ut magiſtris illarum artium illuſtratis indoctisq; uiſibile ſignum ſit, quo tempus illud dinoſcatur, quod neq; perpetuum ſimul & conſpicuum inuenire melius quàm in emerſu occaſuq; ſtellarũ uideretur. Poſtea neq; quod apud rude uulgus plus authoritatis & obſeruãtiæ conciliaret. Quod ſcribitur à medicis, ægritudines hyemales æſtate ſolui, æſtiuales hyeme interdum, & quæ hyeme inuadunt uere, quæq́ue uere, decedere ſub autumnũ, & quæ deniq; quocunq; anni tempore fiunt, diuerſo terminari, quoniam ſcilicet horum temporum qualitas diuerſa pro Solis ad terras uicinitate atque diſtantia. Quod autem de Luna dicunt, ſub criticis diebus, id uanum & irrationale, ſed hoc poſtea cum de Luna dicemus. Ab eiſdem Solis progreſsionibus eſt affectio uaria rerum, cum expertium uitæ, tum uiuentium omnium, ſub inclinationibus cœli diuerſis, quod non omnes eadem terræ ferant, & populorum mores habitudoq; corporum uaria ſit in regionibus uarijs. Nec præter Solem alias opinari conſtellationes, alia ſigna, aliosq́ue Planetas quibus illa loca ſubiaceant nos oportet. Fertur Sol ſemper inter cancrum & capricornum: quare quicunque inter circulum æquidialem & æſtiuale ſolſtitium habitant, calidiſsimam neceſſario habitant

habitant regionem, qui uero sub aquilone positi sunt, cū à Sole plurimum absint, frigidissimam, mediį inter hos temperatam. Et quoniã dextra cœli pars, oriens est efficacior, ibi uirtus Solis quàm in occidentali. Hinc reddi ratio omnium potest, quantū pertinet ad cœlestem causam, quæ de rerū proprietate feruntur. Nam gemmæ, aromata, quæq; talia hoc genus, plus cœlestis caloris desiderant, ad orientem austrumq; producūtur, pariterq; leones & tigrides, elephantes įjsdem terris feruntur, & quæ alia calorem exigunt animalia potentē ut generentur, ut uiuant, & in suo uigore permaneant. Solus homo ubiq; terrarum nascitur & seruatur, ob amplam naturæ suæ sub multiformi habitu latitudinem, sub qua homo ut differret ab homine uispecificæ differentiæ uanã dederit, tamen aliquibus etiam philosophis, suspitionem. Qui igitur meridianam incolunt partem quãto calidiorem aërem spirant, tanto sunt intus frigidiores, quare timidi sunt, effœminati, & quod antiqua hodiernaq; experientia probatur, nati ad seruiendū. Fiunt aūt hæc, quia calor immodicus ita corpora elaxat, ut caloris intestini maximã partem euocet atq; absumat, unde ad summa corporis eductus, penetraliaq; deserens in cute nigredinem, in corde relinquit timiditatē. Contra, qui sub frigido cœlo degunt, Boream uersus, animosi, fortes & candidi sunt, ratione contraria. Vtraq; uero gēs siue quæ plurimum est sub Sole, siue quæ longius dimouet ab eo, parū humani habet, & parū sociabilis est, ob caloris & frigoris exuberantiã, per quam à mediocri recedit temperamento, in quo nostra natura potissimum sita est. Sed & utraq; gens immanis & aggrestis, cum ob eam quam diximus communem causam, tum altera quidem quia ferox, altera quia meticulosa. Non igit, quod astrologi Græci fabulantur, quia extremis climatib. nox įj Planetæ Saturnus Marsq; dominantur, ideo populi illi immaniores, nec quia meridianis Saturnus, ideo timidi & uitæ breuis, quia uero Mars aquilonaribus, ideo bellicosiores. Figmentum hoc, in quo nec cæteri concordant astrologi, qui non præficiunt Martem aquilonaribus, sed Lunam. Nos nec Marte utentes neque Luna, propriam ex Sole reddidimus rationē conditionum utriusque gentis, quã præter aliam somniare sibi nugalis potius est quàm philosophi. Dominatur, ut dicunt, etiam Saturnus in India, & tamen ibi longæui sunt, cur igitur breuiæui meridionales ob Saturni frigiditatem exuberantem? cur timidi? nam & ibi gignuntur ferocissima bruta, licet omnia tamen in septentrione scribit Aristoteles esse uiriliora. Sed humana mediocritas extrema ægerrime patitur, & qua ratione uentres hyeme calidiores quàm æstate, ita illi sub nimio ardore intus frigescunt, uixq; exacto uitæ anno trigesimo, senectute conficiuntur, ut narrat Auicenna. Aquilonares sub gelida sede penitissime ferunt in principibus membris, concluso calore multoq; sanguine & grossiore, tanto australibus robustiores, quãto illi spirituū sanguinisq; subtilitate, ingeniosiores euadunt.

Mediæ nationes nec inopia sanguinis, nec crassitudine hebetes, sicut prudentiores & sapientiores, ita facti ad principandum, & ut sic dixerim, magis homines, sunt. Hæc de cœlesti circulatione generalis uarietas incolarum terræ, cui peculiares admodum multæ ex sublunari dispositione terrarum, aëris & aquæ, dum alia scilicet uel paludibus inuia, uel stagnantibus aquis regio semimarcida nebularum identidem caliginosis noctibus obsidetur, alia uentis peruia asperitatibus, uel editior mõtibus. Tenuiiam tehis plus quàm oporteat. Transeunt hæc à terris ad aërem, & habet ipse aër ex se suas proprietates alias, scilicet aliis locis, ut Panetius ait, nõ de cœlo petitas, sed de suis principijs habuit & suas, quæ quidem discrimina in afficiendis corporibus plus minus aëre possint in ambiguo est. Permutare hæc habitatores ipsis statim suis afflatibus, patet per ea quibus uescuntur, quæ pro sola aquarũ aërisq; conditione uel noxia uel salutaria fieri nemo est qui nesciat. Hinc prima, ob cœlestem à Sole impressionem, corporum est diuersitas, quam alia statim de uictus ratione consequitur. At ingeniorum morumq; uarietas & à corporis habitu pendet, & ab educationis assuetudinis fundamento, quæ naturæ uiribus proximat. Accedunt leges, quibus in ea re plurimum est momenti, adeò ut feras nationes mansuetissimas reddere, si rite ferantur, & contra fortissimas eneruare & ex optimis reddere malas, si sunt malæ, facillime possunt, unde arbitrij libertas contra omnem naturæ necessitatem euidentissime declaratur. Infames olim galli fuere amoribus puerorum, si Ptolemæo etiam credimus & Aristot. quod ita nunc scelus beneficio Christianæ legis, & sanctissimi principis Ludouici regis exhorrent, ut sub cœlo nulla natio magis. Nec tamen oportet unius populi niti exemplis, cum orbis fere totius, euangelica prædicatio, mores, & instituta mutauerit, quæ à primis fuerãt edita. Potest autem ad artes magisteriaq; capescẽda regionis qualitas multum, quam quis scilicet primum sortiatur, ut uel mercaturæ nauigationiq; se dedat opportuna mari ciuitate, uel literis academiæ proxima, uel militiæ, si infestis finitimis aut ciuilibus intus factionibus agitetur. Sunt quos fertilitas copiaq; desides homines & uoluptarios facit, exiguitas, atq; sterilitas laborioſos, industrios, diligentes. Verũenimuero, dicet aliquis forte astrologorum, nos hæc non negamus, sed asserimus tecum ac prædicamus, uerum esse præterea locis alias proprietates, ex uidelicet priuatis influxibus peculiariq; constellatione contendimus, pro trigono, pro planeta, pro signo cui regio subest, pro cœli dispositione sub qua ciuitatis iacta fundamenta, sub qua eius imperium, aut rex, aut tyrãnus inuasit. Veraigitur ut sint quæ tu dicis, non sequitur, ut uera quoque nostra esse non possint. Sed nec ego ex his quæ commemoraui, egregijssimi diuinatores, illud confici puto, ut nõ possint esse quę fingitis, sed ut intelligamus ita plane per ea quæ diximus, causam reddi posse omnifariæ diuersitatis & oc

corum

corum & gentium, ut quærere alias causas minime necessarium sit. Nam quas uos supra astrologi introduxistis & falsas & fabulosas esse, sequentia demonstrabunt. Verum disputantibus nobis aduersus ea ad quæ populorum regionumq; ipsi diuersitatem refertis, futurum erat, ut quæreret aliquis, quænam igitur esset causa tantæ uarietatis, proinde prius quàm falsas euerteremus, ueras demonstrasse causas oportuit, ut hinc illa uestra non necessaria intelligantur, quæ postea ut ficta & impossibilia redarguentur. Sic nec cœli illum uiuificum calorem, de quo supra tam multa diseruimus, nec solis efficaciam ideò introduximus, ut uestra conuelleremus, nec illud item ex siderum ad nos distantia propinquitateq; radios intendi atque remitti. Sed priusquàm commentitias uestras nugas refelleremus, ostenderemusq;, absurdissime mutationem pro locis, signis, aspectibus, siderea potestatis, à uobis fingi, notum facere uolui, quicquid cœli uis efficit in nobis, authoritate philosophorum, testimonio sensus, iudicioq; rationis, id totum per communem influxum luminis saluberrime calidi de perpetuo moto corpore iugiter emanantis fieri sufficientissime posse. Quare alias fingere uirtutes seu stellares influxus ad corpora, esse superfluum, post quæ deinde facilius declararetur quas uos finxistis credere, non iam superfluum esse, sed insanum.

LVNAE VIS QVOMODO VARIETVR, ET DIES quosdam Lunæ uana superstitione obseruari. Cap. XIIII.

OStendimus ex operibus Solis, astrologorum dogmata nõ necessariò probari. Idem de operibus Lunæ faciendum. Ptolemæus in apotelesmatis, Lunam dicit ab interlunio quousque diuidua sit, humiditatis amplius effectiuam esse, inde ad plenitudinem usque caloris, à plenitudine siccitatis, donec item sit diuidua, tum ad coitum usque frigiditatis. Ita illam in prima orbis sui quadra, ueris & aëris, in secunda æstatis & ignis, in tertia autumni terræq;, in quarta hyemis, atque aquæ naturam habere, & horum qualitates temporum in corporibus tunc maxime excitare. Perbella magis ista diuisio, quàm naturalis & uera, quandoquidem caloris ista conditio, ut cum est debilis, humiditatem nec moueat, ut qui scilicet uix sentiatur, cum efficaciæ non nihil habet, soluere adoriatur, soluatq; diffusus quo potentior est, nisi eatenus inualescat, ut quam fluere facit humiditatem, absumat: nam exsiccat tum ille, non humectat. At Lunæ calor, utpote ualde tenuis, haud ita unquam intẽditur ut exsiccet, sed intra fines eos excrescit, quibus humefacit corpora calore, non arefacit, quo fit ut quo plus luminis habet Luna, plus efficiat humiditatis ueluti & plus caloris, inuicem sicut lumine destituitur, ita pariter & humefacit minus, & calefacit. potius ergo ueris naturam

qualitatemq; sequetur à primo quadrangulo ad plenilunium, quàm ab interlunio ad quadraugulum ipsum primum, siquidem ueris natura humida definitur, nec potest à secundo quadrangulo ad coitum hyemem repræsentare, autumnū à plenilunio ad ipsum quadrangulū, siquidem autūnus siccus, hyems humida est. Luna uero postquã fuerit plena, donec semiplena est humefacit, & inde ad coitum usq; desiccat, ut scilicet eius humectatione cessante, quare tum etiam duratura ligna cęduntur. Multo igitur rectius ipse Ptolemæus in libro centum enunciatorum dixit, à primo Lunę quadrangulo (ex quo scilicet à congressu Solis abscesit) fluere corporum humiditates ad secundum usq; quadrangulum, in reliquis uero temporibus decrescere. Quod quidem præter rationem quam diximus, ipsa quoque experimenta testantur, nam crescente Luna humidi fit accesio, decrescente fit imminutio. quia non lucis tantum hoc qualitas, sed motus eius quoq; ad augmentum uel decrementum operatur, quocirca, cum Sole digressa incipit exoriri donec media illuminetur, plus humefacit calefacitq;, quàm tantundem possidens luminis secūda dichotoma tendit ad cõgressum, quia scilicet illic lumẽ augescit, hic deficit. Hæc est tota Lunaris astrologia, à medicis, ab agricolis, à nautis utiliter & naturaliter obseruata. Nam in uniuersum quidem plantationi commodū existimauerunt tempus adolescentis Lunæ, quòd largiore semina humore cibata, ipsa quoq; uelocius adolescant, decrescentis uero, cædendæ materiæ, quoniam tum omnis materia siccior atq; attenuatior est, quare non tã facile marcet carieq; conficit. Cõtra si qua cæditur Luna lumine aucta, quia tunc humor exuberat, facile putrescit atq; corrumpitur. Quapropter iure laudat Hesiodus nonã Lunæ diem arboribus conserendis, sicut & decimam tertiam, quoniam, ut ait Plutarchus, insita uis radicibus plenior iam lumine spargitur, eandem incommodam seminibus iaciendis facit, quod iactum semen pluuias magis desideret, ut computrescat & germinet. Porro decimam sextam negat idoneam plantationi, quia deficiens lumen germina satis non euocet. Quare quod Virgilius dixit, septima post decimam felix & ponere uites, & quæ sequuntur, haud ita possit intelligi, ut decimam septimam diem significet, nam hæc uitibus ponendis minime felix, lumine deminuto, sed aut primam septimam, quæ fit post decimam, meliorem, id est decimam quartam iudicauit, qua & plena Luna non infeliciter uites ponunt, aut, quod rationi consonat magis, duos dies laudauit, septimã & decimam, sed decimam magis, quare post decimam, inquit, septima felix est. Sic enim seres habet. Siquidem die septima Luna diuidua satis caloris humorumq; radicibus plantarum suppeditat, sed idem facit uberiusq; dies decima. Omnino decima septima pręterquàm imperite & falso, denotari non potuit, cum sit illa non ponendis arboribus, sed cædendis magis idonea, quod Hesiodus

quoq;

quoq; tradit, ob eam scilicet quam diximus causam humidi decrescentis. Quare tunc ædificandis nauibus ligna parantur, quas oportet perennare diutius. Quod aũt tunc quoq; comportari fruges in aream iubet Græcus poëta hanc rationem, ut scribit Proclus, quòd soleant post pleniluniũ uenti suscitari, quib. à grano palea ipsa, glumaq; discrimine tur. Sicut aũt in his diebus operũ causa & ratio facile cognoscitur, ita possunt alij Lunæ dies certis operibus esse commodiores, ratione non ita manifesta, licet de naturalibus illis quoq; quę diximus principijs orta. Siquidem tãti luminis portio cum re aliqua consonare potest congrua portione, quæ dissonabit ab alia, quo forsitan genere illa sunt, quòd castrari Hesiodus sexta Luna prę-cipit agnos, octaua boues & sues, duodecima mulos, sextam & decimam-sextam maribus gignendis oportuniorem quàm fœminis, decimam uero fœminis, uerum magis castrari uitulos autumno, Luna decrescente iubet, ratione nota, quia emasculandis metuunt fluxus humiditatum, propterea & siccum tempus, & siccam Lunam desiderat. qua de causa castratũ prohibent etiam multa potione. Sic euidens ratio cur sextam & decimam sextam maribus gignẽdis opportuniorem quàm fœminis dicat Hesiodus, fœminis uero decimamquartam, quoniam ut est sæpius repetitum à nobis, crescit humor cum lumine. Quare plena Luna stillabunt excrementa generationis humidiora, unde proles fœminea magis quàm mascula. Ad hunc modum alia rediges ad naturales causas ab Hesiodo tradita. qui tamen nonnulla licet admodum pauca, miscet ex uetere superstitione, sed nihil usquam quod astrologis faueat. Gubernatores item ex his uicibus aduenticij luminis in Luna, dies multos citra superstitionem obseruare utiliter possunt, quando plurimum potest illa uariatio lucis in aëris habitu permutando, quare prudenter in nouilunio & plenilunio nauigationibus abstinent, quando per hæc solent tempora tempestates plerunq; suscitari. Ipsi quoq; medici recte consulunt ægris, dies obseruantes in auctu cremento q; Lunæ ne fluentes plus minus eos lateant humiditates, in affecto præsertim corpore, quod propria ui destitutum, magis sit oportunum iniuriæ peregrinæ. Nam gratia exempli, adolescente Luna uenã incidere, contra uentosare deficiente potius, quàm adolescente, rationem forte habebit, cum incisio uenę expellat, uentosa attrahat. Quare ebullientibus expãsisq; ad extrema corporis per initia mensis humoribus, plus forte quàm oportet attractæ materiæ educerẽtur. Nisi quis dicat artis opera sempe esse feliciora, quæ cum naturæ progressione concordent. Sed hæc medicorum iudicio relinquantur. Quæcunq; uero præter hæc obseruauerint, ea uanitatem habent manifestam, ut sequentibus patefiet.

AESTVS MARIS IN ALIAM CAVSAM QVAM IN Lunam referri posse, in quam & si referantur, nihil inde iuuari astrologiam. Cap. XV.

DE fluxu maris atque refluxu multiplex quæstio est, cum omnibus uideatur hoc à Luna procedere. Adelandus ex opinione Saracenorum causam accessus maris atque recessus hanc & narrat & probat. Nam cum ipsa, inquit, maris sibi brachia, puta quæ interiecta terræ dirimit moles, obuiare atq; confluere impetu concito properent, fit tum montibus interpositis, tum ipsius terræ situ, ut ab eodem cursu, dum deficiunt referantur, utque inde quo & paternus ac naturalis impellit motus, loci ipsius positu reuocentur. Luna uero in causa non est, alioquin eueniret hoc idem in maribus torridæ zonæ uicinioribus, cum nec magis absint à Luna, ut quamobrem illius uim non persentiant, nec humidæ minus undæ natura putantur, & tamen nulla ibi recipprocatio, quia scilicet deest causa quam diximus concurrentium partium, mole terreni situs hiantium. Hæc illius sententia non magnopere abhorrens à similitudine ueri, quando naturali propensione feruntur elementi cuiusque partes ad suam integritatem. Quid igitur mirum? si discluſæ loco terris interiacentibus præsentes oceani, dum concurrere gestiunt, littora feriant accedentes, & obiectu repulsæ pariter retrocedant. Qua causa sublata (quod in australi pelago euenit) uidemus hos æstus non apparere. Ita quispiam dixerit, hunc accedendi recedendiq; motum naturalem esse aquę, nõ quatenus aqua est, sed quatenus partes habet elemẽti principalis, obiectu molis terrenæ diremptas & separatas. Quæ ratio si cui non satisfacit, audiat aliam, confitentur astrologi non euenire tales recursus in omnibus aquis, etiam marinis, sed in his tantum quarum terra profunda, dura, motibus crebris aspera, & inæqualis, aqua uero multa, quæ nec adiectu fluminum crescit, nec digressu deminuitur, sed diuturnam ibi traxerit sedem densitudine spissa. Quocirca conceptaculum fiat, alumnaq́ue uaporum multorum, nec tenuium, nec facile difflabilium, qui de suis parentibus, hoc est aquosa terra, aqua terrosa, deq; cœli calore, ducunt amaritiem illam notam, atque salsuginem. Has quoniam conditiones, & fontes, & flumina, sed & maria quædam non habent, ideo in illis dicunt hos æstus non apparere. Poterit autem cuipiam hinc apparere satis aperta & sufficiens causa, marinæ reciprocationis, si quidem de tali terra & aqua, uapores identidem quales diximus, uentiq́ue suscitantur, unde in aqua fit uentus, tumultus, præsertim quòd ex motu impulsuq; isto, & uaporum admixtione, calescit, quare locum quærit ampliorem quo se diffundat. Accedit, quasi tertia causa motus, reflexio uenatorum uellicantium aquæ summa ad infernas illius partes, qui spiranti-

bus

tibus inde uentis implicati, proruunt aquas in superna conati, tum aquæ necessariò dum eructant, abundant, tumescuntq; & reiectę pariter, & pulsæ. Reuolutæ propriam faciunt accessionem. Rursus ubi uis illa dissolutis uaporibus conflamescit, subsidunt atq; sternuntur, & in angustijs se contrahentes, ab occupatis locis abscedunt. Quæ uaporum uentorumq; generatio, pro natura maris, sicut perpetua fermè esse, perpetuaq; dissolutio, uidet̃ iugis reciprocationis causa sufficiens. Vnde redit frigida quæ prius tepens aduenerat. Quod significat nobis Adelandus. Et possunt quidem tuentes istam opinionem, rationem reddere, cur maiora quædam maria non reciprocent, licet adsint & uenti & halatus, fit enim etiam illis idem sane effectus, sed pelagi uastitas litorumq; summotio speciem tollit accessus atque recessus, ut id potius uideatur benedictum, aquas uideri hoc, quàm alternantes, hoc est fluctuantem potius æstum quàm reciprocantem. Quæ si rationi consonant naturali, si consonant experimentis, cur parum probabilia iudicari debent? aut cur necessarium præter has causas addere Lunæ motum, secum aquas deorsum etiam in sublime trahentem, præsertim cum non illa respondeant, quæ respondere sit necesse, ut cum aucta lumine Luna, cum uelocior cursu, cũ propinquior terræ, cum declinans ad aquilonem à uia Solis, cũ in signis aquilonaribus posita, tunc uberiores fiant accessus. Contra tenuiores cum se aliter habet quàm dicebamus. Porro non uidetur quid ita sentientibus obijci possit, præter ipsam aquarum tam in ascensu quàm in descensu cum Luna concordiam. Quæ (si uerum quod fatetur Aboasar) nescio quo pacto uel ipsa satis obijci possit. Scribit enim, non eadem ubique esse accessionis initia atque recessus, etiam ubi nulla definitore uarietas, sed interdum usu euenire, ut quo tempore quodam loco recedunt aquæ, alibi tunc accessum aggrediantur. Nec ipse dissimulat, hoc plurimis causam præbuisse suspicandi, motus illos à Lunæ motibus non dependere. Cuius diuersitatis quanquam reddere rationem conatur, ut Lunam nihil minus esse causam defendat, sequitur tamen inde pro Luna capi argumentũ nõ posse. Vnde potius contradicendi prętat occasio, plurimumq; hæc intra se distant, à temporibus æstus euidenter Lunarẽ causam confirmari, & ab illis non euidenter confutari. Alpetragius attulit huius motus cœlestẽ causam, nec à luna, uerum à diurno motu quo mouent̃ omnia. Sed inferiora minus. Ignis enim sphæra rotatur in orbẽ, Inordinatus motus in aëre fit, q in aqua desinit in accessum atq; recessũ. Quę quidẽ omnia potius disputo, quasi philosophus causam inuestigãs uerã istius effectus, q̃ ut astrologis cõtradicã, quãdo hic nihil astrologicis rebus accedit receditue, si accessus istos atq; recessus cursib. astrorũ aliorum, aut Lunæ referamus. Quoniã hoc ipsum est (ut uerissime dixit Phauorinus) magis astrologorum fallacia, qui cum uiderint terrena quędam inter homines sita, cœlestiũ rerũ sensu atq; ductu moueri, quale est

quòd

quòd oceanus, quasi Lunæ comes, cum ea simul senescit adolescitq́, hinc uidelicet sibi argumentum ad persuadendum parauere, ut crederemus omnia rerum humanarum, & parua & maxima tanquam stellis atq́ sideribus euincta duci atq́ regi. Nam sint à Luna, quod libenter & facile etiam ipsi credimus, quid aut pro astrologis, aut contra nos? Neq́ enim, ut quidam putant, hinc intelligitur agere sidera, non modo motu & luce, sed occultis influxibus, quando Luna sub imo posita terræ moueat aquas, ad quas tamen tunc eius lumen prouenire non possit. Rogerius Baccon in epistola ad Clementem Quintum Pontificem Maximum, causam reddere uoluit ex lumine in hunc modū. Nam cum, inquit, exoritur Luna super mare alicuius regionis, cadūt radij Lunares ad angulos obliquos, quare debiliores sunt, ideoq́ uapores exsuscitant à profundis maris, quos cōsumere non possunt, uapores inquam, ampulosis tumoribus aquas ingurgitantes, ut extendātur à suis canalibus, sicut ollæ pulmentarię suppositus ignis aquam euaporat, undeuasis labra despumant. Quo circa dum ista durat attractio uaporum ebullientium, fluit sedibus aqua. Cum uero Luna fastigio proximat, fiunt radij identidem quoniam rectiores, idcirco fortiores, quanto scilicet illa magis ascendit, qui & demum eatenus inualescunt, ut dissoluendis uaporibus pares fiant, ut propterea, inquit Rogerius, segnior fiat accessus ad meridiem proximante Luna, qua declinante statim quoq́ aquæ declināt, sicut in illa ipsa olla, cū magis calor inualuit, uaporibus absumptis, subsidet liquor, & in uasis ima se recipit. Mouet autē post hanc quæstionem propositam, quonam scilicet pacto tendens ab occasu ad imum terræ uim mouendi retinet Luna. Nam tunc ascendunt aquæ pariter atque Luna ab ortu ad summum contendente. Nec tamen (ut confitetur) radiorum uis ulla mediam terram penetrare potest. Hoc igitur ipse ita dissoluit. Cœlum inquit supremum, siue octauū, siue nonum necessario densum est, quandoquidem terminat uisum, qui denso tantummodo terminatur. Proinde Lunares radios illuc protensos ad partem aduersam reflecti necessarium est. Idcirco si ab occidente Luna ad imum terræ mouetur, uirtus eius in quadram aliam cœli uigebit oppositam facitq́ reflexo radio, quod faciebat ab oriente pergens ad summū. Hoc est Bacconis inuētum, in quo adeo sibi placet, ut primū se accessus atque recessus in oppositas quadras rationem reddidisse glorietur, cum sint tamen in eius dictis tot pudenda errata quot uerba. Primum contradicit, non dixerim experimento, sed Aboasari certe, cuius se facit interpretem, qui uigore accessus esse tradit, cum ad summū cœli Luna prouenerit, nec prius remitti q́ cœperit illa descendere. Cōtra Baccon, quo magis proximat summo Luna, remitti putat accessum, dissolutis uaporibus lumine calidiore. Nec uidit Lunæ lumen ita nunquam intendi ut marinas exalationes, ne dum possit consumere, sed nec suscitare tantas quantis opus est in commouendis

accel-

accessibus. Quod si perneget contumacius, illud fateatur oportet uel inui tus, aliquot dies circa nouilunium nullos futuros æstus oceani, siquidem eo tempore aut nullum, aut adeo tenue Lunæ lumen, ut nulla possit qua- uis impudentia, dici par procreādis in mari tot uaporibus hisdemq; etiam dissoluendis. Postremo cur non fortiores radij descendentis quàm ascen- dentis? Cur descendens reuocat aquas, effundit ascendens? curq; nō imbe cilliores à summo parū declinantes, quàm tūc primum exorientes? cur ibi recessum, hic accessum facit? Siquidem, quemadmodum ipse sentit, radio- rum uigor intensiore calore reprimit accessum, quoniā eorūdem debilitas auget. Deniq; quis credat reflexis radijs Lunæ, sub terram decurrētis, in- esse uim tātam, ut possint etiam suscitatos uapores absumere, aut si id non possunt, quæ causa recessus, Luna delata sub finitorem fundamento Bac- conis, quamobrem Luna decedente decedant, quæ accedant exoriente? Habeat ergo Baccon hæc sua sibi commenta, nos si pertinet ad Lunam ta- lis effectus, ad eius id motum referamus, quē tacito naturæ consensu, ocea ni motus imitatur, quare ascendit cum ascendente, descendit cum descen- dente. Quod quidem Diuo Thomæ placuisse uidetur in libro de occultis operibus naturæ. Nec putemus hos æstus auctionem aquarū esse uel im- minutionem, sed quòd ipsę exprimunt uoces accessum atq; recessum, non aucti uel imminuti, sed extendentis se maris ascensu, descensuq; contrahen tis. Dicimus autē hæc de noctis æstu atque diei. Nam si qua maria sunt (ut est scriptum à quibusdam) posita semper in accessu dum augetur Lunę lu men, à coitu scilicet ad plenilunium, rursus in recessu cū diminuitur à ple- nilunio usque ad coitum, non sequuntur illa Lunæ motum in sphæra, sed motum, ut sic dixerim, luminis in Luna, decrescentis in ea pariter & cre- scentis, cuius uariatio potest eum quoque qui fit quotidie nonnihil uaria- re. Sed non consentiunt traditæ super hoc obseruationes. Nam & Aegy- ptij & qui nauigant ad occidentem, à meridie primi diei mensis lunaris, ad undecimum usque diem uigorari dicebant accessum, ab undecima ad decimamoctauam, partemque diei sequentis, debilitari. Inde ad uigesi- mamsextam rursus intendi, remittiti subinde usque ad mensis initium. Quoties autem accessus maior, minor recessus, & contra commutata ra- tione. Sunt alij qui dicant, uerum hoc deprehendi in fluminum aquis de fontibus decurrentium, quæ memoratis diebus alijs extenduntur, alijs contrahantur ad capita. De mari uero proditum aliter ab orientalibus, qui nec inter se consentiunt, nam sunt qui tradunt primo ultimoq; deca- no mensis, accessus imminui, medio crescere. Quod eam habere uidetur rationem, ut pleniore lumine crescant, defectiore decrescant. Alij non esse pluribus diebus perpetuum, ut uel augescant accessus, uel deficiāt, sed aut una aut altera die fieri, siue cum intenduntur siue cū remittuntur. Aboasar quatuor facit uices in hūc modum, primā post coitū, cum recedere incipit

Luna,

Luna, quousque fit semiplena, tum ait accessum imminui, ea proportione qua discedit à Sole Luna, ut cum uenit iam ad quadrangulum debilissimi sint, secundam inde usq; ad pleniluniũ, quo tempore gradatim intenduntur, ut ad summum perueniat Luna plena, tertiam à plenilunio, donec iterum sit diuidua, decrescente simul accessu cum lumine, quartam inde ad coitum. Tum uero uehemẽtiores subinde fieri accessus, ita ut coëunte Luna sint uehementissimi. Sed hoc nullam habere potest rationem, siquidem luminis hæc differentia (quod ad propositum attinet) multum, paucum, lumen, crescens & decrescens. Si uel multa uel crescente luce fit accessus, quatta fallitur obseruatio. Si pauca uel decrescente, secunda. Si multa sed decrescente, fallitur tertia. Si pauca crescente fallitur prima. Verum quæcunq; potius recipiatur harum traditionum, patet nihil nos cogi nouam comminisci potestatem in Luna, præter motũ & lucem, quare mare commoueat, quando proditæ omnes in accessibus maris recessibusq; diuersitates, uel à motus diuersitate scandentis sideris uel declinantis, uel à lucis damnis & incrementis, euidentissimè causam habere possunt.

GALENI SENTENTIA DE CRETICIS DIEBVS eos ad Lunam referentis confutatur. Cap. XVI.

RIsimos, quos latinè iudicatorios dixeris, ad Lunã referri tam falso quàm superstitiose equidem non dubito, quod latius est declarandum. Galenus author inter medicos istius opinionis, tertio libro de dieb. creticis, duplicis meminit Lunaris influentiæ, qnarum altera sit à Sole, cuius accipit Luna lumen, altera à signis obliqui orbis, quæ motu proprio singulis mensibus permeat Luna. Tũ ponit ex sententia astrologorum, quasiq; experientia comprobatum, in oppositis locis, atque quadrangulis magnas à Luna commotiones excitari, quod tam in habitudine eius ad Solem, quàm etiã ad signa, nulla Solis habita ratione, uerum esse contendit. Ad Solem, quoniam cum fit Luna diuidua (fit autem in quadrangulis ferè locis à coitu) rursusq; cum impletur, quod in oppositis locis est, aëris statũ & tempestates immutet. Ad signa, per hunc modum, ut quicquid cœperit posita Luna, uerbi gratia, in tauro, semper accidat in ea re mutatio, cũ peruenerit Luna deinceps ad Leonem, ad scorpium, ad aquarium, quæ sunt loca tauro tetragona uel aduersa. Confirmat hoc authoritate Aegyptiorum asseuerantium, si in alicuius genitura, Ariete (quod pro exemplo sit) stellæ felices insederint, natũ bene se habiturum, quoties Luna aut taurum, aut quadrata signa uel opposita permeauerit, contra male si infelices. Hinc putat Galenus creticorum dierum causam fieri euidentissimã. Sunt enim præcipue cretici, septimus & quartusdecimus. Peruenit autem Luna septima die ad signum ab illo quartum, quod tenuit inchoante morbo, decima uero quarta ad signũ oppositum, cũ septem & uiginti diebus & tertia fere diei parte, restitutionem suam

ſuam abſoluat. Cum igitur Luna in his locis, quadrangulis ſcilicet & aduerſis citet commotiones, efficit per hos dies, ſeptimum ſcilicet & quartũ decimum, quibus ad ea loca peruenitur, ut morbi quoq; tumultus excitẽt. Ad ſalutem quidẽ ægritudine proſpera, ad mortem pernicioſa. Quoniam uero putauit Galenus diem uigeſimum creticum eſſe, non uigeſimum primum, quod credidit Archigenes, elaborauit reddere rationem, quomodo ipſe quoq; uigeſimus dies ſeptimus eſſet. Et primum hoc nec abſurda nec difficili probatione monſtrauit, nam curſus quidem Lunæ diebus 7. & 28. horis adiectis cõſummat, quod ſi in quatuor hebdomodas partiaris, erit hebdomada quælibet ex diebus ſex, horis 20. Quare hebdomadæ tres dies habebunt 20. horasq; 12. quocirca uigeſimus primus dies, hoc eſt hebdomaticus tertius, in lunari curſu, partim ad uigeſimum diem naturalem, partim ad 21. pertinebit. Nam eius horæ 12. uigeſimum terminabunt, reliquæ primum & uigeſimum inchoabunt. Atq; ita fiet cretica commotio die uigeſimo, proueniente Luna ad ſecundum quadrangulum, in hebdomada ſcilicet tertia. Rurſusq; eandem nõ effugiet rationẽ, ſi ad uigeſimam primam naturalem diem differatur, quod in acutis ſolet ægritudinib. euenire, ſicut illud in diuturnioribus harũ ambitu quidem per pares, illarum per impares numeros diſcurrente. Hoc poſtquam dixerat ipſe Galen. quod deinde quaſi proprium inuentum retulit Apponenſis, nouum commentũ excogitauit, per quod nõ paria faceret cũ Archigene, cretico influxu ad diem utramq; pertinente, ſed colligeretur uigeſimã totam eſſe creticam, uigeſimam primam non eſſe. Sic igitur cõmentus eſt tempus, quo ad Solis coitũ Luna redit, dies 29. horæ 12. quæ ferè uulgo menſis exiſtimat. Demamus dies quibus Luna nõ apparet, obruta Solis radijs, quoniã tum uim permutandi inferiora non habet, reliqui erunt dies. 26. horæq; 12. Ferè enim tres dies oculitur, atq; hos dies, quod eſt ſpaciũ lucentis Lunę, diebus adijciamus quibus peragrat ſigna, quos 24. & horas 20. computat, erit ſumma dies 53. & horæ 20. quorũ medietas dies 26. & horæ 22. Hoc ſpacium cogitauit Gal. menſura non irrationabili poſitioni dierum cretico-rum, quod cum uideret dimidium ſolum dierum quib. Luna eũ permeat zodiacũ, tum à Sole illuminatur, quaſi tũ bis in ſe lunaris influxus poteſtates cõplecteret, & quæ ſcilicet eſt à ſignis, & quæ à Sole, quarũ utraq; fieri commotionẽ in morbis etiã ueriſimile. Dictus hic poſtea numerus à poſteribus, ex Galeni authoritate, menſis medicinalis, ſicut eũ qui ex diebus. 29. coniunctionis. Qui ex diebus 26. horisq; 12. manifeſtę uiſionis, qui ex. 27. & tertia diei parte peragrationis menſem uocãt. Ex hoc aũt inuẽto, quod uolebat Galenus, aſſequebatur aduerſus Archigenẽ. Nam ſi totus menſis dies. 26. horæq; 22. erũt hebdomadæ huius menſis ſingulæ ex diebus ſex, horisq; decem ſeptẽ & dimidia parte horæ, quare medietas menſis dies 13. & horæ 11. Septimæ igitur diei naturalis primæ horæ uſq; ad decimã ſepti-

mã, ad ſeptimã quoq; medicinalis menſis diẽ ſpectabũt, propterea&q; erũt
creticæ, reliquũ diei ad octauũ medicinalẽ diem pertinebit, decimaquarta
dies naturalis undecim tantũ habebit primas horas ex poſtremis decimæ
quartæ medicinalis, cuius antecedentes horę 13. cũ decimatertia die natu
rali computabunt. Tertiã uero hebdomadã medicinalem, cũ ſit hebdoma
da quælibet dierum ſex, horarum. 10. & ſeptem cum dimidia, patet termi
nari in uigeſima die naturali tantũ quatuor horis & dimidia parte horæ
ſuperexcreſcentibus, quæ in uigeſimum primum referuntur. Atq; ita con
ficitur quõd Galen. imprimis optabat. Et cuius gratia hoc totum cõmen
tum fabricatus eſt? ut dies uigeſima lõge magis q̃ uigeſima prima, hebdo
mada conſequentiq; ratione cretica putaretur. Hunc ſibi gratis laborem
ſumpſit Galen, neq; enim oportuit, nã ſatis ex mora peragrationis zodia
ci, dies 20. cretica defendebat, præſertim cũ non negetipſe uigeſimã quo
que primã eſſe creticã, quin & plærunq; in acutis morbis. Neq; uero nos
iſta retulimus, ut inter Archigenem Galenũq; arbitraremur, prę ſcriptum
egredientes, ſed ne, cum referri dies creticos ad Lunam non poſſe demon
ſtrauerimus, ſiue receptam à Sole, ſiue à ſignis uirtutẽ in ea conſideremus,
putaret quiſpiam non plene ſatisfactum, quod mixtum quaſi quendam
influxum Galen. introduxiſſet, qui præcipuè dies creticos excitaret. Non
enim hoc aut Galen. forſitan fecit, aut ſi fecit, facere tamen rationabiliter
potuit. Nam ſi cum illo dicamus, Lunam in quadratis loco alicui pri
mordiali ſignis & oppoſitis commotiones ſuſcitare, rurſusq; cum qua
drangulis & oppoſitis Solis radijs illuminatur, non poſſumus hos à Lu
na euentus expectare, præterquàm his temporibus quibus altero illorum
modorũ ſe habet, ſi de illis ſcilicet cauſis euentus expectatur. Nam ſi utro
que tempore parit tales effectus, pro cuiuſq; temporis habitu & conſtella
tione, credamus miſceri utriuſque conſtellationis uirtutem in eo tempore
quo nulla illarum conſtellationum inuenitur, non alio argumento, quàm
quòd tempus illud medietas ſit ſummæ utriuſq; temporis ſimul cõnume
rati, non ſcimus nos eſſe nõ ſumus etiam inter & Oreſtes. Quare ſi Galen.
in hebdomadis iſtius ſui menſis medicinalis & eius medietate, uim iſtam
excitatricem eſſe putat, non autem in hebdomadis aut medietate men
ſis, quo uel à Sole Luna illuminat, uel zodiaci ſigna percenſet, inuehit no
bis, cum uis illa excogitati menſis ad aſtrologicos nullos influxus redigi
poſsit, hoc eſt, nec ad quadrata, uel oppoſita ſigna, nec ad quadrangulares
oppoſitasúe Lunę cum Sole figurationes. Nam ſeruari cõflariq; horũ uir
tutem in eo tẽpore quo iſta non ſunt, nimis, ut dixi, abſurdum & commen
titium. Nec qui defendere Galenum uoluerunt, ſimulq; creticos dies Lu
næ curſibus coaptare, promiſsis ſtare potuerunt, ſed nunc quidẽ hoc, nũc
illud tuentur, nunquam utrunque ſimul. Quæratur enim, cur quartadeci
ma dies cretica ſit, ad Lunæ curſus, peragrationisq; menſem ſe recipien
quo

quoniã per eam diem ad oppoſita ſigna Luna deueniat. Hæc ratio parti menſis medicinalis quadrat. Siquidem hebdomada eius ſecunda in diem 13. naturalẽ recedit, ſuperſuntq; ex ea horæ. 11. tantũ ad quartãdecimã pertinentes. Eſt enim, ut diximus, hebdomada quælibet mẽſis Galeni dierum ſex, horarũ. 10. & ſeptem cũ dimidia, quare dies decimatertia plus cretica erit dicẽda quàm quartadecima, cũ illa horas. 13. creticas, hæc tantũ undecim habeat. Hic ergo relicta uirtute mixtionis & factitij mẽſis, ad peragrata zodiaci ſpacia confugient. Cõtra, ut uigeſimum primũ diem creticũ faciant, menſe Galeni, nõ peragrationis, utuntur. Sed ſi quis ægrotet pridie q̃ Luna coëat, habeatq; diem ſeptimã creticã, quomodo id erit ex influentia poteſtatis, tam à Sole receptæ, q̃ à ſignis? cũ maximã partem eorũ dierum, ſicuti nõ uiderit, ita ſolari uirtute Luna nos affecerit, authore ipſo Galeno. Neceſſe igitur hic quoq; eos ad ſigna ſe cõuertere, quorũ ſolus influxus ex quadrati uirtute creticã illi ſeptimã diem fecerit. Mitto quòd omnino factitius ille Galeni menſis, nec naturę moneta percuſſus, ita enim excuditur, quaſi tres dies Luna ſemper à Sole obtegatur. Sed & mane quãdoq; conſpiciẽ, priusquàm Sol exoriatur, & ueſpere eius diei, nouaculari facie. Quod & experientia indicat & teſtaẽ Alphraganus. Tum deſpacio quoque Lunaris motus ita determinat, quaſi ſemper eodem paſſu moueretur, non aũt uelociore interdũ, interdũ tardiore, quod in aſtronomicis ſuppu tationibus demõſtratur. Habeat igitur ſuum ſibi Galenus menſem, quem ne nobis importunius ingerat, cõcedamus illis, quos mauult dies eſſe creticos Archigenes nõ repudiantes. Eos ego nullis Lunæ curſibus regi firmiter aſſero, ſiue acceptã à Sole, ſiue à ſignis uirtutem æſtimemus, nam ea quidem quæ à Sole ſolida & naturalis (ut declarauimus) ſed ad eam creticidies pertinere non poſſunt, niſi nos morbi ſemper in nouilunio aggrederentur, alioquin nec diei ſeptimę Luna dimidia, nec quartadecimæ plena, reſpondebit, in quibus quadrangularis & aduerſa Solis configuratio ciet humores. Reſtat ea quæ à ſignis, hæc uero cum nulla eſt, ut ſequentia declarabũt, tum ſi qua foret, ad creticos dies nullo modo ſpectabit id quod ipſi dicunt. Nam ſi argumentantur ab experientia, die ſeptima fit commotio, rurſusq; quartadecima, & per hos dies in quadratis eſt ſignis Luna, uel in oppoſitis, ex hac igitur ſignorum permutatione, illæ ſequuntur commotiones. Nos contra ſic, die ſeptima fit commotio, rurſusq; quartadecima, nec per hos dies plerunq; uel in quadratis eſt Luna locis uel oppoſitis, non igitur de hac ſignorum permutatione commmotio illa ſuſcitaẽ. Vtra pars ueritoribus nitatur aſſumptionibus, nemini dubium, cui Lunares motus penitus non ignoti. Nam cum inferiora permeans epicycli uelocius luna fertur, ſexta die ad quadrata ſigna pertingit, & decimatertia interdum ad oppoſita. Cum uero ſuperiora, tardius circumfertur, non priusquàm die octaua uel nona quadrangulari fit loco. Quod ſi reſpondeant, ob hãc cau

ſam interdum illas quoque dies creticas fieri, aliquid dicerent, ſi cum Lunæ curſus eſt tardus, tunc octaua uel nona die commouerentur humores: cum uero uelox, ſexta, cum medio quodam modo ſe haberet, ſeptima. Verum non hoc obſeruatio docet, ſed uſu frequenter euenit, ut Luna quidem pigriore, ſeptima det iudicium interdum & ſexta, concitatiore uero differantur commotiones ad octauã & nonam, quod aduertentes plurimi medicorum pernegarunt hunc ordinem in morbis à natura ſeruatum, à lunaribus curſib. dependere. Nec qui aliter prodiderunt, quicquã induxit, quàm uel amor aſtrologicarũ rerum, uel authoritas Galeni. Quæ tamen in hac re quantum habeant ponderis, mox dicemus. Falſo autem quidam ex neotericis hoc quoq; Auicennam & Hippocratem opinatos tradunt. Nam Hippocrates quidem nuſquam ſuper hoc uerbum. Sed hũc potius ordinẽ retuliſſe nixus ad numeros, quos libẽter obſeruare natura ſoleat, id quod Celſus Aſclepiades q; notarunt. Auicenna cũ meminiſſet opinionis referentis hæc ad Lunã multa, inquit, in his dictis ambiguitas. Tũ quæſtionem reiecit, ut cuius perſcrutatio ad medicum non ſpectaret; quin illi potius eſſet impedimento. Valeat igitur Galeni authoritas apud nos, ubi decernitur qui dies cretici ſint, quoq; pacto tractandus æger, cum uel apparent uel præuidentur. Nam hoc medici officium, in qua profeſsione præcellentem Galenum uereq; diuinum cum doctorum conſenſu probamus, & admiramur. At cum cauſa inueſtigatur eorũ dierum, quòd altioris hoc opus philoſophiæ, non modo præiudicij, ſed nec maioris teſtimonij loco ſententia fuerit Galeni. Quando quod Moſes Aegyptius & Auicenna, magni uiri, magniq; in medicina Galeni fautores tradũt, plus ramis ſcientiarum reliquarum quàm radicibus inhæſit. Sane ridetur à dialecticis figura eius quarta ſyllogiſmorum, & in philoſophia tam ſæpe perterretur, & uallidiſsimas nõ perſentit rationes, ut philoſophicũ in eo iudicium deſideretur à multis. Nõ poteſt intelligere, quonam pacto ſuperſtite anima & immortali, ceſſet ab opere, crebro tamen non diſſoluto, fatigatũq; à ſe ait hac quæſtione Platonicum quendam. Quaſi naue ſoluta ſuperſtes nauta non ceſſet à nauigatione. Nec intelligit, quod à philoſophis demonſtraſ, uniuerſales rerũ notiones ab intellectu tantum noſtro comprehendi, nec à brutorum etiam ingenio. In temporis cognitione quid hæſitet nõ eſt temporis huius narrare. Neq; enim hic de Gal. philoſophia, tantũ hæc delibauimus, quo Moſeos & Auicennæ iudicium ſuper eo confirmaremus, ſimulq; caueretur ne cui illius authoritas imponeret in accipienda ſuperſtitione. Nam in hac ipſa, de qua agitur, aſtrologia parum illum peritũ, lunaris motus ſupputatio docet. Nec eum defendit aliter Apponenſis, quàm q; eius ætate nondum cœleſtiũ motuum ratio ad liquidũ fuerat explorata, ſitigis turilli fides in medicina quãta maxime eſſe poteſt, quod ad doctrinas alias attinet, cautius agendum cũ homine meminerimus. Examinandumq; diligentius

ligentius quæ tradiderit, an experientiæ, an rationi, an sentẽtijs consonent aliorũ. Et quidẽ quæ de creticis prodidit diebus, ea parũ rebus ipsis consentire probauimus, eadem nec rationis habere colorem palam fiet inspicientibus. Nam quæ ratio dicit, Lunã cũ ad signum ab eo loco quartum peruenerit uel septimũ, in quo fuerit inuadente morbo, suscitare in humoribus agitationem? Galenus negat rationem se dicturũ, sed Aegyptiorum prætendit authoritatẽ. Nos illi sextũ suũ de simplicibus medicinis librum ad memoriã reuocabimus, in quo delirij notat Aegyptios, quorum quoq; cur apud nos uacillet authoritas, postremis duobus libris innotescet. Nũc illud dixerimus, obseruari per hos Lunæ cursus corporum mutationes si deliter ab Aegyptijs nõ potuisse, quib. non erãt Lunę cursus fideliter comperti. Primus enim Hypparcus in Rhodo insula certius illos obseruauit, licet non attigerit tamen ueritatem, cui propius accessit deinde Ptolemæus, quanquam Hispanorũ rursum astronomorũ desiderium nõ impleuerit. Neoterici rationẽ excogitarunt non modo nõ consentientem ueritati, sed nec positioni quã tuentur, nec Galeni dictis quæ sequuntur. Est aũt huiusmodi. Signa quadrata uel opposita contrarias habent qualitates, quadrata uel utraq; uel agentes saltem, ut Aries quidem à Cancro dissidet utraque qualitate, quãdo Aries signum calidum & siccũ. Cancer humidũ & frigidum. Taurus à Leone nõ utraq;, nam sicco conueniunt, sed agente qualitate discordat frigido Tauro, calido Leone. Discordant itẽ signa opposita semper altera qualitate saltẽ. Tum decantatũ dicunt ab astrologis, quadrangulas & diametras radiationes contrarias esse atq; pugnãtes. His positis ita colligunt, cum peruenerit Luna ad loca illis quæ tenuit inuadente morbo inimica, consequi ut inter morbum atq; naturã pugna exoriatur. At nos suppositis quæ dicunt, ita eos alloquemur, cur creticos dies Luna faciat, hanc esse putatis causam, quoniã si in Tauro, uerbi gratia, fuit cum naturã morbus occupauit, debet cum ad locũ contrarium uenerit cõtrarium effectum facere, faciet igit ut natura contra morbum assurgat, unde pugna & iudicium ad alterutrã partem uictoriæ declinantis, erit aũt in loco contrario cũ peruenerit ad Leonẽ uel ad Scorpiũ, sed ad Leonem die septimo ueniet, ad Scorpiũ quartodecimo. Per hos igitur dies bellicũ canet morbo atq; naturæ. Sed cur non idem faciet die tertia, ueniens ad geminos plus à Tauro Leone discrepãtes? Cur non duodecima aut decimatertia ueniens ad Libram, cum qua rursus Taurus minus consentit cũq; cum Scorpione? Cur non decimaquinta subiens Sagittariũ dissidentem à Tauro sicut Scorpius dissidet atq; Leo? Scio quid respondebũt, nõ esse inter hęc signa aspectus colligationem. Sed non aliò adduci ego eos uolebam, nõ ut istam aspectuum rationem nullam esse obijcerẽ, quod libro sexto sumus facturi, sed ut ostenderemus etiam si sit aliqua, non tamen deseruire propositæ quæstioni. Nam illa quidem inter duos planetas obseruatur, quorum ra-

dios non putant ad complendum eũ posse conuenire, siue concordent siue discordent, nisi talibus inuicẽ sibi interuallis configurent, exagono, trigono, quadrangulari atq; diametro. At uero hic Lunã planetis alijs nõ configuramus, sed id solum aduertimus, ut ad locum contrarium deferatur illi quem prius occupabat. Quanquam aũt positam stellam in Geminis, stellę positæ in Tauro negabunt astrologi per aspectũ colligari, non tamen hũc locum esse illi contrarium denegabunt. Quod si facit effectum prmo contrarium Luna, quia ad locum contrariæ deuenit qualitatis, cur si in signo frigido & sicco morbum excitauit, in calidis humidisq; collocata naturam aduersus morbum non excitauit, siue illud signum sextum siue secũdum, siue alio numero quem malueris cõputetur. Ridiculum hoc omnino, nec quod ab homine dici possit ueritatem potius spectante, quàm defendente positionem. Quod si contendant in his aspectibus uim consistere, debent ex consequenti illud quoq; concedere, Lunam cũ ad tetragona signa peruenerit, morbum confirmaturã, quoniam sicut quadrata signa discordãt, ita trigona concordant. Cur igitur si tetragona signa suscitant naturam ex contraria qualitate ad signum ægritudinis, eadem ratione trigona ex concordia morbum non excitabũt? Ad quæ cum Luna undecima die ferè deferatur, erit undecima noxia statuenda, quæ tamen à medicis inter salutares creticas numeratur. Denicq; erit manifestissimum consideranti traditas creticorum dierum obseruationes à medicis, ex Lunæ motu rationem habere non posse, nam malas quidem commotiones his fieri diebus dicunt, sexta, octaua, duodecima, decima, decimasexta, decimaoctaua. Reddãt horum rationem ex Luna, si possunt: nam sexta quidem & octaua, sæpius fieri bonas conueniret, ut dicebamus, proueniente per hos dies ad tetragona Luna. Sed cur omnino mala decima uel duodecima, quibus non fit Luna in locis aspectu aliquo cum ægritudinis signo colligatis? Cur salutaribus annumerantur decimaseptima atq; trigesima? Sed & quæ ratio penes Lunam quaternos quosq; dies uim habere citra uigesimum, ultra uigesimum septenos non quaternos, ut uigesimumseptimum, trigesimumquartum, & quadragesimumprimum, quem cum excesseris, uigesimi critici inueniantur, ut sexagesimus & octuagesimus, tũ centesimus ac uigesimus? Cur inde circuitum mensium & annorum? quæ omnia sicuti non habent à Luna causam, ita nec habere possunt à Sole, nec ab alia quaquam constellatione, cum non illæ statis diebus, statæ quoque uel similes uel concordes inueniantur, sed uariant mirum in modum, nec ordinem ullum seruãt, qui possit huic ordini respondere in morborũ commotionibus, à natura maxima ex parte custodito, ut demirari liceat, Apponensem qui malitiã sextę diei, quam Galenus comparat tyranno, sicut septimam regi, redigi ait posse, ad hoc quòd Luna cursu uelociori ueniat ad tetragonum, sui nimis immor, qui fieri salutares in septima die ægrotationes dixerat ob quadrati natu-

turam,

turam, quæ scilicet morbi signo aduersaretur. Quomodo igitur nunc ex quadrato quoq; malitiæ sextæ reddit rationẽ? Patet igitur, hæc omnia causas habere alias. Sed fefellit eos quòd in septima die & quartadecima uidebatur conuenire, quanquã nec ibi, ut diximus, cõuenit. Sed hũc per septenarios progressum, uidemus alibi quoq; in naturæ operib. obseruatũ, ubi nulla suspicio de Lunę motu uel Solis, ut in ipsis quoq; morborũ periodis, cũ sicuti septimo die acutæ, ita diuturnæ, ut scribit Auicẽna, sæpe septimo mense, septimo anno, quartodecimo, uigesimoprimo solẽt terminari. Nec probo tamen qui superstitiose numeros hic obseruãt, sed ita naturæ dico cursus impleri plerũq; in rebus, nõ ob constellationes ad hæc tẽpora comparentes, (neq; enim reperiunt) sed ob occultã proprietatem conditionẽq; rerum illarũ quibus ita plerunq; usu uenit. Sic enim natura comparatũ uidemus, ut q̃d scribit ipse Galenus, per dies impares acuti morbi moueantur. Qui uero lentiores diuturnioresq; per pares. Redige hæc ad Lunã, redige ad Solẽ, stellasq; si potes. Cur igitur commotionẽ septimę diei in acutis morbis ad tetragona signa, per quæ Luna ferat, referamus? cũ nec illud præsertim sit perpetuũ. Sed & quidam ex iuniorib. contra Galeni aliorũq; opinionem ad Lunã confugientiũ, hoc loquuntur. Si quis Luna posita in Ariete, decũbat, creticã habere diem octauã debet, quia tunc ad Cancrum quadratũ Luna deueniat. Respondentq; ita quidem fieri debere habita ratione motus lunaris, sed in septima fieri cõmotionẽ propter naturã morbi, qui acutus cũ est, per impares mouet, usq; ad diẽ quartũdecimũ. Postremo quæ de creticis dieb. uere sunt, obseruata à medicina, nõ solũ res astrologica firmat, sed infirmat, ut sit maximo argumẽto, corporũ, affectiones à causis non dependere, quas astrologi introducũt. Nã si status in his diebus ordo nõ esset, sed nũc hæc quidẽ, nunc illa cretica, rursusq; inter creticas alia alio tẽpore noxia, salutaris inueniret, nulla nos ad inuestigãdũ causam admiratio suscitaret, sola materiæ diuersitate mutabili nobis satisfaciente, sed cũ certi dies, non semper, sed plærunq; tamen cretici, & quidã plerunq; ad uitã, quidã ad mortẽ, uidet hic ordo causam desiderare certã raroq; mutabilem. Galeno uidet hinc cõsequi in cœlestibus esse causam, quæ sunt corpora raro stabiliq; ordine semouẽtia, quia possunt effectũ ratũ stabilemq; producere. Mihi contra uidet, hinc patere de cœlestibus causam huiusmodi esse non posse, quoniã si inde esset, aliâs alij cretici forent, nec qui apparet in eis ordo seruaretur. Nam si Luna Marti Soliue iungeretur, citaret influxus commotionem, si Saturno, tardaret. Sed & coitus luminarium diem morbi proxime antecedens foret inspiciendus, tũq; si Dominus eius loci in quo coisset orientẽ teneret, cito fieret cõmotio, sero si occidentem, sed & sidera recto motu procedẽtia, uel in mobilib. signis posita, uelocius, cõtra uel retrocedentia uel in fixis locata, tardius morbo naturęq; bellicum canerẽt. Quæ nec cuiq; ægrotanti, quanq; hisdẽ cõstellationibus, similiter

conuenirent, sed aliter alijs pro genituræ ipsorum conditione. Mitto figu
ram * cuius angulos obseruandos præcipit Ptolemæus, felicibus,
an infelicibus radijs deriuentur, ut inde de morbo pronunciemus, quod
quidã ignorantissimi credũt ad creticos dies pertinere. Quæ si omnia me-
dici ab astrologis haberent, non plerunq; quos uoluit ars medica, sed alias
alij forent cretici dies. Nec illud esset statum, ut sexta dies tyrãnica crude-
litate perimeret, septima regia benignitate liberaret. Sed & constellationis
bus noxijs septima, & salutaribus etiam sexta numeraretur. Quod si euc-
niat interdum non à cœlo esse dici debet, ubi causam quærunt eius quod
cum ordine, & fere semper cõtingit, sed in materiam potius redigi debet,
particularemq; aliquam laborantis hominis proprietatem.

PERIODOS HVMORVM AD SIDERVM MO-
tus non esse referendos. Cap. XVII.

SEd nec periodos humorũ in febribus credat quispiam ad side-
rum motus referendos, uti, gratia exempli, bilis atra diebus
duobus cesset, quarto suscitetur, quoniã sub Saturno sit, cuius
motus alijs tardior. Nam qua ratione sanguis ad Iouem relatus
ab astrologis, iugiter putrescit nulla causa, cum non Iupiter tamen om-
nium uelocissimus? quin potius si tẽpus restitutionis extimetur omnium
tardissimus post Saturnum. Cur item motus rubræ bilis ascriptus Martij
paulo segnior atræ motu, cessat enim sex horis minus, cum ille horis octo
& quadraginta, ipse sex & triginta sopiatur, multo autem Saturno uelo-
cior stella Martis. Præterea decretum est astrologorum, opera stellarũ tar-
di motus, quo tardiora sunt, eo magis esse diuturna, cum igitur si pituitæ
motus citius redit quàm rubræ bilis, nam ille post sex horas, hic post sex
atq; triginta, quoniam Lunæ motus excitans pituitã uelocior motu Mar-
tis coleram excitante, cur, inquam, si hoc uerũ, non diuturnius afficit agi-
tatio coleræ quàm pituitæ? sed illa horis tantum duodecim, hæc autem de-
cem & octo. Debent enim (si stamus in præceptis astrologorum) diutur-
niora esse opera Martis quàm Lunæ, siquidem huius uelociora quàm ille
lius. Quod si rursus has omnes periodos ad Lunam solam uolumus refer-
re, utpote prædominantẽ in omnes humores, hæsitabit nihil minus astro-
logica ratio cui nituntur. Nam pituita, inquiunt, quoniam Lunæ aquæq;
cognatione aquarum fere motum imitatur, illę fluunt & refluũt mora me-
dia intercidente, sed exigua, qualis inter rectos motus necessario cadit. Sic
pituita sex tantum horas integras relinquit. Verum potuit sanguini ma-
gis hæc conuenire, cuius sicut aquæ continuus æstus inuenitur, in qua
morula accessum dirimens à recessu non bene sex horarum respondet
interuallo, quo totus ipse uel fluxus agitur uel refluxus. At in sanguine
maior poterit esse similitudo, cuius motum intercipi in sensibilibus mo-
rulis, ipsi non pernegant assertores huius opinionis. sed reliqua prosequa-
mur.

mur. Atra, inquiũt, bilis quoniam à natura plurimum aquæ discordat, ita contrario pituitæ modo mouetur, plurimum scilicet cessans ad dierũ usq; duorum integritatem. Sed mihi quidem uidetur plus aquam habere cum terra communionis quàm cum igne, siue locum aduertas siue qualitatem siue motum, quibus nulla alia potest conditio præponderare. Erit igitur idem iudicium, quibus nulla potest cõditio præponderare. Erit igit idem iudicium de humoribus ad elementa relatis, ut magis à pituitæ motu diuersus esse debeat motus rubræ quàm atræ bilis. Verum nec illustrium ueterũq; medicorũ quisquàm ad has causas circuitum febriũ retulit. Primus hoc tentauit Petrus Apponensis homo cõgerere plura natus q; digerere, quem quidẽ indoctiores ubi nugatur magis, ibi soliti impẽsius admirari.

INFELICITATEM OCTIMESTRIS PARTVS SATURNO non esse adscribendum. Cap. XVIII.

DVm tractamus hæc, uenit in mentem solere astrologos infelicitatẽ octimestris partus ascribere Saturno, de qua dicendum hoc loco, sed breuiter est, ne nõ redarguta uideatur nos cogere, ut uel inuiti concedamus hostilissimorũ siderum radijs nos apprehendi. Quod ut uolens cõcedo, ita non illud uolens, ideo apprehendi nos ab illis ut teneamur, quippe illabi de cœlo ita sentiam ut nõ putem ab eo noxium quicquam prouenire. Summa igitur hæc est, falluntur astrologi si credunt ideo natos octauo mense non uiuere, quia singulis uteri gerendi mensibus, singuli planetæ præsint, & propterea qui primo, idẽ octauo mensi Saturnus dominet, planeta frigidus & siccus, hoc est qualitatib. uitæ contrarius. Primum enim & illæ per manus traditæ planetarum dominandi uices rationem nõ habent, ut alibi suo loco dicetur, & quòd octimestris partus non uiuat omnino rationem aliã habet. Sũt qui opinentur, fœtũ septimo mense conari ut egrediatur, & in conatu lædi, qui si octauo exit, utpote nondũ restitutũ suæ incolumitati, uiuacem esse nõ solere. Sed Hippocrati potius accedo, qui tractatu quem scribit de octimestri partu, causam cur plærunq; non uiuat, hanc esse ait, q; eo mense difficilis sit uteri gestatio. Tũc enim grauius se habere prægnantes, & in matrice nescio quę pati grauia & incommoda, & si pariant duplici labore oppressas & partus & ægritudinis, infirmissimas fieri, unde necessario ipse quoque fœtus imbecillior factus, raro diu uiuat. Attestatur huic sententiæ, quòd si quæ inueniuntur uegetiores ualidioresq; fœminæ, solent octauo etiam mense parere uicturos, quales in Hispania inueniri scribit, Auicenna & Aristot. in Aegypto. Verba ipsa Hippocratis super hac resubieci, ne, quoniam liber hic uulgo nõ habetur, fictum cederetur à nobis. de octimestri uero generatione hæc duo continua serie dico eos pari, quæ pueri ferre nequeant, propterea q; octimestres non superesse &c, quæ sequuntur.

CVR

CVR NAVTAE, MEDICI, AGRICOLAE, VERA SAEpius prædicunt quàm astrologi. Cap. XIX.

TRia fere erant in illa secunda astrologorum ratiocinatione obiectamenta, primum à mutationibus inferiorum ex Solis Lunæq; cursibus, unde colligebant, & actionem in nos siderum aliorum, & mutationem rerum aliarum ab illis esse coniectandam. Secundum testimonio bonarū artiū medicinę, agriculturæ, nauigatoriæ, quæ suis operibus astrologicas adhibent obseruationes. Et horum ita utrūq; reiecimus, ut hisdem telis eos repungeremus, ostendētes, ut paulo ante dicebamus, ex operibus Solis & Lunæ, & ex illarum artium obseruationibus, potius colligi quod negant quàm quòd affirmant. Restat tertium, quòd ab earundem artificum uulgi ipsius prædictionibus sumebamur, quasi nimis essemus iniqui, qui nullam futurorū prę cognitionem concederemus astrologis totius cœli peritis, quā rudia magisteria, & de populo quiuis interdum etiam assequatur, ita multa de pluuijs, de ægritudinibus, de pecoribus, de annona quotidie prædici uulgo, cū euentus fidē, uidemus. Cur nō igitur, inquiunt, qui cœlestes causas exploratius norūt, & illa rectius, & alia poterunt secretiora prædicere. Hoc est quòd in præsentia nobis diluendum est, imo ut consueuimus reijciendum in eos, quod aperte nullo negocio breuiter expediemus. Nam si uera prædicuntur ab illis, nulla habita tamen ratione præceptorum astrologiæ, quis non dixerit aut leuem esse coniecturam, esse illa quæ omittuut, quæ ignorant non necessaria, sed superflua, non secretiora, sed falsiora, non dogmata, sed figmenta. At falluntur aliquando inquit Ptol. qui astrologica nesciūt? quid quòd astrologi sæpius. Conficitur igitur ut astrologi minus astrologica teneant, quàm qui astrologi non sunt. Neq; enim potest hoc denegari, magis ad fidem respondere quæ dicunt medici de ægris, agricolæ de annona, nautici de tempestatibus, pastores de pecoribus, quàm quæ de hisdem rebus ab astrologis prædicunt. Ratio statim in promptu est, quandoquidem astrologus signa respicit, quæ non sunt signa, causas speculatur quæ non sunt causæ, propterea fallitur. Respicit enim cœlestem dispositionem, quæ causa tantum uniuersalis non efficit uarietatem inferiorū, nisi promateriæ conditione causarumq; efficientium inferiorum. Tamē nec cœlestis illa dispositio quam respicit, sed ficta ab eo in cœlo dispositio per uanissimas regulas & commentitias, non natura, sed arbitrio constans astrologorū, siquidem, ut demonstrabimus, non hominum ille pater & deorum Deus, in cœlo fecit imagines, signa, partes, antisia, dodecathemoria, domus & huiusmodi alia quibus utuntur. Sed in cœlo mentitus hæc est hominum deceptor, & deorum infamator astrologus. Propterea q; nihil mirarum, si nullam rem futuram certa ratione prænoscere ista ars potest. Artifices

fices autem quos memorauimus ueris & naturalibus proprijsq; ac proximis causis indicijsq; nitunt, & ideo raro excidunt à ueritate, sed ueris præsentionibus futurorū, & fidem suis methodis faciūt, & cum prouentu bonaq; felicitate suas artes exercent. Lege libros pronosticorū Hippocratis, nunquam illum inuenies ægri statū futurum inter sidera quærere, ut qui sciret hæc magis ex lotio queri quàm ex astro, & de pulsu uenarum, quàm de motu sphærarum certius præcognosci. Periti gubernatores non ex Iue, Saturno, Venere, Marte, Mercurio præuident tempestates, sed de nube, de uentis, de omni aëris conditione, atque eorum hæc soleris disciplina experimentis ubique confirmata, de spiraculo tenuissimi flatus, de nubecula uix conspicua tempestatem intelligit imminentem, cuius nullum præsagium, nullum signum adhuc patebat oculis aliorum. Nec solum uenturam intelligunt, sed qua parte futurum ut excitetur, quomodo declinari, quomodo superari possit Ad quæ sapientia omnis astrologorum prorsus calligabit. Sic pastores, agricolæ, & ipsum sæpe uulgus inerudi-tum, statum aëris præcognoscunt, non à stellis, sed ab aëris ipsius dispositione, atque his quæ in sublimi impressionibus fiunt. quare raro fallunt, aërem scilicet ex aëre, sicut medici ægrum ex ægro, præiudicantes, hoc est ex proprijs principijs, non, quod faciunt astrologi, ex remotis & communibus uniuersalibus, imo, quod peius est, fictis imaginarijs, fabulosis. Quare nemo putet futuram agricolationem meliorem, medicinam efficaciorem, nauigationem tutiorem, si tractentur hæc ab hominibus astrologica percallentibus & obseruantibus. Quin hæc potius tabes & abolitio foret illarum artium, dum à certis regulis ad incertas, à ueris ad commentitias euocarentur, & permixtione, falsorum dogmatum, omnis iam comperti experimenti soliditas, ueritasq́ue labefactaretur. Id quod nondum rationibus intellectis quibus astrologiæ uanitas innotescit, ex eo persuaderi satis potest, quod inter initia operis diximus, summos earum artium magistros, & in illis tractandis apprime felices, non modo nō adhibuisse suis operibus astrologicas obseruationes, sed eas uel contempsisse, uel etiam confutasse. Columella, quem alibi quoque citauimus, ille rei rusticæ scriptor exactissimus, quo loco traditurus est præcepta temporum obseruandorū, meminit suæ lucubrationis aduersus astrologos, & uera inquit hæc quæ nos pingui Minerua tractauimus, falsa uero quæ impudentissime Chaldæi pollicentur, alibi quoque à nobis confutata. Quare colligenti sic Ptolemæo, multa præuidēt de statu aëris agricultores, igitur nos plura certioraq;, quanto illis cœlestium rerum cognitione præstamus, negabit Columella esse in consecutione ueritatem, quoniam scilicet hoc astrologicum sapere quo agricolis præstant, non est sapere, sed desipere, hoc est non plura quàm illi sciunt, sed plura fingunt magnitudine rerū, circa quæ mentiuntur, professionis ludibriū prætegentes,

quam

quam indubie cum alijs honestissimo loco uita recepisset, si tam bonas artes, tam necessarias, agricolationem, medicinam, nauigatoriam redderet meliores, sed deprehensa sæpius uanitas & fallacia à prudentissimis legũlatoribus, eos coegit, ut seueriſsimis interdictionibus illam ciuitatibus eliminarent, ut primo libro declaratum à nobis, ne simul & bonas & mentes & artes, occultissimis suis uenenis inficeret, Quæ quantum à gregarijs his quas dictabamus artibus in futurorum præsentione uincatur, uel hinc innotescat, quòd inter nauticos & agricolas, & pastores, de eorum pronosticis mire conuenit, inter astrologos nihil, adeo ut nihil dubitet Aboasar iter capere non petasatus, quo die Ptol. aquarum eluuiem denunciauerit.

NON OMNIA QVAE AB ASTROLOGIS PRAEDICUNTUR de primis qualitatibus dependere. Cap. XX.

EXcutere iam uolumus quæ de primis possint qualitatib. dependere, quoniam id tertia astrologorum ratio expoſcere uidebatur, & Ptol. non alia uia quæcunq; fiunt fieri probat à fidelibus, quod apotelesmatici eius libri declarãt, & astrologi omnes huc se semper recipiunt, quoties aut nihil superstitioſe dici à se defendunt, quodqúe per naturæ uestigia non procedat, aut nihil rursus cuius reddi manifesta ratio non possit. Ferè enim ad has confugiunt qualitates, quoties, cur hæc Iupiter, illa Saturnus, alia alius facit Planetarum, interrogantur. In quo illos & sibi & ueritati parum consona loqui, parte operis ea monstrabitur, qua rationes astrologici dogmatis refellũtur. Frustra uero perfugiũ hoc illos sibi parare, prẹter ea quẹ diximus, multa quoque declarant. Inter quæ illud primum occurrit, futurum ut in fati sortitione plus anni tempus faciat quo quis nascatur, quàm quæuis alia diuersitas constellationis, siquidem plus quoq; facit ad intentionem remissionemq; primarum qualitatum, quàm quæuis alia uel positio siderũ, uel mixtura radiorũ. Adeò semper æstiui dies hybernis calidiores, etiã si quantumuis æstate rigeat torpeatq; Saturnus. Contra semper æstiuis hyberni frigidiores, etiã cum ardet Mars, medioq; furit flãmatus olympo. Quod si fati differentia oritur frigore & calore, si ccitate & humiditate, plus minusq; uigentibus, sequitur omnino damnatos etiam semper frigido fato quicunq; nati hyeme fuerint præ his qui nati fuerint per æstatem, præsertim si (quod illis est necessario defendendum) plus hanc aëris sic affecti cœlitus qualitatem quàm seminis & materiæ proximæ conditionem sequuntur. Præterea si tuetur hoc Ptolemæus, quod est illi pro fundamento naturalis astrologiæ, ut per primas qualitates reliqua faciant radij planetarum, non debet in hominum genituris aut mores aut fortunam aliunde uaticinari, quàm ex ea constellatione quæ corporis habitum facit atque demonstrat, quando hinc omnia consequãtur. Et pariter in uniuersalibus uaticinijs una erit res inspicienda, quis futurus aëris status, hoc inspecto reliqua pate-

patefient. Siquidē pro caloris & frigoris, pro siccitatis humiditatisq; modo cætera disponuntur. At non ita uel alij uel ipse Ptolemæus, cum sæpe quæ de moribus in priuata genesi, quæ de fortuitis casibus dicunt, minime corporis temperamento respondent ea ratione qua solent ad hos cætera referri. Nec quæ de tempestatibus anni totius hic congruent, quæ de moribus, de pestilentia, de annona, de bellis pronunciabunt, quare scilicet à diuersissimis ista constellationibus inuestigant. Quod legenti tū astrologicos libros, tum astrologorum uaticinia, haud difficile constabit. Non igitur suæ superstitioni faciem hanc prætendant honestamentumq; Methodi naturalis, ut eatenus se subijcere res humanas sideribus dicant, quatenus aëris corporisq; dispositio in qualitatibus primis à cœlo dependet. Nam hoc quidem ingrediens artem asserensq; eam quasi possibilem dixit Ptolemæus, sed in processu explicatuq; dogmatum nec obseruauit, nec potuit saluis professionis iuribus obseruare. Alioquin, quod dicebā, paucis constaret astrologia, cui tantum de aëris dispositione & habitu corporum foret dicendum. Reliqua ex his paucissimis datis regulis quiuis è medio sibi coniectaret. Sed & innumera sunt in Ptolemæi libris & aliorum, quæ de materiæ qualitatibus primis originē ducere nullo modo possunt.

NEC NOXAS ELEMENTORVM, NEC DAMNA NOstrorum corporum esse à cœlo. Cap. XXI.

EX his quę modo diximus, illud facile reijci potest quod tertio loco ad astrologiæ assertionem supra in medium afferebatur: Nam cum dicitur, si mutationes aëris sideribus, igitur & pestilentiæ, cataclysmi, & exustiones, & caritas annonæ. Negamus, neq; enim sequitur, imo hæc qui dicit, quid sit cœlum ignorat. Nam quid aliud ipsum in natura tota corporea, quàm in particulari quolibet corpore ipsa uis continens totū ne diffluat, ne dissoluat? Quod cor in animali fons uirtutis illius, qua seruatur integritas ordoq; mixturæ, & membrorum inuadentium iniuria propulsatur. Sciat igitur, qui excessus elementorum, unde incendia, & cataclysmus contingit, unde caritas, morbi ac pestilentiæ, cœlo refert accepta, nō aliter errare, quàm qui nostri corporis morbos, uitia, causationes, in ipsam regentem corpus naturæ refert potestatem, cuius est illa curare, non facere, sopirenō excitare. Quæ si sunt uera, patet aliud item esse qualitates primas, aliud qualitatum primarum recessus & detrimenta cœlitus fieri, nisi negemus aliud esse iura & magistratus omnes ciuitatis, aliud quod in illis delinquitur opere boni principis originē trahere. Vt igitur philosophus dederit, quicquid est in elementis ordinarium & naturale, authorem habere cœlum, nescio tamen qua ratione sit concessurus, etiam inde esse quòd deficiunt, quòd naturæ prę scripto & legib. uariant, cum sit potius illud philosophorum dogma, quòd elementa maneant intra fines & suo iure contenta, negocium mundo non

faceſſant à cœleſti eſſe natura regente & moderãte fluxibilem & erraticum numerum rerum corruptibilium. Sed, inquies, quando mihi conceſſeris, alias ſtellas facere frigiditatẽ, alias caliditatem, nónne ſequit illud, ut frigidis ſtellis prædominantibus, elementa frigida inualeſcant, calidis calida. Quod ſi dicit, non eueniat etiã, ut concurſu magno frigidarum conſtellationum frigiditas ita aquarum exuberet, ut eluuionibus terra mergat. Cõtra calidis ualde potentibus, fiant exuſtiones. Facilis reſpõſio, nec una tantum, primum de dominatu planetarum atq; ſignorum, quæ finxere aſtrologi, ut falſa ſint poſtea demonſtrabitur. Quid, inquam, ita planeta quiſquã imperabit cœlo, ut in hoc mũdo prodigioſa producat, præſertim mala? Cum cœli opus ex omniũ luminum conſpiratione diſſultet, ita tota illa ſuperior ſemper temperat harmonia, ut ſicut in ipſa omnia conſonãt, ita per eam nihil diſſonet unquam in inferiori mundo, in quo quoties inconcinnum, aſperũ, diſcors auditur, ad tactũ cœli ne referatur, ſed ad quatuor iſtas chordas citharæ ſublunaris quæ de inordinata materia, impuraq; contactæ cœleſti plectro ad numerum illas ſemper concordiamq; mouente, contumaces interdum inueniuntur. Poſt hæc ſubtilius conſiderãdum eſt, ſi præfecta uarijs elementis uaria ſidera ſunt, ideo eſſe præfecta ut perficiantur elementa ipſa. Quare erit quodlibet elementum tanto perfectius, quanto præſens ſtella fuerit potentior. Quod ſi perfectio partium perfectioni totius non repugnat, imò cum toto partes labefactantur, non pertinebit ad elementi perfectionem, ut natura tranſgrediẽs ordinem occupet cætera, ſed tunc erit perfectum cum ab ordine curſuq; naturæ nihil deflexerit, à quo certe deflectere tam poteſt excedendo q̃ deficiendo. Quocirca ſi præſit igni Mars, quandoquidem in ſubiectam qualitatem fieri nihil conuenit à ſtella, quod ordini bono naturæq; legibus non conſentiat, non minus compeſcere tumultuantem, quàm ſuſcitare torpentem cœleſtis præfecturæ officium fuerit. Poteſt igitur id concedi ut ſint quatuor primæ qualitates à cœlo, nec tamen horum delicta, tranſgreſsiones, tumultus, à cœlo ſint, ſed à materiæ motibus inordinatis, cœleſtis diſciplinæ legibus uſquequaque non obſequentis. Vt propterea credam, nec Platonem, nec Ariſtotelem in Timæo, uel in Meteoris, iſtas elementorum tyrannides temporarias, ad conſtellationum uim ullam unquam retuliſſe. Conſtat autem ex dictis, non modo noxas elementorum, ſed & eadem ratione damna corporum noſtrorum, cæterorumq; animantium in cœlo cauſas non habere. Quod quidem & potiſsimũ inter omnia corpora, & ordinis & beneficentiæ titulis inſigne, nec ea debet efficere quæ ſunt opera potius tumultuantis materiæ uel deficientis. Quare quod de elementis diximus, licet de humoribus itidem dicere in noſtro corpore illis reſpondentibus, ſi præeſt atræ bili Saturnus, Mars rubræ, alius ſanguini, pituitæ alius, non aliud magis horũ planetarũ opus, q̃ frenare has qualitates & cõtinere ſub concin-

concinnã uitę dispositionem. Nec cũ præpotẽs erit Saturnus, suscitabitur atra bilis, ut reliquos perdat, totumq; labefactet, sed ordinatius, compositius, melius se habebit. Idem de rubra dicendum cũ regnauerit Mars, quãdoquidem illorum radij & natura sua benefici sint, ac salutares, nec agunt instar ignis, sed quemadmodum calor insitus nobis uegetalis, animæ manu recte operatur ad finem certum pro salute uiuentis, ita lumina illa uitalia intimæ mentis suæ animi organa, non ad perniciem unquã, sed ad commodum corporum subditorum & benificentiã agũt. Saturnus in atrã bilem (siquidem illi præest) nihil unquã non ordinatum, nõ uiuificũ influet, quare non excitabit illam ad exitũ animalis, sed moderabit ad cõseruationem. Nec habebũt à stellis suis humores, cum illæ præualuerint, quo magis & uiolentius agant, sed quo moderatius atq; uiuacius. Nunquã mors à cœlo, sed à materia cũ uitio proprio, quę q; qualitas ita degenerauit, ut prę fecti sideris disciplinã non sustineat, sed uel euaget immodica, uel remissa deficiat. At nostri diuinatores, qui se cœli sicut interpretes, ita patronos & defensores faciunt, non tantũ morbos irritatu nimio primarũ qualitatũ, sed & uitia ipsa, cæcitatem, surditatem, referunt ad stellas, & quod est detestabilius, etiã ipsa monstra, quo nihil dici, nihil cogitari potest absurdius. Nã quid aliud monstra quàm peccata naturæ? Hæc aũt nemo unquã philosophus retulit ad efficientem causam, præsertim indeficientẽ, omnes ad materiam. Nec ita quisquã delirauit, ut diceret monstrificos partus culpa fieri uirtutis informãtis, quæ scilicet Dei acta manu nihil delinquat, sed accusant materiã situ uel quãtitate, uel qualitate, male formabilem, & opifici suo contumacem atq; rebellem. At longe maior insania cœli uirtutem damnare quàm seminis. Quæ tanto minus errare potest atq; deficere, quanto ipsa natura potentior, & domina & artifici iunctior, à quo nõ aliter quàm per ipsum ista seminaria uirtus inferior regitur atq; formaẽ. Nimis igitur quàm absurdum, putare cœlestium motus & cõfigurationes (si modo uariant istę configurationes efficientiã planetarum) aliter unquã ire atq; comporti, quàm naturalis tenor & cursus exigit ordinatus rerũ inferiorũ. Alioquin naturæ iste ordo, cuius transgressio monstrum, ubinam sedet? ubinam habet originem? si non hæc in cœlo? aut quomodo suam satis uocem audiunt? quo rem malam, inordinatã non naturalem, cuius origo uitiũ & infirmitas, primis ascribunt naturę causis, omniũ optimis, ordinatissimis & potentissimis. Vere ergo dixit Auerrois qui crediderit Martem aut sidus aliud quoquomodo dispositum nocere corporibus, aliena credere ab omni philosophia. Sed ita est certe, nulla professio cœlo magis iniuriosa astrologica superstitione, quæ quicquid à nobis fit præter rationem, culpa uoluntatis, quicquid in materia euenit prȩter ordinem, uitio temeritatis, labilisq; materiæ, id totum sideribus ambit imputare, nec putat illorum salutem dignitatem, si non illis indignissima quæq; accepta referantur.

INGENIORVM ET MORVM VARIETATEM NON omnino pendere à primis qualitatibus. Cap. XXII.

VErumenimuero si nõ faciunt sidera malas corporum affectiones, ipsas saltem corporum faciunt diuersitates, nõ morbosas, non uitiosas, non causarias, sed intra fines integritatisq; naturæ media inter se temperamẽti ratione distantes. Sequẽs enim hoc uniuersaliter omnino, ut si primarũ quaruor qualitatũ sidera sunt authores, ut scilicet à Saturno nascantur, siue concipiãtur corpora sicciora & frigidiora, calidiora sub Marte, humidiora sub Venere, atq; ita de reliquis, quam temperamenti diuersitatem solet diuersitas ingeniorum & affectionum animi consequi, non quibus cogamur, sed quibus irritemur. Sed hic postea locus latius pertractabitur. Illud autem uideamus, an ingeniorũ & morum hinc nasci dissimilitudo possit. Nam ut aliquo modo uerum, falsum tamen aliqua ex parte. Consequitur enim qualitatum in corpore prępotentium modus quoq; nonnihil affectionum, ut proniores ad iram bilis efferuescens, segnes pituita, sanguis hilariores, tristes atra bilis, efficiat. Sed hoc oppido quàm generale nec euidentiæ semper respondet, nec satisfacit occultioribus quibusdam, & maxime proprijs ingeniorum cõditionibus. Dixi non semper euidentiæ respondere, quoniam est interdum inuenire homines temperamento corporis quàm simillimos, studijs tamen, non quæ fecit electio, sed naturæ propẽsio dissimilimos. Vidi ego sub uirginea facie ferinam immanitatem, sub truci uultu & aspernabili, mitem & amabilem mansuetudinem. Alios frontis gratia, orisq; uenustate, lætitiam perpetuam præseferentes, intus æstuare mœroribus, & sibi esse fastidio. Alios quos tu iudices plane Saturni esse mancipia, hilaritatibus atq; facetijs omnia serenare. Quæ possunt alias à primis qualitatibus uires germina consequi consensu fere philosophorũ, hoc est, quæ nec primæ illę quatuor, aut filię aut appendices sunt. Ad quas etiã multa referri plane nõ possę quæ de morũ diuersitate uaticinantur astrologi, paulo post declarabimus.

NEQVE BELLA NEQVE EXTERNA A PRIMIS qualitatibus pendere. Cap. XXIII.

ILlud uero nimis ridiculum si possunt sidera facere frigus, æstũ, aliasq; qualitates, posse etiam bella, seditiones, posse urbes euertere, imperiaq; permutare. Nec minus positioni ridicula ratio. Nam excitata, inquiunt, bili incorporibus regum & principum, æstu animi flagrantiore fiunt auidiores iniuriæ, uel reponendæ, uel inferendæ. O beatam Italiam & perpetua pace florentem, si pituitosos habere tibi principes liceat, magnum hoc bonũ atq; diuinũ, paruo constare potest, unciola una lecti pharmaci bilem educentis, si rite principibus diuidat, his qui magis bellicosi, totum nobis pacabit orbem. Hæc quis cõfutet potius quàm irrideat? quasi hęc demum bellorum causa, quasi ne magis auaris

auaritia, quàm ira, non cupido, non occasio spesue potiundi. Non simultates & odia quæ sunt apud astrologos à Saturno potius q̃ à Marte. Non interdum amor ipse iusticiæ bella suscitent atq; tumultus, quasi nõ sæpius sit animus regum pro bile Deus. Nunc bonos exercens ad uirtutem, nunc puniens malos ministerio sæpe malorum, quos ille carnifices in mundana repub. & quasi uisibiles dæmones habet. Verum hic quamuis deridicula dicunt astrologi, uidentur tamen aliquid dicere. At externa quæ pro nostris humoribus nihilo uariantur, quomodo referẽt ad istas quatuor qualitates? exilia, dignitates, diuitias, egestatem, liberos, uxorem, amicos, inimicos? habent (inquit Ptolemæus) affinitatem cum animo & corpore, ut cum animo quidem, honor & dignitas, cum corpore uxor atque diuitiæ. Quæ ista affinitas ô Ptolemæe? ut fortuita hæc animi corporisue cõditionem sequantur? An quod soletis dicere, si quem Martis influxus efficit bilio sum, eidem & uulnera & uiolentam mortem infligit, quoniam bilis ardor ad rixas incitet atq; ad arma, inter quæ mors ipsa familiariter habitat. Verum solet à nobis id maxime siderum opus existimari, cum homo mitis, in ocio degens, nulli contumelio sus, in pericula tamẽ, in gladios, in inimicitias, fatali ui quadã trahitur quasi nolens, pariter bellicosus homo, crabronumq; ut dicitur irritator, plenus dierũ, illæ sus domi obeat inter suos. Cur igit ille Martio calore destitutus gladio tamen oppetit, quod est opus Martis, hic in pace moritur, quanquam Marte fere ipse calidior? Præterea possint huiusmodi quædam nonnihil præ se ferre commertij cum his quę intra nos sunt, quare ad habitum corporis referantur, illa qua ratione differentiam corporis animiq; consequentur, uxor, diuitiæ, dignitates, & quę hoc genere alia sunt, profecto ne somniare quidem hoc licet. Quapropter & ipse Ptolemæus primo capite libri Apotelesmaton, ubi suam struit rationem de siderum efficientia, nõ aliud colligit quàm quòd aliquo modo consequens erit corporis scilicet atq; animi, quatenus hæret corpori, diuersitatem ab astris prouenire, de fortuitis rebus nihil adijcit eo loco. Ita enim scribit, profecit igitur dicere quis quocunq; tempore status ambientis nos aëris sit futurus. Sed & proprium cuiuslibet hominis habitum & temperamẽtum intelliget ducto de statu aëris argumento cum formabat. Quare dicere poterit quale corpus, & qualem animum sortiretur. Tum quomodo successu temporum se habebit, præuidens scilicet futuram aëris dispositionem tali temperatura corpori conuenientem, facere ad eius incolumitatem, uel dissonantem occasionem dare morbi & ægritudinis. Hæc ibi Ptolem. in quibus quemadmodum apparet nulla mentio super externis. Mox uero proximo capite ubi iterat dicta nectitq; seqẽntibus, exteriora etiam adijcit, quasi de illis quoq; probasset, forte falli putans posse Lectorem, cui iam ratio excidisset, ex qua illud deduci comprobariq; dicebatur. Quare si dederimus Ptolemæo mutari materiæ primas affectiones,

humiditatis & siccitatis, frigoris & caloris, pro conditione statuque si-derum, minime tamen concessuri sumus esse sidera diuersos hominum uariantia casus.

OCCVLTAS VIRES COELESTIBVS NON INESSE, PER quas occultas inferiorum rerum proprietates producant, sed calorem tantum lumenq; uiuificum. Cap. XXIIII.

REstat discutiendum an præter effectricem uim qualitatum istarum occultiores in sideribus uires eminẽtioresq; sint, per quas facere multa possint, quę per primas illas qualitates facere non possunt, sicut sua quadã proprietate magnes ferrũ trahit, pœonia caducis opitulatur, & alijs rebus insunt aliæ potestates, ipsis materiæ primis affectionibus & nobiliores & efficaciores. Hoc ratio quarta contendebat, asserens nullo modo posse uirtutibus huiusmodi non abundare stellas, si (quod ab omnibus fere philosophis dicitur) beneficio stellarum tales dotes terrena sortiuntur, tum cum nobilissima corpora sint, nobilissimisq; dotibus prædita esse necessario. Sed neque nobilitas horum corporum, nec quòd ab illis occultæ mirabilesq; terrenorum corporum uires esse dicantur, argumentum est quo cogamur uirtutes tales, hoc est, esse aliquam præter eam quam diximus cum calore uiuifico potestatem, in natura cœlesti sitas opinari. Nam ut postremũ hic primitus exequamur, non accipiunt recte quod dicitur, sortiri cœlitus uires inferiora corpora, quibus ea faciunt quæ per quatuor primas qualitates effici non possunt. Fluunt illę dotes & potestates à principijs intimis ipsorum corporum, hoc est, ab eorum formis, siue dicere mauis essentijs, porrò cœlum sicut formam deidi, quam motus ille consequitur, sic dare illis tales uirtutes dicit. Quarum tamen diuersitas à diuersitate fit, nõ constellationis sed mixtionis, ex cuius uaria proportione alia atque alia forma dissultat. Atque hoc ipsum ad cœlorum pertinet dignitatem, siquidem quæ diuiduntur in multitudinem apud ordinem inferiorem, ea simplici actu & eminentiore collecta, possidet ordo superior. Proinde si ista sublunaris, tam multiformis, tam numerosa turba corporum caducorum, infirma, tumultuaria, particularis, angusta, ad cœleste corpus, æternũ, indefectibile, simplex, amplum, uniuersale refertur. Ita rationi maxime cõsentaneum, quicquid uirium, quicquid perfectionis in partes sectum, & distributum inferioribus est, à corpore illo primo prouenire. Omnes autem pariter, licet tam uarias, tam multiplices, unica sua dote luminis & caloris cœlestia largiuntur. Quæ plus minus ex serie sideribus communicata, facit illorũ inter se ordinem potius quàm diuersitatem. Nec remotius inquirendũ quæ dos ista, quæ sit ista proprietas, diximus sæpius illam nec indigere demonstrante, quæ seipsam, & alia cum se omnia ipsa demonstrat, lux scilicet omnibus euidens, quæ de motore corpore profluens, afflansq; calorem indicat ferè nobis occultum mysterium

sterium diuinitatis, & potestatẽ in motu, in luce sapientiam, in calore figurat amorem, quibus mouet, illustrat, creat, perficit, seruat omnia, primus ille Deus, primus omnium, inquam, sicuti primum est inter omnia corpora cœlum, præter hanc triplicis ab uno corpore ordine quodam pendentis efficaciæ prærogatiuam, quid in cœlo desideramus, aut quid illi deesse nobis uidetur ad summam perfectionem naturæ corporalis & principatum inferioris mundi. Multiplicibus insigniri distinguiq; proprietatibus arrogat dignitatẽ imperfectæ naturæ, perfectę uero derogat, cui proprium, ut dixi, simul collectũ in uno posidere, quod partiario posident inferiora diuisim, quod utique priuilegium si perpetuo motui corporis & calorifico lumini non conueniret, utiq; præter ipsum inquirendum esset aliud in cœlo quod actu simplici ambiret cõplecteretur q; uirtutem corporum quorumcunq; corruptibilium. Sed in eo si plene hoc reperitur, alia cõmiscendi non est necessarius labor. Reperitur autem indubiè, siquidem sine illo res ulla corporea nec generare, nec genita exercere suas operationes potest. Tolle enim ipsum cum suo calore, nec pœonia caducis opitulabitur, nec hyacinthus sanguinem sistet, nec rheumbarbarum bilem educet. Et sicut rerum quæcunque agunt in nos cessaret efficacia, si caloris intimi nostri fomento non excitaretur, ita cessaret & uirtus corporum illorum, & calor ipse uiuentium, nisi cœlesti calore & fouerentur seorsum, & inuicem copularentur. Actus igitur & perfectio uirium, quæcunq; rebus terrenis inditæ sunt, hoc ipsum lumen calorificum est, quatenus quidem calet, sicut omnium calor rursus perfectio est, quatenus lucet. Et quemadmodum nec uideri colores, nec oculi uidere, præterquàm lucis istius beneficio possunt: Ita nec dotes corporum quorumcunq; aut consistere ipsę, aut se afficere inuicem possunt, si motus illius atque caloris ope destituantur. Quare sicut ad dignitatem decoremq; pertinet cœli, qui pro tãta colorum diuersitate uno ipsius natiuæ lucis splendore coruscent, ita fuerit suæ perfectionis, pro multiplici materialium uirtutum numero unam posse diffe uirtutem, & illis omnibus nobiliorem, sicut omnes colores lux antecedit, & perfectam illarum constitutionem, sicut lux omnium colorum perfecta constitutio est, nec plus detrahi putemus dignitati cœli, si particulares istas dotes stellis abnegamus, quàm quod ipsum quoque cœlum, nec flauum credimus, nec cæruleum, neque prasinum, nec purpureum,

quæ sicut in terrenis speciosa & necessaria uarietas, ita
nec possibilis in sideribus, nec decora.

SI SVA CVIQVE SIDERI ET PROPRIA VIS CONcedatur, esse tamen illam uniuersalem. Cap. XXV.

TAm si contendat aliquis, ut præter hanc omnibus communem proprietatem motus luminis atq; caloris, sua habeat quæq; stella propriã influentiã, non magnopere, quanquam possim, illi resistam. Sed admonebo diuersas istas uirtutes, quibus inter se differunt, hoc tamen cõuenire, quòd omnes uirtutes cœlestes sunt. Quicquid aũt in cœlo est, & si comparatũ, uniuersitati cœlestiũ particulare aliquid est, idem tamẽ ad sublunaria si referatur (ut maxime sit angustũ) uniuersale est, uniuersale cũ dico, ita intelligi uolo, ut totã corruptibilis mũdi perfectionẽ claudat in seipso, alioquin cœleste nõ erit, ut parte iam declaratũ, mox quoq; latius explicabit. Quod si concedatur, nihil iuuabũt rem astrológicã siderũ istæ dotes peculiares, sed erit quidem Iouis alia quàm Saturni proprietas, uerũ non propterea efficiet apud nos aliud Iupiter quàm Saturnus, quare pariter omnia per hanc suã proprietatẽ uterq; facere poterit. Iouia uirtus differt à Saturnia, nõ negabo. Sed nulla uirtus corporũ inferiorum, quã & Iouia æque atq; Saturnia, & Saturnia æque atq; Iouia non contineat, generet, seruet, efficacẽ reddat, atq; perfectũ. Dicã primũ cur ita sit, dehinc quomodo stet, cum ista cõmunione diuersitas in utroq;, & proprietatis, & actionis. Cœli natura nõ uidet apertius simul & breuius explicari posse, q̃ si dixeris cœlum unitatem esse omniũ corporũ, sane nulla est multitudo quæ nõ à sua unitate dependeat, nihil in uniuerso quod non ab uno quasi fontali capite deriuet. Et quemadmodũ in exercitu legio quælibet ad præfectũ suũ, totus exercitus ad unũ refert Imperatorem, ita quæcunq; series rerũ generis cõmunione sibi consentiẽs, habet suum principium à quo deducitur, à quo fouet, regitur & continet. Quæ cũ sint multa principia, quasi multiplex unitas ad simplicissimã unitatẽ primi principij postremo redigit. Est aũt quemadmodũ omnis numerus quodammodo in unitate, tota ciuitas in rege, totus exercitus in Imperatore, ita suo in principio sui quasi gregis, uirtus omnis atq; perfectio. Verũ quod in illa gregaria (ut ita dixerim) cõditione, diuisum, mancũ, infectum, interminatũ est. Viget in capite interminatæ cuiusdã unitatis singulari cõplexu, purum, efficax atq; perfectũ. Quo fit ut nihil consequentis corporis esse in capite, & rursus in capite totum corpus esse dicat. Ita quod est primum inter ea quæ sunt ineffabilis Deus, & nihil eorũ est quæ sunt, & rursus omnia est eminentia quadã principalis naturæ, & omnimodæ potestatis. Corporeũ ergo genus à quo principio dependebit, potius q̃ à primo corpore, loco & dignitate? hoc aũt est Cœlũ. Verè igit q̃d dicebamus. Cœlũ unitas erit omniũ corporũ, de quo negari possint omnia q̃ sint corporũ aliorũ, & omnia etiã possint affirmari. Negari quidẽ, quoniã q̃d in illis formatũ uarios habet fines, q̃d discretũ, multiplex, imperfectum, in cœlo nec characteres eos formæ

formę nec eã pariter habet diuersitatem. Affirmari q; omnia illa simul nõ potestate materiæ, sed uirtutis amplitudine, & originalis naturæ sublimitate cõcludit. Quę si cœli natura est, certe nulli nõ cœlestiũ uenit, nec ita existimandum, ut totũ quidem cœlum totã cõtineat perfectionẽ corporũ inferiorũ, pars uero partem. Nullũ id foret cœli priuilegiũ, sed pars quęlibet cœli, totus est mundus inferior, exceptis quę in mũdo sunt, sed nõ ex mundo. Hoc Pithagorici significasse uidẽt Allegorica quadam sua sententia qua soliti affirmare, totã hanc regionem sublunarem unã esse stellam, & in qualibet cœli stella omnia esse, quæ hĩc nostra regione uisunt̃, sic in Luna, tum quatuor elementorũ, tum uallium esse montiumq; discrimina, sed & stirpes & animantia quæcunque apud nos sunt, ita in Venere, Mercurio, reliquisq; sideribus, quo typo certe non aliud nobis declarant, quàm quod astruere uolebamus nullam esse in cœlo stellam, quę non ambiat totum, quod est sub Luna, alioquin illæ cœlesti natura non erunt, si non falsè suppositum atq; probatum, nihil uerius dici naturam cœlestem, quàm unitatem naturæ corporeæ. Tum quòd hoc fuerit cœlo dignum priuilegium, quòd tanta uastitate & numero luminum innumerabili, sublunaris demum angustiæ bona complectatur. Est igitur in uirtute cuiuslibet stellæ, uirtus omnis corporum caducorum, nec hoc differunt diuersarum stellarum uirtutes quòd alijs aliæ rebus præsint, cum præsint omnib. omnes. Nec quę fuerit altior præstat inferiori latiore complexu, hoc est plurium rerum, sed nobiliore, eadem continens & quæ continet inferior, sed unitius longe quàm illa & eminentius. Videri potest hoc idem in mentibus separatis & animantium cognitione. Nam sicut omne corpus à cœlo, ita uis omnis cognitionis particeps pendet ab intellectu. Intellectum uoco non nostrum, qui ratio dicitur, sed angelorum, quos philosophi mentes & intellectus uocant, Hic sibi supereſt ad intelligendũ, nec aliquid infra se, nec in aliquo infra se inspicit, quod intelligit, non fallitur, nõ laborat. Et quod in omni genere cognitionis potestatibus uarijs distributum excellit, id unita potestate excellentius longe quàm sit in illis possidet, in seipso ueritatem conspicit, tangitq; præsentem certitudine sensus. Habet apud se illam dilabentibus rebus imaginaria facultate, peruidet causas & species rerum tam corporeas quàm incorporeas perspicacia rationali, non rationalis ille, uel sensualis, uel imaginarius, sed per intellectualem proprietatem nobiliore conditione, quod in illis perfectum est colligens, reijcit quod imperfectum. Est enim in nobis cognitio phisica aliud à mathematica, mathematica aliud à diuina. Nam phisicam ratio cum sensu consequitur, maihematicam cum phantasia, diuinam cum mente & intellectu. Porrò mentium nulla est etiam despicatissima, quæ non omnem ueritatem in suo lumine uideat, qua nos illis scientijs artibusq; uel attingimus certe uel anhelamus. Eia igitur comparemus ista corporeis,

sunt

sunt in nobis hæ artes atq; scientiæ, sunt in tota cognoscente natura uaria genera cognitionum? id quod in corporũ turba diuersarum uirtutum uaria priuilegia. Est omnis cognitio, participatio quædam luminis intellectualis, est corporea omnis uirtus participatio quædã facultatis cœlestis. Quanquam sicut illa euidentius in ratione, ita perfectius hæc elucet in spiritu cordis. His ita positis, agite uideamus an recte dixerit quispiam, si de mentibus illis defluant intellectuales radij, alios fore qui physicos faciant non mathematicos, alios mathematicos non diuinos, alios diuinos potius q̃ physicos, uel mathematicos, atq; ita hęc lux erit, ut ista studia penes naturæ diuersitatem mentium spirantium, non à radiorum ab eadẽ mente suo ita consilio uoluntateq; proficiscentium, puto rectius sentiet qui nihil esse credat huiusmodi, quod & largiter dare quæuis illarum non possit, & quæ non sua quidem, more siderum, libertate donet, sed natura, & si contingit ut hoc potius inde quàm illud munus excipiatur, non ad dantem in omnia æque liberalem, sed ad captum accipientis conditionemq; dicat esse referendum. Quod si quemadmodum diximus ita se habet stella ad corruptibile corpus, quod ad nostrum attinet hoc propositum, sicut mens ad defectibilem cognitionẽ, pariter erit dicendũ posse stellam quàlibet ei se dare, quicquid corpus subditum, quodcunq; sit illud, accipere natum est, ut iam afflatus occulti diuersitatem nõ afflantis stellæ, quod astrologus putat, sed afflatæ materiæ diuersitas faciat. Dixi afflatum occultum, quoniam sideris actio per lumen atq; calorem, pro intentione remissioneq; radij potest esse diuersa, quod superius explicauimus, sed in occultis istis proprietatib. per quas ipsa se quasi stella propagat, effunditq; suas (ut ita dixerim) species & imagines, sicut illa nõ apparet intentio atq; remissio, ita nec ullam agendi diuersitatem ponere persuademur. At inquies uirtus loquis & species ista diffusa, diuersa est certe à uirtute Saturni. Fateor, sed non propterea diuersam rem effecturam, cum nulla sit res in sublunari mũdo, quam non utrauis facere possit. Qnænam igitur actionis diuersitas? facit utraque idem, sed alia idem facit alio modo, nobiliore nobilior, & eminentiore. Quanquam nescio si de istis uirtutibus ita statuamus, an efficacior forsitan in nos uirtus inferior, non quia loco proximior, sed quia naturæ cognatior, sed alterius operis hæc inquisitio. Hic tantum asserimus, si præter lumen atque calorem sua cuique sideri proprietas concedatur, ita defendi posse, omnes uniuersales, ut nullam faciant ex se diuersitatem inferiorum. Possemus tamen concedere uim aliquã particularem illis, contrahentes, scilicet, sideream potestatem, atque ita concedere, ut nihil hoc tamen adiuuaret astrologos, ut si omnes quidem stellas in omnibus semper idem operari, sed non omnia in omnibus concedamus, uerũ aliud aliam, ad hoc exemplum: Constant corpora quælibet ex materia & forma, putet igitur aliquis ita se rem habere, ut quæ attinẽt ad materiam, tria minora sit dera

dera faciant, Luna, Venus atq; Mercurius, diuisis officijs, ut materiam ipsam Luna regat, ad formã uero disponat à Venere & Mercurio, à Venere per quantitatẽ dum fit ordo, figura, cõpositio, decor debitus in partibus, à Mercurio per qualitatem, dum formabili mobilitate susciendæ formę congruas induit affectiones, atq; sunt formæ manentis à superioribus tribus stellis in hunc modum, ut quòd forma sit habeat à Saturno, quòd det esse & uitam his quæ uiuunt à Ioue, quòd moueat intus excitetq; ad operandum à Marte. Quod autem seres quælibet ipsa diffundat, & per diffusionem notificet atq; propaget, ad Solem potissimum referetur, cuius esse uideatur operatam materiam uincere, de qua sibi simile parit, qua & generatio ipsa & manifestatio. Quid si igitur differrent opera Planetarũ, quod & ultro concedimus, non ratione, non fide experimentorum, non authoritate Platonis, Aristotelisúe coacti, esset tamen quoq; omnis diuersitas rerum inferiorum, non à cœlo, sed à causis inferioribus, agente illo quod est suũ semper in omnibus, eodem modo, sed opere uariato, tum à proximis causis, tum à dispositione materiæ, particulares magis quàm uirtutes in sideribus ponere, quando nec istas uniuersales nulla ratio persuadet, posset de quibusdam aliter suspicari sine piaculo, & cum doctorum etiam authoritate non nego, sed quod sequens liber ostendet, sicq; huiusmodi nec sunt illę quas astrologi dicunt, nec illis afficimur eo modo quo credunt.

EPILOGVS HVIVS LIBRI CVM REIECTIONE quarundam rationum astrologorum in ipsos argumentantes. Cap. XXVI.

EXaminauimus naturales omnes mutationes rerum inferiorũ, quæcunq; cœli opera esse uidentur, nã de fortuitis hominũ casibus in quintæ rationis solutione dicemus, nec repertum in illis quod faueret astrologis, sed occasio data potius multa obijciendi, ut sit quod eos ἀνάγνῳσιν istam cõmouisse pœniteat. Etenim quid colligimus inde aliud cũ radijs luminariũ affici corpora sublunaria? Sed nec alia affectatione cũ caloris, nec alterius caloris cũ uitalis, nec cuius actio alter immutaret, cũ pro situ sideris, uel ex propinquo, uel è directo nos magis irradiãtis. Ex his principijs omniũ effectuũ reddimus rationẽ, quoscunq; fide experientiæ in testimoniũ sui dogmatis afferebant, in qua reddenda non confirmari astrologiã ex illis obseruationibus sed infirmari patebat, & quid illi uel fallerent, uel fallerentur, ubiq; detegebat. Sic falsò apparuit credi ab illis uim Solis exiccatricem, aut Lunæ parũ salubriter humectatricem & frigidã, falsò fingi in Luna uim occultã præter motũ & lumen, quæ mare reuocet & effundat. falsò noxa patus octimestris reum fieri Saturnũ, falsò signis ascribi quasi uirtutis potestatisq; diuersę, quod positus tantũmodo uarietate Solis radius operatur, falsò crisimos dies & periodos febrium, ad Lunæ motus, uel aliorum siderum referri. Deniq; tantum abfuit,

fuit, ut ex istis à Sole Lunaq; mutationibus argumentum summeretur ad fidem decretorum astrologiæ, ut inde in suspitionem falsitatis nō mediocriter adducatur, ita enim argumētabatur sub Luna si quis cubet, membra occupat torpor, & cum ea echini similiter implentur, frigefacit igitur & humefacit, Solem torridum sensus attestatur, igitur siccum. Nos è diuerso sic instamus, Luna implet echinos, igitur calida est, demonstrauimus hæc ex Aristot. stupent frigore dormientes sub ea, igitur calida est. Declarauimus hoc aperta ratione, quo pacto sailicet id eueniat. In plenilunio fauet conceptibus, alit corpora, crescens roborat, uegetat, igitur calida est. Probauimus ex Hippocrate, ex euidentia ipsa. De Sole pariter appellamus ad experientiam, qua patet illius radijs spiritum uitæ omnem uiuificari, id uerò non est siccæ potestatis, sed salubriter calidæ. Nec difficile fuit declarare, quo pacto uel accidenti uel siccet, uel exurat, imò frigefaciat etiā Sol, Luna frigoris & humoris causa esse dicatur, licet sidus utrunq; uiuifici tantum luminis & caloris sua natura sit author. Sic item colligebāt, uidemus à Sole & Luna manifesto nostra corpora permutari, nec igitur de aliorum siderum influxibus dubitandum est. At hoc ipsum de alijs nos in dubium trahit, quod de Sole Lunaq; uidemus, quòd scilicet ab eis ita corporum dispositiones uariari deprehendimus, ut reliquas stellas asymbolas potius iudicemus, quàm in partes operis aduocatas, siquidem Lunæ lumine decrescente semper humiditas in corporibus attenuatur, augescit semper illa decrescente. Cur igitur, si quod putant astrologi, de aliorū siderum efficientia uerum est, cur inquam, non interdum humili Planetæ cum dominātur iacturā luminis lunaris farcientes humiditates non augent, ut liceat nobis aliquando siderum beneficio etiam in nouilunio succulentas ostreas cognitare, cur inuicem illa plena nunquam Saturni siccitas atq; Martis ius colli prolegibus astrologicis, usurpātium corpora desiccat, & cæsa ligna defendit à carie, potius ergo fauent obseruationes istæ tollētibus potestatem Planetarum, quàm astruentibus, sicut & his potius qui signis efficaciam nullam tribuunt, quàm qui plurimā, alioquin cum à Luna mouetur mare, sicut uolunt nec ipsi negamus, cur in aquaticis signis posita, nō plus mouet quàm in igneis, nec minus in siccis deniq; quàm in humidis? aut cur Luna non facit uberiores accessus humidis iuncta Planetis, quàm exiccantibus. Et quomodo si uera quæ prædicunt de duodecim locis, quas appellant domos, quomodo illud consonat, quod ab ortu scandens Luna, quo plus summo propinquat fortius agit in Oceanum, atq; ita fortius ex 12. loco quàm ex horoscopo, quo tamen loco langüere fieriq; imbecillimam omnium siderum potestatem affirmant. Potius igitur stant nobis contra illos ista experimenta, quàm ut contra fidem astrologorum opinionibus arrogent, nisi quemadmodum dicebat Phauorinus, ut supra etiam tetigimus, quia Oceanus quasi Lunæ comes, cum ea simul senescit adolescitq;, plus tant

tant argumentum esse ad persuadendum omnium rerum humanarum & parua & maxima tanquam stellis atq; sideribus euincta duci atq; regi. Sed longe dispar, atque ut idem astrologos ludens iactabat, nimisq; ineptum & absurdum est, ut quantum æstus Oceani cum Lunæ curriculo cõgruit, negocium quoq; alicuius quod ei forte de aquę ductu cum riualibus apud iudicem est. Existimemus ipsum quoq; quasi habena quadam de cœlo uictum gubernari.

CAPVT XXVII.

RElíquum ut postremam argumentationem dissoluamus, petitam ab euentis humanis, in quibus alia ita uires nostras excedant, aut præter meritum & rationem eueniant, ut decreti fatalis & cœlestis potẽtiæ uim adstruere uideantur, hoc nos ita soluemus ad præsens, ut ostẽdamus habere suas causas hæc omnia satis apud nos, nec apparere quicquam in omnibus, quod authorem cœlum desideret, hoc est, nihil in cursu rerum esse humanarũ, unde suspicio nasci debeat facta hominum fatis regi & gubernari. Nam per initia quidẽ libri sequentis non soluentes iã, sed arguentes, hæc imprimis cœlitus nullo modo fieri posse docebimus, in quibus istam uim fati agnoscere sibi isti uidentur. Ea uero deniq; duo sunt magna, uidelicet atque mala. Dicamus primũ de magnis, uel ad animum pertinent ista, uel ad externa. Sic enim nobis & Alexandri felicitatem, & præceptoris ingenium ac doctrinam obiectabant. Incipiamus igitur ab his quæ ad animum pertinent. Admiraris in Aristotele consummatã scientiam rerum naturaliũ, ego tecum pariter admiror. Causa cœlum est inquis, & constellatio sub qua natus est, non accedo, non tam uulgata ratione, quòd nati eodem astro multi non fuerunt Aristot. quàm quòd præter cœlum sub quo tanquam causa uniuersali, & Boëtiæ fues, & philosophi actici pariter germinant, causæ proximę sunt Aristoteli propriæ & peculiares, ad quas singularem eius profectum referamus. Primum utique (ut ille inquit) sortitus est animam bonam, & hanc utique non à cœlo, siquidem immortalis, & incorporeus animus, quod ipse demonstrauit. nec astrologi negant, tum sortitus est corpus idoneum ut tali animæ famularetur, nec hoc etiam à cœlo nisi tanquam à communi causa, sed à parentibus. elegit philosophari. Hoc & principiorum opus quæ diximus, hoc est animi & corporis, & sui arbitrij fuit, profecit in philosophia, hic arrepti propositi & suæ industriæ fructus. At plusquàm philosophantes multi, pari studio atq; labore. Fuit in causa doctrina præceptoris, & felicitas sæculi in quo æditus, ueterum pleni monumentis, sed non exactis, ne & labor non adesset inchoandi & perficiendi bonas artes materia non deesset. At profecit plus longe quàm coętanei & quàm discipuli. Sortitus erat non astrum melius, sed ingenium melius. Nec ingenium ab astro, siquidem incorporale, sed à Deo sicut corpus à patre, nõ à cœlo. De

quo nos tãto loquimur, quàm astrologi honorificentius, quãto causa uniuersalis particularibus causis diuinior & eminentior. Quod si captus excessit ingenij humani uel Aristot. uel philosophus alius, erit causę hoc non omnino deterioris, quale corpus omne propterea q̃ cœleste est, sed melioris, hoc est diuinæ, sicut Socrates maior mea sententia omniũ philosophorum, sapientiam suam non sideribus natalitijs, sed assistenti numini retulit acceptam. Quare plus cœlo damus quàm oporteat, si diuinitatem animorum corporeis illis radijs demittimus, minus si corporeas differentias quæ de priuatis rebus accipiuntur, illi quasi particulari causæ tribuimus. Minus autem omnino quàm deceat, cum deformitates ipsas nostras, & labes mentium ascribimus stellis, quod est unum ex illis quibus maxime mouebantur ad astra confugere, quòd apparent in hominibus multis absonæ quædam appetitiones, præter leges humanitatis, quæ non intrinsecam, hoc est humanam, sed extrinsecam habere causam uideantur, & quia potentem ideo sideream. Ego uero ab illis quæsierim cur prægnans mulier terram comedat libentius & carbones quàm exquisitum omne genus eduliorum? Et si monstrifici desiderij, non astrum sed fœtum causam inuenerint. Admonebo causam pariter eorum quæ demirant̃, in corporis temperatura potius quam in cœlo esse quærendam. Dicerem apud improbos quoq; dæmones, sed à corporeis eos abducerem. Certe præter corporis habitum quantum faciat ad huiusmodi portentosas affectiones consuetudo, ueriſsimo possum exẽplo declarare. Viuit adhuc homo mihi notus prodigiosæ libidinis & inauditæ. Nam ad Venerem nunquam accenditur, nisi uapulet, & tamen scelus id ita cogitat, sæuientes ita plagas desiderat, ut increpet uerberantem, si cum eo lentius egerit, haud compos plene uoti, nisi eruperit sanguis, & innocentis artus hominis nocentiſsimi uiolentior scutica deseruerit: Efflagitat ille miser hanc operam summis precibus ab ea semper fœmina quam adiuit, præbetq́ue flagellum, pridie sibi ad id officij aceti infusione duratum, & supplex à meretrice uerberari postulat, à qua quanto cæditur durius eo feruentius incalescit, & pari passu ad uoluptatem doloremq; contendit, unus inuentus homo, qui corporeas delitias inter cruciatum inueniat. Is cum non alioquin pessimus sit, morbum suum agnoscit & odit, quoniamq; mihi familiaris multis iam retro annis, quid pateretur liberè patefecit. A qno diligenter tam insolitæ pestis causam, cum scisciterer, à puero inquit sic assueui. Et me rursus consuetudinis causam interrogante, educatum se cum pueris scelestiſsimis, inter quos conueniſſet hac cædendi licentia quasi pretio quodam, mutuum sibi uendere flagitiosa alternatione pudorem. Hoc ego factum licet graue auribus liberalibus, ideò non suppressi, ut cognoscere mus euidentia ipsa quantum illis affectibus ualeat consuetudo, ne quasi causam habere terrenã nullam possint, cœlum statim accusemus. Nam id quidem

quidem astrologus si audiat, damnatam dicet fuisse Venerem in hominis genitura, & aduersis fortasse, aut alio modo minantibus radijs Martis flagellatam. Veniamus ad res externas, in quibus Alexãder præponebatur, cuius tanta tam repentina felicitas, undenam ortum haberet quærebatur, nisi haberet à cœlo? Facilis responsio, à uirtutibus Alexãdri quales habuit multas necessarias imperatori, fortitudinem, liberalitatem, laborum tolerantiam, peritiam rei militaris, egregiam literaturam, & quas alias enumerare non est necesse. Ab exercitu quẽ nactus est, & sub patre Philippo exercitatissimum, & beneficio regionis bellicosissimum, & ob liberalitatem exemplumq; uirtutum amantissimum sui. Ab ignauia populorũ quos superauit, unde dictus à patruo pugnasse cum fœminis. At fortuna quæ in rebus bellicis plurimum dominatur. Fortunam uero cum dico, cœlũ non dico, sed eam causam cuius meminit Arist. secundo libro physicæ auscultationis, & quam uulgo fortunam dicimus, atque his uerbis solemus exprimere, ita sors tulit, ita euenit, ita res cecidit, per quam fit ut ludentes asseris, aut iaciant quod uolunt, aut quod non uolunt, hæc est illa cœca nuncupata, quæ præter illas quas diximus, & similes causas, Cæsares, Syllas, Augustos, Alexandros fecit, quam per se nec dependere de cœlo, nec idem esse quod fatum, nec prouidentiæ derogare diuinæ, & quid demum aut esse, aut non esse possit, quoniam proximo libro latè disserendum est, hic dicere non oportet, ubi astrologos non alijs magis quàm Aquinatis Thomæ, quem hi summè sibi fauere putant, armis opprimemus. Quod uero ad id attinet quod principaliter hic tractatur, nego quicquã in terris adeò magnũ fieri uel uideri, ut authorẽ cœlum mereat. Nam miracula quidem animi (ut diximus) cœlo maiora sunt, fortunæ uero & corporis, ut quàm maxima sint, cœlo collata minima deprehenduntur, ut quod recte dixit Phauorinus. Nihil magnum in terra præter hominem, nihil magnum in homine præter mentem & animum, huc si ascendis cœlum transcendis, si ad corpus inclinas, & cœlum suspicis, muscam te uides, & musca aliquid minus. At quemadmodum quidem in illo nigro agmine formicarũ, sunt quæ alijs præstent robore, magnitudine, Sunt uictoriæ, bella, paces, officia, labores, egestas, diuitiæ, quæ contemplantibus nobis, omnia exigua, & nullo discrimine nihil sunt, ita nostra ista corpuscula, nostræ fortunæ, nostri reges, nostræ prouinciæ, bella, fœdera, nuptiæ, cœlo si comparentur, nihil sunt penitus, cui tota terra collata, cuius unam portiunculam inter se homines igne, ferroq; partiuntur, indiuiduum punctum est. Non ergo ea est magnitudo rerum terrenarum, ut alterius esse quàm cœlo opus non possit. Quo si digna non sunt, quæ inter nos digna sunt, quanto magis erunt indigna, quæ indigne etiam fiunt à nobis? ut flagitiosos euehi ad dignitatem, Socratem perire iudicio stellicatoris, & enormia id genus, quæ quotidie multa & uidemus, & patimur. In quibus imprimis

eluceſcere fatum, & cœleſtis decreti neceſsitatem ait Maternus. Quem ego cum aſtrologis alijs libenter interrrogauerim, cur errata noſtra tam topere ambiant ſtellis imputare, & cum ipſi peccamus libentius inde cœlum, quàm nos accuſare? quaſi aut mirabile eſſet nos errare, pronos & malos ab adoleſcentia, aut errare illa poſsint aliquando iuſsis optimi Dei incommutabili ſemper ordine famulantia. Damnantur (inquiunt) innocentes, facinoroſi, præmijs afficiuntur, à quibus quæſo principibus, iuſtis an iniuſtis? ſi à iuſtis nec cœlum ſatis erit tanto miraculo, ſi ab iniuſtis, quid cœlo opus eſt, ubi deſpectrix cœli malitia ſatis eſt. Quærit Ariſtot. in Problematis: Cur ferè idem ſemper boni & pauperes, cũq; multas afferat cauſas & ueras & facetas, nullam tamen affert à cœlo, ut qui ſcilicet ſciret ſentes & tribulos, non cœlum germinare ſed terram. At cautus homo & prudens, quod maxime fugiebat diſcrimen incurrit, euadit alius periculum, cui ſe temere ſæpius expoſuerat? Quid eſt quod admiremur? cur non minus hæc nunquam euenire, quàm ſi eueniant ſæpe pro miraculo ſit habendum, horum cum plærunq; fiunt cauſa quærenda eſt, prius quidem proxima: Hæc ſi deeſt, remotior & occulta, cum deraro & fortuito non eſt alia cauſa inueſtiganda, ſi eorum ſatis meminimus quæ ſapientiſsimus Ariſtot. & ſecundo lib. phyſicæ auſcultationis, & ſexto primæ philoſophiæ ſcriptum nobis reliquit.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVlæ aduerſus Aſtrologos libri III. Finis.

IOANNIS PICI MIrandulæ Diſputationum, in Aſtrologiam, Liber IIII.

QVI MOS IN DISPVTANDO SERVATVS ET DEINCEPS ſeruandus, tum ſi detur aſtrologis, quod maximum dant theologi aſtrologiam tamen nihil eſſe. Cap. I.

NOSTER hic ferè in diſputãdo mos, ut ſiquid & ponat aduerſarius, quod & dari ſine piaculo, & contra rationabiliter negari poſsit, negemus id potius nos quàm demus, etiam ſi ſit tale quo conceſſo nihil magis conficiat ille quod contendit, atq; iſta ſerie peruenientes ad id quod maximum poſtulare poteſt, oſtendamus etiã id ſi detur quod iure negari poſſe declaratum eſt, minime tamen colligi quod arbitratur. Sic enim & res ipſa quæ uenit in diſputationem tota per ſua membra particularius exploratur, & quàm multa gratis accipiat aduerſarius intelligit, quàmq; parum etiam & abſur-

dam

dam opinionem tueatur, quę tam multis uel nominibus falsa, uel certe dubia, Tum utcunq; omnia se habeant, ipsa omnino non esse falsa non possit, hunc morem seruantes cum astrologis, primum defendebamus tantũ Solis & Lunæ radios efficaciam habere permutandi res inferiores, cętera sidera nihil nobis influere ob radiorum uel distantiam uel imbecillitatẽ. Secundo loco si dabatur eis, id scilicet non extorquentibus sed imperantibus defluere ab omnibus aliquid in nos, ostendebamus id tum ab omnib. intentione tantum remissionęq; diuersum effluere, hoc est lucem cum calore uiuifico, frigus autem humiditatem siccitatemq; ab illis non emanare. Tertio si facerent quatuor primas qualitates non sequi, ut impressionum quæ fiunt in sublimi diuersitas esset ab eis, aut si hoc foret non tamen ab illis uel pestilentias esse, uel cataclismos, uel exustiones, multominus uirtute primarum illarum quatuor qualitatum res externas & casui fortunæq; subiectas à sideribus gubernari. Quartò si primarum affectionum authores sidera crederentur, hoc est calefaciendi, frigefaciendiq;, tum humectandi & exiccandi potestatem habere, non alias præterea illis dotes attribuendas per quas efficiant multa quæ per uim qualitatum illarum fieri nõ possunt. Denique quales quales haberent stellæ uirtutes, & proprietates eas uniuersales ita esse, ut nulla etiam esse quæ non uerã inferiorũ corporum conditionem potestatemq; complecteret, quare agere illa omnia cũ omnibus, quod est causę uniuersalis proprium. Diuersitatem autem eorum quę fiant & quæ confingant, omnem à proximis causis uel liberis, uel naturalibus, uel fortuitis originem dicere. Quæ nos omnia eo consilio defendenda suscepimus ut intelligerent astrologi cum aliter sentiunt & asseuerant, non confessa se dicere & manifesta, sed quæ nec certis ullis rationibus, nec euidentibus experimentis, nec authoritate Platon. Aristotelisúe cõfirmentur, sed in ambiguo posita, si cuti propugnantur à quibusdam, ita oppugnentur à multis. Quib. si tota niteretur astrologia, nec infideliora sibi fundamenta locaret, non esset apud me penitus ruinosa, sed nutabunda, hoc est tam caderet illa mea sentẽtia, quàm uacillaret. Verum ut astrologis demus quantum illis Aquinas Thomas theologiq; permulti atque philosophi dare posse contendunt, nõ magnopere scilicet refragante ratione, longe tamen minus acciperent, quàm accipere illos sit necessarium, ut aliqua astrologia non solũ apud nos, sed sua natura, & apud ipsas angelicas mentes esse defendatur. Dabit enim illis Thomas id quod maximum dari potest citra apertam calumniam ueritatis, ut scilicet omnium Planetarum ad nos defluuia cum uirtute proueniant, & alijs alias stellis esse proprietates, non modo calefaciendi, frigefaciendi, humectandi & exiccandi, sed occultiores. Vnde uaria munera terrenorum turba sortiatur, ut non omnẽ proprietatem quam habẽt homines, cæteraq; natura corporalis inferior à suis causis proximis habeat, sed aliquam etiam à cœlestibus, hoc totum & nos

precario concedentes astrologis, ostendemus nullam tamen ieccirco futuram hanc artem, quin de his maxime uaticinetur ex astris, quæ fieri ab illis uel indicari non possunt, etiam si fiant illa cuncta quæ diximus, atq; ita concussam uel ad interitum priore libro astrologiam nulla iam pacis uel iudulgentiæ spe relicta, disputatio præsens funditus euertet.

FORTVITA A COELO NON ESSE. CAP. II.

FOrtuitæ res pro quarũ bono uel malo euentu fortunatos uocamus homines & infortunatos hæ præcipuè sunt, quæ sicuti fatales imprimis putantur, & à cœlesti decreto pẽdentes, ita prædictionum astrologicarum pars maxima & potissima materia sunt. Nã quæ per se causas proximas habent, ut conditiones animi & corporis, non exigere adeo superiorem causam occultioremq; uidẽtur, quàm quæ temere fieri casuq; dicimus, quum fieri sine proxima causa uideantur, talia sunt feliciter uel infeliciter nauigare, peregrinari, mercaturam facere, fodientem terram thesaurum inuenire, latronibus, bestijs, occurrere, regi placere, periculum euadere, bona seruitia, malaúe sortiri, domum ingredi mox ruituram, & quæ alia hoc genere præter consilium, præter opinionem, miseris & uerè ægris mortalibus accidunt, de quibus ut quæ prorsus extra nostram manum sint, & extrinsecus ueniant in nos, optamus maxime astrologorum audire sententiam. Alioquin quo quis corporis habitu sit uel à speculo, uel à medico sciat, sicuti & qualem mentem sciat à seipso, si modo mentem habet, at quæ fortuita nuncupamus, ea sunt quæ potissimum per artes diuinatrices humana curiositas expetit, hęc igitur ante alia nullo modo de cœlo præuideri posse probabimus, nec alia ratione quàm qua utitur Thomas Aquinas, eo maxime loco quæ fauere sententiæ astrologorum uidetur, hoc est tertio libro contra Gentes, ubi fortunatos à cœlo & fieri homines & infortunatos dicere uidetur, ea ratio talis est. Virtus cœlestis corporis non agit intellectu uel electione, sed quemadmodum natura agit, Naturæ proprium est ad unum tendere. Effectus igitur qui non est unus à naturali causa per se esse non potest, at quæ ex accidenti concurrunt inuicemq; conueniunt, ea uere unum non sunt, sed duntaxat unũ per accidens. Concursus igitur huiusmodi quem solemus fortuitum nuncupare, nulla esse potest per se causa naturalis, sed cœlestis causa, naturalis causa ut dicebamus. Et igit̃ rerum huiusmodi fortuitarum causa per se esse non potest. Adijcit hijs exemplum, quo simul declarat̃ quomodo non est causa per se cœlum huiusmodi euentorum, sed tantummodo ex accidẽti, instigatur, inquit, aliquis à cœlo ad sepulchrũ fodiendũ, accidit ei ut in sepulchro thesaurus sit, quare fodiens sepulchrũ thesaurum inuenit, nõ fuit hoc à cœlo ut inueniret thesaurum præterquàm ex accidenti, quin ex accidenti est eundem esse & sepulchrũ & thesauri locum, nam instigare hominem ad sepulchri fossionem, in quo latet thesaurus ut thesaurum inueniat

causæ rationalis est & intelligentis, cuius propriũ est rem unam ad aliam referre & ordinare, naturalis causæ non est, qua duntaxat ad unum fertur, ut diximus, qualem esse cœlestem radium nemo diffitebitur.

QVOMODO RERVM FORTVITARVM CAVSA SIT Deus, quomodo angeli, quomodo cœlum, quomodo nos, quomodo fortuna. Cap. III.

CVm de fortuitis rebus mẽtio fiat, operepreciũ fuerit altius explicare quę sint illarũ causę apud philosophos atq; theologos, nã ex his quidẽ quæ hactenus diximus existimari posset in causum nos illam duntaxat temeritatẽq; referre, nunc improbandos esse astrologos qui seruare in his quoq; extraordinarijs ordinem & certas causas conarentur, ut nihil temere in natura. nihil sine causa legitima fieret. Quæ si qua cogitãda est, illa uidetur potissimum eligenda, quã astrologi accipiũt, cœlum scilicet, cũ nec infra cœlũ, talis ulla iudicetur potens, scilicet, rerũ omnium, quæ sub cœlo fiũt, nec supra cœlũ dicunt, uidelicet cũ multa indigne prẽter meritum & rationẽ fieri uideant, quæ potius corporalis causæ quandã necessitatem cũq; prouidentiã arguant eligẽtis. Quare ut hos scrupulos extrudamus dissererequædam latius super his rebus utile fuerit, ut postq; à cœlo gubernari hæc non posse monstrauimus, nũc unde & quomodo gubernent aperiamus. Fortuita fieri dicimus quæ prẽter intentionẽ operantis eueniũt. quare tantũ in rebus humanis fortuna dicitur, ut quæ solæ cõsilio rationeq; fiunt. Exemplũ tale quo superius etiam usi, proposuit agricultor terrã fodere culturã soli cogitans, nõ thesaurum, accidit ut thesaurũ inueniat, fortuito factum dicimus, nec reperti thesauri causam aliam damus quàm fortunã. Fortunam uero non intelligimus aut numen, aut naturã, aut rem omnino aliquam causam talis euentus, sed potius excludimus, tantũ fortuna factũ dicentes, ac si dicamus ita euenit forte non ex aliqua causa, nã fossio quidem terræ causa dici nõ potest, non sit terra, quatenus terra est locus, sed accidit eundem locũ terram simul esse latebramq; thesauri. Quapropter si quæras qua causa factũ, ut eruerit ille thesaurum, nullam est afferre, cũ non una causa, sed fortuitus concursus plurium hoc causarũ effecerit. Propterea errabãt qui fortunam in rebus esse negabant, quam opinionẽ secundo physicæ auscultationis, & sexto primę philosophiæ libro, conuellit Aristoteles. Errabant autẽ non quia putarent quo nobis improuisa fortuitaq; sunt, ea nota prouisaq; esse posse superioribus mẽtibus, quare nihil absolutè simpliciterq; esse fortunam, sed quòd arbitrarẽtur huiusmodi euenta necessario habere proximã per se causam, nõ intelligentes quo pacto quod est unũ per accidens, causam minime exigat per se unam, ut hominem eundem musicum esse & bellatorem causam nullam habet, alioquin si simul essent propter aliquam causam, ordinem inuicem haberent ex illa causa, quæ autem sibi temere accidunt, ut bella-

tori esse musicum, musico esse bellatorem, patet ea inuicem ordinẽ habere, quare nullam habet per se agentem causam, sed ex accidenti tantum. Sic recte Peripatetici casum & fortunam defendunt in rebus necessitatem exterminantes. Sed errant ex eis quidam detestabilius quàm qui auferunt casum, pernegantes scilicet aliter ista fieri q̃ fortuito, hoc est nullo cõsilio superioris causæ, nulla prouidentia, pullulat enim pestilentissimus hic error ex impietatis radice, qua creditur aut non cognosci, aut si non cognoscitur non curari à superis res humanas, qui alibi rationibus reuincetur, ubi contra philosophos impios erit disputatio, nunc ueluti pro iudicato falsus abijciatur, authoritate omnium theologorum, totiusq̃ philosophorum familiæ, & Aristot. Peripateticorum principis in Moralib. libris, tam ubi de felicitate, quàm ubi de bona fortuna disseruit, nam illic cura esse homines Deis, præcipueq̃ sapientes, & hic nota esse Deo sensibilia omnia præterita atque futura, & in his dirigi nos ab eo clarissime asseuerauit, quod in libro quoque de Mundo, libro utique Aristotelis sapientia digno confirmauit, quem Platonica illa de diuina iustitia sententia quasi oraculi cuiusdam coronide terminauit. Si igitur curant humana Dei, sic enim loquimur, ut custodes angelos, & intelligentium causarum serum ordinem complectamur Dei ueri consilio prouidentiæq̃ famulantem. Si inquam hoc uerum est, nemo dubitauerit instigatos ab illis homines ea sæpe facere quæ sunt homini, non præuisa, non præcognita, illis uerò sapientissima præcognitione disposita. Vulgatissimum est exemplum de seruis eodem missis à Domino ut conuenirent ignaris tamen Domini uoluntatis, quorum conuentus atque concursus ipsis seruis inopinatus atque fortuitus, Domino præuisus & præordinatus est, sic procurans utilitatem pauperis agricolæ custos angelus potest ad eum locum effodiendum inuitare motibus occultis, ubi nouit angelus esse thesaurum, ut quod pauperi fuit fortuna, consilium tamen angelo fuerit. Hoc respiciens Aurelius Augustinus quinto de Ciuitate Dei libro, nõ inquit causas quæ dicuntur fortuitæ, unde & fortuna nomen accepit nullas esse dicimus, sed latentes easq̃ tribuimus uel ueri Dei uel quorumlibet spirituum uoluntati. Dixit quorumlibet spirituum, quoniam tam à bonis hoc fieri potest quàm angelis malis, licet nõ omnia possint mali quæ boni, nec idem utrisq̃ finis, sed bonis quidem commune hominum bonum, malis uero malum, frustrante illorũ tamen malitiam bonitate diuina, dum in bonum ordinat redigitq̃ quicquid ab illis mala fuerit uoluntate patratum. Sed hæc alibi latius. Proclus Platonicus in commentarijs in Timæum eadem ratione pro qua & Augustinus fortunam definiuit esse dæmonicam potestatem congregantem inuicem causas inter se diuulsas, nec differt à Peripatetica determinatione, qua dicitur fortunam esse in electione humana, causam aliquid efficientem ex accidenti, sed altera, causam remotiorem occultioremq̃, alte-

tera proximam notamq; respexit. Dixit enim Proclus dæmonicam potestatem quòd ita uocent Platonici quascunq; mentes inter homines positas & intellectus superiores, à particulari & proxima rerum nostrarum cognitione semotas. Declaremus exemplis hæc quomodo fiant ubi & cœlum in his quid agat intelligamus. Domi erat Lucius & foris quidem quid agere non habebat, uerũ sedit animo tamen exeundi sententia simulatq; egressus domo est, ruit domus, fortunatum dices qui periculum imminens sic euitauerit, cuius rei causam à male pio philosopho si quæsieris, sed & male philosopho respõdebit casu ita factum, nec aliam causam requirendam, si quæras ab Astrologo in benignam hoc aliquam radiationem refert fortunantis Planetæ, cuius ope defensus ille sit à ruina. Fallitur aũt ratione superius enarrata, quoniam incitare Luciũ ad egressum ne sub ruina pereat causæ est intelligentis agentisq; consilio & ratione. Qualis nec Iouis nec alterius stellæ radius tãtum esse hoc de cœlo potuit ut ad egressum Lucij animus esset propensior quàm ad quietem, sicut hoc quoq; ab ipso corporis habitu esse potuit, ex quo alij sedentarij magis, alij ambulatores homines sunt, ut si qua fuerit huius boni constellatio causa, fuerit ex his potius quę uegetes nos reddunt & melius apparentes, quales Martias dicunt, nõ benefica quæpiam & defensatrix à malis quãdo ut sæpius idem inuehamus. Sic enim expedit ordinare illa inuicem, radius non potest egressum scilicet tuitionemq; à ruina. Sed quemadmodum eligenti egressionem Lucio spatiandi gratia fortuitum est, ut egrediens mortis discrimen euadat, ita constellationi siquam modo talem esse censemus, iuuanti illum ad motum, fortuitum est prorsus acccidentale, ut liberet à ruina, quo fit ut nec cognoscens astrologus quid tunc influat cœlum Lucio aliud sit quod cognoscat, quàm auidum illum futurũ motus ambulationisq;, sed futurum ut simul domum & periculum fugiat, pręcognosci ab eo posse, nec thema nec ratio ulla cõsentit. Vna igitur supereſt causa cui prouisum hoc nec fortuitum esse potuit, diuina scilicet uellicans intus animum Lucij instigãsq; ad egressum, ne sub domo mox casura dispereat, quam scilicet & casuram idem numen intelligit, & ad eum finem ordinare Lucij exitum potest. De radio corporali neutrum dici potest, quare nec philosophus ullus fortunam definiuit cœlestis decreti constitutionem, aut genituræ factũ, aut tale quippiam ductum dogmate astrologorũ, sed aut ad ipsum casum inopinatumq; cõcursum causarum se retulerunt, aut ad intellectuales causas inuicem conciliantes suo consilio, quæ nostræ prouidentiæ fines effugerũt. Sic magnus ille philosophorum dux Aristot. quid sit bona fortuna, quid mala, quid fortunatum esse, quid infortunatũ, latissime differens, ne dum decernendo cœlestium meminit constellationũ, sed nec inquirendo disputandoq;, quia istam Genethliacorũ opinionem nec dignã putabat, de qua philosophus homo dubitaret, sed uelut alia circulatorũ deliramẽta potius

inter

inter fabulas & præstigiacp inter controuersias philosophiæ deberet annumerari. Ipse igitur Aristot. in eo tractatu post diligentẽ totius quæstionis examinationem ita definit. Cum nobis bene ita fortuito euenit, duplíciter fieri solere, aut incidentib. nobis prorsus imprudenter in id quod bonum facit euentum, aut quamuis non consilio deliberationeq; impetutamen ad id animi ductis, cuius ita rationem ignoramus, ut quo ille se ferat obstinatissime tantum remo ueloq; descendamus, illud primum ad casum putat referendum, hoc ad diuinam motionẽ qua penitus ipsa uoluntas occultis impulsionibus inclinetur, quod passi solent illa dicere, præsagit animus nescio quid, non possum aliter uelle huc rapior, alia cogitanti mens non accedit, & ita cum sui consilij rationem nullam reddere possint, ita tamen libitum sibi, ita præiudicatum animo pertinaciter asseuerant. Quo loco philosophus Aristot. & Deo nota esse omnia, ut superius diximus, & nihil esse sublimius Deo, unde possit uoluntas nostra moueri, quod magnum esse immortalitatis argumentum affirmat. Ex quibus omnibus ita colligi potest rerum humanarum quasdam fieri casu, quasdã natura, quasdam electione, quasdam diuino consilio, nã licet nihil fiat præter Dei consilium, ita tamen partimur ut fieri diuinitus ea dicamus, quę relictæ sibi hominum mentes non efficerent, sed peculiari numinis impulsu commotę faciunt, præter illam generalem summæ potestatis omnibus assistentiam, sine qua nihil esse, nihil fieri, licet minimum potest. Sic quamuis proprium hominis sit agere electione, regitur tamen interdum natura cum motibus affectionum corporalium mancipatus, iudicium rationis non expectat. Declarantur hæc uno exemplo. Indicit rex bellũ finitimis, forsitan in causa natura regis est bellicosa, cupida, irrequieta, forsitan non tam passione ducitur quàm ratione uel iure uindicandi quod suum est, uel iniuriæ reponendæ, uel alijs de causis. Potest præter hæc omnia speciale Dei consilium interuenire, semper iustum semper rationale, licet non eius semper uel iustitia uel ratio omnibus pateat. Dei, inquam consilium, & animantis ad belli lum capescendum, & cum ita liber armantis ad uictoriam, quo pacto loquitur apud Ieremiam prophetam: Ecce ego mittam & assumam uniuersas cognationes aquilonis, & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes quæ in circuitu illius sunt. Et apud Esaiam: Assur uirga furoris mei & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illum, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum, ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non extimabit.

AD COE-

AD COELVM NON ESSE REFERENDVM, SIQVID A NOBIS fit quòd nostras uires excedere uideatur, sed potius uel ad angelos uel ad Deum. Atq; inibi de fato multa utq; diuina præuidentia nostram libertatem non tollat. Cap. IIII.

QVm quid uerò ab homine fit quòd eius uires excedere uideat, insolitis solet euentis admirabilibusq; mortalitas nostra concuti, uictaq; rerum magnitudine, suspicari uim causæ potẽtioris, id agentis in homine, atq; per hominem, quo humanæ uires facultatis excedat. Et hac quidem suspicione, qui carneos tantum oculos habent, rapiuntur ad cœlum, quo nihil ipsi maius uident, aut potẽtius sentiunt, male ita compotes mentis, ut ad causam amentem expertemq; cognitionis id referant. Cui nec omne mentis humanæ consilium satis esse credunt. Quod si respondeant illa quidem à Deo disponi & ordinari, sed à Deo per cœlum sideraq; compleri, quorum uirtus & efficacia tanta sit. Nimis quàm absurde dicere reuincentur, siquidem intercedentes istæ causæ inter Deum & nos, sicuti humiliores Deo, ita sublimiores hominib. esse debent, nec quę ratione consilioq; peragunt, qualia nostra sunt, per irrationalia corpora decet ab authore primo disponi, sed quemadmodum ille elementariã molem, utpote deteriorẽ, per cœlestem quæ melior est regit & moderatur, ita res humanas nõ corporum sed angelorũ mysterio, qui natura dignitateq; mediant inter nos & Deum conuenit gubernari, quare cũ à Deo descendis ad terrã, descende per cœlum, cũ à Deo descendis ad homines, descende per angelos. Sic angelum, Persarum, Græcorũ, Hebræorum, legis apud prophetas suis populis prouidentes, & apud Platonẽ omnesq; Platonicos locales Deos, urbibus, regnis, hominibusq; præpositos, quorũ mentionem quoq; factam ab Aristotele, & antiquior Isidorus, & post Isidorum, Clemens Alexandrinus in Stromatis meminerunt. Neq; nos turbet quòd indigne quædam interdum iniusteq; fieri nobis uidẽt, ut propterea ad causam naturali necessitate nõ consilio agentem, libentius recurramus. Nam ridicula sanè fuerint, urbis uiliora mancipia, si de consiliis principis iudicare præsumpserint, multò nostra uel ridicula, uel sacrilega potius temeritas, arbitrium sibi uendicans primi ordinis sapientiæq; diuinæ, quæ non in unius hominis, unius familiæ, unius urbis, sed orbis totius utilitatem, non ad sæculum instans, sed ad omnia pariter sæcula, oculum prouidentiæ radiũq; suæ bonitatis extendit. Nos hæc homunculi, imò noctuæ, talpæ, uerè asini, uerè boues, & quidem supini dijudicantes, & Deum reuocabimus ad examem? Qui sæpius nec in illo, quantumq; est quod habemus iudicium, sed animi potius morbo iudicantes, iniuste factum querimur quicquid fieri ipsi nollemus: Et quis non asseueranter exclamasset dormitare Deum cum iustus Ioseph uenumdabatur à fratribus? Quis non etiam nullum esse cum idem carcerem præmium casti-

castitatis accipiebat? Vide mox eum in Aegypto regem, uel à rege secun-
dum. Vide patrem cum tota familia à fame redimentem. Vide prophetia
nobilem, nec negabis à Deo facta illa priora, per quæ ad ista deinceps or-
dine suo peruentum est. Sed & altius si suspexeris ut ab illa tam impia mer
catura rem eò perductam intelligas. ut descendens totus populus in Aegy
ptū diuq; ibi attritus ab Aegyptijs regibus, tam glorioſe in libertatem asse
ratur à Mose, tot prodigijs confirmata potestate Dei, tot oraculis manife
stata, in Pharaone, in Aegypto, in Hebræorum populo, per legem, per tot
miracula diuinæ maiestatis, nunc per beneficentiam, nunc per iustitiã, quę
figurarent futura sub Iesu diuinæ corporationis ineffabilia illa mysteria.
Profecto uel insanus adduci eò non poteris ut sine ratione fieri quicquam
suspiceris in rebus humanis, propterea q; non à Deo optimo sapiente, sed
uel à dęmone malo cũ Manicheis, uel à corpore sideralis reuolutiones ne-
cessitate cum astrologis, uel à casu fortuito temeritate q; gubernari cũ non
multis male philosophantibus credas. Sed & quoties suscitari bella & cæ-
des, & urbium uastationes, & euersiones regnorum intelliges, non mixtu-
ram duorum radiorum aut interpositum naturali cursu suo lumẽ inter So
lem & Lunam cum præstigiatoribus istis causam cogitabis, sed consilium
Dei, uel punientis malos, uel exercentis bonos. Vnde ille dictus Dei flagel
lum, & alter satis proximus sæculo nostro, non hominem esse se dixit, sed
iram Dei orbis q; uastitatem. Sapiens ille Persarum apud Herodotum qui
discumbente apud se in conuiuio Thebano, cui futuram suæ gentis cla-
dem, nescio qua præsentione sibi præcognitam reserauit, recte locutus est.
Nam cũ suaderet Thebanus, ut idem imperatori exercitus denũciaret, de-
hortare t q; ab incepto, cuius esset futurus exitus tã infelix, respondit idho
mini esse inuitabile, quod fieri Deus ordinauerit. Quare nec suis uerbis, si
licet imperatorem admoneret, fidem futurã, quando ita Deo decretum
esset, proinde q; se etiam Martdonium (ita erat principi nomen) sequi alli-
gatos necessitate, placet q; quòd necessitatem nõ astrorum, sed diuini con-
silij dixit, quam & fatum siquis uocet, rectius inquit Augustinus sentie-
quàm loquatur. Est autem hoc fati nomen quantum ex ueterũ colligi mo-
numentis potest in quadruplicem significationem acceptum, ut fatum uel
ipsa natura sit, uel causarum series ordo q; nexu necessario cuncta produ-
cens, uel siderum constitutio, cum quid aut nascitur, aut cõcipitur, aut in-
choatur, uel diuini consilij executio certa inuitabilis q; successus. In primã
significationem accipitur ab Alexandro ex Aphrodisiade in libro de Fa-
to ad principes Seuerum & Antoniũ, ita enim fata esse concedit, ut fatum
ipsa natura sit, quæ principium, aliud est ab electione, quare fato ignis ca-
lefacit, aqua humida est, Sol illuminat, sed & cum quis dissoluto corporis
temperamento moritur, fato moritur. Si uero uel ex equo præcipitatur, uel
gladijs occidit, fato non moritur, in quem modum de Didone Virgilius
mortem

mortem sibi peruim præparante dicat. Sed quia nec fato debita nec morte peribat. Astrologi uerò id maxime genus mortis in fatum reiecissent. Sic Demosthenes. Et ita quidem fatū nemo esse negauerit, sicuti nec naturam. Quo pacto & Aristoteles quinto libro physicæ auscultationis fatales dixit generationes, hoc est quæ secundum naturam fiūt. Nec dubium cum sic fatum, intelligamus multa fieri præter fatum, sicuti & multa fiūt præter naturam, uel casu uel electione nostra, uel (ut inquit eodem loco Alexander) ipse Aphrodiseus Consilio Deorum. Qui uero secundam inuexerunt opinionem, cogitarunt in ipsa natuta nihil non fieri necessario, siquis omnes simul causas complecteretur. Nam qui multa fieri dicunt extra necessitatem, hoc ita defendunt in naturalihus rebus & arbitrarijs. In naturalibus, quia non omne quod fit naturaliter necessario fit, cū naturæ opus impediri possit in arbitrarijs, quia electio nostra, & arbitrium liberum est: Illi contra sic instant: In naturalibus quidem siquid impeditur necessario impediri, quia & illud impedimentum à naturali causa est, quæ tandem ad supremam naturam, hoc est cœlum redigatur: Ea uero necessario agit, sed falluntur, nam ut impedimento quidem fuerit causa naturalis, fuit ea tamen quæ & ipsa potuit, & non esse & impediri cum agebat, quare contingens illud impedimentum non necessario fuit. Et si de illo rursus impedimento nos urgeas, futurum scilicet causam naturalem, quæ & ipsa sicuti naturaliter, ita necessario aut impedietur. Respondeo, te si mundum credis æternum, aut in infinitum progressurum à causa contingente in contingentem causam, inter quas ordo sit semper accidentalis, nec unquam ad unam causam primam necessariam peruenturū, unde sequentibus necessitas inuehatur, cum nulla sit talis intra naturales, quando nec cœlestis cuius operibus & materia concurrentes inferiores causæ facile obstant. Si uero de mundi creatione cum theologica ueritate cōsentis, deuenies per importunum illum regressum ad primam rerum contingentē institutionem, unde tolletur necessitas, non confirmabitur electionibus nostris, multo irrationabilius inferunt necessitatem, quoniam uoluntas nihil eligat, non præiudicatum à ratione, nec in nostra sit manu, ita uelle iudicare, sed falsis nituntur assumptionibus, ut ab alijs alias, & à nobis alibi declarabitur. Nam peculiares hæc seorsum tractatus exigunt, nec magnopere pertinent ad confutandos astrologos, quorum illa tertia est acceptio fati toto opere confutanda, differens à prima opinione, quòd naturam ipsam cœlestem non solum naturalium, sed & fortuitarum ut uidimus rerum originem facit, maleq; de causis inferioribus in hac parte maxime sentit, pessime de cœlestibus, quando licet natura cœlum sit, constellationes tamen illę quas fingūt ex siderum positura, per loca, signa, domos, aliaq; id genus, causæ naturales non sunt, sed fictitiæ, nec ex uno illo momento initiali dependet operatio cœlestium, nec ad ea quę propria sunt inferiorum causarum referūtur,

ut iam declarauimus, & sequentia magis declarabunt. Restat quarta fati significatio theologica, sicut illa prima phisica magis, sed utraq; uera, ut pendentem à Diuino consilio seriem ordinemq; causarum notet, sub quo nihil nostra libertas periclitetur, cum simus, & nos inter has causas, nec in hac chorea fati patiamur tantum, sed agamus, siue igitur Dei præuidentiam, siue prouidentiam, hoc est siue mentem illius omnia præcognoscentem, siue uoluntatem ex suo placito omnia disponentem attendas, nullum fit præiudicium liberis actionibus nostris. Nam si præuidẽ tiam, cur non libere facio quòd præuidit Deus me facturum? nam si erit quod ille prę uidit, utiq; libere faciam, quod libere me facturum ille præuidit. Sed & quia erit quod noluit, uoluit autem me esse liberũ, libere agam quicquid agam, nisi ipse mihi meam libertatem ademerit, & certe non solum prę cognouit Deus uoluntates nostras, sed & præordinauit, nec cum id Gregorius Nissenus, Damascenusq; negaret, uidentur aliter negare quam ut admoneant. Cætera quidem per uoluntatem Diuinã, electiones nostras, per illam cum nostra etiam uoluntate disponi, ita tamen ut non modo cogitationum nostrarum euentus, sed & ipsę cogitationes, ipsa consilia, ipsa proposita, nec regum tantum, ut scriptum est, sed omnium corda in manu Dei sunt, qui solus omnia moderatur, nunc in his quæ nec ad uitium attinent, nec ad uirtutem, inclinans uoluntatem quo libitum illi. Si sic decreti alicuius sui exigat absolutio, nunc uirtutes in nobis, sed & nobiscum inchoans & perficiens inchoatas, nunc à uirtutibus aduitium motos, permutans ad iustitiam, uel admouens uirgam pædagogi pro misericordia, uel commi nuens quasi hallucinatus pro iustitia, omnia semper, aut bona, aut occasiones certe faciens bonorum, tanta de fato de prouidentia, & humanarum rerum gubernatione dixerimus, cũ per se cognitu utilia, tum ad conuellendam astrologicam uanitatem necessaria, ut cum quid fieri contingere quę uidemus, quod aut maius uideatur aut ordinatius, quàm ut in cassum hominemúe referatur, non uim ibi corporalium radiorum, sed Diuini consilij angelicíq; ministerij cum humana libertate curam potestatẽq; intelligamus. Liquet autem ex his quæ diximus, & quo pacto tum præuideri futura, tum prę caueri cum sint mala possint à nobis, nam si fortuito tantum fierent res humanæ, nulla præsensio futurorum esse posset. Cum autem humano Diuinoq; consilio fiant, potest humana ratio de illis nonnihil coniectare, soli uero numine afflati præuidere certissime, quòd Prophetarum prædictiones oraculaqúe confirmant, proximi licet longissimo interuallo prophetis prudentes sint. Vnde illud Euripidis: Qui bene coniectauerit is uates optimus esto. Sic in procurando felici rerum successu, infortunijs quæ uitandis illud potissimum est, Deum sibi conciliare propitium, animi puritate, pijs operibus, uotisqúe sanctissimis, post hoc ipse sibi homo consulat sua prudentia, nam licet

licet in plerisque rebus multum fortuna possit, plurimum imò totum in omnibus dispositio certe diuinæ uoluntatis, ipsam tamen rectam uiuendi rationem magnum in his habere momentū necesse est, nisi frustra collatum hoc nobis munus à Deo dicamus. Quare recte dixit ille, nullum abesse numen si sit prudentia, sed nos facere fortunam. Deam cœloq; locare. Propterea Plato in epistola ad Syracusanos, cū Homerici illius dicti meminisset: Dij mentem abstulerunt, quia homines potius adiectam ipsi mentem abstulerunt, quod Euripidis ille sententia confirmat, qui sortem animæ filiam esse dixit. Prudenter igitur uitam instituentes ratione naturali, tum pia religione diuinam nobis beneuolentiam parantes, fuitemus omnem superstitiosam uanitatem, alioquin qui uel futura præuidere, uel cum sint mala præcauere per astrologicas sperauerit obseruationes, audiet Esaiam sibi dicentem. Veniet super te malum & nescies ortum eius, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare.

NEC PRÆTERITA NEC QVÆ AD ALIOS ATTINENT POSSE EX ALIQUA CONSTELLATIONE PRÆUIDERI. Cap. V.

QVod si habeant forte de fortuitis rebus aliquid quod respondeant. Quanquã habere nihil possunt, aut uerũ, aut uerisimile. De his quæ genituræ horam antecedunt quæso quid respondebunt? hoc est, quonam pacto putabunt efficientem causam suis effectibus esse posteriorem? Quid de his item quæ non solum priora, sed etiam aliena, ideoq; suas causas non huius genituræ constellatione, sed alibi posidentia, ut cum ex hora qua filius nascitur de parentum, auorũq;, & fratrum natu maiorum naturis fortunisq; pronunciant. Hæc enim & priora illa sunt constellatione, & ab ea itidem aliena, ut quę à præteritis iamdiu propriis constellationibus sui habeant fati ordinem & dependentiam (si quod scilicet esse fatum à cœlo existimemus) in eo item qui nascitur quomodo illud efficit natalitia constellatio, quod multis ille diebus ante diem natalem accepit. Prædicunt enim ex themate genituræ, mas ne an fœmina sit qui nascitur, mancus an integer, pulcher an deformis, deque alijs huiusmodi corporis conditionibus, de quibus omnibus iacta alea erat priusquàm è matris (ut ait Lucilius) bulga infans committeretur. Horum omnium ptædictionem qua sibi ratione astrologi uendicant? sed nec effectu causa posterior, nec præuidenter ex cœlo aliter quæ inde prę uidentur, quàm quo pacto effectus ex causa præcognoscitur. Haly Auenrodam apotelesmaticos Ptolemæi libros enarrans, quasi nostram hanc soluens quæstionem, ostendere uoluit quonam pacto, ex fratris fratrum, ex filiorum genituris parentum fata præuiderentur. Non quoties, inquit, mulier congreditur uiro toties concipit, sed tunc solum cum ea incidit hora cuius constellatio, cum parentum constellatione concordet, & quoniam quæ cum alio pariter conueniunt inter se quoque conuenire necesse est, si con-

ueniunt cum parentum constellationibus filiorum omniũ geuiturę, erunt ipsæ quoque inter se concordes, quare & mutuo etiam sua inuicem fata significabunt, sic ex fratris fratrum, ex filij genitura parentum naturæ fortunæq; demonstrantur. Ego uero in hac astrologica subtilitate nescio quid primum coarguam uel irrideam. Non concipit inquit mulier, nisi qua hora siderum positio cum parentum sideribus conuenit. Non igitur ex ea hora qua nascitur, sed qua concipitur puer parentum debent facta pręuideri. Sed & cum alio item cœlo pater, alio genitrix nata sit eius qui concipitur, quomodo una poterit constellatio tam diuersis constellationibus respondere? aut si hoc fieri posse putent aliqua siderum diuersitate, quomodo tot filiorum themata thematis patris, matrisq; simul respondebunt? Cum ab ijsdem sideribus, ab ijsdem cœli regionibus peti in omnibus debeat parentum significatio. A quarto & decimo cœli loco sors patris & matris ab illis inuestigatur, à Sole, item Saturno, Venere, & Luna. Horum dispositio in thematis geniturarum uaria ferè semper & multiplex pro uarietate filiorum, tu istam omnem uarietatem putas posse non uariare à cõstellationibus genitorum, quasi possit ab alio non dissentire, quod à seipso prius dissentit, aut non sit futurum, ut idem pater necessario & fortunatus sit & infortunatus, quoniam eius scilicet alter filius quartum habeat locum felicibus radijs illustratum, alter uero infelicibus obsessum. Quod ut uitaret uulgus astrologorum soliti dicere non ab omnium filiorum genituris, sed ab eius qui esset maximus natu parentum fata prævideri. Sed adimitur statim eis illud perfugium, de fratrum genituris, quas ostendebant iccirco inter se conuenire, quòd cum genitorum constellationibus omnes pariter consonarent. Sed quid oportet rem operosius confutare euidentissime friuolam? Qua enim ratione defenditur? non concipere mulierem nisi qui tunc concipitur ea sit deinde hora nasciturus, cuius constellatio eiusmodi sit futura quæ parentum eius qui nascitur, sortem atque naturam astrologo possit significare, scilicet illis cœlum & tota natura deseruit, nec potest aliquid fieri in uniuerso, nisi eo fiat modo per quem possit de eo astrologus diuinare. Præterea illud quomodo soluum in quo erat tota uis nostræ argumentationis, non posse effici ab hora qua infans nascitur, quod in fratribus, in parentibus dudum ante præcesit. Nam eorum opinionem qui non effici hac re, sed significari tantum ab astris dixerunt, postea coargue

mus. Nunc aduersus eos disputamus, qui eorum quæ cœlitus prædicuntur, causam esse cœlum opinantur, quod & Ptolem. & principes omnes istius artis opinati sunt.

PVTV-

FVTVRA MVLTO POST TEMPORE A PRÆSENTI constellatione effici non posse. Cap. VI.

QVid quòd non solum prę terita, sed si recte consideremus, nec quæ multo post tempore sunt futura effici possunt à præsenti constellatione, quod est tamen familiare frequentissimũq; in astrologorum prędictionibus. Vbi enim non illud legit apud eos, Planetam orientalem in prima uitæ parte præstare quod pollicet, occidentalem in postrema, qui horoscopum occupauerit, uel horoscopi fuerit dominator cito dare quæ sua sunt, paulo post cum qui decimi loci iura possideat, qui occidenti uel affuerit uel præfuerit sero, serius qui imo cœlo fuerit collocatus, atque alia hoc genus innumera. Hoc denique attestantia, non fieri à constellationibus quod sunt facturæ cum ipsæ sunt constellationes, sed multis potius annis postquam fuerunt, huius uero mirandi exemplum in nulla uirtute uel actione naturali, qualem esse cœlestem confitentur, apparet, ut scilicet tunc efficax magis existimetur cum non est, quàm cum est, non remanet autẽ cœlestis influxus in corpore instar medicinæ. Sed respondebunt fortasse etiam si præterit ille siderum positus, durare tamen uirtutem inde nobis infusam quæ suo tẽpore pro natura agentis materiæq; habilitate, suos tandem effectus in lucem sit æditura. Ego uero quod attinet ad naturã agentis, obiicio illis quod prius obiiciebam, uariari quidem pro agentium conditione, uariaq; uirtute effectus quoque naturam, & conditionem. Sed hoc esse omnibus causis pariter commune, ut quod sint effecturæ, tunc magis efficiant quando sunt, quàm cum multo iam tempore desierunt. Quod spectat ad materiam si forte dicãt nõ statim fieri regem & philosophum eũ qui nascitur, licet cœlo id promittẽte, quia ætas repugnat, poterit uideri non absurdum esse quod dicitur, sed cũ ętas eorum munerum capax est, quæ natalitiæ stellæ pollicebantur, cur tamen non fit, cuius & causa sufficiens iam præcesserit, & materia habilis idoneaq; præsto est. Sed aut cessare aiunt effectum tot annis, quot signorum partibus à tali loco Planeta distabat, aut quia talem in themate cœli locum obtinuit, nisi sero præstare sua beneficia suis nõ posse, hoc rationalis potius naturæ, pro electione arbitrioq; sua munera quo uoluerit tempore dispensantis, naturalis causæ, nec est, nec esse potest. Præterea si ex se quidẽ daret statim cœlũ quod promittit, sed materiæ dispositio est in mora, non erit astrologi euentus tempora præcognoscere qui cœlum considerat, sed eius potius qui materiæ statum conditionemq; cognoscit, ut quid futurum sit ab astrologo audiat, quando futurum astrologo ipse demonstret. Quod item respondebant seruari uim à cœlo deriuatum prætereunte constellatione, scire ab eis uelim, ubinam conseruetur? utique aut in materia, aut in causis inferioribus & secundarijs, quorum siue utrunque siue alterum eis placet, sciant nec in æstu fluentis refluentisq; materiæ, nec in tam uaria atque mutabili

tabili particularium causarum multitudine, uirtutem cœlestem posse eandem & stabilem tam diuturno tempore permanere.

DE AVSPICATIONIBVS QVAS ELECTIONES DICVNT, quàm uana & impossibilis sit astrologorum sententia. Cap. VII.

LIbet item ab eis scisciari de ea parte qua maxime utilis uitæ putatur astrologia, quæ est de auspicationibus, uulgo electiones uocant, hoc est, quonam pacto à cœlo fieri intelligant, ut quod hac quidem hora aggredimur faciendum feliciter, quod uero alia infeliciter fiat à nobis. Nam ut facile omnia hæc dicuntur, & habet in prima fronte speciem probabilitatis, ita cum diligentius examinantur uana, impossibiliaq; deprehenduntur. Siquis (inquiũt) iter sub tali cœli constellatione capessat, commodam habebit peregrinationẽ, à rege benigne excipietur, rem suã familiarem adaugebit. Contra, si alia hora equũ ascendat, aut descendat in nauim, difficilia itinera, periculosam nauigationem experietur, nec efficiet tandem cuius rei gratia iter nauigationemúe suscepit. Hæc omnia fateor me non perspicere, quonam pacto fiant à cœlo, doceant ipsi me si possunt. Esto, Iupiter de nona cœli regione radios suos in terram iaculetur, felicem dicent constellationem pro itinere capessendo. Quæro ego ex eis defluxus iste afflatusqúe fortunatus, homines ne ipsos afflet atque afficiat iter arrepturos, an ipsam potius iter agentiũ hominum operationem, hoc est, uel equi ascensum, uel è domo egressionem, uel huius aliquid eorum quæ sunt necessario itineris inchoamenta. Si primum respondeant afflabuntur illi, etiam si tunc primum iter non accipiant sideris beneficio, quoties arripiendi itineris illis fuerit propositũ, præsertim cum ex eorum sententia non præstet constellatio quod pollicetur, tunc maxime quando est, sed longo etiam post sæpe temporis interuallo. Si secũdum multa certe delirare cogentur ut positionem tueant, dum nobis exponent quo pacto Iouia illa equi ascensio, & mollem pedibus uiam sub sternat, & latrones abigat ex itinere, & nubibus pulsis placatum efficiat diffuso lumine cœlum. Nec parum item illis negocij in retinendo isto defluxu, dum multorum forte dierum iter plane conficiatur, cum non parua iure suspitio habenda sit, neque in illo equum ascendente uirtus cœlo descendit, reciproca ratione cum de quo ille descenderit, illa in cœlum rursus ascendat, & nouo iste uiator Ioue semper indigeat, cũ erit ei equus insiliendus. Nam somniare uim aliquã primordialem nusquam consistentem, nullibi radiatam, quę totum tibi iter molliter beateq; conficiat, hominũ est in somnis etiam delirantium, qui quod loquuntur nihil perpendentes, futilem dant & sine mente sonum. Videamus rursus eosdem ne scrupulos incidant in his rebus quæ sunt opera potius nostra quàm operationes. Sententia est Ptolemæi, si in urbis constitutione Mars cœli medium obtinuerit, principes eius ciuitatis gladio plerunq; perituros. Exponat nobis Ptolemæus ubi

ubi nam sanguinolenta ista Martis radiatio recipiatur, quæ tot deinceps principes, sit successu temporum gladio necatura? Si suscipi eam uelit in principe qui tunc urbem ædificat, rogabo quo pacto iacti illi defossique in terram iussu principis lapides, urbis scilicet fundamenta, cœlestes radios aliorsum uergentes in principem istum flectant atque deriuent. Quo pacto in eius posteros regnique successores hæreditario quasi iure deueniat, noxia ista uirtus cuius & susceptaculum perijt, & origo præterijt. Sane quid possit sine rubore interrogantibus ita nobis respondere, equidem non perspicio. Dicet igitur forte non in principe ipso urbis institutore, sed in ipsa potius urbe, in ipsis primis lapidibus super quos erigenda est, pestilentiam illam recipi, Martis pestifero quasi quodam afflatu, omnes eius urbis principes afflaturam. Bellum utique inuentum Mosaico etiam testimonio confirmandum, qui leprosæ nobis domus expiationem prophetica olim inspiratione monstrauit. Sed uereor ne congesta desuper humus, proximisque lapidibus inculcata, nephritim illam martiam non prohibeat, aut si omnino exhalet, non egenos potius & pauperes pestilentiæ magis oportunos inuadat, quàm principem ipsum ciuitatis. Qui in suburbana aliqua uilla forte habitauerit, credo gladio non peribit, præsertim si pluribus passuum millibus ea distat ab urbe, quàm ut Martius ille uapor, calce, ruderibus, intertrimentis, interim undique suffocatus, integer illuc possit, efficaxque peruenire. Sed hæc philosophis periclitabitur gloria Platonis, academiæ & Aristotelis, qui in suis de Republica libris, ubi de condenda regendaque feliciter urbe, ac ciuitate tam multa perceperunt, de tam utili, tam obseruandaque cautione nihil nobis scriptum reliquerunt. Quæ omnia si non per iocum serio pensitemus, uidebimus iure Haly interpretem Ptolemæi, quanquam summum astrologum partẽ tamen hanc astrologiæ, quæ est de electionibus friuolam inefficacemque existimasse.

ASTROLOGOS MENTEM NOSTRAM COELO SVBIICere quanquam ut sunt astuti id dissimulare conentur. Cap. VIII.

HActenus demonstratum est nullam ex corporalibus rebus & temporarijs, quarũ maxime ius habere cœlum putatur, dependere à cœlo, quo scilicet modo astrologi opinantur. Nam neque ea quæ sunt fortuita, nec quæ ad alios attinẽt, nec quæ aut præterita sunt, aut futura, longo post tempore, tum eorũ maximam partem, quæ ut fiant feliciter à certis horarũ obseruationib. auspicant̃. Quæ si non ita efficit cœlum, ut è cœlo præuideant̃, quanto illa minus quæ sunt incorporea, de quib. tamen pronunciare astrologica superstitio nihil erubescit. Continentur enim hoc genere morũ, ingeniorũque diuersitates, & quę cũque animi nostri opera & proprietates, continent̃ quę ad dæmones, ad mentes superiores, ad Deum, ad efficaciam supplicationũ, ad arcana conscientiæ,

ad ſtatum futurę uitæ, atque hoc genus alia pertinent, de quibus omnibus mille dogmata prædicendi nugiuendum hoc hominum genus arrogantiſsima temeritate diuulgat. Et quidem à moribus exordirer, quos alios atque alios eſſe in hominibus putant, pro uarietate natalis conſtellationis. Sed ſolent cum hic urgentur diſsimulare quod ſentiunt, & de arbitrij libertate multa funditantes, cauendum præcipere, ne cogi putemus à ſtellis noſtram libertatem, à quibus ſolum propenſionem inuitamentumqúe aliquod habeamus, quod uel ſequi uel declinare noſtræ ſit electionis. Detegã igitur primum fraudem huius defenſionis, plurima afferens dogmata ipſorum ex quibus pateat mentem ipſam eos cœlo ſubijcere, etiam ubi à corpore non dependet. Poſtea nec morum ingeniorũq; diuerſitatem eo etiam quo dicunt, modo in cœleſtes cauſas referri poſſe declarabimus. Ergo ſi non aliter putant humani animi differerentias eſſe de ſiderum habitu & poſitione, quàm ut affecto aliter atque aliter corpore, animi etiam operatio nonnihil immutetur, quomodo ex Marte in nona cœli regione feliciter conſtituto, tantum præſtari nobis poſſe contendunt, ut ab obſeſsis corporibus ſola præſentia dæmones expellamus? Quod non animi ſolum eſt ad corpus inclinantis, ſed ſic uiuentis in corpore, ut Deo plenus, & mentes habitans penetralia, in corpore uiuere ſe non ſentiat. Quomodo item ex parte Solis, de arcanis conſcientiæ eius qui naſcitur erga deos & homines, iudicaturos ſe præſumunt? quibus in manu animi & noſtra magis libertate, nihil poſitum eſt, nec ita ut angelicæ pateant cognitioni, nec poteſtati ſubijciantur. Denique ſi ſocietas corporis cœlo animam ſociat, quomodo de ſtatu eius cum extra corpus eſt poſita, de cœleſti conſtellatione pronunciant? Vulgatum enim apud illos duos eſſe planetas authores felicitatis, Venerem, & Iouem, ſed diuerſis officijs, ut Venus præſentis uitæ felicitatem largiatur, Iupiter fututæ. Maternus poſtquam multa ex his commemorauit quæ à Saturno præſtantur in Leone conſtituto, tum ita ſubiungit. Sed cum hæc omnia fuerint aſſecuti longeui morientur, & anima eorum ad cœlum Dijs applicata tranſibit. Saturnus enim in Leone poſitus animas eorum qui ſic ſe habuerint in terra, innumeris anguſtijs liberatas ad cœlum, & ad originis ſuæ primordia reuocat. Hæc ille. Vnde non id ſolum intelligi uolo quàm ad impietatis uſque ſuſpicionem aſtrologica iſta ſuperſtitio ſe diffundat, ſed quanta ſcriptoribus huius artis fides adhiberi poteſt, quaſi niſi experta uſuq; cõprobata literis mandauerint, quos proculdubio ſcimus cum ſcribebant experimentum non habuiſſe uitæ futuræ. Nam ſi à ſuis conſectaneis uita functis hęc forte intellexerunt, potius quæ ad inferos quàm quæ ad ſuperos mitteret conſtellatio poterant intelligere. Quanquam enim putant ſe certa hora ſupplicantes à Deo impetrare poſſe quod uolunt, non tamen facile credam, niſi dogma mutauerint, æternam ſe ab eo felicitatem impetratu-

ros, &

ros, & certe putant illi quod diximus. Scribit enim fabulosissimus ille Albumasar, qui Luna Ioui coniuncta cum capite draconis Deo supplicauerit, impetraturum à Deo quicquid petierit. Et erunt adhuc philosophi, erunt theologi quibus hæc placent, putentq; se, & quos sequuntur astrologos, satis adhuc intelligere quid sit Deus, quid sit oratio, quæ mihi insania hoc loci non tam est confutanda quàm execranda, cum ex his quæ de oratione aduersus impios alibi disputauimus, satis sit confutata. At Petrus Apponensis cuius ego scripta quoties lego, toties illud Heraclíti uenit in mentem πόλιμος πάντων μὲν πατήρ ipse, inquam, scribit, illa se hora de qua dicebamus, à Deo scientiam petijsse, & post eam diem in ea magnopere promouisse. Mihi quantum nouus hic Salomon in ea promouerit metiri non uacat, credo certe quicquid promouit, nõ plus eo esse quod humanis passibus confici possit. Sed utcunq; sese res habeat, consulerem Petro isti, ut totum quod profecit, suæ potius industriæ ingenioq; acceptũ referret, quàm Iouiæ illi suæ supplicationi, sed ne pertinaciter illud defendat, coganť bona iudicia negare, eum potius quicquã in bonis literis profeciſſe, ut quàm ut tam uanæ superstitioni aliquando assentiant. Cõsulerem item in cõmune astrologis omnibus, ut postquam illis Iupiter ita fauens est, tantum sibi una felicis horæ supplicatione, diuitiarũ opumq; comparerent, ut nostris posthac pecunijs nihil indigentes, desinerent aliquando mentes imperitorum tot quotidie mendacijs, emũgendæ pecuniæ gratia ludificare.

MORES HOMINVM A COELO NON FIERI. CAP. IX.

VIdeamus de moribus, an recta ratione possit defendi, esse horũ quoq; aliquo modo causam in cœlo. Forte enim si nec uim pati cœli, partem animi rationalem nec cogi nostrã libertatem existimemus. Nihil erit præterea cur aut philosophia aut pietas neget, uaria hominum studia, multiplices ingeniorũ proprietates, à diuersis stellarum afflatibus prouenire, cum id etiam faciat habitus corporis, salua animi dignitate & libertate electionis. Verum fallitur longe qui ita putat, nam ipsam & solam partem sensualem ita affici à Sole, ut ad flagitium aliquod habeat propensionem, & rationi contrarium, & pietati magnopere est aduersum. Quæcunq; enim à causis naturalibus fiunt, his præsertim quæ sibi à conditore naturæ præscriptas leges seruant immutabiliter, tam in authorem naturæ sic instituentis, quàm in naturam ipsam sunt referenda, quacunq; autem uel uirtute uel proprietate sidera prædita sunt, & philosophorum & theologorum consensu, indidit illis naturæ principium Deus. Deũ optimum & sapientissimum uix negant insipientes, quę uero hęc aut bonitas aut sapiẽtia potentissima, cœli manu hominẽ, quamquam liberum, infirmũ tamen, flectere ad eã partem, ad quã minime eũ uelle declinare. Tum optimos seruos malorũ facere authores & ministros, ut

cum

cum ipsi regis iussa nunquam transgrediantur, ipsi tamẽ maxime sint, qui alios ad transgressionem inuitent & impellant. Postremò qui hic ordo naturæ, qui consensus, quæ sapiens institutio? ut quæ ratio naturæ fieri nolet, ab his tamen ut fiãt sedulo procuretur, quæ sunt partes naturæ magnę, potentes, optimæ, principales. Præterea non facit qui peccat aliquid imò deficit, quare qui inuitat ad peccãdum ad deficiendum inuitat, quod non conuenit causis superioribus efficientibus semper, deficientibus uero nũquam. Absurdissimum igitur dogma astrologorum putantium habere nos ab hac quidem siderum positione, inclinationem ad furta, ab alia ad incestus, ad fraudes, ad homicidia, cum tota natura prę sertim superior diuinæ menti proximè iuncta, naturalis & diuinæ legis obseruationi possit forte fauere, obesse & aduersari nullo modo possit. Compescant igitur os profanum, nec Venerem dicant Marti copulatam ad adulteria nos uocare, aut eosdem in signis maribus collocatos ad masculorũ nepharios concubitus excitare, Martem cœli nona partem occupantem facere irreligiosos, atque alias omnino constellationes ad alia nos irritare flagitia. Imputent sibi non cœlo sua delicta, nec fœculentæ materiæ, & iniqui animi sordes à purissimis putent naturæ fontibus emanare. Verum solui forte ista obiectio poterit, si (quod quidam putant) dixerimus, esse omnium siderum uires bonas & salutares, sed cum in nobis suscipiuntur materiæ uitio degenerare, & qui benefici erant afflatus euadere interdum noxios, atque maleficos. Sic à Marte quidem præstari animi fortitudinem & Herculeam efficaciam, sed aut uitio corporis in quo nimium rubra bilis exæstuet, aut culpa animi abutentis munere cœlesti, flecti quandoque impetus illos ad crudelitatem & iniustitiam. Sic à Saturno altitudinem mentis, prosunditatem consilij, inuestigationem rerum obstrusarum, amorem contemplationis infundi, eadem tamen omnia quia torpidum inuenerunt susceptaculum, uel arbitrij culpa eius in quo recipitur dolosum facere animum, sordidum, incultum, superstitiosum, & adusque limphationis periculum imaginosum. Sic à Venere fieri nos propensos ad hilaritatem, ad beneuolentiam, elegantiamq; ciuilem, abuti nos isto instinctu ad nequitiam, ad luxum, ad improbitatem. Incitari à Sole nos ad magnanimitatem, abuti impetu isto nos ad ambitionem, atque ita de reliquis. Verumenimuero dicet hæc aliquis potius astrologiæ defensor, quàm astrologus. Est enim inter proloquia astrologorum illud omnium primũ, maximeq; confessum, esse alios Planetas bonos, alios malos. Quod si essent uera quæ dicebantur, & omnes pariter boni sua natura, & omnes mali eadem ratione dicerentur. Cum nullus sit afflatus adeò salutaris, quem & materia & conditio suscipientis, inficere, immutare, interturbare, non possit. Quod si & ipsi nullum esse uolunt Planetam adeo malum, à quo non magna etiam bona, nullum adeò bonum, à quo non magna etiã mala possint

prouenire. Hanc tamen efficiendi diuersitatem non ad materiam & radij referunt susceptaculum, sed ad uarium sideris eiusdem in cœlo habitum & positionem. Quare dicunt Saturnum si propriam domum, propriam altitudinem, proprios fines, tenuerit, si bonis radiationibus commiscebitur, si diurna fuerit genitura, contemplatores facere, pios, sapientes. At uero si minus commodo receptaculo suscipiatur, in malam hanc degenerare conditione dicunt eundem ipsum planetam, si male collocatus, si coniunctus Marti, si malis ad Solem schematismis, dęmoniacos facere, sordidos, inuidos, & mendaces, neque unquam cum ita in cœlo habens se, sit Saturnus boni quicquam ab eo expectari posse cõtendunt. Quare qui ita astrologiam defendit, ignorat plane quod defendit. Quod enim diximus de Saturno, dictum de omnibus intelligatur, nam & Martem non feliciter dispositum dicere solent, ad ambitionem, ad impotentiam, tyrannidisq; libidinem extimulare, non quoniam uitalis eius qui nascitur spiritus, plus nimio caleat uel frigescat, propterea q; bonum cœli ignem uel torpidum faciat uel edacem, sed quia & Saturnus & Mars & Sol cum ita in cœlo se habuerint, huiusmodi mala ex sua natura & proprietate, nascentib. influant, hoc est quod astrologi scribunt & opinantur. Nec si quis hoc neget astrologiam secius defendit, quàm qui spongia librum emẽdat, secũ & dogma, ut declarauimus, & ueritatem aufert omnis prædictionis, si & de cœlestis influxus obseruatione non illa dependet, & cœlestem influxũ materiæ dispositio nõ solum minuit uel adauget, uerũ aliũ facit penitus & immutat.

MALAS LEGES SICVTI NEC BONAS COELO non subijci. Cap. X.

HInc eorũ opinio confutat' qui bonas quidem leges negant subijci cœlo, utq; à diuina uirtute dependeant, de malis uero id concedunt, cum nihil habeant quod naturæ uires & facultatẽ excedat. At quantũ obstat in bonis erroris sublimitas ne corporeis causis subijciantur, tantum obstat in malis earum improbitas ne ad optimas causas Deoq; optimo obedientissimas referantur. In uniuersum uerò tam bonas quam malas religiones à cœlo non dependere, ipsa satis experientia demonstratur. Alij enim religonum ortus & uarietatem ad sidera referunt, urbibus & prouincijs suo quodam, ut ipsi credũt, iure dominantia. Alij ad magnas quas uocant coniunctiones Planetarum superiorum, Saturni præsertim atque Iouis, & hanc quidem sententiam sequuntur Arabes & Latini, uestigijs Arabum insistentes. Illi accessisse uidetur Ptolemæus, qui (ut postea declarabimus) de magnis illis coniunctionibus nullam unquam habuit mentionem: Sed libro secundo Apotelesmaton eos ait ex Asiaticis qui ad orientem uergunt & meridiem colere Venerem & Saturnum, quoniã trigono subsint aridæ qualitatis, hoc est, Virgini, Tauro, & Capricorno, quibus ipse putat Saturnum, Veneremq́e dominari.

Rursus

Rursus qui inter meridiem habitant & occasum, Venerem atque Martem habere pro numinibus, quoniam humidæ triplicitati subijciãtur, cui cum Marte, Mercurium & Venerem præficit. Vtraque uero sententia, ipsa, ut dicebamus, euidentia rei euentisq; refellitur. Nam si uirtute magnæ alicuius coniunctionis religio aliqua nascitur, abolita ea uirtute, aboleri quoq; illa religio debet. Nulla autem siderum est coniunctio cuius uirtus durare per totannos fingatur, etiam ab astrologis, quot annis & cultus idolorũ, & mosaica religio, & Christiana etiam perdurarunt. Circiter quinq; annorum millia idolorum cultura mundus caligauit. Quænam quæso coniunctio? qui maximi anni sideris alicuius? tot sibi annorum spacia uendicant? Mosaicæ legis ritus & obseruantiæ apud Hebræos etiam hodie uigent, & iam ter mille annis aut eo plus uiguerũt. Quæ ista tam fortis, tam diuturna est constellatio? quæ extinctio, imperio religionem extingui tamen non permittit. Dabit causas horũ theologus & ueras, & suo dogmati consonas, de cœlo dare astrologus nullas potest, unde si ista deriuaretur uarietas religionum, uariari illas quotidie, atque immutari sæpius uideremus. Quod & astrologi ipsi putantes ex principijs suæ scientiæ id colligentes, præfinierunt terminos unicuiq; religioni quos ille transgressæ ipsa rei euidentia aliunde se dependere quàm à sideribus demonstrarũt. Iam illam Ptolemæi opinionem, quæ perinde, atque uarijs locis & gentib. uaria sidera dominantur, ita uarios etiam ritus religionum in locis existimat, longe magis ab ipsa experientia confutatur. Cum & illis prouincijs quæ inter orientem iacent, & meridiem, præsint eadem sidera quæ olim illis præsidebant, nec tamen ut olim ibi Venus Saturnusq; coluntur, cur enim hæc illis numina dominabãtur, utiq; ut ipse scribit Ptolem. quoniam terrena triplicitas quæ constat ex Tauro, Virgine, & Capricorno, regionibus illis præest, illi uero triplicitati Venus & Saturnus, ita enim ipse exilli mauit. At partitio hęc mundi & regionum, sub alijs atque alijs triplicitatibus distributarum perpetua est, non temporaria, quare eadem erit semper quæ aliquando fuit. Cur non igitur ô Ptolemæe eadem etiam in eisdem locis hodieq; religio durat? Deniq; totam istam disputationem ita concludamus Ptolemæum ipsum interrogantes, si à uaria siderũ præsidentia apud alias gentes olim alia sidera colebantur, cuiusnam sideris ui ac potestate efficitur, ut nulla sidera hodie aliqua fere totius mundi regione colantur.

CORPOREAS DISPOSITIONES NON EFFICI à cœlo. Cap. XI.

QVæ omnia si sint satis confutatata, restabit sola cõporis dispositio, de qua pronunciare possit astrologus, si de his talis tantum potest, quæ efficiuntur à cœlo. Sed nec istam efficere potest natalitia constellatio, cum & corporis habitum & figuram quam secum gerit ex aluo prius habeat puer quam aluum egrediat. Quare erit

erit hæc quoque illis annumeranda de quibus quinto capite dicebamus, non posse prædici per natiuitatem qua utuntur, quia ista præcedunt natiuitatem, quare potius per cõceptionem uel seminis dispositionem. At semen tunc non fit. Ergo erit constellatio qua semen factum est potius spectanda, sed hoc postea, si igitur præuideri corporis dispositio, prænũciariq; poterit, Ex hora conceptionis poterit utiq; magis, quàm ex hora natiuitatis, ex qua nullo modo potest, sed an ex illa etiam possit sequentibus libris examinabitur. Nunc illud demonstratur, errare astrologos, qui breuiore corpore, an procero, obcœso, an macilento, firmo, an imbecillo, manco, an integro, legittimo, an monstroso, nascatur is qui nascitur, ex genituræ hora pronunciant. Has enim ille omnes conditiones longe prius adipiscitur, quàm formatus iam & absolutus ex matris utero in publicũ emittatur. Quare sicuti non fiunt ab ea constellatione, quam dudũ scilicet præcesserunt, ita nec prędici ex eius obseruatione à mathematico possunt. De conceptus tempore postea disputabimus, nunc illud scire lectorem uolumus, putasse summos astrologos, quæ ad corporis attinẽt temperaturam à proximis causis & cœlo inferioribus à Deo dependere, ut quemadmodum scribit Haly, ueniam dari sibi postulauerint, si in prædicenda corporis dispositione excciderent à ueritate. Nos igitur totam de cœli efficientia disputationem ita colligamus. Si cœlum causa est uniuersalis, non esse ab eo rerum particularium uarietatem & distinctionẽ, & si in eo quoq; particularium proprietatum effectrices uirtutes esse concedamus, non tamen huiusmodi quales de cœlo astrologi uaticinantur, cum neq; fortuita in causas naturales. Nec quæ sunt mala in optimos authores, nec quæ à ratione consilioq; proficiscunt, in principia naturali necessitate efficientia, nec in corpora incorporeos radios, nec quæ iam præterita, aut longo post tempore sunt futura in præsentem constellationem, nec quæ ad alios attinent, in nostram genituram referri nulla ratione posse uideantur. Tum esse per absurdum & ab omni philosophia maxime alienum, quorũ proprias causas uideas, & manifestas & sufficientes apud nos in uiribus corporum inferiorũ, in animorũ diuersitate, in affectu, consilio, occasione, consuetudine, in concursu tam uario confluentium undiq; rerũ, atq; causarum, eorum tamen originem quærere in sideribus, quæ neq; sit ibi, neq; ut esse possit, aut rerum quæ fiunt, aut cœli efficientis natura conditione patiatur. Hinc factum, ut omnes philosophi (quorum studium in perscrutandis rerum causis laborq; uersatur) cũ à medicina, aut mathematicis, ab omni arte atq; scientia, rerum ueras causas mutuetur, astrologicis tamen causis nusquam utantur. Quod, ut Phauorinum, Carneadem, Posidonium, Timæum, Pithagoram prætermittam, ab ipso Aristot. à Platone, à Plotino, ab Auenroë, ab Auicen. à bonis utriusque familiæ sectatoribus factum, inter initia operis declarauimus.

NON POSSE COELVM EIVS REI SIGNVM ESSE, cuius causa non sit. Cap. XII.

VErum dicet aliquis forte, etiam si concedatur non fieri à sideribus istas uarietates euentaq; rerum humanarum, nõ tamen ista tim id colligi, ut præuideri ista de cœlo prædiciq; nõ possint. Quandoquidem quæ sidera minime faciunt, possunt tamẽ significare atq; portendere. Sunt enim qui ita sint opinati, nõ fieri scilicet, potestate cœlestium res inferiores, præterquam in re communis efficientiæ, sed cum à proximis causis proprijsq; dependeant, indicari tamen à cœlo priusquam fiant. Atq; per Planetarum transitum, stationem, recessum, futura cognosci, ut aues, seu præteruolando, seu stando, futura pennis, uel uoce, significant nec scientes. At uerò nec ipsa hoc unquam insignes astrologi crediderunt, nec ut credamus ratio ulla consentit. Quod enim natura, non hominum instituto signum est alicuius rei, & corpus est, aut causa est rei quam significat, aut effectus, aut tam signum quàm id quod significatur, ab eadem causa proueniunt. Quod si quis putat addendum, quasi diuersum ab his quæ diximus, ut sit causæ necessario inseparabiliterq; connexum, is plurimum longeq; fallitur, quoniam ista connexio, & cõcomitantia fieri alia ratione non potest, quàm quòd uel causa id pariat prius esse, quàm efficiat aliud, aut quod eam causam excitat ad agendum hoc quoque suscitet simul, quod sicut utrunq; ad communem causam referri concedimus. Age igitur uideamus quod nam magis ex his cœlo conueniat, si cœlo futura significantur. Cœlorum utique motus & dispositiones, effectus, non sunt rerum inferiorum, causas esse negant. Restat ut cœli habitus & dispositio, & quod per eam creditur indicari, ab eadem causa dicantur prouenire, quemadmodum iris portendit interdum serenitatem, non quia faciat serenitatem, sed quoniam iridis causa, causa etiam est serenitatis. At corporea causa nulla reputabitur quæ sit cœlo superior, propterea q; cœli inferiorumq; simul dispositiones efficiat. An reliqua erit causa incorporalis, fortè enim dici posse uidebitur, fieri euenta rerum humanarum ab ipsis diuinis mentibus, cœlestia corpora reuoluentibus, & dum fiunt ipso cœli quod mouent habitu, & positione mouent, quasi nutibus certis nobis indicari. Verum qui hæc dixerit, sane proxima fabulis poëtarum, incommodum illud quomodo uitabit? fieri ea à diuinis mentibus quæ homines ipsi sine flagitij culpa non faciunt, ut hunc ad homicidia, illum ad adulteria, alium ad furta urgeant, & impellant. Mitto quàm omnis philosophia abominetur fieri res corporales ab incorporeis causis, corporea causa media non intercedente. Præterea cur nam alia, atque alia hora nascentes, diuerso fato nascuntur? si non cœli positio quæ uariat in horas, sed cœli author immobilis sui par semper, suiq; similis, fati author & causa exis-

sa existimatur? Postremo ut Thomas argumentatur: Cum eiusdem causæ effectus, sese inuicem indicant ab eodem principio, eodem etiam modo proueniunt, cœli uerò motus & inferiorum corporum, rerumq; dispositio, non eodem modo est à causis superioribus, sed illę immutabili ordine, & necessario, hæc ordine uariabili, & quæ utranque in partem cadat contingenter, pro natura scilicet rerum quæ mouentur, quæ gubernantur, quam diuina principia non mutant, sed conseruãt, alioquin naturam non cogerent, sed destruerent. Non potest igitur cœlum significare inferiora, nisi quatenus causa effectum indicat suum, quare qui causam quidem non esse uicti ratione fatentur, signum tamen esse contendunt, hi uocem suam ignorãt. Quod & Thomas Aquinas grauissimo uir iudicio, quicq; nihil soleat temere asseuerare, in theologica summa asseuerate pronunciat. Posset hoc dici de cometis, de traiectionibus, deq́ alijs hoc genus, quæ fiunt in sublimi, ut excitata à stellis alicuius rei effectricibus, quod illorum causa factura est, non faciant, sed significent. De stellis ipsis dici nullo modo potest, cum illis, ut dicebamus, nulla corporea causa superior inueniatur. Sed & qui ita opinantur fati necessitatem uel nolentes inducunt, quoniam si sint causæ sidera inferiorum, potest non effici quod illorum influxu fieri procuratur, uel obstante materia, uel causa particulari communem influxum alio deducente. Si uetò sint signa, cum ex natura ad significandũ fuerint instituta, quàm eorum uera natura, tam erit eorum significatio uera, Alioquin cur instituta à Deo ad significandum? cuius opera perfecta, si fallunt, si mentiuntur? Quod si non mentiuntur, erit necessario quod futurum ab illis significatur. Denique si inter causas numerantur, non repugnat eorum conditioni in eo ordine esse causarum quæ impediri, mutari, superari, possint. Quæ si signa existimentur, inter mendacia haberi non possunt, neaut fallax fuerit, aut ignorans, qui in cœlesti uolumine, futurorum notas, ut dicunt, literasq; describsit. Postremo si nõ indicat cœlum faciendo, sed quod non facit, indicat tamen, restat ut quod aliæ faciunt causæ, indicetur ab eo. Aut igitur quod omnes faciunt, aut quod uel aliquæ tantum, si quod aliquæ tantum, cur quæso harum opera indicat, illarum non indicat? siquidem pariter omnes, nullæ erunt reliquæ causæ per quas, quod demonstrabat, quo minus eueniat possit impediri, necessario igitur fiet quod portendebatur. Hoc aũt si dixerimus non modo ueritati, ut alibi demonstrauimus, sed ipsis etiã astrologis aduersabimur, cum & Aegyptijs, & Ptolemæus, & celeberrimus quisq; astrologorum, fati necessitatem semper pernegauerit, quod in tractatu præcipue de quæstionibus sentire se declarant. Cum non omnem quæstionem dicant esse legitimam, sed quæ ab impetu animi cœlitus moto proficiscatur, quales cum multas minime esse concedant, quæ à ratione scilicet nostra consilioq; nascantur, aperte fati necessitatem non admittere se declarant, sed & ea introducta omnis astro

logiæ utilitas perit in eo præcipue collocata, ut præuisa mala cauere, bona confirmare, augereq; possimus. Postremo si sint sidera signa non causę inferiorum, pars ea astrologiæ, quæ uulgo dicitur de electionibus, extra controuersiam tollitur, cum in illa fauor cœlestis ad efficiendum, non signorum indicia ad curiositatem inuestigentur.

SIVE SIGNA SINT SIDERA, SIVE CAVSAE, partem causa astrologiæ quæ est de interrogationibus nullam esse. Cap. XIII.

VTramuis uerò opinionem astrologi magis probauerint, hoc est, siue sidera causas inferiorum, siue signa tantum, non causas esse uoluerint, necessario pars ea quę de quęstionibus, quaque maxime utuntur funditus auferetur. Est enim istius partis hoc fundamentum moueri animos nostros à cœlesti cōstellatione, saltem ex parte imaginaria, cumq; animus illinc ad desideriū sciendæ rei alicuius instigatur, tum si astrologum consultat, ex ea quæ hora consultationis, cœli configuratio, portendi de re illa, quod sciscitator scire desiderabat. Quare posse astrologum de rebus omnibus de quibus quæstio fiat, interroganti bus uera respondere. Quæramus igitur nos ab eis qui omnem quæstionem possunt dissoluere, signa ne tantum inferiorum sidera sint, an sint etiam causæ, significentq; faciendo, si sint signa solummodo, non est igitur à siderib. impetus nostri desiderij, sed quemadmodum alia, qui ex ea sunt opinione, proprijs aiunt fieri causis, licet indicentur ab astris, sic motus quoque desiderij non cœlestem constellationem, sed uim ipsam imaginariam, nostram electionem, uim animi appetentem, & quæ de foris sensum animumque lacessunt, pro origine causaque sortientur. Si causas esse respondent significariq; ex illis inferiora, sicuti ex causa effectus demonstrantur, quonam pacto defendent cœli constellationem quæ hora consultationis apparet, causam earum esse rerum de quibus astrologus respondet interroganti. Quare cum pridem sint facta, aut quoniam nunquam fient, causam habere nullam oportet. Sane Mars erit in occidente, qui responderi ab illis uera non permittet. Quod si impetrare possint abeo, ut uel audire eis liceat uera. Respondebo ego etiam non quærentibus, de istis quęstionibus opidò perquàm uera. Visum fuit astrologus parum gloriæ sibi, & qui magis urgebat quæstus comparari, si de tempore tantum genituræ, uel anni conuersione, sua cuique fata pronunciarent, nam pro his quidem intelligendis, aut semel tota uita, aut singulis tantum annis adire eos fuit necesse. Cum tamen multa quotidie curiositas nostra scire desideraret, de quibus illi nihil poterant respondere, unde & arti apud idiotas multum authoritatis, & professoribus multum pecuniæ detrahebatur, hinc sibi, aut alijs saltem persuaserunt posse se quicquid quæreretur ex hora quæstionis aperte præuidere, modò qui interrogaret naturali impetu

petu motus, non propria electione esset ad interrogandum, sic scilicet se ab omni falsitatis infamia pulchre uendicantes. Nam si quod respondebant re ipsa refellebatur, non parum uerus astrologus, sed parum efficax quæstio fuisse dicebatur, si euentis responsa respondebant, quid iam obstaret, cur non oracula in terris haberentur? His artibus & fallacijs nugiuendum hoc hominum genus ludificant imperitos, cum nihil possit à ratione dissonum magis uel dici uel cogitari, quàm quod de ista interrogandi fallacia excogitarunt. Nam ut illis concedam esse à cœlo desiderium illud meum sciendi de absente, gratia exempli, quonam pacto se habeat, quæ tandem ista consecutio, ut statim illud etiam sit uerum futurum, qua hora desiderium hoc meum astrologo explicauero, huiusmodi esse cœli constitutionem, quæ mihi statum absentis ostendat. Vnde hæc competentia, aut fœderatio, & nostri desiderij, & rei quam scire desideramus. Quod si forte respondeant uim eandem cœlestem quæ rem illam procul efficiat à nobis, uellicare simul animum nostrum, quasique admonere rei quæ fiat. Primo illud sequeretur, tunc solum ista incessere nos desideria cum res ipsa fuerit, & tamen de his quæ aut pridem facta, aut longo fient post tempore, aut quæ etiam nunquam fient, efficaces fieri putant posse interrogationes. Præterea id si dicamus non erit spectanda cœli constitutio qua hora astrologum interrogamus, sed quo primum momento interrogandi cupiditas nos inuadit. Siquidem eadem similisue constellatio est, quæ & parit euentum, & desiderium agnoscendi illius suscitat in nobis. Quod utique si rationabiliter insaniendum, longe rationabilius diceretur, quàm quod dicunt astrologi obseruandum scilicet tempus sciscitationis, non quo nos primum sciscitandi cura sollicitauit. Tum quoniam ut dicebamus si qua inter hæc esse potest cognatio, siquis consensus, non aliter esse potest, quàm & rei quæ facta est, & desiderij nostri quæ quoquomodo ad eandem, aut similem constellationem referri posse uideantur. Tum quòd hora qua astrologum ipsi consulimus uariari potest, mille de causis quibus fiat ut serius aut citius astrologum conueniamus, ut si eius domus remotior sit à nobis, si euntem in uia quis remoretur, atque alia hoc genus temere intercurrentia, quæ horam quæstionis propterea cœli configurationem, de qua est responsurus aliam atque aliam faciunt. Sed hæc nihil curant astrologi, quibus iamdiu familiare est, ea semper & dicere & sentire, quæ nullam habeant prorsus rationem & firmitatem.

DIVINA MIRACVLA A COELO NEC FIERI NEC significari, sed miracula miraculis, sicut naturalia naturalibus indicari. Cap. XIIII.

VErum utinam hactenus insanirent, & non diuina etiam miracula, quæq; totius naturæ facultatem excedunt, naturalibus tamen corporum superiorũ radijs, fieri existimarẽt. In hoc enim eos errore uersari, supra monstrauimus, declarãtes diuinam ab eis religionem referri ad siderum potestatem, & quam olim Deus per Mosem populo Hebræorum, & quam postea Christus per Apostolos mundo promulgauit. Sic & illam sub Noë totius orbis eluuionem, & quę alia hoc genus diuina miracula sacra prodit historia, suis omnia constellationibus ascripserunt, in quare proculdubio insanire magis uidentur, quàm qui hæc potius fuisse aliquando non concedunt, qui & fuisse credit quæ narrantur, & à naturalibus tamen causis effecta, cũ nulla cogitari maior possit insania, quàm ut factum aliquid supra naturam, naturæ uiribus putes. Esse autem diuinam legem ex his quæ naturæ uires excedant, aduersus impios disputando probauimus. De cataclismo uniuersali facile potest idem demonstrari, cum naturæ nihil magis repugnet, quàm ut suum ipsa excidium moliatur. Quare eam sibi iniuriam nunquam inferret, de qua ipsa se sua asserere potestate non posset. Quod si non potuit fieri cursu naturali, ut cum aquæ montium omnium cacumina, quindecim cubitis superarent, Noë cum sua familia, cumq; omni genere animaliũ, intra unam arcam duodecim menses inclusus naufragium illud euaderet. Non fuit etiam naturæ propositum ad perniciem omnium uiuẽtium terram totam aquarum inundatione submergere. Quod si à cœlo ista non fiunt, de cœlo præuideri etiam non possunt. Cum quæ cœlum non facit, ea etiam non significet, ut pauloante probauimus. Quanquam istam propriam habent rationem quare ab astris non portendantur, etiam si cætera, quæ facultatem naturæ non excedunt, uel fieri, uel indicari à cœlo concedamus. Est enim, ut alibi declarauimus, ordo rerum à Deo pro naturali cursu institutarum, ita suis finibus inclusus seiunctusq; ab his rebus quæ diuina uirtute & uoluntate fiũt præter naturam, ut hæc omnia si tollantur, nihil fit in rerum natura quod desit, nihil quod supersit. Est aũt cœlum & quæcunque in cœlo cõmuni cursu eueniunt, ex his rebus quæ sunt secũdum naturam. Quare si quid siderũ motus uel dispositio quæ ex naturali eorũ conditione illis debet, futurum significant, debet hæc significantia & indicatio inter res naturales haberi & numerari. Quod si aliqua ex his signis portendere ea dicamus quæ fient supra naturam, sequetur illud absurdum, ut si relinquat Deus naturam suis conditionibus, nec faciat aliquid super eam, natura iam ipsa falsa & mendax inueniatur, in qua etiam Deus aliquid frustra superfluoq; instituerit, quoniam erunt adhuc in sideribus signa rerũ futurarum

rarum, quæ tamen nõ erunt, cum res quæ significantur res sint præter naturam quas auferri supponebamus. Signa ipsa res secundum naturã sint, quæ ablatis supernaturalibus, nec auferri, nec aliqua sibi debita perfectione priuari dicendũ est. Non igit̃, si ab quo miraculum aliquod facere Deus disposuit, miraculi eius indicia naturalibus rebus inseruit, ita ut ad naturæ ipsarum rationem significatio hæc pertineret, sed naturalia quidem signis naturalibus miraculis antecedẽtibus miracula uoluit significare. Cataclismum diuinæ iustitiæ miraculo euenturũ, diuinitus inspiratus diuinitusq; seruandus Noë mundo significauit, educendos Hebræos ex Aegypto, & dandam illis legem facta per diuinã uirgam à Mose miracula magis astrologisq; Aegyptiorum, testificata sunt, subijciendã populo Dei terrã promissionis, & quæ in ea supra leges naturæ mira Deus erat operaturus, non naturalis aliqua cœli configuratio, sed coercitus manu creatoris rapidissimus Solis motus indicauit, ut traiectum sicco pede Iordanem, & sonitu buccinarum, diruta urbis mœnia prætermittam. Ezechiæ uitam diuina uirtute prorogatam, non benigna Iouis irradiatio recto sua spacia ordine percurrentis, sed retrocedentis Solis miraculũ demonstrauit. Prodigium uerbi corporati, & uirginis puerperij, quum mentium supra mentis naturam diuinitus afflatarum oracula annunciarunt, tum in ipsis corporibus cœlestib. & terrenis prodigia mille testificata sunt, dum immensum illud domino nouum sidus exoritur, nunc cum eodem in cruce deficiente, Sol, Luna plena, contra naturæ ordinem deficit, his signis diuina miracula & demonstrantur & confirmantur, quæ à naturali rerum statu nec fieri possunt, nec conuenit indicari.

PER STELLAM MAGORVM NON POSSE CONSTELLATIONEM aliquam intelligi, & declaratio quarundam scripturarum quæ imperitis possent uideri astrologiæ adstipulari. Cap. XV.

NVnc quoniam in mentionem stellæ deuenimus quæ Magis natum Iesum demonstrauit, non ab re fuerit admonuisse lectorẽ, ne hãc forte stellam astrologorũ opinioni fauere suspicet̃. Quasi non ea aliud fuerit quàm index nati prophetæ cœlestis constellatio Magis illis ab oriente cognita & explorata, qui essent cœlestis scientiæ, ut putatur, oppido quàm periti. Abducit autẽ ab hoc errore euidentissime nos, ipsa litera euangelij, quæ de hac stella loquens, ait: Et ecce stella quam uiderant in oriente antecedebat eos usque dum ueniens staret supra ubi erat puer. Quod nemo, nisi insaniens existimabit de cœli sideribus configurationibusq́ue esse intelligendum. Erat igitur illa factitia & temporaria, nõ perpetua stella & naturalis condita ad id officij à creatore, per quam significari natum regem Iudæorum. Eo forte modo Magi intellexerunt, quo & postea in somnis declinandum Herodem, & alia quam

uenerant uia, in patriam esse reuertendum. Sed & cauendum pariter est ne quibusdam scripturarum locutionibus perturbemur, ut cum in temporis plenitudine missum Dei filium legimus apud Paulum, & in euangelio dominum dicentem: Nunc est hora uestra & potestas tenebrarum, & alibi, nondum uenit hora mea, putabit enim superstitiosus horarum & temporum cõstellationes significari. At tu illum interroga. An cum famescit, tempus putet comedendi? quæcunq; tamen per id tempus fuerit cœli cõstitutio? & cum satis laborauit, corpus curandum? & cum satis obdormiuit, tempus euigilãdi. Quæ si omnia habere suum dixerit tempus, nõ pro eius tempotis constellatione, sed pro natura ipsius rei quæ fit, proq; occasione opportunitateq; faciendi, sic pariter alia quæ & Deus facit supra naturam, & homines faciunt propria libertate, quanquam nullas desiderent ut fiãt constellationes, necessario tamen aliquo tẽpore fieri, & congruentius hoc quàm illo tempore fieri atq; commodius. Decuit mitti filium Dei eo tempore quo est missus, ante non decuit, causa in cœlo non est, sed in proposito Dei, & exigentia rerum de qua multa scribunt theologi, quãtum licuit eis per indicia scripturarum ad diuini consilij secretum penetrare. Decuit item postquã est natus non statim occidi, sed quo tempore expediens fuit, permisit ipse se manibus impiorum, atque ea hora fuit potestasq; tenebrarum. Idem in reliquis intelligendum, quod ex uno nobis libri Geneseos loco aperte declaratur. ibi enim cum terram promissionis, sic ex re appellatam, Abraæ Deus promittit. Tum inquit, scito peregrinum futurum semen tuum in terra non sua, ubi quadringentis annis affligẽtur, generatione autem quarta huc reuertentur. Hactenus scriptum si fuisset, insultaret astrologus, non potuisse diuinam promissionem impleri, donec tot annorum spacijs euolutis ad certam perueniretur cœli dispositionem, quæ esset euentum illum paritura. Tu uero uide quid ex Dei persona propheta subijciat: nec dum enim, inquit, completæ sunt iniquitates Ammorreorũ usque ad præsens tempus. Vide igitur quid expectaretur? non copulatio, scilicet Iouis & Saturni, aut sideralis alia constellatio, sed plenitudo iniquitatis in Ammorreis, per quam diuina iustitia cuius legibus res humanæ, non fatali necessitate reguntur, & merito illos expelleret, & fidelis Abraæ semen illuc introduceret.

QVAE NATVRAE VIRES SVPERGREDIVNTVR quantum ad id etiam quod in se naturale continent à cœlo significari non posse. Cap. XVI.

SAtis iam nisi fallor est demonstratum diuina miracula à cœlo nec fieri nec significari, quanquam quod attinet ad efficientiam hoc ipse indicant uoces, nec nulla indiget probatione. Quærebat aũt nuperrime Hiero. Beniuenius acuto uir ingenio & perspicaci, cũ in his rebus quę fiũt supra naturã interdũ aliqd sit etiã naturale,

num

num ex ea parte à stellis possent significari? ut si nõ potuerit aliqua constellatio Dei corporationem indicare, potuerit tamen legifer homo, & bonas leges promulgaturus, ostendi, respondi neque hoc modo posse illa à stellis significari, nec quod putauit Alliacẽsis, hoc modo ab illis fieri. Is enim non alia putauit ratione defendi posse ab impietate, qui rerum huiusmodi mirabilium & diuinarũ causas quærerent in sideribus, quàm si dicant dependere hæc à cœlo, nõ quatenus sunt supra naturam, sed quatenus in eis est aliquid naturale. Hoc uero qui dicit, nihil dicit, sicut & nihil dicit qui fieri ab aliqua constellatione hominem dicit, nõ tamen fieri ab ea naturam rationalem, nam si non facit ea in homine quod est rationale, non est cur dicatur magis facere hominem quàm Leonem. Si igitur demas ex diuinis miraculis quod eis est proprium, & ea tantũ relinquas quæ sunt illis communia, cũ rebus innumeralib. non est cur effectus singularem causam tam studiose quæras in cœlo. Sed profecto qui Iesu Genesim inuestigant, non illud scire contendunt, cur in utero nouẽ mensibus fuerit quemadmodum reliqui homines, cur bono corporis statu, cur prolixo capillo, cur pauper, cur Iudæus, quoniam his conditionibus abundat omnis uita mortalium. Sed quæ in eo præcipua fuere & singularia, eorum maxime causam quærunt in sideribus, quam & præcipuam esse putant & singularem, ea uero iam supra naturam Dei opera non cœlorum, quòd natus ex uirgine, quòd homo & Deus, quòd in patria dominus & peregrinus in carne, quòd mirabilium operũ effector, quòd iure dominus orbis, quòd iudex uiuorum & mortuorum, quòd diuinæ gratiæ author & dispensator, quòd expulsor idolatriæ, dæmonum triumphator, author uirtutum, uiciorum expulsor, pax mundi, ueritatis manifestator. Hæc si non quæris nihil quæris, si quæris impie quæris. Perfugium igitur nullum quod astrologis parat Alliacensis ut diuina miracula dicant fieri à cœlo, sed non quatenus sunt miracula, quæ nec significari (ut ex nobis quærebat noster Hieronymus) ea ratione à sideribus possunt, quoniam si ordo rerũ quæ à Deo proueniunt supra naturam è medio auferatur, restabunt tamen, ut superius diximus, indicia hæc cœli, effectus illos aliqua ex parte (ut dicebamus) protendentia, sed effectus iam nullus erit, indicia illa igitur uana atq; fallacia quale nihil esse in natura cœlesti superius est demonstratum.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVlæ aduersus Astrologos libri IIII. Finis.

IOAN-

IOANNIS PICI MIrandulæ Disputationum, in Astrologiam, Liber V.

DECRETA ASTROLOGORVM CIRCA MAGNAS CONiunctiones utiliter confutari, & quàm mendaces sint deprehensi qui de magnis inferiorum rerum mutationibus per eas uoluerunt iudicare. Cap. I.

SED multos abducit ab ista ueritate fallacia astrologorum persuadentium imperitis, nullam unquam fuisse legum mutationem, nullum prophetarum aduentū, nullum in rebus humanis euentum admirabilem, quem magna aliqua siderum superiorum Saturni ptæsertim atque Iouis coniūctio, non præcesserit. De qua re illi cum coràm uel consectaneis uel rudioribus quasi de re certa atque confessa in tabulis disserunt, & per tot millenaria annorum discurrentes hæc, inquiunt, illa est constellatio quæ diluuium fecit, hæc Mosem peperit, illa Iesu aduentum, hæc Machometi legem antecessit, nemo est fere qui non moueatur, & uel descendere in eorum sententiam, uel ad dubitare aliquid saltem nō cogatur. Quare quoniam hac parte maxime lędit religionē ista professio, uolo occurrere isti pestilentię priusquam ipsa totius artis fundamenta conuellamus, quoniam tantum hoc loco errant astrologi, ut si etiam in cæteris bene sentitent, defendi hic tamen non possent, non solum quia de rebus prædicunt quæ indubium est cœlo non subesse, sed quia ipsę quibus in prædicendo regulis utuntur errores continent & in historia & in astrologia manifestissimos, quod priusquam rationibus ostendamus, ipsa satis potest experientia certum his facere quicuim rationum minus peruidebunt, quoniam omnes qui ex huius constellationibus de sectarum legumq; mutatione siue successu diuinare aliquid uoluerunt, falsi atque mendaces sunt deprehensi. Olim mathematici, cum cœpit Christi fides pullulare, non plus eam annis * duraturam dixerunt, à cuius tamen initio iam millesimus quadringentesimus nonagesimus quartus annus euoluitur. Albumasar uel author uel inuentor huius erroris, eandem legem, hoc est nostram permansuram dixit ad annos 1460. quia scilicet tot sunt anni quos uocant annos Solis maximos: Præterierunt anni illi nec ipsa præteribit, quia scilicet cœlum & terra præteribunt, Verba autem Domini non præteribunt. Nec tamen de sua, hoc est, Mahumetis lege ueriora prædixit. Abraam Iudæus anno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimoquarto Messiam eorum uenturum dixit ex astrologica obseruatione, quòd tunc scilicet ea primum erat reditura siderum positio sub qua olim Moses ex Aegypto populum eduxerat, & edu-

& eductis dederat legem. Ego proximo ante eum anno natus, cum iam tri gesimum agam experimento didici prædictionis istius falsitatem. Arnaldus Hispanus nobilis quidem medicus sed ad superstitiones paulo nimis propensus ex astrologica uanitate, plerisque alijs adiectis antichristum nobis anno gratiæ 1345. comminabatur. Fluxere ab eo tempore anni iam supra centum quadraginta octo, & nullus adhuc antichristus nisi quales etiam multi tempore apostolorum. Iuniores quoties nobis ex aliqua superiorum planetarum coniunctione fallacis prophetæ aduentum annunciarunt? præsertim ex ea quæ in Scorpione Iouis & Saturni abhinc decem annis coniunctio fuit, nullus tamen adhuc fallax propheta mundo præter eos apparuit. Ipse Alliacensis scribit, quo anno Constantiæ generale concilium celebratum est, prædixisse astrologos; nullam futuram in ecclesia pacem, sed religionis exitium, dissensionesq; in ea designari, ex Ioue in prima domo in anni figura retrocedente, & tamen scisma illud magnum quo nullum unquam maius fuit in ecclesia nec diuturnius, per quadraginta annos iam confirmatum, eo primum anno extinctum est solita pace & tranquillitate ecclesiæ reddita, quod satis certe potuit mouere ipsum Alliacensem, ne quam ultra isti uanitati fidem adhiberet, qui & ipse ab illis forte persuasus uerebatur ne illud nobis scisma paulo post antichristum apportaret. Erant aliæ quas narremus istorum de legibus sectisque prædictiones ipso deinde euentu inficiatæ, sed puto istas satis facere cum non sint alij in ista arte tantæ authoritatis quantæ apud omnes astrologos habentur, quorum prædicta ipsis experimentis confutata declarauimus, nunc ad rationes descendamus.

QVIBVS VIIS ASTROLOGI DE GRANDIORIBVS rebus iudicium ferant, magnorumq; orbium reprobatio. Cap. II.

ASTrologi quatuor maxime uijs magnas rerum inferiorum mutationes soliti uestigare per superiores planetas Iouem præsertim & Saturnum cum simul sunt, quam magnã uocant cõiunctionẽ, per orbes magnos, per Saturnias reuolutiones, per octaui orbis accessus atq; recessus. Has omnes uias & irrationales & falsas & inuias ostendemus, unde non solum id cõsequemur quod primo hic quærebamus, ut quæ de religione & legibus impia temeritate diuulgant, falsa conuincantur, sed omne etiam de magnis mundi mutationibus iudicium infirmabitur. Exordiar autem à confutatione magnorum orbium, reuolutionumq; quas Saturnias uocant, ut his reiectis quibus opere minus tota deinde præsentis libri disputatio aduersus magnas coniunctiones libere euagetur. Eingunt quemlibet ex planetis, & item unũquodq; signorum mũdi imperium obtinere annis trecentis & sexaginta, quibus exactis tum nouum aiunt incipere orbem magnum, cui & planeta priori proximus, et

signum

signum quod deinceps hæret signo priori pariter præsunt, atque ita quæ
lis dominantis signa atque sideris est natura, talia euenire in eo annorū spa
cio, & cum orbis inchoatur nouus, nouari quoque multa in rebus inferio
ribus & pro natura rectoris mutari semper rerum nostrarum conditionē.
Tum si quis quærat ab eis, ubi nos, aut in quo nunc orbe, hoc est sub quo
rectore uiuamus, respondent sub Leone & Luna, quod ita probant. Scri
bit enim Aoniar in libro de natiuitatibus cœpisse nouum orbem magnū,
quo tempore ea fuit Iouis Saturniq; coniunctio, qua cataclismum uolunt
fuisse præsignatum. Ea uero præcesserit cataclismum annis, ut dicūt, ducen
tis septuagintanouem, isti uero orbi præfuisse ait Aoniar ex planetis Sa
turnum, ex signis Cancrum, quod dixit etiam Albumasar in libro primo
de magnis coniunctionibus, differentia prima. Hæc ergo supponentes
quasi cardinem totius supputationis, colligunt ex eo quod attulit ipse nu
mero annorum natum esse dominū Iesum, cum unus & quadragesimus
supra centesimum annus uolueretur eius orbis, qui ab eo quem diximus,
sub quo fuit diluuium, quintus & decimus cui præsit ex signis Leo, ex pla
netis Luna terminandus anno gratiæ, millesimo sexcentesimo quinquage
simonono. Hæc est omnis astrologorum sententia, nec uidebis quii in pu
blicis annorum uaticiniis, si magni orbis faciat mentionem, Leonē & Lu
nam rectores mundi gubernatoresq; non constituat. Possem ego hic obij
cere quàm leuis eos moueret coniectura, ut tot annorum, quot cœli partes
finxerunt, spacium, magnum orbem uocarent, quàm nulla ratione dica
tur durare uim mundi gubernatricem unius planetæ per tot annos præ
sertim planetæ inferioris. Tamen nec à Ptolemæo nec etiam ab ullo anti
quorum tale aliquid unquam excogitatum, sed Arabum esse iuniorum fi
gmentum. Sed his omissis, necessarijs eos primum rationibus urgeamus,
& quas uitare non possunt si stare suis principijs uolunt, nec dogmati re
nunciare. Dicant igitur mihi si magni isti orbes sint statuendi, an in ipsa
prima mundi constitutione cui omnes consentiunt, noui orbis exordium
faciant an non faciant. Si dicant se non facere, quid dicere possunt absur
dius? Si facere, iam mathematica deductione rescindam quicquid de ma
gnis orbibus supra determinauerunt, ostendens fieri non posse ut si illa
sunt uera quæ dicebant cum orbis constitutione noui orbis exordia cœpe
rint. Albumasar enim, quo præcipue authore nituntur, à mundi initio ad
diluuium numerat annos integros duo millia ducentos uigintiocto: Licet
Eusebij supputatio hunc numerum annis sexdecim excedat. Sed nihil in
terest utrum dixerimus & cum astrologis disputantes eorū maxime opi
nionibus utamur. Statuatur igitur numerus annorum ab Adam ad dilu
uium ex sententia Albumasaris, aduersus quē disputamus, patet à coniun
ctione ea quæ diluuium, ut dicunt, præsignificauit, & cum qua simul no
uus orbis cœpit, relinqui ad mūdi creationē annos mille nongentos qua
draginta

draginta septem, cum ipsa diluuium præcesserit, ut dicebamus annis ducentis septuaginta nouem, diuidamus igitur eum numerum numero magni orbis, hoc est per trecentas & sexaginta partes erit planum cõflari indeintegros quinque orbes magnos, tum annos superare indiuisos supra centum septem & quadraginta, quare necessario initium magni orbis statuetur anno mundi centesimo quadringentesimo octauo. Qui numerus annorum si pars alterius antecedentis orbis est, necessario erit dicendum præterijsse orbis annos ducentos & tredecim antequam essent anni, hoc est ante ipsius mundi primordia, quo satis patet nihil dici posse delirius. Sed ita est, certe nihil est isto hominũ genere inconsideratius, nihil ad mentiendum fallendumq; natura uel professione propensius, fingunt ipsi sibi aliquid quo dogma colerent, & præstigias faciant imperitis quod est malitiæ eorum & uanitatis, sed fit semper ut ueritatis ut consequatur inde aliquid uel falsum uel omnino impossibile uel sibijpsi, hoc est eorũ dictis saltem dogmatisq; repugnans. Quod hi minimè aduertentes efficiũt, tamen & spargunt obliuiosi pariterq; mendaces, quod est ignorantiæ uitium uidelicet & tarditatis. Exemplum est præ manibus in ea re de qua disputamus. Nam ut persuaderent quacunq; possent ratione magnam illã per catacliſmum mũdi inundationem à cœlo perfectã par puerilis figmenti magnæ coniunctionis addiderunt nouum orbẽ cœpisse cum ea, sub quo scilicet orbis esset innouandus, & ut nihil deesset ad fallaciã Saturnum illi orbi Cancrũq; præfecerunt, quorũ alter ex planetis, alter ex signis humiditatis frigiditatisq; authores habentur. Et hoc quidẽ, ut dixi, malitiæ eorum & uanitatis, sed & stultitia eorũ apparet atque tarditas & ignorantia, tum quia delira huic sequi non uiderunt, ut quando orbis nouitas noui orbis exordia non haberet, tum quia si Saturnus & Cancer orbi illi præfuerunt, colligemus necessario primo integro orbi præfuisse Martẽ & Aquarium à quibus cur imperium mundi sit auspicatum, nulla unquam potuerũt ratione defendere. Nam si de Luna hoc dicerent, afferre aliquid possent, ut quia terræ sit proximior, si à Saturno orbis eminentiam, si à Sole uirtutis potestatem, si à Ioue Venereue, naturæ beneficentiam, in Marte nihil inueniunt cur prima mũdi gubernacula mereatur. Nihil item in Aquario cum initialem nullam habeat prærogatiuam, qualem & Cancer & Libra & Capricornus habere existimantur. Sed quid pluribus euagamur? uidere hinc licet planè atq; dilucidè quàm sint mẽdaces pariter atq; obliuiosi. Nam dicunt, ut ostendimus Cancrum & Saturnum orbi illi ante diluuij euentum præfuisse, quia hoc suum dogma confirmat ut magna humido frigidoq; planetæ aquarum inundatio profecta existimetur. rursus quoniam consonum uidetur ut gubernationem mundi à Sole inter planetas, ab Ariete inter signa exordiamur planetam inquiunt mundi fuisse Solem, Arietem uero signũ. Hæc enim scribit Haly Abenragel & ipse etiã Albumasar libro

primo de magnis cõiunctionibus, & tamen istaita inuicem pugnãt, ut simul uera esse nõ possint. Nam cum sint ante orbem diluuij ad mundi usq; initia orbes quinq; integri magni, sex autem imperfecti, siue quinq; numeremus siue potius sex fieri nõ potest, ut si primo orbi Aries dominet, sexto aut quinto Cancer dominetur. Aut si primum rexit orbem solare sidus, orbi diluuij Saturnus præficiatur. Nam si præfuit primo Aries & Sol, præfuit igitur secũdo Taurus & Venus, tertio cum Geminis Mercurius, quarto Luna cum Cancro. At nec quinto nec sexto Cancer & Saturnus, sed illi quidem Saturnus cum Leone, huic aũt Iupiter cum Virgine. Quomodo igitur non erubescunt hæc posteris scripta relinquere tãtæ uel ignorantiæ uel hebetudinis manifestissima testimonia? Sed hoc ingenio ferè sunt auctores astrologiæ. Sic & nescio quis Ocliaton alios sibi fingens orbes magnos uolebat efficere, ut & mũdi constitutio & Iesu natiuitas, noui orbis haberet initia, idemq; utriq; signum, hoc est Aries signorum caput præficeretur, quod cum ei aliter non succederet, dixit numerari debere ab Adam ad Christum annos quatuor mille trecẽtos & uiginti. Tot quidem si numeremus erit plane quod ille omnino uolebat. At eum numerum nulla historia recipit, sed à Græcis quidem Latinisq; scriptoribus per annos ferè nongentos, ab Hebræis & per quingentos, ab astronomis aliis etiam per mille centumq; dissentit. Sed uoluit ille potius nõ esse quod erat quàm ita bello suo commento renunciare. Quemadmodum illi ueteres quos tradit Aristoteles, qui cum semel statuissent omnia esse denario numero distributa, nec tamen in uniuerso plus nouem sphæris inuenirent, dixerunt necessario aliã esse terram, ut denarius eorum numerus impleretur æmulatione quadam diuinæ sapientiæ quæ nõ seipsam ad res, sed rerum ueritatem formet ad seipsam. Postremo prætereundũ nõ est, si essent aliquid isti magni orbes necessario, quod quidẽ per eos dicunt astrologi falsum esse oportere, cum in illis euoluendis plurimũ aberrent, putãt enim hunc qui nunc reuoluitur, cuius agi uolunt annũ centesimum nonagesimum quintum orbem esse à primo quidem decimumnonũ, ab eo aũt sub quo fuit diluuium decimumquartũ atq; hac ratione illi præficiũt Leonem & Lunã. Sed hoc esse nõ potest nisi à mundo ad nos annos numeremus sex mille octingentos triginta octo, quod ueram quidem annorum supputationem excedit per annos plusquàm mille & quadringentos, ut in tractatu nostro de uera temporũ supputatione probauimus, sed & si alias sequamur historias, cæteros scilicet Latinos qui plures computant annos, pauciores tamẽ inueniemus his quos isti ad suos orbes corrogant perficiendos, cum nulla historia in eo numero sex mille & septingentos aut circiter excedat, quibus tamen ipsi centum ferè & quadraginta adijcere deprehendun-

tur, ut suam orbium positionem defendant, quam sa-

tis puto etiam inexpertis esse confutatam.

SATVR-

SATVRNIAS REVOLVTIONES, ABOASARIS INVEN tum & historijs & rationi aduersari. Cap. III.

RESTAT de Saturnijs reuolutionibus. Et has quidem solus sibi finxisse uidetur Albumasar, & posteum alij non magnopere his utuntur. Sed uideamus quid sint & quid mouerit Albumasarem, & quantum in his, ut in cæteris solet, aberrauerit. Cũ Saturnus decem periodos absoluerit, quæ trecentis ferè annis exigũtur, putat magna tum euenire in rebus humanis. Motus est hac coniectura quòd in alijs suis historijs aliquando comperit post hunc numerum annorum insigne aliquid euenisse, inde ipse dogma fundauit reuolutiones Saturni decem mutationem afferre rerum inferiorum. At in ipsa hac primum historica coniectura uide quàm aberrauerit. Post Alexandrũ enim, inquit, exactis annis trecentis apparuit Aielasor filius Bel qui Persas contriuit, & post alios totidem annos apparuit Iesus dux scilicet noster. Hac igitur ratione erunt à Iesu ad Alexandrum anni sexcenti, quod extra omnem controuersiam constat esse falsissimum, cum nulla historia quadringentos numeret annos à Christo ad Alexandrum, & ipse Alphonsus in astronomicis tabulis nõ plures numeret undecim atque trecentis. Videamus modo, hi præcipui authores astrologiæ, ex quibus fundamentis mirabia eorum dogmata fulciunt. Idem Albumasar post Iesum inquit, exactis decem Saturnijs reuolutionibus orta est lex quæ est media inter Nazarenos & Paganos (sic enim uocant gentes.) At sane scimus nullam post Christum legem ante Maometem exortam, sed puto intellexerunt Arabes isti sectam Manicheorum, qui & Minin uocantur apud Talmutistas, qnę quidem hæresis non solum iam decem exactis, sed prius etiam quàm nona Saturni reuolutio perficeretur, inualuit. Quæ omnia si ex historia ille fideli attulisset, nõ propterea erat dogma faciendum hoc Saturni decem periodos parere, alioquin mille mihi ego huiusmodi dogmata confingam. Nam & Hebræi primum templum à Salomone ædificatum ad quadringentos aut paulo plures annos aiunt permansisse. Tum quod secũdo sub Dario ædificatum est non plus decem annis superfuisse, hoc est quadringentis & decem, à cuius desolatione ferè per annos totidem suas leges in Babylonia sibi confinxerunt, faciamus hinc dogma, quartamdecimam semper Saturni reuolutionem, Saturniæ Iudæorũ genti mutationem magnam afferre, & probabiliora dicemus quàm Albumasar qui denarium sibi numerum elegit. A quo illud & libenter scisciabor, unde natura scilicet, istas reuolutiones exordiatur, & sub qua cœli parte initium faciet istius periodi, rationem afferat quæso cur illam potius cæteris anteposuerit. Sed non est diutius laborandum in confutandis his nugis præsertim quæ alijs astrologis præter Albumasarem, parum satisfecisse uidentur, imò ita, ut ipse etiam Alliacensis, qui in tractatu de Concordia hi-

storiæ & Astrologiæ his magnopere usus fuerat, in elucidario confessus se nullum eas habere fundamentum euerso stylo magnam sui libelli partem inuenta taxatione corrodens.

ORDO EORVM QVAE DICENDA SVNT, ET DISsidentes Astrologorum opiniones circa magnas coniunctiones. Cap. IIII.

REstat de accessu & recessu octaui orbis & sphæra nona, restat de magnis coniunctionibus, sed illud quidem sequenti libro examinetur, nunc ad coniunctiones magnas conuertamur. Sed fuerit operęprecium afferri prius quid de his ipsi sentiant, ut facilius intelligantur quæ in confutationem afferentur à nobis, quæ nec ipsa narratio erit sine utilitate confutationis, cum dissidere super his ita eos uidebimus, ut nec dum constet apud Astrologos quæ maxima sit coniunctio, quæ maior, quæ media, in qua re non est solum de nomine controuersia, sed inde prędictionū oritur magna diuersitas, cū alij à maximis, alij à mediis, alij à minorib. coniunctionib. euentus iubeāt expectari. Communis igitur sententia quam Alchabitius ac Leopoldus tradunt, & ante eos Albumasar huiusmodi est, magnam esse coniunctionem cum simul iungantur Iupiter & Saturnus, quod post uiginti semper annos euenit, maiorem autem cum facta ab una triplicitate in aliam migratione in liminibus nouæ triplicitatis congrediuntur, atq; id euenire fere post annos ducentos & quadraginta. nam intra fines trigoni unius duodecies copulari tum transitum fieri ad signum proximi trigoni, quod sit ab eo in quo se iunxerunt, non primum sed secundum, ut si ex Capricorno utrique discesserint, non in Libra, sed in Aquario se primum excipiunt in ea triplicitate. Mediam inter has coniunctionem esse eam, quæ trigesimo quoq; anno perficiatur Saturni & Martis in Cancro. Maximam omnium Iouis & Saturni in Ariete quæ post nongentos & sexaginta annos eueniat. Messala ab his dissentiens libro suo de coniunctionibus eam maximam ait esse coniunctionem quæ sit trium superiorum, hoc est Saturni Iouis & Martis, à qua ipse & sectarum mutationem & translationem regnorum & prophetarum aduentus expectat, non ab ea quæ sit Iouis & Saturni in Ariete, quod Astrologorum uulgus opinatur. proximam huic coniunctionem facit Iouis & Saturni: Tertiam Saturni & Martis: Quartam Iouis & Martis. Videamus nunc quantum utraque erret positio.

PLA

PLANETAS MAGNIS CONIVNCTIONIBVS IVNCTOS non plus posse quàm diuisos, magnasq; istas coniunctiones nouum esse inuentum de malo Ptolemæi intellectu natum. Cap. V.

PRincipio scire ab eis uelim, quare putent maiora facere Iouem & Saturnum cũ sunt simul quàm cũ separati, proprias unusquisque uires exequuntur & exercent. Variæ enim naturæ radiorum commixtio nouam quidem rem facit quam discretus influxus propriusq; non faceret, sed maiorem cur faciat habere rationem non possumus, sed eò potius inclinamur, ut credamus minus aliquid fieri inde, quàm si seorsum ageret unusquisq; planetarum, quod potest, nam si, qui simul coëunt planetæ, eadem essent proprietatem, & uires haberent earundem rerum effectrices, profecto accessione facta duplicis radij effectus quoq; duplicaretur, at cum contrariæ sint repugnãtisq; naturæ, qualis Iupiter & Saturnus, necessario alter alterum impedit, & dum inuicem suas frenant ligantq; potestates diuersitate mixturæ fit ut expectare ab eis nil possimus nisi mediocre, quemadmodum omnia sunt quæ ex extremorum mixtione dissultant, sicuti & ipsi dicere solent cum sunt simul Saturnus & Mars, quanquam uterq; noxius, uterque sit maleficus, quia tamen diuersam habent nocendi potestatem, non fieri ex illorum coniunctione maius aliquod malum & admirabile, sed frangi potius debilitariq́ue alterius uires ab altero, ita ut nocere neuter possit dum nocere uterque pro suę naturæ conditione contendit. Quare non est plenè indubitatum si cœlo subsint euenta inferiorum, maiora euenire & magis durabilia cum iũguntur sidera superiora quàm cum eorum aliquis cæteris debilitatis plus aliquid fortasse solito uirium potestatisq; nancíscitur. Quod si iunctos planetas plus facere quàm separatos ad magnas istius mundi mutationes illis dederimus, non tamen dabimus hoc ad Iouis Saturniq; aut Martis coniunctionem referendam, sed obtinere uim primam in istis rebus alia sidera & ratione & summorum astrologorum authoritate probabimus. Neque enim unquam aliquis ueterum per has, quas isti uocant magnas coniunctiones, de uniuersalibus mundi mutationibus iudicarunt, nihil de his Maternus quanquam curiosissimus utique astrologiæ inuestigator, nihil Paulus, nihil Ephestion, nihil Theophilus, nihil Astaxarchus, nihil ipse Ptolemæus, cuius hic nobis testimonium erit satis, ne parum eis notis testibus aduersus eos utamur. Is igitur secundo libro Apotelesmaton docens qua uia generales & mundi mutationes præuideantur eas omnes refert solummodo in Solis Lunæq; defectus, nec potest dici aliquid rationabilius, nam debent effectus uniuersales & magni in eas referri causas quæ maximæ, uniuersales, & efficaces sint. Est autem confessum apud omnes inter

planetas duos esse tantummodo efficientiæ uniuersalis, Solem scilicet & Lunam, cuius lumen non aliud q̄ Solis lumen per eam quasi per specu-lum, ut sic dixerim, ad terram delatum. Quare si qua debet cœlestis uirtus origo & causa existimari effectuum uniuersalium atque magnorum, nul-la debet potius quàm siderum istorū talis existimari. Quod enim ait Mes-salla fieri magna à Ioue & Saturno, quia tardioris sunt motus, probat po-tius quæ negat quàm quod affirmat, cum omnium concors sit senten-tia deberi nobiliori corpori & potentiori motum uelociorem. Quo cir-ca qui superiorum siderum partes dignitatemq̄ tuentur, ne imbecillio-ra putentur, quia suo serius loco restituantur. Solent ex orbium propor-tione, quos ambiunt, probare eos multis uelociores, quibus ex periodo-rum mora apparent tardiores. Sed scio quid dicent de Ptolemæo omis-sum hoc ab eo in libro Apotelesmaton ne mysterium proderet. Ita enim scribit Haly eius interpres. Sed in centiloquio (sic enim uocant) multa huius rei dedisse documenta, cum uerbo quinquagesimo eius libri iu-beat ne planetarum coniunctiones obliuiscamur, in quibus magna sit ef-ficacia, & uerbo item tum quinquagesimo octauo, tum quarto & sexa-gesimo earundem rerum nos admonet magna tradens de his præcepta coniunctionem maximam, mediam, minimamq̄ distinguens. Ego ue-rò ab eis responderi nihil potius uellem, ut uel hinc palam omnibus fiat quæcunque eorum dogmata maiora admirabilioraqúe uidentur ea uel ex uanis opinionibus, uel ex falsa ueterum authorum intelligentia pullu-lasse. nam quod dicunt tacuisse hoc Ptolemæum in libro Apotelesmaton, ne mysterium proderet, tantum abest ut negem, ut nec in Centiloquio cre-dam proditum ab eo, in quo certè tam nihil magis locutus est de istis con-iunctionibus quàm nec de Priami morte, aut bello Troianorum. Quo pa-cto autem plura eius authoris enunciata peruerterunt, & quanti ex uno errores deinceps propagati, deinceps aperiemus. Est quinquagesimum Ptolemæi uerbum, ita apud eos, hoc est in uulgata editione. Non obliui-scaris esse centum uiginti coniunctiones quæ sunt in stellis erraticis, in il-lis enim est maior scientia rerum quæ fiunt in hoc mundo, suscipientium incrementum & decrementum, Græcè est ita, ne prætermittamus centum & decem nouem coniunctiones. In his enim posita est coniunctio eo-rum quæ fiunt in mundo generationis & corruptionis. Primum plus tri-buit istis coniunctionibus barbara interpretatio quàm tribuat Ptolemæ-us apud quem illud non est, non esse maiorem scientiam rerum quæ fiunt in mundo quàm quæ est ex illis. Præterea ut illud omittamus, sententia enunciati alia non est, quàm ne solam spectemus sideris uniuscuiusq̄ pro-prietatem. Sed ex eorum coniunctione uarias sciamus uariarum rerum ef-fectrices uirtutes exoriri, quod nemo denegat ab omnibus astrologis con-cedendum

cedendum, sed in quas potissimum maximas quasq; rerũ inferiorum mutationes referamus superiorũ esse siderum coniunctiones Ptol. certè non dixit, sed potius si eius dicta rectè & legantur & intelligãtur, contrariã nobis sententiam indicabunt. Non enim centum & uiginti (ut uulgo legit) has esse dixit coniunctiones, sed solum centum decem & nouem, quia his scilicet Solis & Lunæ coniunctionem non numerat, ut quæ priuilegia habeant peculiaria prærogatiuãq; singularem in magnis uniuersalibusq; mutationibus, reliquas omnes aceruatim in numerũ ordinemq; redigit, ut inter quas alia aliæ singulari nulla cõditione pręstaret, quod nõ aduertentes barbari expositores quasi omissum foret uitio librariorum Solis & Lunę coniunctionẽ addiderunt, legendumq; centum & uiginti, non aũt centum decem & nouem, quod Græci omnes codices habent, putauerunt, ut non contenti sensus deprauatione, literæ quoq; fidẽ adulterarent. Transeamus ad alia. Scribit Ptolem. uerbo. 58. in hunc modum: coniunctionis locum, quo in loco ab anni ascendente est inspice, siquidem cũ profectio illuc peruenerit, tunc tempus erit. & uerbo. 64. est huiusmodi in minima coniunctione differentia mediæ cõiunctionis, & in media maximæ coniũctionis differentia. putãt Arabes & Latini utrobiq; per coniunctionem à Ptol. Saturn. & Iouis coniunctionem intelligi. Sed ita nemo falleret qui Græcos authores astrologię pręsertimq; Ptol. inconniuentibus oculis aliquãdo perlegissent, quod enim dicimus coniunctionẽ, Grękè σύνοδος est, quæ dictio cum absolutè profertur pro Solis semper & Lunæ copulatione accipitur, nisi additum sit cuius ea cõiunctio fuerit, uti Veneris & Mercurij, Iouis & Satur. & aliorum planetarum. Quare cũ utroq; enunciato σύνοδον absolutè dixerit Ptol. nihil ultra adijciens, manifestissimũ apud omnes qui nõ sunt Græcæ lectionis penitus insolentes, de luminum coniunctione intelligere Ptolemæum, non aũt siderum aliorum. Atq; ita prioris, hoc est octaui & quinquagesimi uerbi sententia est, ut signo & loco ubi in anni reuolutione Solis Lunæq; cõiunctio facta est diligẽter obseruata cũ anni profectio per anni scilicet menses distributa, per quã alterum alteri signum iuxta seriem constitutionis in dominandi potestate succedit, ad eum locũ peruenerit, effectũ expectemus, quoniã ipsa antegressa anni cõuersionẽ Solis Lunęq; coniũctio nobis significauerit. Vtit enim his maxime Ptol. luminariũ congressib. ad totius anni euentũ inuestigandum, quod nemo nescit qui Apotelesmaticos eius libros euoluerit. Sunt aũt in huius uerbi translatione multa addita, omissa, interpollata. Nã & pro coniunctione coniunctionẽ minorẽ legunt, cũ nulla in Grękis exemplarib. maioris uel minoris differẽtia adijciat, & terminus profectionis ad plures annos extendit, cũ nihil de hoc apud Ptol. qui de uniustãtũ anni euẽtis, uti dicebamus, facit mentionẽ, sed fauere magis illis uidet. Postremũ illud enũciatũ ubi cõiũctiones maximę

mediæ, minimæque distinguuntur, qualem differentiam in luminarium coniunctione multi non intelligunt, sed facile hoc & apertum his qui ad Ptolemæi lucernam non oscitabundi aliquando uigilarunt, cum enim ille, ut diximus, omnia tribuat Solis Lunæque coniunctionibus, tum has triplici genere ordineque distinguit. Nam quæ defectum efficiunt alterius luminaris, eas statuunt primo loco, per quas non unius anni, sed multorum interdum euenta possent prœuideri. Has maximas ideò nũcupabimus, quia & maxime tunc sidera illa coniunguntur, cum nec longitudine discrepẽt loci, nec latitudine, & maxime remota futurorũ euenta portendunt. Contra, minimæ apud illum quæ singulis fiunt mensibus, & unius tantũ mensis nobis indicant dispositionem: Medias inter has quæ ingressum Solis in signa quatuor tropica proxima antecedunt, Arietem, Cancrũ, Libram, Capricornum, à quibus totum anni tempus quod sequitur nobis indicatur, aut uernum, aut æstiuale, uel autumnale, uel hybernum. Quoniam igitur quod uniuersalis dispositio indicat, particularis sequens distinguit & determinat, ideo mediam dixit coniũctionem maximæ esse differentiam, mediæ uerò minimam, ut si gratia exempli Lunæ Solisque coniunctio æquinoctium uernum proxime antecedẽs qualitatem nobis futurã ueris ostenderit, sciamus tum id totum & minui & augeri pro natura coniũctionum, quæ sequentibus singulis mensibus rata reuolutione contingent. Et quam habent habitudinem menstruæ istæ ad illas quatuor temporum coniunctiones, eãdem habent illæ trimestres ad maiores & paucas deficientium siderum coitus atque congressus. Hæc est Ptol. opinio de maximis, mediis, minimisque coniunctionibus, quod barbari isti non intelligentes bellissima sibi somnia fabricati sunt de Saturni Iouisque coniunctionibus, quarum maximæ post nongentos & sexaginta, mediæ post ducentos & quadraginta, minimæ post uiginti annos redeunt, quod præter ea quæ diximus congruere enunciato etiam non potest, quoniam maxima apud eos coniunctio medias minimasque complectitur, quare non poterit effectus maximæ coniunctionis per minores illas determinari per quas illa per multas sæculorum reuolutiones exigitur. Quid igitur dixit Ptolemæus mediam esse maximæ differentiam, mediæ uero minimam? hoc est illud figmentum ex falsa unius authoris intelligentia natum quo se isti adeò iactant, quo se reputant, gloriabundi quòd religio omnis stellis sit ligata, quo sanctissimas leges, prophetarum aduentus, diuina miracula potestatibus siderum fatorumque subijciunt. Certè nusquam se magis pueriles ostendunt aut magis rudes, ridiculique inueniuntur.

PRAE-

PRAECIPVOS ASTROLOGOS MEDIIS VSOS ESSE coniunctionibus non ueris, tum alia errata illorum circa easdem. Cap. VI.

SEd dicet fortasis aliquis Astrologorum, esto Ptol. non intellexi mus. quid si uelut tempestas nauem aliquando agit in portũ, ita nos error iste duxit ad ueritatem? Quicquid senserint Ptol. & alij, experientia confirmatum est nullam unquam uel legum uel regnorum magnam accidisse mutationem quam non aliqua siderum superiorum cõiunctio antecesserit, nec unquã aliqua huiusmodi antecesit quam non id genus mutationes in rebus inferioribus sint subsecutæ. Bene habet si tempestatẽ agnoscunt, sint portu in isto uidebimus. Neq; enim si in magnis delirarũt, quantũ constent ista infima experientiã facere sunt conati. Quod nos in uniuersum primo declarabimus, tum singillatim quascunque aliquis Astrologorum signauit coniunctiones magnas, retulitq; ad euenta rerum admirabilium, & falsas & falso supputatas, & ad effectus falso relatas, luce clarius ostendemus. Principio authores omnes huius dogmatis ueris coniunctionibus non utuntur, sed medijs, hoc est, fictis & imaginarijs, quod ut planè omnes intelligãt, dicam quid sit uerus motus, quid medius. Erraticæ stellæ per Zodiacum æquo cursu non deferuntur, hoc est non æquali temporis interuallo æqualem semper illius partem prætergrediuntur, quiigitur metiri illorũ motus, & dirigere in numeros uoluerunt, finxerunt unicuique planetæ motum uniformem, ut ex hoc ficto & uniformi, inæqualem illum & uerum facilius assequerentur. Fictum illum Ptolem. uocat periodicum, iuniores medium, quia hoc quasi medio utuntur ad uerum inuestigandum, cum ex motus supputatione planetæ locum inquirimus, interdum medio utimur motu, interdum uero non quia medius ille locum indicet nobis quo planeta consistat, sed ut ex eo ueram sedem illius methodo & ratione faciliore quæramus. Planeta enim nunquam est ibi ubi per medium motum esse deprehenditur, quia nec sic unquam ille mouetur sed excogitatum, ut dixi, hoc ab Astrologis est, ut ueritatem inde ordine quodam certius adipiscantur. Dicebam igitur qui per magnas coniunctiones iudicant de futuris, eos medijs uti coniunctionibus, non autem ueris. nam quòd dicunt post 20. annos iungi Iouem & Satur. post 200. aũt in initijs congredi triplicitatum, tũ post. 860. in Arietis limitibus conuenire, falsissimum est si ueros motus respicimus, est autem uerum, quãquam nec exactè, si medios, hoc est fictos illos & falsos re scilicet nullos ad doctrinæ facilitatẽ à mathematicis excogitatos, ita autem quod medius dicit motus, diuersum est ab eo quod per uerum attingimus, ut etiam & signum fiat aliud coniunctionis, atque ea, gratia exempli in Piscibus assignetur, quæ tamen fuerit in Aquario, & tempus adeo uariet, ut si dè his quæ post per 240. annos euenient, agimus

coniun-

coniunctionibus, uera interdum mediam per annos etiam centum antece
dat. Apparet ex tabulis rectè supputanti Iouem & Saturnum anno gratię
1226. à terrena triplicitate migrantes ad aëream in Aquario se excepisse.
Erant igitur in eadem ex medij motus ratione per annos ducentos & qua-
draginta permansuri, & tamen post annos circiter centum & quadragin-
ta, hoc est anno gratiæ 1345. ab aërea ad aqueam triplicitatem, facta muta
tione in Scorpione congressi sunt, & in aqueis semper signis simul inuenti
ad aërea postea nõ redierunt. Quæ quidẽ igitur hæc insania aduersus aper
tam pugnare ueritatem, & rebus uti adeo impudenter falsis & fictitijs, ut
in constellationem eorum consensu omnino nullam, cæca tamen temeri-
tate euenta rerum referant humanarum, quodq; non est nec fuit, nec erit
unquam, causam tamen putare eorum quæ sunt certè nihil est ista uanitate
delirius, in quam tamen sunt lapsi præcipui omnes authores Astrologię.
Albumasar enim princeps istius dogmatis in eo libro qui inscribitur de
magnis coniunctionibus, qui multum celebratur apud Astrologos, me-
dijs semper usus est coniunctionibus, ueris nunquam. Abraam præterea
in eo opere cui titulus est Redemptio, cũ unam aut alteram ex uero motu
coniunctionem inquirat, ad medias deinde confugit semper, de ueris nul
lam omnino faciens mentionem. Alliacensis in tractatu de concordia his-
storiæ & Astrologiæ cum septem afferat maximas coniunctiones, oma
nes illas medias affert, ueras nullas. Idem alij multi, eodem semper mor-
bo modo laborantes, de quibus omnibus singulatim postea differemus.
Et quidem sufficere hæc nobis possent, ut nihil monstraremus esse quod
dicunt, si nihil est constellatio ipsa ex qua prædicunt. Nam quoniam istæ
etiam mediæ, hoc est nullæ ad uerum non eis respondent, hoc est non in-
cidunt in ea tempora in quę maximè uellent, perfugiũ sibi aliud machinan
tur per nouam stultitiam priorem insaniam defendentes. Finxerunt enim
non sequi statim post istas coniunctiones quod protendunt, imò non ci-
to sed post multos quidem annos & centum & ducentos atque his plures.
In qua re uide quantum fallantur, nam potentis causæ & efficacis non est
sero incipere quod est factura, sed sero quidem desinere, incipere autẽ aut
statim aut cito. Qnare istarum coniunctionum uirtus uel efficax uel imbe-
cilla. Si efficax non potest diu cessare ut non faciat, si imbecilla non potest
diu durare, ut sero quidem, sed tamen aliquando faciat, domat uis ma-
gna superatq; quod prohibet & quod reluctatur: Euanescit infirma, & sua
seipsam tractu tẽporis longiore tenuitate dissoluit, quid quòd in hac tem-
porum intercapedine superueniunt nouæ semper coniunctiones, quarum
natura est ut & ipsi dicunt obliterare priores cum superueniens constella-
tio elidat præcedentem, unde si incerto anni tempore defectus accidat lu-
minariũ, soliti dicere fatum illud cessare, quod ex primordijs annuæ con-
uersionis erat acceptum. Cur non igitur etiam sequenti coniunctione præ-
sertim

sertim & proprietate & natura diuersa cessat? Cur illam primam non expungat? Ad quam tamen ipsi pertinere uolunt effectus qui post eã per trecentos etiam annos tot uarijs intercurrentibus medijs constellationibus subsequuntur. Nemo hoc dixerit uel philosophus uel non extremæ etiam homo tarditatis. Quem errorem adauget mirum in modum alius error & inexpiabilis. nam in ipsa temporum supputatione adeò errant insigniter, ut quam putant interdum coniunctionem per ducẽtos gratia uerbi annos euentum aliquem antecessisse, ea uero per mille & quadringentos rei illius gestæ tempus antecesserit, quod sequentibus libri istius capitibus demonstrabitur, & in his quidem mendaces, indocti, rudes deprehendũtur. Sed uide etiam quàm sint astuti bellissimi isti diuinatores, nam ut fallendi nunquam eis deesset occasio, ita sua sibi placita continuarunt, ut quocunq; aliquid tempore eueniret paulo admirabilius in antecedentem aliquam coniunctionem illud referre possent. Dixerunt enim, ut hoc assequerentur, unius uim coniunctionis ad horam usque alterius perdurare: atq; ita quicquid interuenit medium coniũctioni cuipiam acceptum semper poterit referri. Nec uiderunt in hac fallacia suas ruinas, quoniam si uicissim remeant apud eos ut non sit magnus effectus sine magna coniunctione, nec magna coniunctio appareat sine effectu, dum illud tuentur ne euentis huiusmodi tales causæ non adsint, faciunt necessario ut tales causæ sine euentis huiusmodi sæpe fatigentur, quoniam non ex eis semper accidunt magna & mirabilia, imò nec frequenter quæ fieri aiunt à magnis coniunctionibus, & tamen ut ipsi uolunt effectrix eorum uis non interrupta à successione permanet semper. Et hæc quidem in uniuersum aduersus eos qui magnis istis coniunctionibus de futuris euentis impia temeritate loquuntur, nunc sigillatim omnia excutiamus.

QVIS ORDO SERVANDVS, ET ALLIACENSEM aliud aliâs sensisse. Cap. VII.

INcordiamur à maximis coniunctionibus quas Alliacensis in suo tractatu de Concordia historiæ & Astrologiæ colligit, hinc illud confirmaturus Astrologorum nõ euenire unquam tales coniunctiones sine magna mutatione rerum inferiorum, & quidem ipsemet à tota ista sua concordia in elucidario suo discordat, & cum in illa tum Saturnijs reuolutionibus, tum maximis coniunctionibus utatur, illas nullum habere fundamentum has non à se fuisse supputatas, tantum semel aperte confitetur. Quo magis mirandum habere eum in ea re laudatorem in qua ipse seipsum non probauit, sed quia interdum mouit aduersus se rationes parum ueras, cum sint quædam non necessariæ, nonnullæ expressæ parum colligamus nos pauca quædam sed efficacia, quibus totus ille tractatus plane rescindatur, tum accedemus

cedemus ad confutandas alias coniunctiones, quas Abraam & Albumasar & plures alij ipseque eos secutus Alliacensis in elucidario protulerunt. Verum quoniam de temporum supputatione sæpe loquendum præfari quædam necessarium existimaui, ex quibus primo illud ostendatur cum ambigitur de temporibus non esse ut putat Alliacensis, arbitrium huius rei penes astrologos, sed penes historiam, tum cum inter scriptores historiarum uarietas est, quibusnam potissimum iure sit accedendum, de quibus utique pauca hic & cursim, quoniam late hæc peculiari opere disputauimus, quod de uera temporum supputatione conscripsimus.

TEMPVS RERVM NON AB ASTROLOGIA VT putauit Alliacensis, sed ab historia esse petendum. Cap. VIII.

ALliacensis in libro de cõcordia Astrologiæ & Theologiæ existimat numerum annorum à mundi initio ad hæc usque tempora astrologica ratione posse deprehendi redigiq; ad ueritatem, quæ quidem super ea re sacræ uel peregrinæ historiæ uarię protulerunt. Nam si genituræ, inquit ipsius mundi thema habeas exploratum, poteris ex illo primam à mundi initio Saturni & Iouis coniunctionem supputatione colligere. Quod si aliam rursus tuis annis coniunctionem proximam indagaueris, quod medium fuerit inter illam primam & postremam temporis interuallum, ex intercidentium coniunctionum supputatione elicietur. Hæc quidem in eo tempore ille sentiebat, sed in elucidario plane confessus est non esse astrologicam uiam qua de annorum nobis dubio numero certum aliquid inueniamus. Quare nec astrologos unquam etiam summos hoc tentasse aut de sua arte fuisse pollicitos, sed cum hæc dicat nescio cur denuo in illa perstet sentẽtia summam de temporum ratione quæstionem ad astrologos esse referendam, & quod quidem in historijs de anno mundi diuersum ab illis inueniat, ad illorum opinionem emendari castigariq; debere. Quod breuiter ostendemus nulla ratione posse defendi, nam potest quidem Astronomus si uerã aliquam siderum positionem quæ olim fuerit, rursusq; aliam proximam habuerit notam certissima ratione determinare quantum temporis necessario medium exactum sit inter illas. Sed quid hoc eum iuuabit? an incertũ est tempus rei alicuius gestę. Nam esto aliquis dicat fluxisse à Christo ad nos annorum tria millia, dicat alius. 1400. in componẽda hac lite quod officium erit Astronomi, dices ostensurũ illum inter siderũ positionẽ sub qua natus est Christus, eamq; rursus quæ habeatur nunc nõ posse annorum tria millia deuenire, sed mille & quadringentos. At quæ ista est tarditas? quę hebetudo ut non uideas quasi certũ te ponere quod in quæstione uersatur? nam qua siderum positione natus sit Christus Astrologus nescit, nisi prius acceperit ab historia quo ille tempore natus sit. Eamus ad tempora remotiora.

tiora. Alphonsus numerat à diluuio ad Christum annos tria millia cētum & duos. Idem sentit Albumasar, quem ille scilicet est secutus, huic numero refragatur omnis historia, putat Alliacensis errare omnes historias potius quàm astrologos. Qua quæso ratione? an quia inter eam coniunctionem quæ præcessit diluuium ad Christum per tot annorum curricula deuenia tur? hoc illis denegat nemo, sed unde didicerunt fuisse eam coniuctionem per tot quot ipsi annos putant ante diluuium? Num scire hoc ipsi aliunde potuerint quàm ex historia? profecto est hoc adeo manifestum, ut nisi lap sum hic uidissem Alliacensis, putarem me in re superflua uerba prodigere. Nam illorum sententia quantum quæso erat ridicula, qui ex prima à mun di initio coniunctione de annis mundi certiores fieri posse nos dicebant, eam uero primam coniunctionem ex mundi genitura colligebāt quasi du bitare de annis mundi possimus, qui non solum quo anno, sed & qua ho ra cœperit exploratū habeamus. Petendum igitur tēpus rerum à magistra rerum historia nemo ambigat, cuius in ea re discipula Astronomia arbitra esse non potest. Nam dabo ego Alphonso per tot annorū millia ante Chri stum talem fuisse qualis ex eius tabulis apparebit siderum positionem, sed per hæc tempora euenisse cataclismum aut rem aliā gestam nō dabo, nisi fidelis hoc mihi historia demōstrauerit. Errarunt autem omnes Astrono mi in hac temporum supputatione uehementer, quod magis suo fiet loco manifestum, quod non aliam eis ob causam potuit contigisse, nisi quia fal sis historijs adhæserunt, Latini enim Astronomi Arabes sunt secuti, illi ue rò fabulosissimi sunt, & siquas à Græcis Latinisue scriptoribus historias acceperunt, peregrina translatio pleraque uiolauit, quod cum fiat facile in omni re apud Barbaros literas abhorrentes, tū uerò fit facillimè in ista nu merorum annotatione in qua & librariorum accuratissima diligentia non nihil semper fere hallucinatur. Vtendum igitur ueris historijs atq; fideli bus inter quas sacram alijs anteponendam Christianus nemo dubitabit. Sed nec uel Hebræus uel Saracenus. Porrò in his quæ ante cataclismū eue nerunt, aut illam hoc est Mosaicam, aut nullam habebunt etiam gentes hi storiam quam sequantur, cum de illis temporibus apud cęteros nihil pro ditum literis inueniatur, si cubi uerò in sacris uoluminibus ædito Græca in hac annorum permensione ab Hebraica ueritate discordat, non potest quisquam recto iudicio authori ipsi præponere fidem translatoris præser tim cum numero Hebræorum non solum accedat Hieronymus, sed ac cedendum etiam putet Augustinus qui etsi ueterem translationem liben ter sequitur & probat, ubi tamen de hac uaria annorum dinumeratione fa cit mentionem fidem ait rerum gestarum ab ea lingua esse petendam, ex qua translatum est quod habemus, atq; ita ut ille quod diuersum est apud 70. mysterium putet potius quàm errorem historiæ tamen hoc est literæ ueritatem apud Hebræos esse non dubitat.

SVMMA SENTENTIAE ALLIAC. IN LIB. QVEM DE Concordia Astrolo. & Historiæ prætitulauit. Cap. IX.

POstquam hæc de uera temporũ supputatione breuiter iecimus fundamenta, ueniamus ad istas maximas Astrologorum coniunctiones, hoc est ad maximas eorũ insanias, ab his exordientes quas in tractatu de Concordia Historiæ & Astrologiæ colligit Alliac. is in eo opere hoc ordine usus est. Principia duo supponit, alterum de annorũ numero ab Adam ad Christum, alterum de themate genituræ ipsius mundi. Fluxere igit̃ inquit, ab Adam ad Iesum anni quinquies mille trecenti quadraginta quatuor. ab Adam scilicet ad diluuium bis mille ducenti quadraginta duo. à diluuio ad Iesum ter mille centum & duo. In prima uero mundi constitutione ita erãt in cœlo sidera collocata, nam horoscopum fecit prima pars Cancri, summa uero cœli fastigia Arietis pars prima possidebat, Mercurius in Geminorũ parte quintadecima duodecimam cœli regionem, Venus in Tauro undecimam occupabat, utrunq; luminare nocturnum quidem in Tauro, diurnũ in Arietis parte decimanona medio & summo cœlo perfulgebant: Saturnus in Aquario domũ mortis: Iupiter nonum cœli locum tenebat in Piscibus: Mars in Scorpione & in quinta ab horoscopo sede morabatur, quo etiam loco, sed in Sagittario erat Draconis cauda, quam totam dispositionẽ tibi ipsi figura depicta ante oculos ponere potes. His ita positis nullo negocio colligit fuisse primam à mundi initio maximam Saturni & Iouis coniunctionem in principio scilicet Arietis post annos 320. postquã sex alias enumerat interiectis, scilicet semper annis nongẽtis & sexaginta errore medij motus, atq; ita sequit̃ septimã à mundi initio maximã coniunctionem euenisse anno gratiæ. 735. Postq; octaua sequet̃ anno. 1693. His ita distributis colligit ex historijs capita rerũ magis memorabilũ, quæ medio illo tẽporis spacio euenere, quod inter unã scilicet aliãq; coniunctionẽ maximã exigitur, hoc est per annos illos nõgentos & sexaginta, in quo tẽporis interuallo q̃cq̃d insigne accidit, & memorabile ad precedentẽ putãt coniunctionẽ referẽdum postq; illud scilicet euenit, & q̃n̄ semp in hoc annorũ spacio gestũ aliquod inuenit magnũ & memorabile putat confirmatũ, nõ scilicet maximas illas cõiũctiones sine maxima rerũ inferiorũ mutatione cõtingere, & q̃d alioli. erat pollicitus præstitisse sibi uidet̃, ut historiq; ueritatẽ astrologicæ ueritati ostẽderet cõsonare. Hæc totius libri summa, hic ordo, hoc fundamentũ.

ERRASSE MVLTIFARIAM ALLIACENSEM, ET VT QVAE cunq; supponit concedantur, nõ tamen efficere eum quod uult. Cap. X.

PRincipio autem ut ita sit de coniunctionibus, de tempore euentorum rerumq; gestarum, de mundi genitura, utque illi denique demus totum quod postulat. quæ ista tandem est per historias confirmatio Astrologiq; si nunquam elapsos ostendamus annos nongentos &

tos & sexaginta, quin magnam aliquam genitarũ rerum mutationẽ uicissitudinem humanæ conditionis uiderit mundus. Spaciũ hoc annorũ describe quæso alijs ab initijs, ut non uerbi gratia ab anno mundi trecentesimo & uigesimo quod erat tempus primæ coniunctionis, sed à quingentesimo mundi anno, nongentosq; istos dinumeres, qui ab una coniunctione reuoluuntur ad aliam. Variaq; non minus & bella inuenies, & leges, & prophetas, & pestilentias, & euenta genus multiplex & uarium, tractu illo temporis tam diuturni contigisse cur non per ducentos semper annos à tempore illius tuæ coniunctionis seriem istorum actorũ reducebas. Pinguis hic nimis Minerua si Astrologiam historiæ ita cõcordamus. Sed nec coniunctiones illæ ueræ, sed mediæ hoc est falsæ & nullæ, nec ut eas pro medijs accipiamus, ad illa etiam tempora sunt inferendæ. Nec is quem putauit ab Adam ad Christum numerus annorũ, sed ueram supputationem plus annis mille & quadringentis excedens, nec res illæ gestę aut euẽta temporibus quibus putauit, euenerunt, & quam describit mundi genituram non solum dubia aut falsa, sed impossibilis astrologica ratione planè demonstratur. Quare una litura totus ille libellus emendari potest eas coniunctiones medias esse non autem ueras nemo nescit nec ipse diffitetur. Quod si mundi genitura ex qua omnes ducuntur impossibilis necessario, & illa ad medium etiam motum falsa supputabitur, illa an sit impossibilis uolumus uobis Mercurius interpretetur, qui in ea quidem figura procul à Sole sex & quinquaginta partibus collocatur à quo tamen ultra nouem atque uiginti, non latum quidem unguem recessisse se unquam per deos omnes deasq; deierabit, quod peccatum euidens nimis & inexpiabile. Eam etiam putat primordialem mundi figuram quam in Elucidario affert Alliacensis, mirabilibus illusionibus onustatã. Referẽ enim ad Chaldæos & Ismaëlitas quos scilicet huius mysterij conscios fecerit diuinitas. In ea autem Mercurius in prima parte Geminorum, Sol in prima Arietis collocatur, quo fit ut disiunctus à Sole sit Mercurius partibus sexaginta, quod planè esse impossibile Astronomus nullus denegabit. Sed redeamus ad illas coniunctiones quæ (ut dicebam) sub lata prima cœli figura ex qua omnes colligebantur falsæ & impossibiles, deprehenduntur. Accedit & illud quòd nec post nongentos annos est coniunctio in Ariete, ut docet Abraam Hispanus in sexto libro, cui titulus Redemptio Israël. At neque etiam quæ ad illas refert euenta, quibus putat temporibus contigerunt. non enim à mundo ad diluuium anni, ut refert, bis mille ducenti quadraginta duo, sed mille sexcenti quinquaginta sex ut postea declarabitur, quare tertia illa maxima coniunctio quam præcessisse ait dilluuium annis duobus ut quæ à mũdi cõstitutione per annos euenerit bis mille ducentos quadraginta, post diluuium ipsum fuit annis sexcẽtis octuaginta quatuor, Itidẽ anno à diluuio nongentesimo quadragesimo secundo quar

tam notat maximam coniunctionem, & ante eam per annos sexdecim natum ait Abraam patriarcham qui tamen ante huius temporis cõiunctionem per annos sexcentos & triginta diem Domini uidens exultauerit. Natus est enim anno post diluuium ducentesimo nonagesimo secundo. Sed nec à diluuio ad Iesum tot ulla historia annos computat quot Alliacensis secutus Albumasarem & Alphonsum: hi enim annos numerant ter mille centũ & duos, ueram hic numerus supputationẽ octingentis fere annis excedit, nam à diluuio ad Abraam anni ducenti nonaginta duo, ab Abraam ad Dauidis regnum, nongenti ferè & quadraginta testimonio utriusq; editionis & Rabani, à Dauidis regno ad initium eius captiuitatis quæ ex uaticinio Hieremiæ durauit annis. 50. quadringenti ferme & octuaginta, idẽ Beda Rabano Hebræisq; sentientibus: ab ea uero captiuitate, id est ab eo quo cœpit tempore ad Iesum anni quingenti & nonaginta quos omnes si mul si colligas inuenies à diluuio ad Christum annos paulo plus duobus millibus & trecentis, cũ illi tamen ultra annos tria millia & centũ & duos annumerent, à quo numero Latini historici qui plus annorum computauerunt plus tamen centum & quadraginta annis à numero minore defecerunt. Quanquam nos etiam pauciores qua supra collegimus exactissima notatione computandos in tractatu nostro de uera temporũ supputatione probauimus. quam igitur notat sextam magnam coniunctionem ante Christum per annos ducentos & uigintiquinq;, ea post euangeliũ fuit annis ferè sexcentis. Sed & illud hominẽ in historijs ostendit ualde indiligentem qui septingẽtesimo Christi anno ad quod scilicet tempus septimã retulit licet falsam coniunctionem, hæreticorum ait pestem exortam in ecclesia præcipue quę Arrianorum quorum hæresis anno gratiæ trecentesimo fere exorta ante annum sexcentesimum nulla erat. Et de his quidem ut puto satis & ni fallor euidentibus usi testimonijs disputauimus.

IN DILVVII CONIVNCTIONE TVM INTER SE TVM à ueritate Astrologos discrepasse, atq; ut detur illis quicquid petunt non tamen id eos probare quod contendunt. Cap. XI.

TRanseamus ad alias magnas coniunctiones ab alijs paulo diligentius annotatas, sed non ita ut notã ipsi tamẽ delirij nedum erroris euitent. atq; ab ea primum exordiamur antiquissima ad quã referũt cataclismi uniuersalis euentũ. De qua primo uidebimus cõpuguantia inter se & contraria ipsi Astrologi sentiant, utq; alterum taxet & reprehendat, tum aberrare planè omnes, postremo ut sit uera eorum sententia, non effici tamen quod uolunt, ut plane scilicet illud hinc confirmetur, non euenire tales coniunctiones sine mutatione magna rerum inferiorum. Est igitur communis sententia astrologorum ante uniuersale diluuium per annos ducentos septuaginta nouem iunctos fuisse Iouem

Iouem & Saturnum in decimaquarta parte Cancri cum principium Arietis esset in horoscopo utroq; scilicet sidere in quarta cœli regione pariter collocatis. Hoc scripsit Aoniar in lib. de natiuitatibus, & posteriorum uulgus in eius sententiam maxima ex parte discesserunt. Albumasar octo ante annis hanc coniunctionem annotauit, hoc est ante diluuium annis ducentis octuaginta septem, quod secutus est etiam Henricus eius interpres. Verum cum eam coniunctionem idem Albumasar præcessisse dicat coniunctionem quæ sectam Arabum significauit annis tribus millibus nongentis quinquaginta octo, contradicit Henricus ex fide tabularū Machliuiensium quarum numeris ait à se deprehensum fuisse eo anno quo eos iunctos dixit Albumasar, inter Saturnum & Iouem signorum quatuor interuallum, sed supputantem se diligentius ait inuenisse illam coniunctionem anno ante Arabum constellationem ter millesimo nongentesimo quinquagesimo primo. Cū item Henricus iste simul eos dicat iunctos in quarta parte Cācri, alij usi tabulis Alphonsi quartadecima parte eius signi iunctos illos fuisse contendunt. Sed mittamus has eorum discordias atque iam illud ostendamus, ut omnes pariter à ueritate discordent. nam siue regis Alphonsi siue tabulis illis utamur Machliuiensibus cum à Christo retrorsum uersi sumendo primordia cœlestium motus explicamus incidimus in eam coniūctionem anno quidem (ut ait Henricus) ante Christum tertio millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, à quo numero alij paucis mensibus uariant. Nos autem superiore capite à dilluuio ad Christum annos paulo plures duobus millibus & trecentis uera supputatione colligi demonstrauimus: quare præcessit ea coniunctio ipsum cataclismum, annis non ut ipsi dicunt ducentis & octuaginta, sed mille adiectis duobus & octuaginta. quid igitur illi & cataclismo? neque enim puto ad tot annos uim illius coniunctionis extendent. Sed demus illis non pluribus quàm uolunt eam annis antecessisse diluuium atque his quibus putant temporibus diluuium euenisse, an credis tamen effecturos quod uolunt? At quamuis hæc item illis demus nihilominus tamen falsi, uani, ridiculi. Nam esto iuncti fuerint Saturnus & Iupiter in Cancro propterea ne periit mundus aquarum inundatione submersus? At plus quàm decies post ea tempora in eodem signo simul fuere nec tamen periit mundus, imò nec una propterea regio aquis immersa est, nedum orbis uniuersus. Euentum rarum, maximum, admirabile, ipsa tamen cōiunctio quid quæso habet huiusmodi? Nam & sæpius postea redijt (ut dicebam) & siue Messalæ siue aliorum sententiæ accedamus, non solum maximis sed nec maioribus coniunctionibus connumerabitur. Cum & duo in ea tantum sidera copulentur nec in signorum initio, hoc est, in Ariete, nec in principio alicuius triplicitatis, quid igitur habet singulare? cur tam mirabilis & nunquam postea uisi, præterq; fidem excellentis effectus, causa existime-

tur. quid cur tam diu, hoc est per ducentos & septuaginta nouem annos perduraſſe uirtus eius putetur? Nam ſi quæ in principijs accidunt triplicitatis ad principium uſque alterius dixeris habere efficientiam, dices quidem rem falſam & à nobis ſuperius improbatam, ſed tuis forte dogmatibus conſonam. At dicere hoc de ea coniunctione quæ in medio fit nec noſtræ ueritati nec tuæ etiam uanitati concordat, cum non plus quàm ad uiginti annos eorum uirtutem ſignificantiamq; deducas. Cum autem illa in medio ferè Cancri euenerit, reſtabant adhuc anni 120. ut dicunt ex mediꝰ motus ratione, ut ab aquea triplicitate ad igneam Saturnus & Iupiter conuerterentur. Quare ſi illa in Cancro copulatio tot præceſsit annis diluuium, hoc eſt ducentis & ſeptuaginta nouem, ſequitur ut facta ſit orbis inundatio in medio igneæ triplicitatis ad quam migrauere ſidera ſuperiora annis ante cataclíſmum centum & quinquaginta nouem, permanſereq; in ea poſt mundi ſummerſionem per annos 120. Quòd ſi etiam Alphonſi tabulis utentes, reſoluimus annos à nobis ad mundi primordia, computemusq; à Chriſto ad diluuium ex eorum ſententia annos ter mille centum & decem inueniemus mediam coniunctionem Iouis & Saturni in decima nona parte Sagittarij per annos duos ante diluuium & dies unum atque uiginti, atque ante eam ueram eorum coniunctionẽ in quarta decima parte eiuſdem ſigni, anno ante diluuium uigeſimo primo adiectis diebus trecentis triginta ſeptem. Item eorundem coniunctionem mediam incidemus in decima parte Arietis ueramq; reſpondentem ante eam mediam diebus ferè quinquaginta tribus in ſexta parte illius ſigni, ante diluuium ſcilicet annis duobus & uiginti adiectis diebus uigintiquinq;, cur non igitur iſtæ & ueræ, & temporibus ſuis proximæ, & in uigore proprijæ triplicitatis coniũctionis, cum in igneis ſignis acciderint non ἐμπύρωσιν potius fecerunt, hoc eſt conſumptionem ſæculi per ignem quàm unam illa in Cancro cataclíſmum & falſa, hoc eſt ad medium motum ſupputata, & per tot annos id tempus antegreſſa, & tot cum mutatione triplicitatis ſuæ ſequentibus coniunctionibus diuerſæ penitus, repugnantisq; naturæ. Non dubito fore quenquam aſtronomum qui (modo ſe fallere nolit) non fateatur nugamenta hæc eſſe hominum delirantium ac nugas pro arbitrio libidineq; cõfingentium, modo ſemel decretos errores infanias ſuasq; quacunque poſſunt ratione confirment. Plantum eſt igitur & tempore uniuerſalis diluuij nullam fuiſſe, quam iſti putant, coniunctionem, & ſi de annorum quod uolunt, numero illis concedamus, eas poſtius per ea tempora fuiſſe conſtellationes à quibus ignis exuſtiones, quàm à quibus aquarum inundatio expectaretur.

IN MOSIS CONIVNCTIONE ET MESsiæ uaticinio quàm delirus Abraam Iudæus. Cap. XII.

ABraam princeps (ita apud Hebræos cognominatur) cuius auditor fuit Abraam Auenazre. librum composuit quem prætitulauit, de Redemptione Israël quoniam illud operis propositum, ut astrologica uia tempus uenturi Messiæ inuestigaret. Exorsus igitur à Mosis natiuitate nescio quam suam, de qua diceba-mus sibi fingit siderum positionem cum Saturni & Iouis copulatione, ad quam & Mosem, & regnum Israël, & legem refert Iudæorum populo data, quanquam (ut solent uerbis religiosissimis, quo suos libros ab igne tueantur) ipse quoque sic semper neget dicere quod dicit: hac autem constellatione formata sub qua regnum cum lege Hebræorum exortum sit, quoniam similem inuenit, post annos Moysi (ut ipse quidem supputauit) bis mille octingentos quinquaginta nouem, hoc est, anno Christi Millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, iubet tunc expectari Messiam. Fuerunt eo anno Saturnus & Iupiter simul in Piscibus & per 20. ante alios, hoc est, anno millesimo quadringentesimo quadragesimoquarto simul fuerunt in Cancro. Post quarum omnino alteram coniunctionem & Messiæ aduentum, & mirabilia illa omnia, quæ per Messiam expectant, astrologica assertione futura pronunciat. Quod cum re ipsa iam satis confutatum sit elapsis à prima quidem coniunctione annis iam quinquaginta, à secunda uero triginta, posset hinc & quod de Moyse fabulatur satis infirmari, ut non dedisse eis regnum ea credatur constellatio, qua redeunte ad eos, suum regnum minime rediit, nec peperisse uidetur Mosen qua effectis nihil uiribus ad nos reuersa nullum tamen prophetam ad nos attulerit. Quid quòd non solum post illas coniunctiones felicius agere cœpit gens Hebræorum, sed non minoribus ferè post ea tempora calamitatibus obruta est quàm aut sub Tito aut sub Adriano pulsis nuper Iudæis omnibus ex tota Hispania à Christianissimo illo rege nunquam certe satis laudato, ubi & numero, & diuitijs, & authoritate plurimum poterant, qua eiectione nihil unquàm ferè uel tristius uel acerbius passos ipsi se non diffitentur, ita multi naufragio, pestilentia quam plurimi, fame maxima pars eorum absumpti, ut nobis etiam Christianis in tanta calamitate, in qua diuinæ iustitiæ gloria delectabat homines, tamen extrema adeo patientes commiserationem faceret & dolorem. Hic est Messias, hæc est illa redemptio quam ex Mosaica constellatione Abraam illis promittebat: qui ne de præteritis etiam rebus diuinasse melius credatur quàm de futuris, uideamus in illa, ad quam Mosis aduentum retulit, coniunctione quàm falsus planè & ridiculus sit: nam & ea coniunctio, per quam natum credidit Mosem,

pluribus post Moseos mortem annis euenit, & si de tempore illi concedamus, nihil tamen tale, ut putat illi significauit. Videamus de tempore. sed prius illud scire oportet, Hebræos hoc anno qui est à Christo 1493. annumerare à mundi constitutione à qua suos annos dinumerãt annorũ quinque millia ducentos quinquaginta tres, quare à mundo ad Christum computabunt ipsi annos ter mille septingentos & sexaginta. Cum igit ille Abraam coniunctionem illam postquam tribus exactis annis natum ait Mosen, anno dicat mundi 2365. euenisse, sequitur ut ante Christi tempora euenerit annis. 1395. At uero à Mose ad Christum anni uera supputatione colliguntur, mille quingenti & nouem, quare fuit illa coniunctio post natum Mosem annis centum atque triginta. Numerus ipse annorum ita demonstrat, nam à Mose ad primam templi ædificationem ex tertio libro regnorum, qui est apud eos primus Samuelis, colliguntur anni. 479. à prima autem illa ædificatione ad instaurationem templi sub Dario computantur anni quingenti & duodecim, à Dario ad Christum numerantur anni quingenti & decem & octo. quorum omnium summa est quam dicebamus anni scilicet. 1509. Ea uero coniunctio Christum antecessit annis mille trecentis nonaginta quinque, atque ita primo natum Mosem annis centum atque triginta, sed non illa mirifica adeo propheticaq́ue constellatio, ut de eius tempore magnopere sit pugnandum. Iuncti enim nquit fuerunt Iupiter & Saturnus anno mundi. 2365. die. 25. Mensis Idar, hoc est Februarij, in prima parte Piscium medio motu, uero autem motu eodem anno in uigesima quarta parte Aquarij simul fuerunt. Explicet igitur primum, utram sibi magis eligat coniunctionem ad quam potissimum referat regnum Iudęorum legemq́ue Mosaicam, illam scilicet in Piscibus mediam, an hanc ueram potius in Aquario? Veram si dicat sibijpsi repugnabit & Astrologis alijs, nam ex minoribus illa coniunctionibus fuit, cum non acciderit in principio triplicitatum. Tales autem coniunctiones, ut ipsemet scribit eodem loco non significant legum mutationes, aduentusq́ prophetarum, sed uel annonæ fertilitatem, aut inopiam, uel translationẽ quidem imperij, sed inter cognatos & quæ sunt intra gentis unius fortunas, imò intra eiusdem etiam familiæ fines se continẽt. Præterea in themate coniunctionis quod ille describit Aquarius in quo erat Iupiter & Saturnus septimum cœli locum implebat, non autem nonum uel decimum quibus regna, & leges, & nouæ sapientiæ exordia significantur. Et si quis omnino contendat istum Aquarium ab sua urna nobis Mosen pluisse de cœlo, dicat quæso cur anno domini. 1226. quo Iupiter & Saturnus in Aquario cũ mutatione etiam triplicitatis se coniunxerunt, quæ erat maioribus coniunctionibus annumeranda, nullus tamen de cœlo Moses descendit, nullus eductus populus ex Aegypto, nulla lex data, & eorũ quę sub Mose in hęremo contigerunt, miraculum nullum eo tempore uidit mun-

dit mundus. Sed nec illum Abraam notasse prȩcipuè uidetur coniunctio quæ scilicet fuit in Aquario, sed Iudaici regni Mosaicæq; legis cõiunctionem eam uocauit, quæ fuit in Piscibus, quare & similem illi facit eam quæ anno ab illa 2859. in Piscibus etiã uenit ex qua expectari iubebat Messiam quasi alterum Mosem. Istam uerò quid pluribus confutamus? Cum ex illis quas uocant medias, hoc est, quæ re nullæ sint sed fictæ à nobis & imaginariæ, quam iam sæpius irrisam à nobis taxatamq; astrologorum insaniam nũquam possum satis admirari, qui ad ea ex professo quæ nihil sunt nec iam fuerunt aut erunt unquam quasi ueras ad causas euenta referant rerum inferiorum. Nec scio cur Auenazre qui nullam ait fidem Albumasari adhibendam qui medijs utatur coniũctionibus, idem de præceptore isto suo non dixerit qui toto illo suo libello de medijs semper agit coniunctionibus quæ post annos 238. facta ab una ad aliam triplicitatem migratione contingunt, & in illa sua initiali prophetica coniunctione incredibile quàm sit ridiculus. Describit enim thema cœli ad eam horam in qua Leo tenet horoscopum in 7. uero loco apud Aquarium Saturnus & Iupiter hospitantur, Sol in medio cœli culmine discurrit in Ariete. Pisces nonam occupant regionem ex qua quoniam omnis petitur significatio legum & prophetarum, parum ei succedebat quòd in ea nullus planeta inueniretur. Sed Astrologus homo admirabili subtilitate & Solem & Iouem & Saturnũ, illum quidem ex decimo hos ex septimo loco ad nonũ transportauit. Medio enim, inquit motu Iupiter & Saturnus erant in Piscibus, Pisces in nono loco. igitur Iupiter & Saturnus & Sol quanquam in decima est ex partitione domorum, si tamen numerum & consequentiam aduertamus signorum erit in nona, nam & Aries quintus est à Leone, & nona domus quinta est ab horoscopo. An putamus & aristas istis commentis subtiliores? Respondeam nescio, an indigner tantam stoliditatem, tantam uesaniam, an potius doleam damna mentium rudiorum qui hæc utpote non intellecta tradant scripturæ, & nonnunquam magnificent cum soleant tales ab errore ire in superstitionẽ, à superstitione paulatim ruant in infidelitatem. Dic quæso admirabilis Abraam qua hora erant Saturnus & Iupiter in Aquario, an etiã erãt in Piscibus? medio inquis motu. at quid hoc aliud dictu est quàm ibi eos non fuisse, & si ex decima Sol imperium promittebat, idem quomodo ex nona legis fulgorem indicabat, cum nec nona in decimam nec decima in nonam uerti, nec utrobique esse simul idem planeta possit? Sed nimis ego multa de his, cum aduersus stolidas opiniones Aristot. neget esse disputandum,

VARIIS

VARIIS CONIVNCTIONIBVS MEDIIS A VARIIS Christianam legem ascribi & absque ratione etiam astrologica. Cap. XIII.

CHristianam legem hactenus non uidi qui ad ueram aliquã referret coniunctionem sed ad medias tantũ, alĩ ad eam quæ fuerit in Arietis parte sexta per annos sex prius quàm Iesus nascere tur, alĩ ad eam quæ in postrema Cancri parte contigerit antegressa priorem illam annis 20. Essent autem hic multa unde eis negocium faceſcerẽ, ut si ostenderem, nec sub ignea, nec aquea, sed sub terrea natum Iesum, quod & ratione, & Abraæ authoritate aliorũq; etiam posset comprobari, tum illam in Cancro coniunctionem prophetas non significare, cum non ex maximis nec ex maioribus etiam fuerit, quod uidens quidam author quid si, inquit, ad Leonem dicat pertinere? Finis enim Cancri principiumq; Leonis confinia sunt, atque ita erit principium illud igneæ triplicitatis. Bellum utique inuentum neque enim ista loca transuersis plus quinq; digitis distãt, quare nulla ferè impensa potest ista referri migratio, sed risimus puto iam satis satisq; cõfutauimus medias istas coniũctiones, quas cum iam omnes planè è medio sustulerimus, non est cur aduersus eas plus operæ instruamus, cum sit satis declaratum id quod dicitur eas medias, non esse aliud quàm si nullas eas dicamus, quod autem non est, utiq; nec facere potest, nec indicare ea quæ sunt. Quòd si post natum Christum aliquam ueram afferant coniunctionem, porrò nihil admirabor nisi postquàm ille in lucẽ est editus, stetisse cœlum credamus. Alioquin & Iouem & Saturnum & alios item planetas & congredi & digredi ab inuicem scepius fuit necesse, sed nullus unquam dixit astrologorum habere istas coniunctiones uim super ea quæ præterierunt, sed præcedere quidem eas multis annis suos effectus, sequi uero nũquam quod est dictum rationabiliter, nam si efficiuntur, effectu causa posterior esse non potest, si significantur frustra cœlestibus signis euenturum significare id quod iam euenit.

EAM QVAE VVLGO FERTVR, VERAM NON ESSE IESU genituram, nec ex ea indicari illum aut uiolenta morte moriturum, aut magnum esse prophetam. Cap. XIIII.

MOuere autem solent nonnullos quæ de genitura ipsius Iesu nuganturisti diuinaculi. natus enim est, inquiunt, prima facie Virginis (sic decanos uocant) ascendente, de qua scribit Albumasar esse in ea Virginem formosam duas manu spicas gerentem puerũq; nutrientem, quẽ gens quędam uocat Iesum, sic confirmari putant miraculum uerbi corporati per scientiam Astrologiæ quæ inter cœli imagines Virginẽ Iesumq; repperit. Hic eis equidem non magnopere iraſcor, quoniam solent ipsi sua dogmata talibus testimonijs confirmare, quare putant libenter nos etiã hæc recepturos quibus dogmata nostra corroboremus,

mus, sed non eget his fabulis somnijsq; ueritas Christiana, apud quã etiam seria philosophorũ pene fabulę sunt. Quis has uidit imagines cui sensu tacẽte ratio illas occultior indicauit? Vbi de illis uel Ptolemæus uel antiquus aliquis unq; fecit mentionẽ? Meracissimæ nugę sunt Arabumq; figmenta, quanquam illa referant ad Indos, aduersus quas libro sequenti latius disputabimus. At neq; ista Virgine (ut dicunt) ascendente natus est dominus Iesus, alioquin per duas ferme horas ante mediã noctem in lucẽ apparuisset, quem ex ecclesiæ traditione media nocte natũ accepimus, quare nec tertia (ut quidam dicit) Libræ pars sed decima potius, cũ oriebatur natorum desideratissimus horoscopum occupabat. Vnde illud etiam falsum ostenditur quod blasphema uoce disseminant, fuisse in ea genitura Martem in domo mortis, unde illi per crucis supplicium fuerit moriẽdum, neq; enim potuit eo loco esse Mars, nisi Virginem faciamus horoscopum, quod ab hora illius geniturę magnopere esse diuersum declarauimus. Sed instabit aliquis si de ea cœli parte Martem auferimus, collocaturos nos eum in occidente, ubi etiam uiolentæ mortis pericula minitetur. Ego uero ab eorum decretis nihil recedens ostendam ex ea genitura uiolentæ mortis exitium non prę signari: nam quanquam Mars septimo loco in discrimen uitæ natum adducat, scribit tamen Maternus minui id infortuniũ si nocturna fuerit genitura, item si Mars in domo aut finibus aut sua fuerit altitudine, tum etiam si octauo loco fuerit inuentus, unde expressior nulla mortis significatio, obsistere tamen Martis malignitati Iouis benignitatem, si fuerit in horoscopo, & horoscopus ipse sit in domo Iouis aut Veneris quæ stella prospera se Ioui radiatione coniungat. Ex his autem non unum aut alterum sed plane omnia in Iesu genitura inueniuntur. Nam & noctu nec die natus est, & Mars in Ariete, hoc est in suis laribus fuit, & horoscopus erat Libra domus Veneris quam tamen fere partiliter Iupiter illustraret, tum Venerem in Aquario constitutã trigoni radij amica sibi societate iungebat, quibus illud & adijcias Lunam, quæ imperat nocti in nocturna natiuitate fœliciter se habentem mortis domum tenuisse, uidebis necessario bonam mortem ex ista siderum positione pronunciandã, erat enim in Tauro, hoc est, in sua quidem sublimitate, & luminibus aucta, & quo loco gaudet, hoc est octauo felicissimo Solis conspectu defluens ad Venerem, apud quam hospitabatur nullis uel Martis uel Saturni radijs infestata, sed nec discedens ab eis, nec ad eos uadens, hoc est, nullo illis societatis uinculo colligata. Adde Venerem & domus mortis & horoscopi pariter dominam nulla uel Martis uel Saturni inimica radiatione percussam, fotam radijs Iouis bonum sibi exitum promittentem. Oblatus est igitur quia uoluit non quia eum cœli furor ad supplicia crucis impegerit. Sed non potest hominibus temerarijs nullius q; pudoris occasio unquam deesse aliquid garriendi. Nam finge quouis loco Martem fuisse, ansam habe-

bunt

bunt nihil minus aliquo modo delirandi. Si enim ſtatuatur in horoſcopo faciem hinc referri depalmatam colaphis cæſam & ſanguine deturpatam, etiam Martium illum hominem & in ſe gladios dicent attuliſſe interitus. Si ſecundo loco ab horoſcopo, afferri paupertatem & rerum omnium inopiam: ſi tertio, nullos fratres: ſi quarto nullum patrimonium, ut qui Dauidis filius Dauidis tamen temporariū ſaltem regnum non obtinuerit: ſi quinto, nullos filios: ſi ſexto, datos in necem omnes ſuos ſeruos: ſi ſeptimo & octauo loco habes, quid dicant: ſi nono ô beatos aſtrologos, cum dicat Maternus, qui in nona cœli regione Martem habuerit in ſua domo, futurum hominem bonis dæmonibus terrori, cuiuſq; aduentum praui dæmonis ſpiritus fugiant, & ex eis homines laborantes non uerbo ſed ſola ſui liberet oſtenſione, quantis igitur credis iſta clamationibus & plauſibus ſectaturos diuulgaturos aſtrologos, ſi ibi forte naſcente domino Martis ſtella cōſtitiſſet. Quod ſi cœli culmina tenuiſſet orbis ſtatim ſubiecti legibus eius imperium pronunciarent, eum præſertim primum cardinem Iupiter occuparet, ſi undecimo eum loco apprehendiſſent, Carolos Conſtātinos attuliſſent in medium, & quotcunq; pro Chriſti eccleſia Cæſares pugnauerunt: ſi duodecima, de inimicis inſidijs quærerētur, inter quos etiam ſe ipſos inuenirent, ita inſanis, ut dicitur, occaſio ſemper inſurendi. Sed audi de Saturno etiam quid dicant. erāt enim in nona cœli religione in ſigno Geminorum, at inquiūt, facit prophetas & ſacerdotes, quid quòd retrocedit? Debet hoc omnino minuere illas promiſsiones, faceret ergo prophetam plus quàm prophetā facere non poterit qualis Ioannes bap. an igit poterit diuinum afflatorem q; omnium facere prophetarū? Erat Saturnus eodem loco & in eodem ſigno conſtitutus cum nata eſt Eleonora Galeoti fratris filia uirgo quidem illa pudica & moribus integerrimis, ſed nec uel Anna uel Delbora uel Caſandra. Sed perſiſtite quæſo aſtrologi admirabiles in propoſito dogmate, & uideamus quid ibi Saturnus in ſua natiuitate ſignificaret. Scribit Abraam ueſter in lib. de natiuitatibus, qui ſic Saturnum habuerit collocatum, hoc eſt, nona cœli regione, eum malum fore Chriſtianum. Videtis quàm bellè dogma ueſtrū confirmauerit. Quis enim audeat Chriſtum malum dicere Chriſtianum, qui nec fuerit Chriſtianus? ô homines ridiculos & nunquam certe ſatis irriſos. Eſculanus ille ſuperſtitioſus qui fertur Magus, natus eſt, ait, Ieſus in ſtabulo, quia imum cœli tenuit Capricornus, & alius rex, inquit, fuit Iudęorū, quia horoſcopus erat Libra: Hebræi enim Saturnij ſunt, Saturni regnū Libra, quaſi non ſingulis etiam menſibus multi naſcantur his conditionibus qui nec naſcuntur in ſtabulis, nec Iudæorum reges etiam inſcribuntur.

Sed iam nimis multa de iſtis nebulonibus.

QVAE

QVAE DE MAHVMETE DIXIT ALBVMASAR EXPE-rimento falsa esse deprehensa. Cap. XV.

ALbumasar Arabs aduentum sui Mahumetis legemq; illam Saracenorum refert ad coniunctionem Iouis & Saturni quæ fuit in Scorpione per annos duos & quinquaginta ante illius legis æditionem, qui non est pluribus confutandus, cum quæ ex eadem constellatione de ea lege uaticinatus est ipsa iam experientia confutauerit. Denicq; quod supra etiam diximus quocunq; tempore aut boni aut mali ueniant prophetæ, deesse coniunctio non potest in quam eorum aduẽtus referatur, cum post annos 20. ut supra diximus, Saturnus semper & Iupiter congrediantur, sed non esse tales congressus, aut signum aut causam quapropter prophetę huiusmodi ueniãt, illud satis esse inditio potest, quòd sæpe alias, similes aut etiam ad idem opus efficaciores redeunt constellationes, post quas tamen nullus propheta, nulla lex noua, nulla immutatio religionis. Mahumetes, inquiunt, uenit postq; iuncti sunt Iupiter & Saturnus in Scorpione, cur non alius Mahumetes. post annũ gratię. 1065. quo tempore simili conditione Iupiter & Saturnus simul fuerunt, mutata etiam triplicitate, & quod in illa Mahumetis cõiunctione nõ uenit, Mars eodem anno in eodem signo per corpus illis applicuit, & tamen historias si uoluamus nullam per ea tempora nouæ religionis legemus institutionem, quæ tertiam ferè orbis partem in suas traxerit leges.

IN ANTICHRISTI VATICINIO ALIOS IAM mendaces apparuisse, alios mendaces futuros. Cap. XVI.

SI falsos, uanos, ridiculos eos in his deprehẽdimus quæ de preteritis religionibus sunt locuti, non plus debemus putare fidei adhibendum illorum nugamentis cum de antichristo, de sęculi consummatione, deq; hoc genus alijs futuris rebus nebulones isti prophetica quadam authoritate sermocinantur. nam & quosdam iam euentus reprobauit, ut Arnaldum, aliosqúe nonnullos qui aiunt anno domini. 1345. ob illam trium siderum superiorum in Aquario coniũctionem, aut anno. 1464. ob Iouem & Saturnum in Piscibus iunctos Messiam Abraam, aliq; antichristum nobis minitabantur, alios qui in longum hæc magis distulerunt, non dubito eodem argumento à posteris redarguendos quia & illorum scilicet uaticiniũ res ipsa refutabit, donec eueniat dies angelis ignorata, quam cum nosse dominus Iesus nostrum esse negauit, audacium omnium, ut ait Augustinus, digitos una uoce resoluit.

QVAM LEVITER PROBENT ASTROLOGI, sex tantum religiones esse posse: tum Hebræorum legem Iouiam potius uel Solarem quàm Saturniam dici deberi. Cap. XVII.

SEd audi quàm pulchro figmento & præteritas omnes religiones, & quæ futura est sub antichristo sub uno (ut ita dixerim) fasce colligant. Iupiter inquiũt, religionem significat, aliam autem atque aliam ex complexu eius cum alio & alio sidere. Sunt autem sex præter louem, quare sex etiam species religionum quibus nec plures erunt, aut fuerunt, nec item pauciores. Iupiter enim cũ Saturno Iudæorum facit religionem, cum Marte Chaldæorum ignem adorantium, cum Sole Ægyptiorum, qui cœli militiam hoc est, sidera colunt, cum Venere Saracenam, cum Mercurio Christianam, cum Luna eam quæ sub antichristo postrema omnium est futura, hoc est illud subtile & profundum inuentum, quo cum alij plerique tamen Rog. Bac. in epistola maxime utitur ad Clementem, quo usus etiam Alliacensis in tractatu de Concordia Astrologiæ & Theologiæ. In quo illud primũ demiror, oblitos eos adeo sui dogmatis, ut qui semper soliti dicere ex coitu solum siderum superiorum Saturni maxime & Iouis fieri religiones uel significari, nunc ad Lunam usque descendant, quę sit nobis antichristum aliquem paritura, quòd si etiam ad numerum planetarum numerare uolunt species religionum, aut subtrahant aliquem necesse est planetam è cœlo, aut plures alicubi fibi mendicent, alioquin numerus non respondebit. Nam aut idolatriam quasi unam religionem accipiunt, aut separatim accipere in eo numero uolunt speciem unamquamq; idolatriæ, pro uario ritu cultuq; eorum qui idolis seruierunt. Si primum malunt, tollant oportet è medio unum planetam, quoniam non erit alia Ægyptiorum, alia Chaldæorum religio, sed una atq; eadem, hoc est idolatria, quare tantũ erunt quinq; religiones idolorum, Mosaica, Christiana, Mahumetensis atq;, ut ita dixerim, antichristiana, si species separatim accipi iubent idolatriæ, uix tot stellæ etiam in cœlo quot religiones in terra, quòd si ad ea quasi capita redigi putẽt alias quorũ alterum ignis, alterum cœli cultus habeatur, magnum illis merito à dęmonibus malum prætermissos in ista partitione se indignantium, qui tamen in idolatria præcipuè, & ferè soli colerentur. Omnes enim dij gentiũ dæmonia, quare tres saltem necessario faciãt species idolatriæ, cœli, dęmonũ, elementorum, cogenturq; alicunde ab amicis unum sibi quærere errorem, uolui dicere erronem, hoc est planetam, ut octo inueniantur ad numerum religionum. Sed & semper rerũ omnium de quibus loquuntur male periti. cultus enim cœlestiũ proprius erat Chaldæorum, ut scribit Iamblicus, in dæmonũ cultu Aegyptijs magis occupatis, quare dent pro Marte Solem Chal-

Chaldæis, & diabo uem planetã interim procurent Aegyptijs. Pa
terer aũt facile pugi biq; cum ueritate, quoniã illi fuerunt semper
parum amici. Sed c eo sæpe non libenter concordant, neq; enim
sua satis dogmata s t, rationem inuenient cur Hebræorum lex
Saturnia sit potius stiana, sed illa potius ad Solem uel ad Iouẽ,
nostra erit ad Satur nda. Saturnus enim ut quidam dicunt, cor
porea bona non la fert, dat aũt spiritualia & quæ nõ uidentur.
Lex Mosaica corporea bona & promittebat & largiebatur, nostra hæc au
fert potius quàm exhibeat, spiritualia quæq; nõ uidentẽ, promittit & præ
stat. Saturnus reges populi, imperatores exercituũ, diuites homines, mul
ta sobole nobiles, natura mulierosos nõ efficit, quales principes omnes re
ligionis Hebraicæ, Abraam, Iacob, Moyses, Iosue, Salomon, Dauid, igno
biles facit pauperes, heremitas, uoluptatũ osores, æterna meditantes, cor
porea contemnẽtes, qualis, si alijs adnumerãdus, dux noster & imperator
Christus, Iesus quales apostoli, martyres, monachi, Christiani quorũ uita,
doctrina, sanguine religio nostra aucta, nata, confirmata est, quare si illorũ
decretis consona erant dicenda nos Saturnij, Hebræi solares uel Iouij erũt
dicẽdi. Sed traxit eos in illam opinionẽ sabbati cultus, quæ dies quoniam
apud eos Saturni existimatur, apertissime eis uisum est cadere quòd Satur
niam gentem esse dicerent quæ Saturniam diem præ cæteris ueneraretur,
qua etiam ducti coniectura solent nostram etiam dicere solarem esse reli
gionem, quia diem solis quem dominicum dicimus obseruamus. Sed cur
non potius feriamur die Mercurij cum Mercurio etiam nos subijciant? So
lem enim Aegyptijs, Mercurium nobis dabant. Et Albumasar ait Iouem
cum Mercurio legem significare Christianam, quanquam idem etiam de
Sole dixerit. Neq; enim uel errare uel mutare sententiam uitium apud eos
qui in erroribus motibusq; planetarũ adeo sunt assidui, quòd in uertigine
illa cœli tam rapida attoniti inspectanda uix unquam bene pedibus consi
stant, sed utcunq; sit miras habent rationes, quibus inuenta ista sua confir
ment: non enim temere ad Mercurium nos retulerũt, sed quia, inquit Rog.
Bac. multiplices ille habet motus cognituq; difficiles, religionẽ sibi uẽdi
cat Christianam, cuius dogmata pene incredibilia inuenta agnituq; diffi
cillima. Alij iuniores nescio quid excogitarunt, quoniã scilicet Mercurius
Librarius est deorum, est autem apud Christianos Librorum magna co
pia, ideo inquiunt, iure Mercurialis censeri debet ista religio. Hæc est ad-
mirabilis sapientia astrologorum, obliti scilicet sunt gentium
Bibliothecas, Arabum & Hebræorum libros
ferè nullos adhuc uiderunt.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVLÆ aduersus Astrologos libri V. Finis.

Chaldæis, & diabolicū aliquem planetā interim procurent Aegyptijs. Paterer aūt facile pugnare eos ubiq; cum ueritate, quoniā illi fuerunt semper parum amici. Sed cur secū adeo sæpe non libenter concordant, neq; enim sua satis dogmata si cōsuluerint, rationem inuenient cur Hebræorum lex Saturnia sit potius quàm Christiana, sed illa potius ad Solem uel ad Iouē, nostra erit ad Saturnum referenda. Saturnus enim ut quidam dicunt, corporea bona non largitur sed aufert, dat aūt spiritualia & quæ nō uidentur. Lex Mosaica corporea bona & promittebat & largiebatur, nostra hæc aufert potius quàm exhibeat, spiritualia quæq; nō uidentē, promittit & præstat. Saturnus reges populi, imperatores exercituū, diuites homines, multa sobole nobiles, natura mulieroſos nō efficit, quales principes omnes religionis Hebraicæ, Abraam, Iacob, Moyses, Iosue, Salomon, Dauid, ignobiles facit pauperes, heremitas, uoluptatū osores, æterna meditantes, corporea contemnētes, qualis, si alijs adnumerādus, dux noster & imperator Christus, Iesus quales apostoli, martyres, monachi, Christiani quorū uita, doctrina, sanguine religio nostra aucta, nata, confirmata est, quare si illorū decretis consona erant dicenda nos Saturnij, Hebræi solares uel Iouij erūt dicēdi. Sed traxit eos in illam opinionē sabbati cultus, quæ dies quoniam apud eos Saturni existimatur, apertissime eis uisum est cadere quòd Saturniam gentem esse dicerent quæ Saturniam diem præ cæteris ueneraretur, qua etiam ducti coniectura solent nostram etiam dicere solarem esse religionem, quia diem solis quem dominicum dicimus obseruamus. Sed cur non potius feriamur die Mercurij cum Mercurio etiam nos subijciant? Solem enim Aegyptijs, Mercurium nobis dabant. Et Albumasar ait Iouem cum Mercurio legem significare Christianam, quanquam idem etiam de Sole dixerit. Neq; enim uel errare uel mutare sententiam uitium apud eos qui in erroribus motibusq; planetarū adeo sunt assidui, quòd in uertigine illa cœli tam rapida attoniti inspectanda uix unquam bene pedibus consistant, sed utcunq; sit miras habent rationes, quibus inuenta ista sua confirment: non enim temere ad Mercurium nos retulerūt, sed quia, inquit Rog. Bac. multiplices ille habet motus cognituq; difficiles, religionē sibi uēdicat Christianam, cuius dogmata pene incredibilia inuenta agnituq; difficillima. Alij iuniores nescio quid excogitarunt, quoniā scilicet Mercurius Librarius est deorum, est autem apud Christianos Librorum magna copia, ideo inquiunt, iure Mercurialis censeri debet ista religio. Hæc est admirabilis sapientia astrologorum, obliti scilicet sunt gentium Bibliothecas, Arabum & Hebræorum libros ferè nullos adhuc uiderunt.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVlæ aduersus Astrologos libri V. Finis.

IOANNIS PICI MIrandulæ Disputationum in Astrologiam, Liber VI.

QVO ORDINE SIT PROCEDENDVM IN CONVELLENdis Astrologorum fundamentis: Item fieri non posse ut aliquando ad eadem loca sidera omnia restituantur in quibus semel fuerunt. Cap. I.

EXCESSIMVS ordinem institutumq; nostræ cõmentationis, in qua erant radices prius astrologorum conuellendæ quàm ista fastigia magnarum coniunctionum, magnorum orbium, & id genus alia excideremus, quando illis sublatis corruere ista erat necesse. Quis enim illis fidẽ adhibeat per magnas cõiunctiones de regnorum religionumq; mutatione pronunciantibus? Cui constiterit iam signa illa, Arietes, Leones, Cancros, Sagittarios, in quibus congredientes louẽ & Saturnum facere hæc putant, ea nulla esse, aut si qua huiusmodi sint, in cœlo eo nõ esse in quibus supputantur? tum Saturnum Iouem reliquosq; planetas, euecta non efficere, & uicissitudines rerum inferiorum. Quæ si efficiant, de eorum tamen efficientia natura proprietate, uel ratione uel experientia nihil esse compertum, & cum ex alia aliud coniunctione proueniat (si quidem prouenit ab illis) non posse diiudicari hæc apud illos apud quos ipsa rudimẽta istius artis adhuc sunt in ambiguo. Videbimus enim in his quę postea disputabuntur nõdum esse confessum quæ sit hora putanda coniunctionis, anni an initium, quo uertente illa contigerit, an quo potius uertente sidera ipsa congrediuntur, tum neutrum ex his temporibus assequi eos posse, quare in dubio relinqui coniunctionis horoscopum, uidebimus. Item si constiterit de horoscopo, de ratione tamen thematis disponendi, nihil adhuc constare, sed esse in incerto ubi duodecim locorũ initia recte constituantur, atq; illis etiam constitutis de uirtute tamẽ ipsius loci, quod principium, quod medium, quod extremum illis non liquere, quibus ignoratis sicut qua cœli regione coniungantur, ita quid sit factura coniunctio sciri non potest, cum significati fere omnis uarietas ad locorum, quos uocãt domos, naturam proprietatemq; redigitur. Et quia in istis maxime coniunctionibus illud solent obseruare, uter planeta super alterum exaltetur, uidebimus nescire eos adhuc quid ista sit exaltatio quam ipsi uulgo uocãt eleuationem. Et cum item referat plurimum quis loco ipsi, uel copulationis siderum superiorum, uel defectus luminarium, planeta in primis dominetur,

minetur. Videbimus ita controuersa esse omnia ista iura imperia authoritatesq; planetarum, ut nullius ferè signi pars aliqua inueniatur, de cuius principe & domino certum aliquid habeatur apud Astrologos. Sed non oportet hic enumerare istius artis fundamenta quæ postea conuellentur. Cum quibus (ut prius dicebam) ruere etiam omnia oportet quæ per magnas coniunctiones, & id genus alia de diuinis miraculis audent pronunciare. Verum cum hac maxime parte proprietatem religionis offenderēt, in tollenda hac peste, omnis celeritas mora uidebatur, præsertim quòd efficacissime confutari uidebatur integra re astrologica & nihil in cæteris labefactata, si pars hæc de magnis coniunctionibus falsa conuinceretur, atq; ubi maiores fortioresq; uidentur in illis potius expugnarentur. Nunc reuertentes unde sumus digressi, pergemus prima istius artis fundamenta ordine consequenti radicitus extirpare. Neq; uero silentio prætereundus error apud astrologos inuulgatus, in quem lapsus Albumasar & plærique alij putantes fore aliquando, ut ad eadem loca ita omnia sidera restituantur, ut similis omnino cœli dispositio & cœlestium omnium inter se positus habitudoq; inueniatur, atq; olim etiam fuerit, unde putant illud euenturum, ut sint etiam res eędem apud nos quę olim fuerūt, ijdem homines, ijdem euentus, eadem bruta, & omnino conditio eadem omnium inferiorum, quod quidam deinde astrologomistæ profundius examinantes, consectaneis solent dicere in aurem, hæc est illa Christianorum resurrectio, quam & Hebræi sperant & Mahumetenses. Fuerunt certe illi prophetæ, maximi astronomi, sed celauerunt mysteria hæc populum & idiotas. Putauerunt enim esse numerum annorum communem mundi & dierū cum quibus loca planetarum & stellarū certificari possent, & quando ille completus erit quòd omnes stellæ erunt ad ipsummet pūctum reuersæ, & propter hoc omnes res redibunt quales fuerunt. Nos uero istam insaniam coarguere pluribus non est necesse, quoniam Haly ipse in expositione primi libri apotelesmatum ex sententia ipsius Ptolemæi idem dicentis, illam indignanter etiā obiurgat, nec esse aliquem, ait peritū arithmeticę, cui non iste error euidens fiat. Tū post eum Nicolaus Orem philosophus acutissimus & diligens mathematicus in tractatu de proportionib. proportionū, mathematicis rationibus opinionē illam falsam & impossibilem demonstrauit, putantem scilicet posse eandem unquam cœli & siderum redire positionem, quæ aliâs fuerit, qui cum sufficienter hoc munus impleuerit delegandum ad eum lectorem existimaui,

ne, quod hactenus nusquam fecimus,

facta faceremus.

PER QVAS RES ASTROLOGI VARIARI INFLVXVS SI-
derum dicant, & q̃ omnino illa in uniuersum absurda sint. Cap. II.

MAgna ni fallor uel (ut uerius dixerim) omnia Astrologiæ fundamenta sublata sunt, si satis est comprobatum nihil fieri à cœlo, nec indicari quorum ex cœlesti obseruatione prędictionem astrologi profitentur. Erat aũt inter rationes quibus aduersus illos utebamur, una potissima de momentanea quam fingunt uirtutũ cœlestium mutatione, quã in superiori quidem disputatione tetigimus, explicandã aũt ad hunc usq; locum iure distulimus: nã & peculiari indiget prooq; tractatu, & magnũ habet momentũ in cõuellenda Astrologia, cum ex ea nõ solum id confirmet quod hactenus probatũ est scilicet, à sideribus non effici particulares rerum inferiorũ mutationes, sed illud quoq; si proueniant ista de cœlo, aliter tamen prouenire, quàm ut cœlestiũ aliqua obseruatione deprehendi & significari possint. Est igitur quod astrologi dicũt huiusmodi uirtutẽ ac potestatem siderũ & stellarum aliam atq; aliã esse singulis horis ac momentis, dum aut sunt alijs cœli locis, quas neoterici uocãt domos, aut in alijs signis quæ duodecim fingunt inueniri, aut ipsi inter se planetæ tantũ spacij interuallo distãtes uarijs inuicem radiationibus copulantur, quos uocant uulgo planetarũ aspectus, hi sunt præcipuè modi (ut iuniores quosdã omittã) quibus mutari defluxum uirtutemq; cœlestiũ putant, domus scilicet signi, aspectusq; diuersitas. quæ quidẽ nisi ab illis defendantur, tueri dogma non possunt de siderũ efficientia, ut omnis rerum inferiorum mutatio diuersitasq; à sideribus proficiscatur: quãdoquidem si illa eadem semper immutabiliq́ue uirtute sunt, ut nos de omnibus, excepta Luna, putamus, necessario aut ijdẽ aut similes ab illis semper effectus prouenirent, nam effectuum diuersitatem in causas inferiores, quemadmodum nosipsi, referre non possunt, nisi & nobiscũ fateantur de ista diuersitate nihil posse de cœlo se diuinare, cũ scilicet cœlum author & causa nostra habeatur. Quare necessarium illos, quanta est in effectibus rerum inferiorum uarietas, tantam in cœlo reperire causarum quoq; diuersitatem, in qua quidem re nihil eis stellarum multitudo suffragatur, quoniã quotquot stellæ sint atq; planetæ, nascenti cuilibet omnes adsunt. Quapropter nulla ratio afferri posset, cur alijs aliter & non eadem omnib. largiretur, nisi aliquid fingerent unde stellarũ uirtus & efficientia alia sit & alia singulis temporibus, de quo deinde facile colligi possit quæ diuerso tempore fiunt uel oriuntur, pro eo qui tum esset siderum status, diuersam à cœlo sortiri conditionem, de qua ipsi possint prænunciare, qui siderum statum quocunq; temporum cognitũ habeant & exploratum. Hoc est autẽ quod nos præsenti libro coarguemus, cũ nihil possit magis absurdũ, magis remotum ab omni ratione putari, quàm tantã esse in natura corporũ superiorũ inconstantiã & mutabilitatem, quantã utiq; nec in rebus inferioribus est uidere,

quam

quanꝯ in ſua natura maxime fluxis & uertibilibus. Quæ enim hæc tã uerſipellis mutatio & inſtar Chamæleontis incõſtantia? ut & breui temporis interuallo diuiniſsima illa corpora ſui ſimilia atꝯ iiſdem dotibus prędita nunquã inueniãtur? Dicant quæſo defluxuũ ſideralium proprietates illas quid putent, an de natura ipſa atꝯ ſubſtantia ſiderum eas proficiſci? an de ui aliqua potius extrinſecus immiſſa? ſiue à 12. cœli locis, ſiue à ſignis, ſiue à mutuis inuicẽ radiationibus hauſta. Si primum reſpondeant, nõ poſſunt proprietates illas mutare, niſi & ipſa aſtrorum ſubſtantia commutetur, quod nec ipſi (ut puto) ſunt conceſſuri. Si ſecundum malint, erunt cœleſtia corpora omniũ corporũ ignobiliſsima, quæ nihil ferè à propria natura, ſed penes extrinſecus ingruentẽ uim & affectũ omnia faciant, quandoquidem ſubſtantia corporalis tanto perfectior, quanto ab illa effluens operatio magis de intima ſubſtantia operantis egreditur. Et hæc quidẽ in uniuerſum generaliterꝯ dixerimus, nam inſania opinionis tunc maxime eluceſcet, cũ particulatim modos examinabimus quib. mutari uirtutes ſiderum putant, in quibus excutiendis ſeriem ſeruabimus errorum fabulaũꝯ ſuarũ. Quod iã facere aggrediamur à 12. cœli domib. exordientes, pro quarũ diuerſitate nõ ſolum intendi atꝯ remitti, ſed aliũ omnino penitusꝯ diuerſum & ſignorũ & ſiderum defluxum fabuloſiſsimè comminiſcunt.

DOMVS ASTROLOGORVM QVAM NVLLO NIXAE FVNDAMENTO, & quàm in earum uirib. explicandis aſtrologi inter ſe pugnent. CAP. III.

DVodecim domos apud aſtrologos celebratas nemo ignorat, non omnino rudis iſtius artis, ad has mihi uidet omnis ferè ſignificatio defluxuũꝯ proprietas ab illis tandem referri. Nam ſi de natura alicuius quæras planetæ quidnam efficiat cuius rei largitor & author habeat? nihil definitum & certũ reſpondebũt, niſi quòd natura domus in qua planeta reperiatur, ita ut quæ in cõmune de proprietatib. dicere ſolent planetarum fere omnia ad ea uideant accedere quæ ſub cõmuni uoce multiplicem habeãt rationem. Quid enim magis eſt generale in ratione planetæ cẽꝯ ut ſit bonus aut malus, hoc eſt felicitatis author, aut infelicitatis. Et tamen hoc quoꝯ in ſideribus firmum atꝯ idẽ ſemper non eſt, ſed in malo loco bonus planeta nocet, in bono malus, pdeſſe ab illis eſtimat. Deniꝯ Iupiter ut pro omnib. unum dicã, in oriente collocatus tam differt à ſeipſo cũ paulum ſupra orientẽ in eum quẽ uocant duodecimum cœli locum commigrauerit, cẽꝯ ignis differt ab aëre aut ab aqua, cẽꝯ lepus ab aſino, aſinus ab elephante. Nam in oriente maxima ſemper bona in duodecima domo quæ attigua eſt oriẽti, magna ſæpe mala decernit, illud Iouis maxime proprium opes ut largiatur, atꝯ diuitias, tamen tertio octauoꝯ collocatus frequenter patrimoniũ diſsipat, cum ſua natura nobiles faciat & ſapientes. Octauum locum ſi tenuerit faciet ignobiles, & quorum furor ad inſaniam, ut Maternus ait, euadat. Poſtremo quid magis eſt Iouis

proprium quàm ut beneficum ſydus exiſtimet? cum & fortunator planetarum, & magna cœli felicitas nominet. At tertio loco conſtitutus, neque bonus, inquit Maternus, eſt neq; malus. Sexto etiam loco collocatus maxima etiam mala decernit, cuius rei reddens rationem Maternus adijcit: Locus enim ſextus habet malitiæ propriam prerogatiuam, & quæcunq; ſtella in ipſo loco fuerit, id eſt ſexto, ad decernenda mala maximas uires ex loci uitio mutuabitur, hæc ille. Quæramus igitur ab Aſtrologis, unde tanta tam ſubita, tam perpetua in diuinis corporibus ſit diluuio, quæ pro firmitate immutabilitateq; ſuæ ſubſtãtiæ naturæ propriæ tenaciſsima ſuiq; ſemper ſimilia iure crederentur. Sane duo tantũ fingi modi poſſunt quibus id fiat: Alter, ut locis illis inditas uires ac poteſtates uarias intelligamus, quas ſubiectis ſideribus influant, quod allata Materni uerba uidentur ſignificare: Alter, ut nec quidem accipere aliunde neq; affici aliter atq; aliter ipſum planetam exiſtimemus, ſed quemadmodum pro diuerſa ad terram expoſitu ſideris habitudine, proiectus radiorum uariatur. Variari quoque inde credamus radiorum uim & efficientiam. Vtrum maluerint dicere inſaniẽ coarguentur. nam ſi fluere à loco uires huiuſmodi ad planetas reſpondeãt, interrogabimus de loco quidnam ſentiant? an quod ueteres aliqui, locum eſſe ſpacium nudum à corporibus ſeparatum? An, quod Ariſtoteles, ultimam ſuperficiem corporis ambientis? Si ſpacium ac interuallum, fateantur cum eiſdem etiam philoſophis nullas huiuſmodi interuallum habere uirtutes ac proprietates, quandoquidem formas naturales non meros dimenſus, & nudam intercapedinem conſequuntur. Si corporis ambientis ultimam ſuperficiem, poteſt quidem huic loco aliqua uis ineſſe qualis ſcilicet corpori, cuius etiam ſuperficies à qua deinceps ambitum corpus afficiatur. Sed quæ nam ista corpora? quorum extremum ſiderum locus exiſtimabitur? Certe quæcunq; illa dicantur, ſiue extimus omnium globus, ſiue ſideri unicuiq; iunctus & proximus, nulla erit pars huiuſmodi corporum quæ & orientem, & occidentem, & ſummum cœli ac imum & cætera loca unius diei reuolutione non ambiat, quare ſi uirtus ab illis partibus erit, non erit eadem uirtus ſemper orientis neque eadem occidentis, ſed pro natura præſentis illius corporis inibi collocati, uirtus quoque ipſa mutabitur. Poſtremo hoc ab illis dici non poteſt, quoniam ſigna. 12. quæ alia præter domos in ipſis domib. eſſe dicuntur, ſicut planetæ in domibus & in ſignis, ea inquam ſigna, ſumma omniũ ſphæra ab illis deſcribuntur, quę & ipſa quemadmodũ & planetæ à domo in qua ſunt, uires naturamq; mutuari dicuntur: nã dicunt Arietem non eadem facere in oriente quę facit in occidente, atq; idem de alijs ſignis quæ in octaua ſi nulla ſuperior, aut in ea quæ ſumma exiſtimat ſphæra accipiuntur. Hæc igitur cum nullo corpore ambiantur, nõ eſt ubi uirtutem iſtam domorũ cogitemus præterq; immobili ſpacio & interuallo, quod corporibus occupatur. Id uero aut nihil eſt,

ſi ergo

si credimus Aristoteli, aut si est aliquid, nullus tamen uel efficaciæ uel proprietatis charactere est insignitum. Quare diuersas in istis locis, hoc est in situ diuerso signorum & planetarum uirtutes cogitare, quibus inibi posita sidera afficiantur, ab omni ratione penitus est alienum. Neque enim absona minus & deridicula dicent, si altera parte defensionis utētur, quia scilicet pro situs diuersitate alia facie nos planetæ respiciunt atque illorum in terras aliter radij demittuntur, hinc faciant effectus nasci diuersitatem. Quam enim hoc sit absurdum qui optices philosophiæque rudimenta uel delibauerit facile intelliget, cum nemo sit qui nesciat effectus qualitatem pro radij qualitate, procq; natura corporis irradiantis, non pro diuersa radij circulatione distingui. Hęc ut idem magis aut minus fiat in causa esse potest. Solis radius quocunq; modo, quocunque situ in nos dejicia-tur, semper calefacit, semper illuminat. uerum cum uel proximus uel ad lineam, magis illuminat, magis calefacit. Cum uero uel obliquatus, uel fractus, aut è loco remotiore descendit, eadem quidē quæ rectus, quæ propinquus, sed minus eadem facit. Nec alia quidem in effectu fieri potest diuersitas, quàm quæ ipsam intentionem remissionemq; caloris luminisque consequitur. Insanum igitur dogma astrologorum putantium & signa cœli duodecim & planetas hic quidem positos fratres nostros perbeare, uel miseros facere paulum inde cum processerint in fratres nullam habere uim, nullam significationem, sed diuitias aut dare aut eripere, alibi quidem conciliare amicos, alibi suscitare nobis aduersarios. Nihil quidem aut signi aut planetæ natura mutata, sed sola facta situs uarietate. Hæc autem quemadmodum etiam diximus siue radios faciat nobis proximiores, siue potentius in terram rapiat, siue orienti societ uel disiungat, siue terrę uaporibus magis minusue immisceat, potest forte radij uim uel acuere uel hebetare, naturam mutare certè non potest. quare nec res quam radius operatur, sed effectus specie non mutata, eius aliquam forte dispositionem uel firmius & efficacius quidem, uel imbecillius forsan operabitur, quandoquidem uirtutes & proprietates, uel quales elementorum, uel quæ magis occultæ, naturam rei speciemq; sequuntur, quare illa in aliam non mutata ipsæ quoque mutari, ut aliæ atque aliæ sint, nullo modo possunt. Quod si tamen expertos ita se respondeant, aliqua fides forsitan haberetur, uel si super his posset experimentum comparari, quod infra reuincetur, uel in eandem sententiam inter se conuenirent, sed cum locis eisdem diuersas diuersi ascribant proprietates suis ipsimet inuicem obseruationibus adimunt testimonij fidelis authoritatem. Arabes etiam Latini uestigijs Arabum insistentes seruorum quallitatem indicari à sexto loco contendunt. Aegyptij & Ptolemæus ab eo qui à sexto maximè omnium distat, hoc est à duodecimo ualitudinem aduersam siue uitium ila siue morbus, non tam à sexto quærit loco Ptolemæus quàm à septimo &

mo & primo, quoniam illo nunquã utitur in apotelesmatis, his uerò utitur semper contra uulgus astrologorum, istis omissis à sexto significationem omnem huiusmodi quærunt qui cuiq; futuri sunt filij, Arabes & Latini de quinto loco pronunciant. Ptolemæus à decimo & undecimo, & cũ cuiq; uita nihil protenditur, quinto pariter utitur & quarto. Quod item Paulus Alexandrinus obseruat. Mallius ab oriente natorum fortunam & parentum uota suspendit. Porphyrius ex decimo significari præcipue filios ait, quoniam ex ea parte in corpora animę demittuntur, atq; ita bellè fabulam fabula confirmat. Parentum fortunam de nullo loco accipit Ptolemæus. Arabes à quarto, à sexto, etiam Heliodorus. Alij ut refert Abenragel etiam à nona. Secundus locus Alexandrino præcipuè quidem περὶ πράσεως λόγους & subitas spes significãt, apud iuniores horũ fere nihi, sed diuitias quarum tamen à Ptolemæo in Apotelasmatis nec à secundo nec ab alio quoquam duodecim locorum ullum iudicium, tum de illis Heliodorus etiam à tertio accipiat significationem. De coniugio prædicunt ferè omnes ab occidente, Heliodorus à medio etiam cœlo, Ptolemæus negligit utrunq;. Peregrinationes à nona tertiaq; regione dijudicant. Heliodorus etiam à septima, exploraturus hæc Ptolemæus, & hanc & illas pariter contemnit. De parente à quarto loco Heliodorus, Maternus à decimo, à neutro iudicat Ptolemæus. Amicos præuident undecimo, Heliodorus etiam à tertio, Ptolemæus nec ab undecimo nec à decimo. Religionem à nono reliqui. Item Mallius à septimo, quem & portum Plutonis uocat, Secundæ domus apud Aegyptios cognomentum. Idem Saturnum quarto præficit loco contra sententiam aliorum. 12. præficientium. Quod si Mallium euoluamus, qui se ueterum ait dogma aliquando imitatum, quoque nullus antiquior extitit apud Latinos rerum cœlestium (uel ut uerius dixerim) fabularum enarrator, inuenimus de locis, 12. rem ab omni quæ nunc referatur, opinione ita diuersam, ut omnis prædicendi ratio penitus immutetur. Quod in occasu collocarit Martem, cui primam sub occasu sedem alij dederunt. Quid alia illa tradita à Mallio cœli loca. 12. nonne ab omni quæ nunc in manibus, Astrologia diuersa? nonne rationem omnem uariant prædicendi?

Fortunæ (inquit) sors prima data est, hoc illa per artem
Censetur titulo, quia proxima continet in se
Fundamenta domus, domuiq; hærentia cuncta.
Qui modus in seruis, qui sit consensus in aruis,
Quamq; datum magnas operum componere moles
Vt uaga fulgentis concordant sidera cœli.
Post hanc militiæ locus est, qua quicquid in armis
Quæq; peregrinas interuersantibus urbis
Accipere assueuit, titulo comprehenditur uno.

Tertia

Tertia ad urbanos statio est numeranda labores.
Hoc quoque militiæ genus est ciuilibus actis.
Compositum fideiq; tenet parentia uincla
Format amicitias & sæpe cadentia frustra
Officia & cultus contingant præmia quanta
Edocet appositis cum mundus consonet astris.
Iudiciorum opus in quarto natura locauit,
Fortunamq; fori, fundentem uerba patronum
Pendentemq; reum lingua, restorumq; loquentis
Impositum & populo nudantem condita iura,
Atq; expensa sua soluentem iurgia fronte.
Cum iudex uero nihil amplius aduocat ipso
Quicquid propositas inter facundia leges
Efficit. hoc totum partem concessit in unam.
Atq; utcunq; gerunt dominantia sidera manat.
Quintus coniugio gradus est per signa dicatus,
Et socios tenet & comites, atq; hospitis una
Iungitur & similes coniungens fœdus amicos.
In sexta diues numeratur copia sede,
Atq; adiuncta salus rerum, quarum altera quanti
Contingat usus monet, altera quàm diuturni,
Sidera ut inclinant uires & templa gubernant.
Septima censetur sæuis horrenda periclis,
Si male subscribunt stellæ per signa locatæ.
Nobilitas tenet octauam qua constat honoris
Conditio, & famæ modus, & genus, & speciosa
Gratia prætextu. Nonus locus occupat omnem
Fatorum sortem dubiam, patriosq; timores
Omniaq; intrantum mixta nutritia uerba.
Huic uicinus erit uitæ qui continet actum,
In quo seruorum mores & qualibus omnis
Formetur domus exemplis quoq; ordine certo
Ad sua composita discedant munera serui.
Præcipua undecima pars est in sorte locata
Quæ summam nostri semper uiresq; gubernat.
Quæq; ualitudo constat nunc libera morbis
Nunc oppressa monent & mundum sidera cunq;
Non alias sedes tempusue genusue medendi
Quæ sibi deposcat, uel cuius tempore præstet
Auxilium, & uitæ succos miscere salubris.
Vltimus & totam concludens ordine summam

Rebus apiscendis labor est qui continet omnis
Votorum effectus & quæ sibi quisq; suisq;
Proponit studia atq; artis hæc irrita ne sint.
Seu ferat officium, nutus blanditur in omnis
Aspera siue foro per litem iurgia tentet,
Fortunamúe petat pelago uentosq; sequatur,
Seu cererem plenam uincentemq; horrea messem,
Aut repetat bacchum per pinguia musta fluentem.
Hac in parte dies atq; hæc momenta dabuntur,
Si bene conuenient stellæ per signa sequentes.

Hactenus Mallius cuius sententiã liquet quidem ab omni, quę nunc in usu, Astrologia discrepare. Sed tamen à nemine puto adhuc intellectam ex his qui se Mallij faciunt interpretes & sectatores. In hac igitur tanta opinionum uarietate quæ fides experimẽti, cum & alia maior accedat, quandoquidem, initia finesq; domorum, quonam modo partiri oporteat nondum constitutum, sed alij aliter sentiant, ut alio libro declarabimus, quod esse tamen exploratum oportuit prius quàm factura experimentum obseruatio de illorum proprietatibus institueretur. Tantum abest, ut certa facta, ut demum aliqua prætendi obseruatio possit, quæ ueris nos cogat & trahentibus in assensum rationibus declinare. Nos, quicquid Ptolemæus cæteriq; crediderint, euidentia rationũ ad hęc cogente ridiculum falsumq; concludimus aut locis istis ineſſe aliquas proprietates, aut per eorum diuersitatem mutari defluxum efficientiamq; planetarum.

DE DVODECIM SIGNIS, QVOD FICTA A MATHEmaticis sint ad supputandi facilitatem: Item circa eadem multipliciter Astrologos aberrasse. Cap. IIII.

ITa uero signorum istam diuisionem & confinia seruant, quasi naturæ legibus præscripta, ut plus putent habere commertij duos planetas & si uiginti partibus distent modo signo in eosdem collocentur, quàm si alter postremas partes teneat Arietis, alter in Tauri initijs inueniatur. Quanquam illi uastissimo spacio dirimuntur, inter hos autem nec transuersi quidem digiti cadit interuallum. Quod si quis numerum istum signorũ à natura esse contendat, nec fictum à mathematicis ad supputandi facilitatem, sed philosophica ratione stabilitum qualem affert Albumasar, ut 12. signa propterea sint quòd elementa sunt quatuor, quorum quodlibet in tres partes diuidatur, medias, primas, & postremas, possem equidẽ respõdere nihil minus ridiculam istam rationem & friuolam esse, quàm illa sit mathematica. Sed huiusmodi omnino coniectura motos non fuisse authores istius diuisionis, sicut Hali & Auenazre superius testimonio declarauimus, ita facile demonstrari rationibus potest, nam & procedat in signis ista coniectura, quid de signorum

in par-

in partes triginta distributione? quid de partiũ in sexaginta minutias partione dicetur? quam super his afferent philosophicam rationem? aut quomodo purgabunt factum à mathematicis nullas ibi naturæ proprietates extimantibus, sed quærentibus numeros ad supputandum magis opportunos. Vnde lapsus astrologis uel occasio certa fallẽdi super his decernentibus quasi uires haberent omnino separatas, nec arbitrium illa, sed natura potius inuicem diuisisset. Notum enim ut uarias proprietates uarijs eiusdem signi cum partibus tum minutijs ascribãt. Vnde alias partes lucidas, alias tenebrosas, alias Soli, alias Marti, alias alijs planetis cognatas prædicant, ita quoque de ipsis minutijs fabulantes, ut scripserit miriogenesim Aesculapius quam celauit Maternus uti mysteriũ, in qua prodiderit quã defluxus haberet minutia quæq; proprietatem quam secundam partitionem, ut sola uoluntas fecit supputantium, ita ipsa totius zodiaci in 12. signa principalis diuisio, originem aliunde non accepit, quibus utcunq; diuisio eorum intelligatur, efficaciam etiam nullam esse declarauimus, ut insania astrologorum hinc illa confutetur, putantium pro signi conditione, quod quisq; planeta peragrauerit, illum immutari. Nam domus & altitudines planetarum penes ista signa constituunt, non penes imagines quæ nos libro proximo posse tantum cogitari & nihil habere soliditatis ostendimus, ut propterea forte Chaldæi qui signis non utebantur nullas etiã fecerint domos planetarũ, neq; enim apud eos Leo Solis domiciliũ, aut Lunæ Cancer, aut Libra Veneris, & Taurus, aut Iouis Pisces & Sagittarius, atque ita de reliquis, Sed altitudines solum siderum obseruant, non ad signa relatas, sed ad imagines, ut nihil apud eos Saturnus in Capricorno, nihil possideat in Aquario, sed in Libra tantummodo & Scorpio ius obtinet. Nam hæc signa quanquam duo, una tamen imago apud Chaldæos iudicatur: alioquin Ptolemæus & alij si domos planetarum, quod nõ faciunt, referant ad imagines, ratio non quadrabit: nam cũ stellis imaginem Tauri constituentibus plurimum habet, Mars affinitatis, ita ut plus etiam nullus planetarum, qui tamen in Tauro deijci dicitur. domos igitur, altitudines, fines, triangulariates, monomirias, decanos, hydroposopias, & reliquas planetarum huiusmodi cũ zodiaci partibus affinitates à signis istis accipiunt, unde uim aliquã ad planetas deuenire non posse, si res penitus sint imaginariq;, nõ naturales, nõ efficaces, satis ut puto dare cõprobatum est, ut demirari liceat illos qui de planetarum similitudine cõmunire astrologicam opinionem uoluerunt, ita planetas zodiaci qualitates redolere dicentes, in quo rerum semina sunt dispersa, ut terræ saporem referunt plantæ. Multum enim dissimilis ista similitudo, quandoquidem è terra plantæ nutriantur, propterea q; saporem eum referunt terræ. Planetæ de zodiaco non aluntur, quanquam lucet ibi animalium omne genus, nec solum zodiaco non afflixi, ut terræ stirpes & uirgulta, sed immenso disiuncti chas-

mate & interuallo. Vnde potissimum eos Panetius Plotinusq; deridet, qui ex tanta spacij intercapedine à zodiaco ad sidera contagionem putent posse prouenire. Nos non tam à spacio quod immensum interiacet commouemur quàm à natura rerũ ipsarum, cũ uera corpora & naturalia affici ab imaginarijs, & lucentia sidera à non lucentibus (ut non dixerim nullis) immutari nullo modo possint. Sed facile est uidere quid hic etiam eos deceperit, nam quoniam in Leone positus Sol uiolentius terras calefacit, & ueniens idem ad Arietem quasi mundum instaurat, uisum illis cũ Leone cũq; Ariete cognationem habere, quoniã peragrans illa signa fortior redditur & uim eius maiorem quotannis experiamur. Hinc Leonem Solis domicilium, Arietem regnũ statuerunt, qua ducti in Sole coniectura, simile putauerunt in signis alijs decernendũ, ut in alio quidem signo plus possent, in alio minus, & bellissima quidẽ ratione distribuerũt cuiq; planetę duas domos præter Solem & Lunam, quorum cuilibet una satis regia foret. nam de Sole cum decreuissent ob causam allatã, ut Leonem pro domo sortiretur, in quo æstu flagrãti suas maxime uires exerceret, uisum est rationabile ut proxima Lunæ domus putaretur ad nos magis accedens. Sed circulus eius nobis etiam maxime proximat, quare Cancrum Lunæ domicilium assignarũt, tamen pro situ sphærarũ in quibus planetæ deferuntur duas cuiq; distribuerũt, utrinq; scilicet alterã, ut Mercurio qui conterminus Lunę creditur, hinc Geminos, inde Virginẽ, Veneri hinc Taurũ, inde Libram, hinc Arietem inde Scorpium Marti condonarent, Ioui Pisces & Sagittariũ, Saturno Aquariũ & Capricornũ. His persuasionibus nec rhetoricę quidem probabilitatis sua dogmata fundauerunt tradita à posteris tanta authoritate, ut maiora uix etiam oracula suscipiant. In quibus id primũ unde relinqui pendent, uide quàm sit criminosum, quanque plenum & ignorantiæ & tarditatis. Nam ♃ Sol in Leone magis nos calefaciat, non ex natura signi quod peragrat, sed ex situ posituq; cõtingit, ♃ ex eo loco rectius terrã ferit nostris regionib. proximã magis. Alioquin si recepta de signo qualitas hoc efficeret, faceret idem apud omnes gẽtes, cũ eadem signa sint etiam apud omnes. Verũ ille quo tẽpore urit terras sitas ad Aquilonẽ positus in Leone friget apud eos qui meridiem incolũt, apud quos feruet ueniens ad Aquarium, sub quo nobis glaciem & aquarũ imbrẽ effundit, scilicet quoniam quãto magis ad nos accedit, tãto magis ab illis elongat, & contra ad eos iter inflectit quotiescũq; à nobis ille digredit. Quod si nõ tã isto ♃ alijs adductos experimentis se cõtendant, quib. alibi aliũ magis minusue posse planetã obseruatũ sit. Forte aliqua fides, si super his cõsona tradidissent ueri artis institutores, unde etiã nouis professorib. experimenta Chaldęorum dico magistros qui patentibus in campis tot prædicant millibus anorũ obseruare cœlestia, nullam domibus istis, ut supra dicebamus fidem adhibuerunt, Cur nam igitur illi tam sedulis, tam diuturnis obseruationibus

nibus nūquam Martem in Scorpio fortem deprehenderunt, imbecillū in Tauro, Saturnum potentem in Capricorno, debilem in Cancro? quid de reliquis dictum pariter intelligatur, & cum idem signum tot finibus diuidatur, tot præterea decanis, tot apud Ægyptios monomitijs, apud Chaldæos dodecathemorijs, nec de finibus nulla sit inter eos concordia, decanos negligat Ptolemæus, quos aliter Indi, Aegyptij aliter partiuntur, monomirias nesciant Arabes, irrideant Græci, Aegyptij in omni prædictione utātur: Mitto usum dodecathemoriorū qui plurimus apud Chaldęos, tamen, ut scribit Maternus, præstat planeta in suis finibus quæ in domicilio præstat, in decano quæ in finibus & domo largitur, aut his certè quàm proxima atq; simillima, cum hæc, inquā, ita se habeant, quæ fidelis & concors esse potest experientia, qua nam parte zodiaci quis planeta itineretur uel exulet, siue potens aut debilis inueniatur? Adde uarias de signis opiniones cum uel ad nonum orbem referūtur, aut octauo potius describuntur, & eadem parte Saturnum alius uelit, alius Iouem, alius alium ex planetis dominari, & hi quidem his signis, quæ moueri putant, utuntur, alij his quæ non mouentur. Super quibus opinionibus ita nihil decretum, nihil præiudicatum est, ut Abraam in lib. de natiuitatibus duplex fieri thema præcipiebat, alterum quidem ad mobilia signa, alterum ad immobilia, qua thematis uarietate tota prædictionū ratio uariatur. Sic omnis experimenti authoritas infirmatur, quòd nec ullum haberi posse super his rebus, aut si posset haberi nondum habitum esse postea demonstrabitur.

QVAE SIT ASTROLOGORVM DE ASPECTIBVS sententia, & quàm parum rationalis. Cap. V.

COnfutauimus iam de signis deq; 12. cœli locis astrologorum opinionem, restat tertius modus quo permutari uirtutes defluxusq; fabulantur, qui de aspectibus uulgo nominatur. Putant enim Saturnum si, uerbi gratia, à Ioue. 60. partibus distet, hoc est duobus integris signis, aliter inferiora afficere atq; mouere quam si per 90. ab eodem sidere distaret, quod est trium signorum interuallum, & in priore quidem distantia aiunt Saturnum Iouē hexagona radiatione conspicere, quam sextilem dicunt aspectum, quia spacium interiectum sexta pars zodiaci est, in altera ex quadrato se contueri, quoniam quarta zodiaci ab inuicem dirimuntur. Similiter alias esse utriusque sideris proprietates si alter ab altero. 120. partibus absit, unde trigona radiatio, hoc est trinus aspectus emergit. Alias si simul ex diametro opponūtur, uel in eodem situ uel loco conueniunt, & quod de Ioue diximus & Saturno idem de omnibus dictum intelligatur, ut pro uaria semper eorum inter se distātia uirtus eorum & efficiētia permutetur: Atq; adeo quidem permutetur, ut cum certis quibusdam distant interuallis, hoc est trigono uel hexagono, sit eorum defluxus omnis bonus & salutaris. Rursus alia quadā distantia con-

ſtituti, hoc eſt uel quadrangula uel oppoſita uires habeant radiorum maxime noxias, aut certe ſemper parum beneficas mutariq; item ex iſta interuallorum diuerſitate non ſolum defluxus bonitatem & malitiam ſed efficiendi quoque ſpeciem & rationem. Hæc ſunt de aſpectibus planetarum aſtrologorum deliramenta, quæ ſtatim audita homo philoſophus nullo etiam coarguente damnabit, cum nulla poſsit ratione defendi, ex ſola diſtantiæ interuallique diuerſitate duarum ad idem conſpirantium cauſarum naturam & proprietatem adeo commutari. Illud autem quæro primum ab eis, hæc quæ de aſpectibus dicũt ad ipſos ne planetas an ad planetarum tantum effectus uelint referenda? hoc eſt cum radijs quadrangularibus laceſsiri Iouem à Marte, foueri Venerem trigona Iouis radiatione loquũtur, ipſa corpora intelligant planetarum huiuſmodi aut bonis aut malis affectionibus promoueri, an illa quidem nihil inuicẽ pati, nihil ſentire huiuſmodi mutationum. Sed quid erga nos faciant, & quonam pacto ſubiecta corporea moueant tali loquendi genere ſignificari. Siue enim hoc potius ſiue illud reſpondeant, mille undique læqueos, mille anguſtias incidunt. Nam ſi putant planetas inuicem moueri & quaſi amicitias & odia exercentes nunc ſe amico fouere complexu, nunc mucronibus radiorum hoſtilem in modum perſequi atque inuadere, reclamabit non ſolum diuinus Iob apud quem legimus Deum facere pacem in excelſis ſuis, ſed cum ſuo Ariſtotele Peripateticorum uniuerſa familia, apud quam certum eſt corpora ſuperiora locorum ſola uarietate mutari, qualitates illas ſub Luna exceptas nec accedere illuc ullas neque decedere. Quod ſi prorſus concedere illas uolunt, certe quod ad noxias attinet qualitates, ſi concedant, explodendi ab omni philoſophorum cœtu uidentur, cum ignorare omnino naturam cœleſtis patriæ uideantur, qui in ea eſſe putant quod iniuriam facere poſsit uel ſuſtinere, quare ſi qua in ſideribus paſsio eſt admittenda, non alia ſaltem quàm quæ perfectio potius eſt dicenda quàm paſsio aut cum à Sole Luna illuminat, quæ non alia ratione ab eo tunc patitur, quàm ab eo patitur aliquis à quo beneficium accipit. Lædi igitur ſtellam à ſtella, uel obſideri, uel infici, uel debiliorem deterioremue fieri, & ex benefica noxiam, ex potẽte infirmã reddi, tam eſt remotum ab omni ueritate, quàm ab omni malo remota eſt omnis natura cœleſtium. Quod ſi pati iniuriam ſidera poſſunt, certè quæ ſunt nobiliora perfectioraq; ab ignobilioribꝰ paſſi eam non debent, ut illud ſaltem colligatur non omnia ab omnibus affici mutuo poſſe atque moueri, ſed quædam à quibuſdam ut alia quidem agant tantum, aliqua patiantur. alioquin illud quomodo non erubeſcunt, Solem dominatorem regemq; planetarum, & ſicuti luminis ita poteſtatis ſummum cœleſtium fontem, ſic tamen in numerum ordinemq; redigere, ut ipſe quoque aliorum radijs, aut uictus langueat, aut parum ſalutaris euadat, & cum omnis ab eo planetarum uirtus deriuetur de proprio (ut dici ſo-

dici solet) telo patiatur. Sed mittamus hæc omnia quæ illis forte absurda non uidentur, & de planetis (ut uolunt) statuamus illos affici atq; moueri. Illud respondeãt, quamnam habeat rationem, ut quæ proxima sidera sint nihil se moueant, eadem facta remotiora sentire se inuicẽ & pati mutuo incipiant, ita enim de aspectibus cum loquuntur solent definire. Nã si Cancrum teneat Iupiter, Mars Leonem, inter quę signa nihil interiacet asynde ta esse dicunt sidera Iouis & Martis, hoc est nulla rodiorum siue aspectuum copulatione coniuncta, tum uero cum Mars procul magis factus à Ioue ad Virginem commeauerit, & Martis Iouem, & Iouis Martem participare putabunt. Quo quid absurdius dici potest aut magis remotum ab omni philosophia? cum illud sit uulgatissimũ omne quod agit in aliud quanto proximius est patienti tanto agere illud efficacius. Hoc igitur quod iuniores aspectum uocant, cum non sit aliud quàm radiatio, sic etiam à ueteribus nuncupata, hoc est luminis sui atque uirtutis in alium propagatio, & (ut sic dixerim) elucidatio quædam, quomodo nulla incorporea quæ sunt proxima, efficax uero erit in remotissima? ut quidnam illis persuadet perinde atque à remotiore propinquioreúe distantia radius extra fundatur, ita illum euadere alterius alteriusq; naturæ: Cum non possit (si ueram sequimur rationem) alia inde diuersitas prouenire quàm ut debilius fortiúsue patienti planetæ radius infigatur. Cur autem proprietas etiam eius commutetur, causa nec fingi nec excogitari potest. Nam & si pro interualli diuersitate aut numerus partium interiacentium uarietur, aut ipsi inter se planetæ diuersam positionis figuram sortiantur, illa tamen inefficientia rerum naturalium pro numerorum & figurarum diuersitate non uariatur, quoniam à numeris & figuris naturales uirtutes non proueniunt, sed à naturalibus formis pro quarum diuersitate figuræ quoque ipsæ stabiles & natiuæ, non quales ex motu consurgunt aduentitiæ, mouentur & uariantur. Neque uero minores incidunt difficultates si diuersitatem radiationis non in corporibus planetarum, sed in eorum effectu putent considerandam, ut scilicet nihil pati ab inuicem sidera dicant, sed uariam inter ea distantiæ rationem illud efficere, ut radij profluentes aliter misceantur, proindeq; uarij pro diuersitatibus mixturæ effectus inde proueniãt. Nam hæc si respondeant primum obijcere illud possemus authoritate Plotini non posse radios cœlitus diffluentes ita inuicem commisceri, ut noua uirtus aut forma proueniat, cum non sint illi aut corpora, aut liquores, aut affixæ corporibus qualitates, quarum more nec in corporibus suscipiunt, ut scilicet uel inde inficiantur, uel pro substantiæ conditione ex habitu suo aliquo modo permutentur, quare philosopho illi sat uerisimile non accidere radijs quod plurimis qualitatibus, ut ex aliqua concretione siue mixtura in aliam formam ex omnibus coalescentem aliquando commutẽtur, quod etiã nõ sine interitu cõfluentium ad idem simpliciũ particulariumq;

litatum solet euenire, quoniam in radijs non facile quis cogitabit. Verum demus nos illis radios commisceri, modo nobis demonstrent quomodo ex eo radij aliter misceantur qui à sideribus confluunt, aliter atq; aliter inter se distantibus. Sola enim (quod supra dicebamus) diuersitas inde hæc potest prouenire, ut qui à proximis magis, iunctioribusq; corporibus emanabunt, hi melius intimiusq; misceantur, contra difficilius cohæreant qui à seiunctis, magisq; remotis proficiscantur, quod tamen illis non placet qui inter radios planetarum in attiguis signis collocatorum commertium nullum faciunt, faciunt autem inter eos maximum qui de sideribus uasta immensaq; cœli regione seiunctis emanauerunt. Præterea si ratio uel diameter oppositionis, uel quadrangularis, triangularisue figuræ diuersitatem facit in proprietate radiorum, non poterit hoc defendi nisi cprpora planetarum mutare conditionem ex illa figurarū uarietate dicamus, quoniam radij uirtus atque proprietas non aliunde est quàm à natura corporis irradiantis. Nec ista uarietas figurarum alibi est quàm intra corpora ipsa, de quibus radij ad nos descenderunt, qui quanto inde magis recedunt tanto illam minus habitudinem figurarum inter se conseruant, donec terram contingentes coëant in conum, ut qui ab oppositis fontibus profluxerunt in unitatem coalitus apud nos confluant, quare cum miscentur nec triangulis iam nec quadrangulis inter se schematis complicantur, ut possit non ratio commixtionis de schematum ista uarietate mutari, sed erit astrologis eò diuertendum, ut in radijs dicant talem esse proprietatem quam sidera, à quibus emanarunt, tali inter se ipsa figurarum habitudine componebantur, atque ita postremo uel sidera pro uarietate dicent configurationum naturam uariare, quod est confutatum, uel si ipsa non uariantur profluentium quoque ab ipsis radiorum uirtutem eandem immutatamq; esse inuiti confitebuntur.

VARIAE ASPECTVVM RATIONES RECITANTVR & confutantur. Cap. VI.

VEteres quos Maternus imitatur, rationem aspectuum attulerunt ex numeris, ut numero illo partium inter se, sidera separata iuncta dicerentur, qui in aliquem numerum ductus uniuersas cœli partes numeraret. Centum igitur & octuaginta partium interuallo diametram fieri radiationem, quoniam iste numerus duplicatus integrum numerum trecentarum & sexaginta partium efficit. Pariter trigonum ex 120. partibus constare, quoniam has partes si triplicaueris, rursus partes absolueris cœli omnes. Quadrata radiatio partes exigit nonaginta, quas si duplicaueris summam colligas trecentarum & sexaginta, hexagonus 60. partibus computatur, quæ sunt sexta pars omnium partium. Sed dormitans nimis hæc ratio nimisq; supina: nam eadem ratio-

ratione inter duos & septuaginta gradus aspectū faciūt, quoniā quinquies multiplicati tercentos & sexaginta gradus absoluunt, faciant idē in quinque & quadraginta cum sit numerus hic omnium graduū cœli pars octaua. Sed habent (inquit Aboasar) numeri illi aliam prerogatiuam, quoniam non modo cœli partes sed numerum quoque signorum numerant multiplicati. nam in hexagono duo signa, in trigono quatuor, in tetragono tria, in diametro sex computantur. nam & bis sex, & ter quatuor, & quater tria, & sexies duo signorum duodecim numerum conficiunt. sed friuola quoque ista confirmatio, nam simili ratione quæ distauerint partibus. 30. erunt inuicem sidera configurata, quia partium numerum si respexeris duodecimam partium cœli partem habebis, si signorum eorum, quoque duodecimam portionem. Postremo causæ de geometricis à Ptolemæo figuris allatæ propositum non concludunt quandoquidem & figurarum istæ concinnitates diuersas in rebus naturalibus proprietates non efficiunt, sed qui eis utuntur, errorem illum incurrunt ab Aristotele condemnatum, ut mathematicè physicas res pertractent. Quod fortasse uidens Auenrodan, ait Ptolemæus, post mathematicam super aspectibus rationem allatam, attulisse aliam ex natura. Est autem ratio quam affert huiusmodi, hexagonam trigonamq; radiationem esse beneficam, quoniam à signis sint generis eiusdem, aut masculis, scilicet aut fœmineis, hoc est planetæ illis inter se schematis colligati ita disponunt̄, ut si alter in signo fœmineo alter quoque est in fœmineo, si alter in masculo, & in masculo pariter alter contra quadratam oppositamq; radiationem esse maleficas, quia è diuersorum generum signis emergunt. Hæc est ratio Ptolemæi non solum infirma sed seipsammet tollens, tum quia signa ista re uera nulla sunt, quod sequentibus libris aperiemus, tum si aliqua sunt, illis tamen qualitatum aut sexuum notis insignita non sunt, ut hæc masculla, illa fœminea, alia ignea, alia aërea dici possint, quod superius etiam satis est comprobatum. Postremo quacunque sint illa conditione, demutari ab illis planetæ non possunt, quod infra demonstrabimus. Nunc super his litem nullam faciamus, sed ut ista, sicuti omnia, secum pugnent euidentissime demonstremus quoniam si uerum est quod assumitur, erit oppositа radiatio quę malefica maxime existimatur, bonis annumeranda, cùm ipsa quoque non alibi quàm in signis eiusdem generis eueniat. Sunt enim Aries & Libra generis eiusdem, Cancer itē & Capricornus, & reliqua omnia quæ ex diametro se cōtuent̄. Quod non uidisse Ptolemæum oppido perquam mirū est, ut in re tam aperta tamq; expressa homo alioquin ingeniosus hallucinaret̄. Qui si suorū etiam alibi dictorū fuisset recordatus, uidisset nihil procedere illam rationē sed eius præceptis esse contrariam. Nam tertio ipse libro eiusdem operis putat inter signa non solum eiusdem sexus, sed etiā qualitatis, non hexagonā, hoc est bonam, sed quadratā, hoc est, malā interdū esse

configurationem, ut cum obliqua, hoc est, breuium temporum sunt pariterq; ea quæ sunt generis diuersi, non quadratam habere, sed hexagonã potius affinitatem, ita ut Geminos & Aquarium quadrata sit illa radiatione compositurus, hexagona uero Taurum & Aquarium. Quod si est uerum, quomodo configurationum aut bonitas aut malitia de signorum affinitate discordiaue consurgit? quæ difficultas omnibus est subeunda, qui spacia radiationũ nõ pro signiferi, sed pro æquatoris partibus metiunt̃, quod maxima pars astrologorum obseruat, qui tamen omnes (ut sunt mirum in modum inconsiderati) cum de malitia bonitatéue aspectuum illis ratio est reddenda, non aliunde magis quàm semper de ista signorum uel cognatione uel diuersitate ratiocinantur. Aboasar aliam affert rationem, ut putat naturalem super aspectus, oppositionem inquiens confirmari, de luminis plenitudine quam assequitur Luna cum opponit̃ Soli. Quadratam uim apparere in motu planetarum ab apside à qua 90. distantes gradibus cursum mutant. Trigonum uideri in planetis superioribus qui à Sole 120. partibus remoti retrocedunt si prius erant directi, uel diriguntur si prius erant retrogradi: Hexagoni quantitas conuenit, inquit, medietati diametri circuli, tum quantitati distãtiæ domorum Veneris à domibus luminariũ. Sic centonem ex mille pannis unum male compaginauit, oppositionem quærit à Luna, quadratum ab apside: Trigonum à superioribus, hexagonum à Venere & male omnia ab omnibus. Nam quæ ratio, ut quoniã per diametrum Luna lumine Solis impletur, omnes planetæ non solum ad Solem, sed inter se etiam hac distãtia copulentur? Et si superiores Solis trigono cursum mutant, cur habebit hoc interuallum uim commutandi uires planetarũ non solum superiorum sed etiam inferiorum, nec ad Solem tantum, sed inter ipsos planetas acceptum. Quid quòd nec illud perpetuum in superioribus. Mars enim, ut scribit Paulus & Porphyrius, interdum cum à Sole quatuor & octuaginta partibus distat in antecedentib. collocatus, sistit se, ut retrocedat nõ solum trigono expectato, sed expleto tetragono. Quod si de illa etiam superiorum in Solis trigono mutatione uim trigoni collegerunt, erat potius inter malas quàm inter bouas radiationes numerandus, quandoquidem planeta omnis superior in Solis trigono est infelix, si credimus Paulo & Heliodoro. Omnes enim, inquiunt, ἀστέρες στηρίζοντες κακοί, hoc est, planetas omnes stationarios malos & infelices esse, siue in prima statione sint, siue in secunda. Sed euidentioris hæc omnia leuitatis, q̃ ut pluribus redarguantur. Excogitata postremo neotericis quibusdam de musicis consonantijs alia ratio, ex qua radios planetarũ tum cõcinnere inuicẽ, tum dissonare harmoniarũ quadã similitudine tradunt. Est enim, inquiunt, apud musicos comprobatũ ratione & experientia tertiã uocem & quintam primæ consonare, quartam uero & septimam nequaquam. Quid si igitur etiam paribus spacijs inter se plane distantes nunc bene, nunc

hunc male consoni inueniantur? Hexagona radiatio tertię uoci respondet, trigona quintæ, quadrata quartæ, cum ibi tot signorum quot hic uocum medient interualla. Sed hæc utique bella sunt, habentq; speciem probabilitatis apud eos qui philosophiam de limine salutauerūt. Nos uerò ut omittamus istas in tam diuersis rerum generibus similitudines, efficaciam, rationem declarabimus non habere atq; computationem & similitudinem non procedere. Nam apud musicos quidem uox uoci cuilibet si non consonat dissonat, apud Astrologos multa spacia (ut sic dixerim) sibi sunt muta, hoc est, neque consonant inuicem neq; dissonant, ut gratia exempli, uox secunda non minus inter dissonantes annumeratur à musicis quàm quarta, septima uel undecima. At uerò apud astrologos secūdum signum cum primo non discordem, sed nullam uocem emittit. Quintum uero & septimum aliquā quidem uocem, sed non concordem. Præterea maior illa etiam diuersitas, qnòd sexta uox apud musicos æquè atq; tertia consonat, & apud Astrologos sextum signum à primo penitus est distinctum. Tum in musicis uox octaua quasi eadem consonat, signum octauum primum non agnoscit, nec potest coniunctionis speciem uox octaua referre quam potius eiusdem toni uoces representat, quare in hac tam bella similitudine plus omnino dissimilitudinis quàm similitudinis inuenitur.

QVID EOS DECEPERIT: NEC DE ASPECTIBVS experientiam habitam. Cap. VII.

VErum enimuero nec huiusmodi quidem rationibus sunt adducti qui dogma primitus illud cōmenti sunt, sed exposita quædam ex Luna illos magis coniectura decepit. Cum enim à Sole lumen mutuantem, pro diuersa ad Solem positione, siue illa proxima esset magis, siue recederet uariare figuram conspicarentur, trāstulerunt idem ad reliquos planetas, ut omnes pro diuersa non solum à Sole, sed ab inuicem quoque distantia, conditionem statumq; commutarent, in quam opinionē non aliunde eos deductos hinc facile animaduertas, quod nec plures aut pauciores, nec alias planetarum inter se configurationes statuerunt, quàm quot qualesq; Luna subire ad Solem in signi magis diuersitate deprenditur. Sunt autē Lunæ ad Solem schematismi quinq; celebrati, cum aut Soli coniuncta, aut cornicularis, aut diuidua, aut prætumida, aut plena conspicitur, quibus totidem in planetis respondent excogitatæ ab illis cōfigurationes. Cū aūt sunt simul, aut hexagona, aut quadrangula, aut triangula, aut opposita se radiatione conspiciūt. Respondet enim coniunctio coniūctioni, tū hexagona radiatio figurę corniculari, quę tunc primū in Luna cōspicit cū 60. à Sole partib. distat, uocatq; à Græcis κωνοειδὴς, quarū partiū numero hexagona quoq; inter planetas ab illis radiatio cōstituit. Luna item tunc est diuidua, græcè δίχοτομος appellatur, cū inter eam & Solem

& Solem 90. partes interiacent, quo ſpacio cum ipſa quoque inter ſe ſidera dirimuntur, quadrata componi figuratione ab illis dicuntur. Trigonicam radiationem de Lunæ prætumida ſimilitudine duxerunt, quæ illa tũc primum figura conſpicitur, cum 120. partibus à Sole remouetur, uocaturq; à Græcis ἀμφίκυρτος, nos prætumidam & gibberoſam poſſumus appellare, oppoſitionem ipſam plenilunio reſpondere nemo non intelligit, & quoniam Luna pro diuerſitate figuræ diuerſimode quoq; ſolet corpora immutare, ſtatuerunt idem de omnib. planetis, ut ſcilicet pro iſta interuallorum inter ſe uarietate uariis quoq; modis res inferiores afficerent. Cuius utique conſequentiæ coniectura ſi (quemadmodum puto) ſunt adducti, facile poteſt quantum decipiuntur intelligi, ſi quidem Luna pro diuerſa ad Solem diſtantia uti figuram ita influendi proprietates immutat, quoniam à Sole lumen accipiens plus minusúe ab eo qua parte nos reſpicit propoſitus habitudinisq; ad eam conditione illuminatur. Atque inde fit naturali ratione, ut pro lucis uel incrementis uel decrementis non ſolum alia ſe nobis effigie repræſentet, ſed aliter quoq; noſtrorum & aliorum item corporũ corporales qualitates immutet. Quis enim diſſolui neſcit corporum humiditates à calore? Quis rurſus lucem cauſam eſſe caloris? Vnde aperte colligitur quo plus Luna lucis habuerit, magis inferiorum quibus proxima eſt, corpora calefieri, & conſequenti ratione, quæ in eis ſunt humiditates, magis liqueſcere & reſolui, quo pacto illud erit uerum Ptolemęi enunciatum à primo Lunæ quadrangulo uſq; ad ſecundum humiditates corporũ effluere, quia ſcilicet per id tempus Lunæ partes ad terram uergentes affluentiori lumine potiuntur. Hinc illa ſtudiis agricolarum comprobata expẽta cæſam materiam cũ impletur lumine Luna, cito computreſcere, quæ contra creditur Luna deficiente à carie immunem, & putredinis uitio conſeruari, quia ſcilicet putrefactioni maxime oportuna humiditas eſt, quæ quemadmodum dixi, pro auctu decrementoq; luminis Lunæ & creſcit ſimul in corporibus, & decreſcit. At uerò de iſtis Lunæ mutationibus quæ ſola uiciſſitudini huiuſmodi lucis eſt obnoxia ad planetas & proprio & immobili ſemper lumine præfulgentes eadẽ transferre oppido per quàm inſanum, cum potius ex contrariis liceat argumentari, ſi Luna quoniã ex ſitus diuerſitate plus magisúe illuminaẽ, pro luminis modo diuerſimodẽ nos immutat, conſequi ut planetarum ſicuti lumen, ita proprietas influendi non mutetur, quæ peruaria, uel ad Solem, uel ad ſeipſos diſtãtiæ rationẽ, nec pauperentur lumine nec diteſcant, ſed eodem modo nos terrenaq; alia ſemper intuẽatur. Siue igitur iſta, ut nos quidem ſuſpicamur, ſiue quas primum inceſſuimus moti coniecturis, in iſtam opinionem ſint adducti, patet leuiſſimis eos niti deridiculisq; rationibus, quibus ſi forſitan minus confidentes experientiæ fidem allegent, quod unicum eſt profugium deſtitutis à ratione, poſſumus nos æque ad experientiam prouocare, quæ quotiẽ

quotidie eorum apotelesmata reuincuntur. Sed illud unum respondeant, quæ super his habita uera fideliaq; experimenta, de quibus tanta apud eos est controuersia, ut quo loco quadratum alius statuerit, alius trigonum esse contendat. Et quod hic quidem facit exagonum, sit qui tetragonum esse uelit, imò trigonum sit alicui, quod tamen alijs erit diametrum, de qua re quoniam infra latè differetur, ad eum locum lectorem delegamus, nunc illud admonentes, non modo in præscribendis finibus radiationum, sed de ipsarum quoque natura pleraque eos differre, adeo, ut scribant Paulus & Heliodorus hexagonum quod inter signa non est æque uel ab æquinoctijs, uel tropicis distãtia, naturam oppositionis habere. Tum nec etiam oppositionem esse maleficam, sed inter bonos aspectus malosque mediare, pariter Ptolemæus nec esse quadratum malum nec trigonum bonum putat, ut liqueat satis nullam authoritatem experientiæ patrocinari, cuius in tam diuersis opinionibus æquali fide, æquali authoritate magistri, patrocinium quisque suffragari sibi contendit.

QVAE DE OBSESSIONE DICVNTVR PVGNARE HIS quæ de aspectibus. CAP. VIII.

SVnt autem præter figuras istas quas diximus & aspectus, aliæ siderum cũ inter se tum ad Solem positiones, quibus affici uires & mutari proprietates rerum putent, inter quas etiam sint quæ prioribus illis uideantur repugnare. Nam planetam obsessum dicũt, quoties utrinq; radij malorũ siderum eum circumstent, quam habitudinem Græci uocãt ἐμποδίχεσιν, ut si Iupiter Libram teneat, Mars Virginem, Scorpiumq; Saturnus, aut inibi etiam Ioue collocato, Mars ex Tauro in Virginem, Scorpiũq; radios iaculatur, tunc scilicet Iouem obsessum appellabunt. Ego igitur illos interrogo, moueant ne planetæ afficiãtq; se inuicem inhærẽtibus signis proximisq; locatis? si negãt, tollitur ἐμποδίχεσις, quoniam radius Virginem attingens in Libra posito sideri non nocebit: sicut nec missus ad Scorpium, quoniam Scorpius, Virgo, Libræ proxima signa sunt. Si cõcedunt, aspectuũ ratio nulla est tota inde dependens, ut putemus ex certis interuallis afficere se planetas, ex alijs nihil inuicem pati. Quod si respondent in obsessione aliter euenire, quoniã utrinq; radij sunt, id potissimum dicunt unde eorum insania manifestetur, quasi, ut solet hominibus euenire, fugienti nõ noceat à tergo insequẽs hostis, modo pateat ex aduerso liber campus ad euadendum qui tamen ab insequente comprehendãt si contra stet alius fugæ obstruens uiã scilicet hoc exemplo: si Virginem occupet Mars Iouem non attingit in Libra collocatũ, quem tamen inde attinget si cõtra Iouem in Scorpio steterit Saturnus. Quod igitur hoc genus consentientis secum disciplinæ, ut signa proxima uoces asindetæ apostrophæ, quæ in illis posita sidera nullam inuicem habeant communionem, nec in alterum aliquid pro fluat ab altero, & tamen obsessum

dicas

dicas planetam quòd ex proximis signis maleficis radijs infestetur, neque enim si Saturnus auferatur, lædi Iouem concedes à Marte, adiecto Saturno, id quidem concedas, præsertim cum adueniat eo modo Saturnus quo nec lædere ipse Iouem potest. sed ita est certe, ut dicebamus similitudo eos induxit hominis circumsessi, cui circumstantibus inimicis, exitus nullus est ad salutem.

PLANETAS SVB SOLIS RADIIS CONSTITVTOS non male affici, aut, ut dicunt Astrologi, comburi. Cap. IX.

NOnne etiam delirant in Planetis ad Solem comparatis, quos sub radijs constitutos inefficaces & male affectos esse uolunt, quasi sidera quoque lucem Solis non ferant, & ueluti capita infirmiora, si nimis solentur, ægrescant, Atqui lumen omne cœleste præcipueq; solare beneficum est, nec si rebus terrenis inimicum est aliquando, aliter quàm materiæ uitio id contingit, materiæ uitium hoc in sideribus nullum est, quare lumine Solis quo magis perfruuntur uegetiores & magis efficaces euadunt, præsertim cum ad sidera Sol comparatus, causæ uniuersalis habeat rationem, cuius est propriam naturam particularium non labefactare sed confirmare. Quod si Luna silente destitui beneficio eius inferiora uidentur, alia ratio, quoniam parte qua nos respicit, Soli copulata lumine spoliatur, reliquis planetis luce propria nitentibus idem non accidit, ut propterea cum radijs Solis circumfunduntur, in permutandis inferioribus minus possint. Quod si pertinaciter hoc defendãt, opprimi exhauririq; siderum potestatem, debet hoc magis euenire quo potentiores sunt, quoq; proximi magis Soli fuerint planetę, quorũ utrunque solent negare. Nam siquidem partiliter & eisdem penitus in minutijs planeta Soli congreditur efficacissimum fieri uolunt. Tum in Ariete atq; Leone radijs occupato sidere Solem non nocere, quibus tamẽ in locis potentissimum Solem esse decernunt: nam excipit, inquiunt, stellam apud se, quando Aries altitudo, Leo domus est Solis, hospiti aũt iniuriã nemo intulit bonus, quasi (quod ubique peccat) humano more tractentur ista cœlestia quasiq; Sol non naturali necessitate, sed arbitrio quodam & lucem extra se fundat & calorem.

SI RATIONEM ATQVE ETIAM QVORVNDAM astrologorum authoritatem sequi uolumus, planetas retrogradientes fortiores uideri quàm directos. Cap. X.

DEniq; astrologorum decreta qui perscrutabitur, uidebit omnia uel ab humana quadam, ut diximus, similitudine contra rerum cœlestium & naturam & dignitatem non philosophica ratione sed poëtica ferè licentia esse deducta, uel à fabulis me-

lis meris arbitrarijsq; commentis, ut quæ produnt super imaginibus de quibus infra differemus, uel positionum quarundam mathematicarū occasione, quibus cum rectè utant mathematici, ad istam diuinandi professionem peruersè genethliaci transtulerunt. Quod in zodiaci diuisione maximè peccauerunt. Sed de hac quidem diuisione suo postea loco disputabitur. Nunc illud ex eo genere est quòd planetarum efficientiam putant uel imminui, uel roborari, sed & speciem ipsam uariare rerum efficiendarum pro illis motuū diuersitatibus quas excogitant mathematici, ut nūc quidem directo cursu procedant, nunc retrogradiantur, nunc statiua taraditate subsistant. Debiliter enim facere quod facit, planetam cum retrogradatur, efficaciter cum procedit. Sed & prosperum esse interdum cum dirigit, qui sit noxius idem si retrocesserit, in qua re uides quod aduersus astrologos dici poterat. Heliodorus mouit quæstionem cōtra seipsum in libro commentariorum in Paulum Alexandrinum, quam nō alijs magis quàm ipsius uerbis explicabo, solutionem ascribens qua se putauit quæstionem dissoluere cum adaugeat eam potius. Verba eius Græcè sunt hæc.

* Nos ita uertimus in Latinum uerbum penè uerbo reddentes. Illud autem scire necessarium, quanquam planetæ moueri dicantur inæqualiter, re uera tamen in cœlestibus nihil est inæquale, nihil inordinatum, quin potius omnem ordinem, omnem æqualitatem in illis inueniri. Sed hoc ad nostram fit æstimationem, ut appareant inæqualiter moueri interdumq; etiam stare, ipsa enim re uera neq; stant neq; motum unquam retardant aut retroagunt. Sed accidit ut appareat ita fieri ab illis ob eccentricorū & epicyclorum positionem, super quibus mouentur, ut Ptolemæus in sua compositione nos docuit. Et si quis obijciat, quomodo igit apotelesmata sunt diuersa, propterea q; eorum motu aliquid uel accedat uel decedat, aut quoniam perstare dicantur, siquidem uerè neque stant, nec inæqualiter mouentur? Respondemus apotelesmata, hoc est astrologorum responsa non fieri propriè ob illam motuum uel inæqualitatem uel stationem, sed quoniam accidit tunc planetas delatos in epicyclis, aut terræ fieri proximiores, aut à terra remoueri. Hæc Heliodorus, à quo illud non modo concessum, sed attestatum & confirmatum accipimus, stationes planetarum nihil efficere quatenus quidem sunt stationes, hoc est planetarum efficientiam nihil immutare. Pariter neque retrocessiones neque directiones quatenus sunt huiusmodi. Verum ex his diuersa pronūciari quod accidat in his motuum differentijs, aut terræ proximare planetas, aut magis elongari, quasi illud dixerit, naturalem habere hoc rationem, ut aliter nos immutent cum sint proximi, aliter cum remissi. Quod utique & nos concedimus, uerum si propterea rectos, stantes, repedantesq; planetas obseruant, cōtrarium erit dogma statuendum, ut scilicet repedātes planetæ essent efficaciores quàm cum directo cursu feruntur, imbecilliores autem cum sunt recti, si quidem

sola in his maior minorúe à terris elõgatio obseruat. Nam, ut scribit Haly exponens Ptolemæum, utique ratio omnis attestatur, ut quãto terræ proximior est planeta, fortius nos immutet afficiatq; potentius, omnis autem planeta cum retrocedit, terræ proximat, è contra rectus à terra distantior fit. Debuit igitur fortior retrocedens planeta existimari, non quemadmodum ipsi decreuerunt, debilis & infirmus.

CAPVT ET CAVDAM INTERSECTIONES ESSE IMAGINARIORUM circulorum nulla naturali ui præditorum, quibus in prædicendo antiquiores usi non sunt, nec in eorum uiribus concordant recentiores. Cap. XI.

CAput quoque draconis & caudam quibus tribuit tantum turba astrologorum, quis non uideat res inanes & commentitias esse? Sed quod antea diximus hinc astrologi sæpe lubricantin errorem, quòd quæcunque reperiunt à mathematicis annotata necessaria motuum metiendorum methodis, his omnibus abutũturin prædicendo, quasi pariter essent naturalia & influendi prædita potestate, cum tamen aliter longè se res habeat, quando illi pleraque & cõminiscuntur & fingũt in cœlo mathematicis numeris & mensuris deseruientia, nulla tamen naturæ alioquin stabilitate fundata. Ostendimus hoc in signis quæ non mobilia cogitat Ptolemæus intercepta solstitijs & æquinoctijs: ostendemus in signorum partium minutiarum diffinitione, nunc in capite & cauda idem apparabit neq; enim aliud sunt quàm intersectiones duorum circulorum, quàm mera puncta, quàm nexus linearum duarum mente conceptarum, à mathematicis introducta, ut eclyptica loca discernant, ibi tamẽ nulla uirtus, nulla qualitas efficaciaúe naturalis, ut scilicet transferri aliquo possit ad genethliacã. Certè aliter nequeunt quàm ut inibi positus aliquis planetarum, pro loci commodo uel incommodo melius aliquid peiusúe decernat, ipsa uerò per se seorsum q; notata uim habere regendi permutandiq; corporã nullã possunt. Vidit hoc & insignis astrologus Abraam Auenazra, qui libro primo Rationum astrologicarum ita scribit: Dixerunt item exaltari caput draconis in Geminis, caude in Sagittario. Sed hoc uanum est, quoniam caput & cauda nec bonum significant, nec malum. Sunt enim connexiones duorum circulorum, obseruatur tamen Luna cum est in eis, quoniam in capite posita ob eam causam magis uigoratur, quia nobis est propinquior, contra debilior est in cauda, quoniam in ea uergens ad meridiẽ à nobis elongatur. Idem accidit reliquis planetis cum in capite & cauda reperiuntur, excepto Sole cui nulla in alteram partem declinatio est. Cum autem seorsum caput & caudam notatam in tabulis legis, scias neque nocere illa neq; prodesse, quamuis plures aliter opinentur. hæc ille. Sed neque Ptolemæus illis utitur unquã in prædicendo, neque ueteres usos intelliges ex Materno, apud quem nulla mentio cau-

tio caudæ capitisq; draconis. Quod si de illis aliquando ueteres loquunt, non aliter quàm de loco quodam & positu. Vnde & diuersa fuit apud eos opinio, quoniam antiquioribus malus uterque locus uisus est ob eclypticam, id est uiam, propterea q; inter infelicia loca utrũq; pariter statuerunt. Heliodorus in tractatu περὶ τέκνων, id est de filijs, si loca, inquit, filios significantia ab infortunantibus planetis & eclypticis nodis, hoc est capite & cauda libera fuerint, felix est. Recentiores, si caput in loco fuerit filiorum, filios sicut nouellas oliuarum in circuitu mensæ pronunciabunt, ducti alia coniectura quã supra retulimus ex Auenazra, quod in capite propinquiores nobis planetæ sint efficaciores. Verum procedit ista ratio cum in capite aliquis est planeta, quanquam citra caput ad nos declinans debet eadem ratione fortior existimari. Sed cum nullum in eo sidus inuenitur, quid potest uel dare uel auferre? Sola siquidem à nobis mente designatus. Nã quod quidam inibi à Luna derelinqui uirtutem quandam suspicantur, astrologorum nemo dixit, tum non physicum est si naturam cœlestium lumenq; consideres, nec astrologicum, quoniam caudam Luna æque perambulat. Tantũ igitur situs meraq; positio, de qua tamen & Arabes & Latini quasi desidere quodam tandem decreuerunt, ita ut annos quoque addere uitæ caput istud existiment, & partem ætatis quandam gubernare, & in Geminis exaltari, & naturam habere Veneris atque Iouis, contrà caudam, Martis & Saturni. In qua re uidimus quantum ab ipsa ueritate dissentiant. Sed mirum quantum etiam à seipsis, quando quòd nexum copulamq; totius quasi cœlestis felicitatis dixerunt. Alibi tamen cum bonis bonum esse dicunt, cum malis malum, augere eum quicquid inueniat. Alibi super eo qua si de malo prorsus loquuntur. Nam Alchabitius apud quem & leges quæ mox retulimus, inter infortunia planetarum hoc quoq; commemorat, si fuerint cum suis capitibus (habet enim quilibet planeta suũ caput & suam caudam apud Arabes Genzauar appellata) aut cum capite fuerint caudaq; draconis, quæ capitis caudæq; Lunæ propria cognominatio, in quibus præsertim ipsa tam malè se habuerint quantum in capite. Idem in libro de Natiuitatibus, applicãtem capiti Luna climatericam facit locis scilicet uitæ principalibus, caput pariter istud & caudam connumerat. Abraam, ut retulimus, uigorari in capite locatã Lunam affirmat. Vidimus Heliodorum supra cum infortunalibus ea stellis numerare. Idem in tractatu de climatere Soli Lunæ horoscopo partiq; fortunæ ea connumerat, ut quæ de isto capite protulerunt nullo capite aut certe corde protulisse uideantur, ubiq; tamen malitiosi caput draconis uocitantes, quo maiori cum reuerentia quasiqúe numinis authoritate credulis auribus insonaret.

ORIGO ANTISCIORVM, NEQVE EIS IN PRAEsagiendo usum Ptolemæum, & quantum in his Maternus & Haly aberrauerint. CAP. XII.

MAthematici cuiusdam dicti occasione super antiscijs pariter errauerunt, nam quoniam gradus in quibus Sole constituto dies diebus, & nox noctibus sunt æquales, Hypparchus & ueteres ab respondente utrinq; sibi dierum & noctium æqualitate antiscios dixerunt, quasi dixeris ex aduerso æquales. Diuinaculi nostri gradus istos æquales esse dixerunt, uirtute & potestate, quàm supina ignorantia nemo non cognoscit, ut ab æqualitate quæ Sole illos peragrante dierum noctiumqúe contingit, ad uirtutis æqualitatem se transtulerint. Sed accusare præ omnibus Maternum libet istius erroris propagatorẽ, quam ut ignorantissimo totius mathematicæ uenia condonãda est Is Ptolemæum ait summam decretorum antiscijs tribuere. Nec miror, nam cum totum Maternum euoluerim diligenter, nusquam lecti à se Ptolemæi mihi fecit indiciũ. Quod igitur attinet ad antiscia illis in decernendo, in pronunciando nunquã utitur Ptolemæus, siue Centum enunciata, siue Apoteleſmata eius requiris, tantum primo lib. Apoteleſmatum ubi sententias aliorũ πρὸς τὴς συμπαθείας τῶν ζωδίων, hoc est, de affinitate cõsensuq; signorum inter ipsas institutiones enarrat, his usus est uerbis: Rursus æqualis esse potestatis aiunt quæcunq; altero tropicorum æqualiter distant, quia in illis positus Sol æquales dies diebus & noctes noctibus facit. Hoc ubi dixisset, quasi deinde oblitus, ut qui scilicet non probabat, nũquam reuocat in medium, nunquam meminit, non solum nominis antisciorũ, quod alioquin nusquam apud eum, sed nec rei ipsius, hoc est, istius æque à tropicis remotarum partium affinitatis atq; consensus. Nam quod in Centum enunciatis quodam loco dicit Planetã sæpe ibi uires suas extendere ubi nõ est, uel le transferre ad antiscias & dodecathemoria nimis coactũ & licentiosum, præsertim cum in omni sua disciplina Ptolemæus alterum rideat, hoc est, dodecathemoria, & quæ hoc genus alia sunt, alterum negligat, hoc est, de quibus loquimur antiscia. Eo uero præcepto nec aliud uoluit nobis indicare quàm σχήματος ῥᾴφιον, hoc est, configurationis radiationisq; potestatẽ, per quam & multa & efficaciter faciunt ex sententia astrologorum, præsertimq; Ptolemæi, planetæ quibus locis minime sunt, ferè enim aliud ipse in constellationibus cũ phasis, & schemata non obseruat, aut certe nihil aliud magis. Sed nec quid antiscia sibi uellẽt Maternus noster intellexit, quorum latentem rationem alibi se explicaturum promisit, quasi aut nõ expositam rem cuilibet mathematico, aut quæ tribus uerbis explicari non possit, sed ignorantiam eius inde deprehendas, quòd nimis imperite loquendi modum ipsum usurpat, Martem quinto gradu in Geminis constitutum antiscium mittere in Cancrum, quo pacto non loqueretur, si quid esset antiscium istud

istud intelligeret. Neq; enim radius aut lumen est antiscius qui mittat, neq; aliud dicto est antisciū mitti ab aliquo planetarum, quàm mitti gradus in quo est æqualitatem, quare periti sic potius loquerentur, epocham Martis, hoc est partem quam occupat, antisciam esse tali parti Geminorum, aut quod idem ualebit esse Martē in antiscio Geminorum. Qui autē in Geminos Martē antisciū dixerit iaculari, exibilabitur à mathematicis & irridebitur. Sed Abenragel etiam multipliciter lapsus, qui primo lib. suarū commentationum aphorismos explicans quosdam, tam gradus æqualiter ab æquinoctijs elongatos, quàm qui pariter distant à tropicis Cancro scilicet & Capricorno æqualis esse potentiæ scribit. Neq; enim hoc de distātia ab æquinoctijs dictum à ueteribus, sed à tropicis tantū, quibus antisciorū no men impositum est. Nec Abenragel debuit hoc non uidisse, quando quidem descripti utrinq; ab æquinoctijs circuli sunt quidem æquales. Necesse enim ab illis æquè distantes parallelos æquales inuicem esse, uerum non hemicyclia inuicem æqualia, qpod in æquè remotis à tropicis accidit, unde antisciorum ille consensus. Errat item illud cum multis quòd habitudinem gradus ad antiscium gradum numerat inter eos quos aspectus uocāt, unde colligunt sidus in altero eorum positū, uim habere etiā in altero, si in haxagonis locis, & tetragonis & trigonis & oppositis habet. Natus autem hinc error quòd quæ Græci σχήματα uocant, hoc est figuras barbari, & nostrates aspectus uocāt. Apud Græcos autem aspicere se signa dicunt, non quæ inuicē configurantur, hoc est, ut nostri dicunt aspiciunt, sed quæ Grę cè ἐκτῶν φθινισημείων, hoc est, ab his punctis emergunt & occidūt, id quod in signis cum accidat æquè à tropicis separatis (sunt enim in eodem parallelo) propterea ea signa quę antiscia quidam maxima pars astrologorum βλέπτοντα, hoc est, uidentia nuncupant Arabes, deinde & Latini in eam significationem acceperunt, in qua nomine aspectus ipsi abutuntur. Atque ita quod euenit, sæpe error in dictionibus errorem parit in rebus. Sic satis declaratum uariam in fatis explicandis (si qua fata concederemus) apud astrologos antisciorum obseruationem, tum quanta super his etiā & Arabes & Latini, contra sententiam ueterum somniauerunt.

IN PRAECIPIENTIBVS ET OBEDIENTIBVS SIGNIS pariter deceptos astrologos. Cap. XIII.

IX hoc genere illa etiam est obseruatio germanę uidelicet hebetudinis uel fallaciæ, de præcipientibus signis & obedientibus. Nam cum mathematici signa in quibus Sol positus dies efficit noctibus longiores, collata signis in quibus æqua proportione lux tenebris uincitur προστάττοντα, hoc est, præcipientia uocassent, & quæ ex aduerso portendunt tenebras supra diem ὑποκόοντα, hoc est, obedientia, Genethliaci nominis argumento moti decreuerunt eum in cuius genitura signum præcipiens horoscoparet, fore illi, ut imperaret, qui si-

gnum obediens genituræ haberet horoſcopum, quaſi illa præcipiẽtis obe dientisq; cognominatio mathematicis inſtituta, iſtuc pertineret, neq; in ea tantummodo dierum & noctium ſub illis ſignis accidens inæqualitas fo ret indicata.

CONFVTATIO RATIONVM QVAS DE PLANETARVM exaltationibus quidam aſtrologi aſsignauere. Cap. XIIII.

SEd & iſta de Planetarum altitudinibus uel exaltationibus opi nio unde emanauerit, utq; pariter mathematica quadam occa ſione huc præcipites ierint, admonuit me naturalis hiſtoriæ ſcri ptor ille diligentiſsimus, cui omnis debet antiquitas, omnis po ſteritas, qui alteram à barbarie, à morte alterã uindicauit. Is igitur libro ſe cundo pertractans illam quæſtionem, cur eadem ſidera alias altiora, alias inferiora uideantur, poſt alia quædam ita ſubijcit: Altera ſublimitatũ cau ſa, quoniam à ſuo centro abſidas altiſsimas habent in illis ſignis Saturnus Libræ parte uigeſima, Iupiter Cancri decimaquinta, Mars Capricorni ui geſima octaua, Sol Arietis decima nona, Venus Piſciũ uigeſima ſexta, Mer curius Virginis decimaquinta, Luna Tauri quarta. hęc ille. Vnde facile q̃s que colligat non tardiſsimus aut ita olim fuiſſe, aut putatum ſiderali ſcien tiæ tũc uacantibus, poſita ſidera in partibus memoratis altiſsime à centro ſuarum abſidum ſummo ueri, quare & gradus illi ſiue partes altitudines Planetarum dicebantur. Vnde data occaſio Genethliacis, ut ſeruato altitu dinis nomine, quaſi tamen non loci foret altitudo, ſed naturæ & poteſtatis abuterentur. Neq; enim alias dicunt aſtrologi exaltari Planetas, quàm in his partibus, ubi ex uetere aſtronomia putatos altiſsime à ſuis cẽtris diſta re, eos oſtendimus, quanquã illud lectorem ſcire oporteret, in uulgatis co dicibus Plinij mendam inueniri, & uerba quæ deinceps ponuntur permu tatis numeris inoleuiſſe, quando nota denarij debita Veneri ad Solem eſt translata, ut in Sole uigeſimanona pars pro decimanona, in Venere decie maſexta pro uigeſimaſexta perperam legatur. Nam & uitium in Mater no, ubi Venerem legimus in uigeſimaſeptima parte Piſcium exaltari. Scri bendum enim eſt ſexta atque uigeſima ex Porphirio. Illud quoq; nonnihil uariat quòd Lunæ quartam partẽ Tauri aſtrologia uetus aſsignat, ſecuta ætas tertiam, ſiue opinionis eſt diuerſitas, ſiue culpa librariorum, in iſta nu merorũ notatione fæpiſsime hallucinantiũ, ſimiliter in Saturno nõ prima atq; uigeſima, ſed uigeſima legi oportet authore eodem Porphirio. Neque uerò iam dubito bonis mẽtibus palam factum, quomodo in aſtrologiam diuinatricem Planetarum exaltationes irrepſerint, ſed cum ad poſteros do gma peruenisſet, & theoricæ ſiderum diſciplinæ mutatione ratio illa do gmatis eſſet antiquata. Poſteritas alias ſibi rationes cogitauit, quibus pu taret opinionem prioribus illis eſſe perſuaſam, & alij quidem alias, ut in mendacio plurimum contigit, uerum leues & deridiculas. Ptolemæus in

Arietem

Ariete, inquit, Sol exaltatur, quoniam ad eum cum peruenit, incipit eius uis magis apparere. Verum (quod de domibus supra loquentes diximus) id non efficit signi qualitas & natura, sed situs, nō quia peragrat Arietem, ideò fortior esse incipit, sed quoniam propinquare incipit nobis, quare non si tuis teporem hortis infundit, ueniens ad id signum sperandū, ut ad regnum etiam euehat, quoniā in sua sit positus altitudine, in qua alijs utiq; regionibus deficeretur à quibus distare magis in Ariete & proximare magis sub Libra illum contingit. Sed uideamus de reliquis etiam Planetis, Lunæ sublimitas Taurus, quoniam si cum Sole iungatur in Ariete apparebit uis eius primum in Tauro. O efficacissimam rationem quasi si Soli in Tauro congrediatur, non idem cum Geminis sit euenturum, & si in Geminis coëat apud Cancrum, & si in Cancro, idem sub Leone, atque ita de reliquis omnibus, ut demirari liceat Ptolemæum quem non puduerit ista conscribere. Verum aliæ sunt etiam rationes, quoniam Luna proxima Soli est, & trigonum Lunæ laterinum. Sed non proximam Soli Lunam putat Ptolemæus nec debemus ex trigono coniectare sublimitatem, nec ex domo, uel trigonū, uel altitudinem, uel ex aliquo eorum terminos uel decanum, quoniam impermixta sunt hęc, ita ut cuilibet sua in re propria authoritas debeatur. Præterea si trigoni mouet argumentum, cur non potius in Geminis Mercurius exaltabitur quàm in Virgine? ubi & illud quadrabit, ut sit proximus exaltationi Solis à quo parum abesse solet. Id quod in istarum quoq; exaltationum ratione seruare conatur Aboasar. Sed conuenit (inquit Ptolemæus) Virgo Mercurio, quoniam siccus est, & sub Virgine siccitas autumnalis apparet. Verum diximus iam de signorum natura non proficisci istam quatuor temporū mutationem, quare positus Sol in Virgine faciet alijs regionibus quod apud nos facit positus in Tauro. Præterea si hoc obseruabatur cur non in Cancro regnare Mars statuebat? sub quo scilicet æstuat mundus, sicut sub Virgine iam aresçit. Est autem Mars Planeta feruentissimus quem tamen in Capricorno uolunt exaltari, sub quo frigore, gelu, glacieq; distringimur. Verū ad meridiem (inquiūt) uergit Capricornus, est autem pars meridiana calidior. Hoc est quod uobis obiectamus astrologi istam scilicet leuitatem & inconstantiā rationum uestrarum (si tamen rationes istæ dicendæ sunt) nam de signo eodem pro cōmodo, proq; arbitrio uestro, nunc quasi de calido, nunc quasi de frigido disseritis, & mox idem nec calidum iam nec frigidum, sed humidū potius uel siccū appellabitis, in partitione signorum Capricornum terrenum facitis, quare siccum, ad Martē cum transfertur inter feruentia cōputatur, et cum Saturni domicilium dicitur sideris scilicet gelidissimi niues & pluuiæ sub eo fieri memorantur. Quod si Capricornus quasi calidum signū Marti condonatur, debet simili ratione Cancer frigidissimus numerari, quare Iouem profectò regē non habebit, uiuifico ut dicunt calore prępotentē.

Verum præsto est latebra in quam se condant. Nam suscitat (inquit Ptolem.) Iupiter ueros aquilonares, quare signum ad aquilonem positum illi conuenit. At confugere primum astrologi alij huc nõ possunt, qui negant huiusmodi uentos à Ioue suscitari. Præterea nec Ptolem. excusatur, qui simili ratione in occidentem debuit mittere Martem, non in meridiem, cum occiduos uentos, non australes à Marte putet excitari. Mitto Geminos & Leonem ad Boream inclinare, cur non igitur potius Leo exaltatio Iouis? Non conuenit (inquit Auenrodam) calor Leonis Ioui, imò uero magis q̃ frigiditas Cancri. Adde quòd Leo trigonum Iouis signum diurnũ & masculum, Iupiter item Masculus & diurnus, Cancer inter fœminea nocturna aquatica designatur, quæ à Iouis natura cuncta amouentur, cõuenit igitur omnino magis illi Leo quàm Cancer. De Venere & Saturno nihil minus delirant ut sit Libra Saturni sublimitas, quoniã Soli contrarius est Saturnus, Venus in Piscibus exaltetur, quoniam humida est, & sub Piscibus ueris humiditas incipit. At enim sæpe iam diximus non signorũ naturam consequi temporũ istas qualitates, sed accedentis Solis & recedentis positionem. De Saturno ut solent pro commodo loquunt̃. Nam hic quidẽ oppositum Soli faciunt, alibi συμοῤῥέτην, hoc est eiusdem conditionis esse prædicant, quare ab utroq; significari partem, utrũq; esse orientalem. Sed uterque masculus, uterq; diurnus. Sed nimis profecto multa dicturi, si alia huiusmodi particulatim cuncta prosequimur, quibus alij parum confisi nouam excogitauerunt rationem utiq; breuiorem, sed omnino inefficacem esse enim triquetra uel hexagona domiciliorum exaltationes Planetis præterquã in Mercurio. Quod si quæras cur in Luna, Venere, Marteq; hexagona, triquetra in alijs maluerint. Respondent trigonum diurnis potentioribusq; Planetis magis cõuenire, nocturnis autem qui ex hæresi Lunæ sunt quòd Arabes aiz uocant, διὰ τὸ ἀσθενὲς τῆς ἀκτίνος, hoc est, de radij imbecillitate & hexagonum. Verum falluntur in Marte quando non quoniam imbecillus ideo nocturnis annumerat̃, sed potius ut uigor & efficacia radij Martialis nocturno frigore retardetur, nec ex hæresi Lunæ dici potest, qui sit masculus Planeta, quiq; utraq; qualitate à Luna discordent, & contraria omnino atq; Luna ratione nocturnus existimetur, nam illa quidem ob naturæ similitudinem, Mars ob dissimilitudinem, Lunari & Cancro aduersus in Capricorno, sicut oppositus Tauro in Scorpione. Sed procedat ista coniectura illud respondeant, cur dextra potius triquetra quàm sinistra? cur sinistra potius quàm dextra? imo cur in Ioue quidem sinistrum? in Saturno & Sole dextrum? & cum habeant domos duas Planetæ, cur ab altera potius q̃ altera trigonum est acceptum? ut cum in Sagittario & Piscibus Iupiter hospitetur, cur potius in Cancro quàm in Leone debeat exaltari? præsertim cum plus habeat cum Sagittario affinitatem, ut astrologi dicunt, plus item (quod antea dicebamus) & plus longe quàm

Can-

Cancer illi Leo conueniat. Postremo ut huiusmodi omnes coniecturas fictas à posteris intelligas, nec omnino fuisse quib. primi institutores huius dogmatis iecerint fundamentum, hinc cognoscas quòd rationem non reddunt cur non tali in signo, sed in tali ipsius signi parte Planeta dicatur exaltari, cuius causam supra ex uetere astrologia demonstrauimus: Qua propter Aboasar difficile hoc inuenire fuisse dicit uniuersitati astrologorum, & ipse ne omnino nihil loqueretur multa anxius super hac re nimis peruersa, & fabulosa subtilitate distorsit. Quare liquet indubie occasione quam diximus ueteris disciplinæ, putãtis in his gradibus à suis centris distare maxime Planetas, receptum hoc dogma à genethliacis de altitudinibus Planetarum, quarum quàm uana sit obseruatio, nemo iam non intelligit, non solum quòd ad naturam potestatemq; transtulerunt quæ fuerit loci situsq; cognominatio. Sed quoniam in ea re uetus astronomia forte fallebatur, nimis inter primordia fallax & parũ explorata, & ut uera illi tunc decreuissent, ratio posteritati illa non congruit, permutatis absidibus & quæ apogea dicuntur siderum errantium.

RATIONES ASTROLOGORVM, DE TRIGONIS ET trigonocratoribus, atq; obiter de signorum sexu, confutantur. Cap. XV.

NEq; uero putemus astrologos occasione tantummodo accepta delirare, oculatiores quàm ut deuiare sine duce non possint. Prævaricantur sæpissime ubi nullus est obuaricator. Nam de istis quidem exaltationibus mathematicis ferè debẽt quod insaniunt, quanquã sibi ipsis magis, ne qua eos iniuria defraudemus. At quę trigona uocãt uulgò triplicitates, ipsi pepererũt, neq; eos hoc loco, quanq; mathesis iuuit, quæ quoniã res inde dependet, quòd signa quædam ignea faciunt, quædã terrea, quædã aërea, quædã aquea, reddere prius super his rationem eos cogemus, & quomodo hoc quidẽ huius Planetę trigonum, illud illius bene diffiniãt examinabimus. Dicite igitur uiri sapiẽtissimi interpretesq; cœlestium, qua ratione elementorum istas qualitates in cœlo signis distribuistis? Auenrodan magnus in uestra disciplina signorum naturam uel ad Solem refert, uel ad stellas, ad Solem ut talis signi naturæ dicatur, quale opus est Solis id signum permeãtis, quo pacto mobilia signa, æquinoctia uel solstitia, reliqua fixa uel communia dicuntur. Ad stellas si hospitantium inibi stellarum uirtutes signo attribuuntur, neutram rationem uideo quadrare uestræ partitioni, nã si Solis opera sequamur, igneus erit Cancer, non aquarius, sicut aqueus Sagittarius magis quàm igneus, non igneus Aries sed aëreus, Taurus humore atque calore potius abundabit quàm frigore & siccitate, atq; conditio signorum ferè omnium cõmutabit, quæ nec erũt perpetua (quod uos uultis) Si referẽt ad stellas, idẽtidem suis sedib. migrantes, an Alchindi ratio potior existimãtis, cũ in Zodiaco

quatuor

quatuor sint signa principalia, duo æquinoctialia, duo solstitialia, his quatuor primas elementorum quatuor qualitates assignari, igneam Arieti, aqueam Cancro, aëream Libræ, terream Capricorno. Tum quia trigona radiatio locis congruentibus incidit, ideò signa cuilibet signo utrinq; triangula, naturam similem iure statuũtur sortita. Sed neque ista ratiocinatio quadrat, quoniam in referendis ad signa quatuor proprietatibus elementorum, duplex potuit eius ordinis esse ratio, altera pro cognatione signi et elementi, altera pro situ ipsorum elementorum, ut primum primo tribueretur, secundũ secundo, atq; ita deinceps: Si primum obseruarunt ut calida calidis, frigida frigidis responderent, ignẽ ut dixi, Cancro dare debuerũt, aërem Arieti. Si alteram aërem Cancro, qui secundus est ab igne, sed opposita (inquit Alchindus) calor frigiditas danda, igitur signo temporis secundi, hoc est, Cancro imò, ideò Libræ quæ opponitur Arieti, quòd si præponendam aquam aëri dicant, quoniam sit efficatior, iam seipsa natura faciẽt sapientiores. Præterea si agens qualitas qualis frigiditas, non qualis humiditas patiens Cancro conuenit, quomodo ab eis inter fœminea signa nocturnaq; deputatur? non potius inter diurna & mascula? quod obseruãt & in Planetis, non aliunde magis rationabiliter sexum in cœlestib. agnoscentes, quàm penes agentes patientesq; qualitates, propterea q; Iouem, Solem & Martem, in quibus calor, Saturnum, in quo frigus excellat mares appellauerunt, Lunam & Venerem fœminas, quoniam humidæ sint. Sic igitur aqua & ignis mares etiam ab Aegyptijs dicebantur ob causam memoratam, aër atq; aqua fœminæ, ita quæ aquea signa statuerunt, debuerũt astrologi masculis annumerare, non fœminis, quod in omnibus tamen pariter fecerunt, Cancro scilicet Piscibus, Scorpione aërea, contra mascula decreuerunt, cum sit tamen humiditas aëris qualitas propria, pugnat igitur in his secum astrologia, & seipsam euertit, ut ubique tamen delirans. Nanq; ut à proposita re, nõ tamen ab re digrediamur, quę leuissima ista nugamenta? discernere sexum in cœlestibus, tali præsertim coniectura, qua motis ex signa masculina, sex fœminina statuerunt, ut primum marem, sequens fœminam, atque ita per uires semper alterum uirum, alteram fœminã. Nam si erit hoc faciendum debuerat pro natura signorum fieri, non quòd fatali & uana istiusmodi consequentia primi scilicet & secundi, atque ita deinceps, quod quam habeat rationem audi ex Ptolemæo: Nox inquit diem sequitur, & fœminæ hærẽt uiris, debet igitur signo masculino fœmineum proximum statui. Contra quam rationem non est utique disputãdum sed ridendum, nisi illud forte serium est, ut uideamus prior, ne die nox, an nocte dies, ut fortasse nocturna signa debuerint anteponi, quia potius dies noctem sequatur, qua nox diem. Scriptum est enim factum est uespere & mane dies unus, quapropter Hebræi temporum initia à nocte statuerunt, uerum occupatiores quàm ut nugari liceat multis uerbis. Quanquã apud

ipsum

ipsum etiam Ptolemæum multum habeat momenti sexuum ista diuersitas, apud quem refert non parum in masculis, an in fœmineis signis Planetæ inueniantur. Quod si compertum experimentis dogma contendãt, quæro quibus suis, an ueterum? Si suis canos non habent, ut tanta sit authoritas, si antiquorum, at ex antiquis magna pars aliter sentiebat, multi ordinem ab horoscopo faciebant, ut esset exoriens signum semper masculinum atque diurnum, reliqua consequenti ordine per uices diuiderentur. Alij quatuor quidem signa diurna fecerunt Arietem, Cancrum, Leonem, & Sagittarium. Quatuor nocturna Geminos, Libram, Capricornum & Aquarium. Quatuor promiscua, Taurum, Virginem, Pisces & Scorpionem. Quin receptam opinionem explodebat antiquitas. Vnde illud ex uetere astrologia.

Sunt quibus esse diurna placet quæ mascula surgunt,
Fœminea in noctem latis gaudere tenebris,
Qui non multa sibi nullo monstrante loquuntur.

Quo in loco mirum quantum delirat triuialis quidam istius poëtæ interpres, longe item illi rationabilius (siquidem cum ratione aliquando est insaniendũ) qui omnia pariter ignea, atq; aquea, diurna appellauerũt, reliqua sex nocturna, terrea scilicet aërea. Itẽ si quod placet Ptolemęo masculũ & diurnum se consequunt, erunt mascula illa, ista fœminea. Sic ille cecinit,

Nanq; Sagittarij signum rapidiq; Leonis
Et sua respiciens aurato uellere terga,
Tum Pisces, Cancer & Cancri, Scorpion ictu
Aut uicina loco diuersa aut partibus æquis
Omnia dicuntur, simili sub sorte diurna,
Cætera nec numero consortia, nec uice sedis
Interiecta locis, totidem nocturna feruntur.

Fuerunt & qui aliter sentirent quare subdit.

Quinetiam sex continuas dixere diurnas
Castoris esse uices, quæ sunt à principe signo
Lanigeri, sex à Libris nocturna uideri.

Desinant igit fidem allegare ueterũ obseruationũ à quib. tam dissident sæpe, cq; tota astrologia dissidet à ueritate. Obij aũt illud etiam poterit, si masculũ signũ principe loco statuendũ, iudicarũt futurũ in incerto quodnam primũ & masculum signum, quemadmodũ & incertũ, quodnam signũ initiale ut supra declarauimus. Alijs enim Cancer, alijs Capricornus prima uidebantur, quorũ tamen utrũq; fœmineũ apud istos. Sed forte nec tã multis eludi fabulas oportuit, quanq; operæpretiũ obiter istã fabulam confutasse, discernendi cœlestia signa per sexus, quo nos ideo diuertimus, ut in Cãcro pugnare illos secũ ostenderemus, quẽ aqueũ facerent & fœmineũ cũ sit tñ frigiditas inter agentes qualitates nõ passiuas. Quod si prima

partitio illis detur in signis tropicis & æquinoctijs, non procedet in alijs signis ratio distributionis, circulo enim demonstrant, quod est flagitium in dialectica, quãdoquidem cum hoc loco probant trigona signa eiusdem naturæ, assumunt argumentum, quoniam trigona radiatio cõsentientium inuicem est locorum, & rursus probaturi trigonam radiationem consentire, assumũt quòd eiusdem naturæ incidat locis. Sileat igitur iam Alchindus. Reliqua est sententia Abraam Auenazræ ducentis rationẽ istarũ qualitatum à figuris imaginum & effigiatorum inibi animalum ptoprietatibus, ut Pisces, Cancrum, & Scorpionem, frigida uocentur, quòd aquatilium nomina effigiemq; repræsentent. Leonis signum calidum ob naturam Leonis, atque ita de reliquis. Sed ista quoque ratio aut nulla, si nullæ imagines, ut demõstrauimus, aut falsa si aliquæ sunt imagines, in qua cum signis imagines confunduntur, quod supra etiam reprobauimus. Denique cum figuræ loco uarientur erit ista distinctio signorum temporaria, non quod astrologi omnes uolunt, & ipse etiã Auenazra, immobilis & perpetua, neque Aries igneum signum erit nostra tempestate, quando totũ imago fere Piscium occupauit in quintam & uigesimam eius partem Arietis imagine iam delata. Quod si nulla sunt trigona, nulli sunt & trigonocratores, hoc est domini, ut dicunt triplicatum. Quanquam etiam si illi concedantur, de his tamen ut solent extra rationem etiam definiũt. Neq; enim denegabũt, si quo in signo Planetæ alicui bene sit, male esse in eo quod per diametrum illa aduersatur, patet in domibus hoc Planetarum, patet in exaltationibus. Quod si est apud eos maxime confessum, quomodo oblitidogmatis astrologici in oppositis trigonis tres planetas eosdem regnare uoluerũt: in terreno scilicet & in aqueo Martem, Venerem & Lunam, Taurus opponitur Scorpioni, Virgo, Piscibus aduersatur, è Cãcri regione respidet Capricornus, & tamen in Tauro, Virgine, & Capricorno qui dominantur, ijdem in Cancro, Piscibus, Scorpione trigonica omnes regnant potestate. Nec si tamen astrologos roges cur deijciatur Mars in Cãcro, aliter respondebunt quàm quoniam ijdem exaltatur in Capricorno, & cur infestet ille in Tauro, quoniam domicilium dicent, habet in Scorpione. Pugnant igitur hæc inuicẽ omnia & mutuo falsitatis ipsa se redarguunt. Adde quòd in prima triangularitate Albumasar, Alchabitius, omnesq; Latini dominari Saturnum cum Ioue, Soleq; decernunt, in qua tamen Saturnus exulat, in Leone deijcitur, in Ariete, in Sagittario nihil suum agnoscit. Verum inquint, diurnus quemadmodum Iupiter & Sol. Verum etiam frigidus, cum uterq; illorum calidus habeatur. & si cum agebatur de exaltationibus Saturno Libram assignabant, tantũ ob eam causam quòd naturæ Solis opponeret. Cur regnum in Ariete? cur in domino triplicitatis cõtra naturam ipsorum signorum Soli associat, quasi naturæ Solis cõgruentissimus. Plura sunt hoc genus, sed prosequi singula fortè superuacuũ, cer-

te mo-

te molestum mihi & nauseabundum, quod si ad fidem hic etiam experimenti, rursus ego ad discordiam huiusmodi experimentorum, quando quidem Aegyptij duos tantum faciunt trigonocratores, ut ex monomirijs licet intelligere, reliqui tres constituunt qui deinde inter se dissident. nã in primo quidem triangulo dominari Saturnũ, Albumasar, Alchabitius, Latini uolunt, Ptolemæus, Martem. Contra in secundo Ptolemæus Saturnum, Arabes & Latini fere omnes Martem, in quarto domino eum facit Ptolemæus scilicet Martem, suppares duos quasiq; secundarios dominos, nocte Lunam, Venerem interdiu. Alij Martem cum Venere æquant in principatu, nec Martem imperare nisi noctu uolunt, Venerem interdiu, tum Lunæ secũda noctu dieq; authoritas apud eos Recentiores, Arabum opinionem & Latinorum experimentis aiunt confirmari, Auenrodan ipse (ne commemorem Græcos) omnes effectus adstipulari sententiæ affirmat Ptolemæi. Mitto plurima in quib. super ijsdem triangulis digladiantur, quoniam supra actum est de illis, patet autem hinc magnas etiam coniunctiones dissolui, quatenus pendent à migratione trigonica, ne commemorem alia dogmata astrologorum ab his maxime trigonis fidem originemq; ducentia.

DE FACIEBVS, TERMINIS, DODECATHEMORIIS BABYLONIORUM, NOUENNIS, MONOMIRIJS, QUÀM PARUM CONSTENT TESTIMONIO ETIAM IPSIUS PTOLEMÆI. Cap. XVI.

RElíquum facies finesq; confutare, ut de omni sit dictum, cum signis affinitate Planetarum. Nam iam domos euertimus, exaltationes deiecimus, trigona obliteraúimus, nullum tum negocium in his confutandis, nam facies nullæ, etiam apud Ptolem. Sic etiã Græcis quoq; qui & decani. Sed & decani quidem signorum, facies autem planetarum. Has igitur facies Ptolem. aspernatur, indignas ratus de quibus haberet mentionem, & quibus unquam in apotelesmatis uteretur, quas cum nullis adstruere illi possint rationibus, possent forte prætendere experientiam, nisi illos concordia hoc quoq; loco desereret. Alias enim Indi, alias Babylonij quos Arabes imitantur, alias Maternus, Planetarum facies esse uolũt. Primus Tauri decanus apud Babylonios faciem gerit Mercurij, Veneris apud Indos, Iouis apud Maternum. Secũdus his quidem Lunæ, alijs Mercurij, alijs Martis. Primus Geminorum Chaldæis Iouis, Indis Mercurij, Materno Martis, quos ne prosequar omnes particulatim Babilonij methodum istam sunt secuti, ut primum quidem decanum principia scilicet Arietis Marti darent, quoniam ea domus est Martis, tamen pro ordine sphærarum sequentes, sequentibus planetis primã decuriam cuiuslibet signi patrifamilias, hoc est, domino domus reliquas duas dominis signorum eius trianguli. Materni commentũ penitus arbitrariũ, uetere tantũ traditionem prætendit, quæ cum aliquis pensitat, illud etiam

cognoſcat, non ueris obſeruationibus aut fide experimentorum hæc illos dogmata decreuiſſe, ſed infirmis huiuſmodi lenibusq; cõiecturis fidẽ experientiæ, de quibus deq; ipſis etiam experimẽtis latiſsime inferius poſtea diſputabimus. Sicuti autem Aegyptij decanos excogitarũt in tres partes ſignum diuidentes, ita Babylonij dodecathemoria ſignum in partes duodecim diſſecantes, hoc utentes illi dodecathemorio, non eo quod Maternus illis aſcribit, authores Mallius & Porphirius, meminit etiã Ptolem. ſed irridens, atq; iſta dodecathemoria uocari τόπους, hoc eſt, loca. Albumaſar itẽ, & Auenazra, & Hiſpalenſis, huius tantum dodecathemorij meminerũt, non eius quem Maternus, & Alchabitius, & Heliodorus tradunt, de quo nos poſtea ſuo loco dicemus. Saxonienſis in cõmentarijs in Alchabitium nominis affinitate deceptus utrũq; confundit. Indi ſua quoq; ipſi figmẽta cõminiſcentes in nouem partes ſignũ quodlibet diuiſerunt, ſtatuentes primam partẽ eſſe domini ſigni, quod ex eo trigono mobile fuerit, ut prima quidem nona pars Arietis Martis ſit, nã Aries mobile ſignũ, prima uero Leonis rurſus Martis, quia ſignum ex ignea triangularitate mobile Aries eſt. Sequentes autem partes ponunt de ſerie ſequentium ſignorum, ut ſi primus ſit Martis cuius Aries domus eſt, ſecunda ſit Veneris, terra ſit Mercurij, quòd illa Taurum, hic Geminos domum habeat. Ægyptij rurſus in ſingulas partes ſingula numerauerunt, quas uocauerunt monomirias, aſſignaueruntq; illas Planetis per ordinem trigonorum, ita ſcilicet ut cuiuslibet ſigni pars prima eſſet monomiria Planetæ, qui dominus ſit trigonilius, nocturnus quidem ſi geneſi ſit nocturna, diurnus ſi diurna, ſeũda pars domini ſecũdi eiuſdem trigoni, tertia domini trigoni ſigni ſequentis, atq; ita deinceps, ita tamen ut idem planeta uno decurſu bis monomiriam non ſortiretur, quas omnes anatomias & diſſectiones non aliꝰs quàm ipſius Ptolemæi uerbis cõfutabo, qui omnia iſta ὑ φυσικὴν ἀλλὰ κενόδοξον λόγον habere dixit, hoc eſt, non habere phyſicam ullam rationem, ſed uanam oſtentationem, nec poterat rectius ſuper his definire, nam quanto iſta prius habent temeritatis & maiore licentia confinguntur, tanto rudibus & imperitis mirabiliora maioraq; uidẽtur. Nec aliud fuit in cauſa cur Aboaſar magnus in aſtrologia habitus ſit uir alioquin neſcius mathematicæ, quàm q; illi nihil parum rationabile uiſum, ſed coaceruauit omnium ſimul fabulamenta, nihil reijciens nec aſpernatus, quare plura q; aliꝰ uideret ſecreta prodiſſe, quia fabulas ſcilicet plures cõmemorauit. Reliquũ eſt de finib. quos nõ aliter quidem breuiter confutabo, q; ex diſcordia ipſorum adhuc de finibus inter ſe litigantium. Alios enim Ptolemæus præſcribit, alios Ægyptij, alios Babylonij, alios Indi, alios neſcio quis aſtrologus cuius meminit Albumaſar, ex cuius ſententia in magno introductorio promit mira, iuniores Aegyptijs adhærẽt, Græci Ptolemæum ſequuntur, & cum eis Auenrodan, aliꝰ ſuos quoque habent ſectatores. Quare non ſolum ſigna ipſa

ipsa nulla, sed istæ quoq; si signa aliquid essent Planetarum, cum signis affinitates, ut hic quidem domus, alibi regnum, alibi fines habeant, friuolæ, fabulosæ, pugnantes, commentitiæ sunt, neq; solum Latini dissentiunt super his, sed in ipsarum inuicem collatione. Nam uulgo primas partes dãt domui, secundas exaltationi, tertias finibus, quartas triplicitati, quintas faciei. Ptolemæus primo loco domum, secundo triplicitatem, ut placet Haly, tertio exaltationẽ, quarto terminum locat, faciem prætermittit. Chaldæi domos non habent, Aegyptij monomirias omnibus addunt, nouenas Indi, Babylonij dodecathemoria, triplicitatem cum domibus non ponũt. Maternus plus tribuit altitudini quàm finibus, plus finibus itẽ quàm domibus. Gaudent enim inquit stellę principe in loco in altitudine sua positæ. Secundo loco in finibus suis. Tertio in domibus suis. Vanissima igitur dogmata astrologorum quæ nec rationibus firmant nec experimentis, quando in illis nugantur, in istis non concordant.

DE GRADIBVS FOEMINEIS, LVCIDIS, TENEBRÕSIS ET aliis id genus quòd eos contempserit Ptolemęus, neq; in eis conueniant alij astrologi. CAP. XVII.

COnfutauimus eas diuisiones signorum quas referũt ad Planetas, ut hic quidem exaltetur Mars, alibi Sol. Hæc sit huius facies, altera alterius, hæc huius monomiria, illa illius. Similiter trigona, fines, nouenas, dodecathemoria. Nunc ea forent tractanda quæ de gradibus ipsis absolutè tradiderunt, ut hi quidem lucentes, alij tenebrosi, alij fortunantes, alij ut dicũt Puteales, alij ualitudinarij, quos uocant alzemena, alij masculi, alij fœminei. Sed supra satisfactum est magna ex parte, nunc illud addiderimus, omnia hæc quoque contẽpsisse Ptolemæum, cuius interpres Auenrodan, tantum illis uidetur cõcedere, ut hęc obseruent, si ueritatem experimentis in his esse deprehenderint. Sed quæ si deserit experimenti? cum de gradibus masculis & fœmineis sex ferantur opiniones. Aliter enim eos leges apud Firmicũ descriptos, aliter apud Albumasarem, aliter apud Auenrodan, aliter in Alchabitio, uariat Abraam in plerisq;, tum ab omnibus his penitus discordant qui duodecimã cuiusque signi partem nunc masculam faciunt, nũc fœminam uicibus alternis, primas partes ex signi genere statuentes. Mitto qui gradus duodecim ex triginta in sexu signi ponunt, sequentes totidem in oppositio, tum reliquos sex æqua portione pariter partiuntur. De lucidis & tenebrosis, & obscuris alia opinio primum apud ueteres ex positione stellarum, quoniam eam partem lucidam uocabant, in qua erat stella, perpetuumq; id crediderunt, quoniam putabant stellas non moueri, quare errabant. Si Hiparcho, Ptolemæo, & reliquis assentimur, posteri dogmatis origine non perspecta, quanquam stellas moueri contendunt, eosdem tamen gradus lucẽtes, eosdem tenebrosos, quos prisci determinant, in qua re quanta nata apud eos confu-

confusio, quantaq; peruersitas rerum & dictionum, superius explicatum est, ut nihil posset esse minus quàm uera super his apud eos experientia. Erratum idem ab eis in gradibus, quos augentes fortunam dicunt, ibi quoq; declarauimus, quos & aliter magna ex parte apud Alchabitiū, aliter apud Albumasarem, aliter apud Auenazram inuenies annotatos. Eadem diuersitas in putealibus, quos nullus ueterum posuit, nec potest non mentiri Aboasar Aegyptiorum se sequi sententiam dicens, quādo illos enarrat, quandoquidem ex illis plurimos quos Aboasar puteos facit, Ephestion Thebanus totius Aegyptiæ astrologiæ peritus inter lucentes gradus enumerat, ut Arietis sextum gradum, & Tauri quintum, & trigesimum Geminorum, & uigesimum secundum Cancri, & in alijs signis alios multos. Quid quòd Doriensis quidam astrologus, qui se uocauit perscrutatorem de istis graduum proprietatibus, aliter omnino sentit quàm omnes ueteres, nec pro suo dogmate aliud quàm experientiæ fidem allegat, quòd scilicet ueterum dictis euenta nō respondeant, respondeant suis, uana igitur, infidelis, inconstans, ista quoq; obseruatio graduum diuersorum, non solum à nobis, sed à Ptolemæo quoq; damnata.

PARTES VNDE ORTAE ET QVANTVM IN EIS dimetiendis secum pugnent astrologi. Cap. XVIII.

IAm partes quibus utūtur in omni prædictione nónne merum figmentum, res uana, dogma uoluntarium, numera inquiunt, gradus inter hunc planetam & illum interceptos, & cum totidem ab horoscopo gradus percensueris ubi numerus desinet, pars erit ibi rei cuiuspiam significatrix, non aliter obseruanda quàm Planetæ, quàm stellæ, quo præcepto quid fingi potest delirius? non solū quòd uirtus in cœlo naturalis ubi nulla stella, ubi nec lumen, nec alia qualitas naturalis, sicuti nulla utiq; in eo gradu ad quem numerus ille terminatur. Verum quoniam ista dinumeratio ad libidinem quoq; fingitur, nec ullam habere potest physicā rationem, Aboasar nugacissimus reddere causam uoluit huiusmodi partium, quod antiquorum fecerat nullus. Sed ita tamē aliquid dixit, ut in summa loquacitate nihil loquatur. Nam uerborum eius summa tandem hæc est, cū fuerint Planetæ duo significantes eandem rem, distantia quæ est inter eos habere uim quoq; significandi, sed illam ab horoscopo dimetiendam, quoniā quę uentura sunt bona maláue sciantur, cognito loco ad quem rerū suarū significator prouenit ab horoscopo, quare gratia exempli cum Sol atq; Saturnus sidera sint parētum, interuallum quo inuicem dirimunt ab ascendente numerandum, & in gradu qui fuerit numerus eius futuram significationem super parentes, ut in quo Solis Saturniq; potestas in quendam modum quasi copuletur, hęc est subtilitas Aboasaris in qua supponitur quod negatur, quodq; in primis à nobis irridetur, esse scilicet illi distantiæ talem uim, ut similis interualli finis ductis ab ascen-

ascendẽte uim aliquã habeat efficiendi, hoc quã habeat rationẽ reddere debuit, quod cum minime faciat, nõ est illa opinionis ratio, sed narratio, quæ nõ solum, ut uidimus est inefficax, quoniã de quo quæritᷣ nihil probat, sed est falsa repugnãs principijs astrologorũ, quãdo partiũ authores (ut mox diximus) primas partes fecerũt ipsorum Planetarũ, non rerũ & euentoũ, sed fuit à posteris postea id excogitatum. In partibus aũt Planetarũ Aboasaris ratio quem habeat locum, dicẽtis partes accipi ab interuallo duorum planetarum, eandem rem significantium, præsertim quòd nullius Planetę præter quàm Solis & Lunę per se distantia accipitur apud Hermetem, qui author prius harum partium fuit in eo libro cui nomen fecit παναρετῶ. Sed à Planeta cuius pars quæritur, & parte alterius luminariũ, capit enim Veneream partem à parte Solis & Veneris, ubi deceptos Aboasarẽ & Alchabitium primo libro notauimus. Mercurij à parte Lunæ quę fortunæ dicitur, ipsoq; Mercurio ubi illi quoq; aberrauerũt. Martis à Marte parteq; fortunę, Iouis à parte Solis & Ioue, Solis & Lunę ab inuicem, ut est omnibus manifestum. Nec alias res significari uult per partes, quàm quæ quisq; Planeta cuius esse dicitur pars significat. Adde quòd rerum partes non accipiuntur à Planetis, eas res apud astrologos significantibus, quoniam quidem Mars fratres significat apud omnes, & tamen pars fratrum à Ioue atque Saturno, nũquam autem accipitur à Marte. Et ueteres omnes partem coniugij corrogant à Saturno, cui Planetæ cum nuptijs nullum cõiugium esse uoluerunt. Commentum igitur illius Aboasaris non modo leue & nugatorium supponẽtis id scilicet de quo disputatur, sed ab opinione authorum istius dogmatis de quo disputatur alienum, quos aliud mouit quàm quod iste nugator post tot secula somniauit. Fuit enim erroris huius occasio prima talis: Visum antiquioribus orientem gradum, hoc est, horoscopum Soli respõdere, quare cum Luna propemodum Soli supar existimetur, alterum esse horoscopum uoluerunt Lunæ proportione respondẽs, nec alio loco potius statuendũ iudicarunt quàm qui tantũ distaret ab oriente quantum Sol in qualibet genitura distaret à Luna, eum locũ κληρου τυχης, id est, Sortem fortunæ uocauerunt, ob eam quam paulo post causam commemorabimus. Docet hoc ipse Ptolemæus Apotelesmatum libro tertio, commonefaciens quoq; illud omnem antiquitatem conuenisse, ut ab horoscopo tantum pars fortunæ distaret, quantum à Sole Luna, nec uariare sententiam eorum, qui in nocturnis genituris à Luna potius computant in Solem, quoniam ijdem ab ascendente ad antecedentia signa se conuertunt, quare desinunt eo loco quo & illi qui à Sole ad Lunam supputantes, pro signorum consequentia numerant, causam nominis suspicor talem, nã cum duos quasi horoscopos fecissent, alterum solis, alterum Lunę, illi quidem, hoc est, uero atq; Solari, corporis atq; animi sortem tribuerũt, isti uero Lunari & aduentitio, sortem fortunarũ, hoc est, rerum earum quæ extra nos

sunt, ut à primo nos ipsi, à secundo quæ nostra sunt fatū sortirentur, qua re lunaris horoscopus sors fortunæ nūcupatus, neq; ex alia re magis quàm ex ipsa de fortunis iudicat Ptolem. nam uulgò sortes istæ partes dicuntur, loca uero apud Maternū. Hoc cum receptum iam foret, Hermes quidam Ægyptius parum spectata prioris instituti ratione, putauit à pari exemplo omnium Planetarum sortes faciendas, atq; ita Saturni & reliquorum sortes cōstituit in libro cui titulus προαγορευτῶ uocauitq; partē Solis, ἀγαθόν δαίμονα, hoc est, bonum Deum, siue dęmonem, Iouis, νίκην, id est, uictoriā, Mercurij, ἀνάγκην, id est, necessitatem, Veneris, ἔρωτα, id est, amorem, Martis, τόλμαν, id est audaciam, Saturni, νέμεσιν, id est, nemesin, in quibus ordinandis hanc methodum obseruauit, ut unam quamq; partem acciperet à distantia ipsius Planetæ cuius est pars ad partem, aut Solis aut Lunæ. Solis quidem in Venere & Ioue, Lunæ in cæteris, & ubi Solis parte foret utendum ab eo computus fieret in diurna genitura, in nocturna uero à Planeta ad partem, contra fieret ubi fortunæ utitur parte, sed & omnium duci numerū ab horoscopo iussit, quia id factum uidit ab antiquis in fortunæ parte, cuius exemplo reliquas cogitauit, parum animaduertens eam (qualiscunq; sit) conjecturam, qua moti ueteres Lunę sortem statuerunt non conuenire in reliquis Planetis, quibus cū Sole non ea uel paritas uel cognatio, ut illi aliquid uice horoscopi respondere sit necesse, quemadmodum Soli oriens correspondet. Verum utinam istis finibus hæc se fingendi licentia continuasset, nam Paulus Alexādrinus Hermete, quem diximus, aliquot seculis, iunior, addidit partibus Planetarum partes quatuor, non iam siderum, sed rerum parentum scilicet filiorum, fratrum, & coniugij, quod inuentum, occasio fuit præterea ita delirandi, ut innumerum numerum effingentes, ferè quisquiliarum partem in cœlo designarent. Nam & cicerum, & fabarum, & lentis, & hordei, & ceparum, & millerum huiusmodi partes apud Arabes omnes, & Latinos legis authores, Chaldæos nullis usos partibus, non tam moueor ut credam, quoniam inuētum fuit Aegyptiorum, quàm quoniā Porphirius institutiones scribens Apotelesmaticas ex Chaldęorū sententia, partium nusquam meminit, Ptolemæus pręter fortunæ partem reliquas omnes abominatur, quanquam rectius etiam illam cōtempsisset, cum horoscopum Lunæ & quicquid in eo comminiscunt uanum & arbitrariū sit. Sed uidetur erratum illi ueniabiliter, cum ad ea respicitur in quæ de unius partis exemplo, astrologorum licentia futili temeritate, prolapsa est. Qui cur distantias seruent Planetarum duorum curq; illam numerent ab horoscopo, causa iam patet, quoniam scilicet ita factū in fortunæ parte repererunt, in quo factum id à ueteribus, quia quasi horoscopus quęrebatur, quare in ea distantia fuit collocanda ad orientē, in qua Sol à Luna moueabatur, postea originem dogmatis nescientes suas ibidem quales narrat Aboasar fabulas confinxerunt. Qui si potius experimentis quàm ratione motos

motos sẽ dicant, respondebo quod hactenus semper feci, non esse experimentis authoritatem, super quibus æquali homines authoritate non concordãt. Euenit autem & hoc in partibus, ut in omni dogmate astrologorum. Et primum ipsam fortunę partem alius ferè semper alio loco statuit, quoniam Ptolemæus seu diurna fuerit genitura, seu nocturna, computandam à Sole ad Lunam præcipit, alij à nocturna genitura computandum à Luna ad Solem affirmant partẽ Veneris. Heliodorus & Maternus à parte dæmonis ad Venerẽ interdiu, nocte contra Alchabitius sequens Aboasarem à parte fortunæ ad partem dæmonis in nocte, interdiu à dæmone ad fortunam. Abenragel à Venere in fortunam, & die & nocte pariter accipit. Parentum partem Arabes in diurna à Sole in Saturnum, in nocturna natiuitate à Saturno in Solem accipiunt. Heliodorus, si Saturnus radijs occultetur, si nox fuerit aut dies, à Marte pergit ad Iouem. Partem fratrum Maternus nocte à Ioue in Saturnum, Græci nocte, sed interdiu à Saturno in Iouem. De coniugio dissonant mirum in modum, nã si mariti sortem inquiras Alchabitius semper à Sole numerat in Venerem, Heliodorus in Venerem quidem sed à Saturno. Maternus ex antiquorum sententia iubet, ut interdiu quidem à Saturno eamus ad Venerẽ, nocte uerò à Venere inchoemus, se uero quod alij quoq; præcipiunt multis in genituris probasse testatur, ut in diurna nocturnaq; genitura à Sole ad Lunam semper computetur. Quod si fœminæ genituram perscrutemur, iubet Maternus interdiu à Marte in Venerem computari, nocte à Venere ad Martem, alij semper à Venere in Saturnum, quam Abenragel Vellij, Alchabitius Hermetis ait esse sententiam. Abenragel probat, ut à Luna in Martem semper accipiatur, alij semper à Sole in Martem, sic in reliquis dissident, sed tædium omnia prosequi. Partem peregrinationis Arabes à domino nonæ, in minutias primas ipsius, Græci à Sole in Martem. Partem hæreditatum illi quidem à Saturno in Lunam, hi uero à Saturno in Venerem. Seruorum illi à Mercurio in Lunam, hi à Marte in Lunã. Partem matris antiqui omnes à Saturno in Lunam computant, numerum deinde ab horoscopo percensentes, ut in omnibus facere ueteres consueuerunt. Arabes eam à Luna quærunt in minutiam primam octauæ domus, superadduntq; tot gradus quot Saturnus ex signo in quo est perambulauerit, & quãtamcunq; computus fecerit summam tantam ab initio signi in quo est Saturnus per sequẽtia deinde signa. Sed non tam ocioſi, ut omnes eorum fabulas memoremus, illud certe constare cuilibet potest, non niti fidelibus experimentis, quæ sibi quisque pro arbitrio dogmata confinxit.

DODECATHEMORIORVM SENTENTIA, EXPLODITVR, ET AVTHO res eorũ Aegyptij cũ suis quoq; climatericis annis reijciuntur. Cap. XIX.

PAr insania Dodecathemoriorũ, pariq; ratione qua partes exibi landa, non autẽ Dodecathemorion illud intelligo, cuius supra meminimus, quod est signi cuiuslibet pars. 12. sed quod tradit à Materno Græcisq; scriptoribus in hunc modum, cuiuscunq; inquiunt, stellæ uolueris Dodecathemorion quærere, partem eius duodecies computa, siue illa signi in quo est Planeta pars decima siue quinta, seu quouis alio numero fuerit, tum quantas summa computationis confecerit, diuides eas singulis signis triginta dispartiens, sed à signi primordio sumes initiũ in quo stella est, cuius Dodecathemorion quæris, & in quocunq; signo postremus uenerit numerus, ipse tibi partem Dodecathemorij ostendit. Exemplum huius pone: Solem in Arietis parte quinta & minutijs 5. si quinq; duodecies multiplicaueris, erunt partes sexaginta, minutiæ unam facient partem, atq; ita erunt partes sexagintaunæ. Dabis Arieti in quo Solem esse diximus, triginta, Tauro triginta, Dodecathemorion in prima Geminorum inuenietur. Hoc inuento quid uanũ magis, aut futile potest excogitari? cũ per numeros istos, nulla tamẽ uis Planetæ, nulla qualitas eam in partẽ transmittatur. Quod si obseruatum dicitur euentis tam respondere, obijciam Paulum Alexandrinũ authorem grauissimũ apud Aegyptios, quorũ illud potissimũ fuit inuẽtum, qui talem obseruationem deprendi falsam attestatur, quia nouam ipse methodum introduxit cõtra ueterũ omniũ opinionem, ut non duodecies partes illæ multiplicarent̃, sed terdecies scilicet illi cõputatio antiqua nõ succedebat, utpote falsa & cõmẽtitia. Et quoniã aliquando terdecies multiplicãdo eueniebat ei quod quærebat, more astrologorũ ex uno successu dogma instituit. Hæc sunt illa misteria Aegyptiorũ, quorum sententias uelut oracula superstitiosum uulgus adorat, quorũ doctrina ne dũ habet aliquid diuinitatis, sed ridicula etiam semidoctis. Nam si qua foret astrologia, nihil minus Aegyptij q̃ astrologorũ nomen mererentur, qui & rerum quæ sunt in cœlo uerarum & naturalium, hoc est, siderum & stellarum motus ignorabant, ut infra dicemus, & in prædicendo plus istis fallaciosis somnijs utebantur, quàm stellis & Planetis. Scribit Heliodorus Mercurium Trimegistum, qui partes Planetarum primus inuenit uiam aperuisse, unde per solas illas partes nulla alia re spectata pronunciari possit de omnibus pariter monomerijs & dodecathemorijs, mirum quantum in omni prædictione tribuebant, unde eos oblique notat Ptolemęus prudentissimus astrologorũ, ait sua se dogmata traditurũ μὴ διὰ κλήρων καὶ ἀριθμῶν ἀναστιολογητῶν quæ sint omnia πέριττος ὑπὸ τῶν πολλῶν φλυαρόμενα καὶ μὴ πίθανόν ἔχοντα λόγον, hoc est, non per partes & numeros inefficaces, & causæ rationẽ nõ habẽtes, quæ superflue multi nulla ad persuadendum ratione fabulantur, cum autẽ numeros dicit, & quæ reprendimus

mus dodecathemoria notat, & qui climatericos annos faciunt ex numerorum sola obseruatione, ut enneadicos & hebdomaticos. Vnde multis molesta senibus superstitio super anno sexagesimotertio, quoniam peius angui tigrideq; formidāt. sed peccat in his uulgus errore ueniabili, qui philosophi esse uolunt quis excusauerit.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVLÆ aduersus Astrologos libri VI. Finis.

IOANNIS PICI MIRANDULÆ Disputationum, in Astrologiam, Liber VII.

QVID HACTENVS DISPVTATVM, ET QVID IN hoc libro disputandum. Cap. I.

HACTENVS nulla esse astrologia demōstrabatur, ablata siderum efficientia, quod ex philosophia, ex siderum dignitate, conditione rerum inferiorum, & fide experientiæ rationabiliter dici à nobis ostendebamus. Tum si illa efficiant quod opinantur astrologi, quare hæc tamen aliter faciant quàm sit ab illis excogitatū, probauimus nullam de ista efficientia, & consequenter de futuris rebus cognitionem illis esse possibilem. Nūc illud nobis agendum, ut si fieri cœlitus hæc concedamus, & quomodo ab illis est confectum, hoc est ab hora primordiali sortiri res omnes fata sua de cœlo, quod tamen cuiusq; rei sit fatum sciri ab eis non posse declaremus. Est autem hoc illis primum necessarium si assequi debent, ut quæ sit cuiq; hora fatalis, certissime habeant exploratum, quod nec sciri posse aut scitum certe ab eis non esse præsentis libri disputatione docebimus. Et quoniam rerum uariarum principia uaria statuuntur, de principio hominis primum disputabimus, & illud esse in ambiguo declarātes, & omnino qualecunque sit, illud certe non esse quod ab astrologis existimatur.

AMBIGVAM ESSE HORAM FATALEM, SI QVA ESSET in omnibus rebus quæ non momento sed tempore absoluuntur, & in hominibus maxime, in quibus genitura parum roboris habere uidetur. Cap. II.

EST aūt in decernendo principio cuiuscūq; rei quę nō momēto sed tempore consumat quæstio inextricabilis, an sit fatale illi tēpus quo primū opifex facere illam aggredit, quācunq; demū causam effi-

efficientem sortiat. An potius cū absoluitur, an cum nō tota quidem simul exigitur, sed per partes sint partium diuersarum fata quoq; diuersa. Quicquid enim dixerimus, suam habet rationem qua confirmetur. Nam si feliciter manus opifex admouerit, quomodo esse potest opus infelix quod felicitur opifex operatur? cum ea sit demuum & operantis, & operationis felicitas, si opera & bene & ex uoto operantis eueniat. Tū si fatum efficienter nō signanter tantum est à sideribus, quando potius fatum accipere ressuum debet, quàm cū sidera illum intercedentibus alijs causis efficiunt. Videtur igitur factum ex ea hora pendere qua rem facere primū opifex eius aggreditur. Contra fatum quo pacto accipiet res priusquàm sit, aut quomodo esse dicet à nobis cum primū incipit fieri ut aliquando sit? Deniq; ex specie & quę momēto aduenit ultimo cōstituente forma res illud est quod est. Quod igitur illi potius fatale momentū quàm quo esse primū incipit quod est, & seorsum à causa à qua fiebat, sua cōstare potest natura & firmitate? non igitur de hora qua fieri, sed qua esse incipiunt res fata rerū rationabiliter auspicabimur. Rursus si aliæ alio tempore partes absoluētur, cur non quæq; decretum suæ fortunæ de suo tēpore adipiscetur? maxime cum experientia comprobetur, aliter uarijs eiusdem rei partibus euenire. Nam & in corpore eiusdem hominis alia interdum membra recte se habebunt, alia male: & aliqua pars eiusdem urbis ruinis & incēdijs erit obnoxia, cum nihil eiusmodi reliquis partibus accidat, cur non igit rationabilius unumquodq; moueri & gubernari à propria cōstellatione, cq; de pręterito quodā principio & fortasis abolito trahere res sequentes fati conditionē. Ethęc quidem in uniuersum de rebus omnibus dicta sint, nunc particulariter eadem in homine examinemus, de cuius fatali primordio (si aliquod est huiusmodi) multa & inextricabilis necessario ambiguitas nascit. Quid enim potius statuemus cum tam multa eius principia, eaq; omnia digna principatu conspiciantur? an quòd inter omnia primum tempore est punctum illud fatale temporis arbitramur quo uir fœminæ primum cōgreditur? an non illud quidem, sed cum semen de mare accrescit in uterū? an potius hęc quidem quasi præludia, & necessario antecedentia. Primum uerò humanæ formationis initium statuemus, cum adorit uis ipsa seminalis purissimam partem excrementi muliebris eamq; cōstituit, hoc est, cogit in fœtū, quemadmodum à coagulo lac unitur & condensatur, an neq; hominis adhuc initiū, sed cū in conceptu partes corporis omnes potestate insunt? an cum membranulis iam siue secundis circūobducitur? an hominē exordiri natura incipit quando cor primum actu secernitur, cuius uirtute quod gignitur iam quasi filius à patre emācipatus à seipso incipit gubernari, ut naturæ interpres Aristot. docuit. Huic enim principio uis magna authoritasq; debetur, cum & cor primum sit quod formatur, & in cæteris partibus distinguendis, cum motus omnium, tum incrementum à corde distribuitur, ut

tur, ut (si nobis est cum astrologis fabulãdum) quemadmodum cordi insita uirtus, totum deinde reliquis coagentibus explicat hominem, ita hausta prima in corde Solaris uirtus, totam deinde explicet fati potestatẽ. An potius hinc quidem cordis & uitæ fatum principale, sed membri cuiuslibet dispositio ex hora potissimum qua disponitur, priuati subit suiq; fati conditionem. Considerantibus enim rectèq; omnia pensitantib. illud valde apparet rationabile, ut si, gratia uerbi, luminaria ut dicunt oculis præsunt, ex luminariũ dispositione cum oculi disponuntur eorum potius habitus mixtioq; dependeat, quàm uel ex ea quæ pridem cum semẽ impleuit uterum antecesserit, uel post secutura est cum pridem oculis absolutis, extra uterum matris infans est proditurus, id quod de reliquis membris pari ratione dictum intelligatur. Quod si posthabitis omnibus his quę diximus, aliud authoritate efficaciaq; præstantius initiũ inuestigetur, quod nam rationabilius proferemus quàm quo anima fœtui participatur, quoniã tũc esse incipit homo, & substantiæ integram rationem consecutus, tunc ex materia sua formaq; consistit Et si fatum ex hora proficiscitur, qua res primitus est, nulla utiq; potius fatalis hora hominis existimabitur. A qua si tamen opinione recedendum est, illud magnam habebit probabilitatem, ut quę corporis sunt ad seminale principium referãtur, quæ animæ ad ipsam animationem, quæ sunt externa atq; fortunæ ad id forte momentum, quo hunc captum, in quo ludit fortuna, claustra uteri egressus homo primum ingrediẽ. Deniq; ex hac tam uaria atq; nodosa de humano principio ambiguitate extricabunt ipsi se, forte, qui sunt diuini, philosophia quæ tantũ rationibus nitiẽ, explicare se recte nullo modo potest, quę si est tamen aliquid affirmatura, nihil minus affirmabit quàm quòd astrologi decreuerũt, uti ex hora natiuitatis nascentis hominis fata dependeãt, in quã opinionẽ nec ratione astrologi sunt adducti. Sed quia hoc principiũ assequi magis posse uidebanẽ, ideò primas illi partes cõcesserunt. Quare & post genituram dare aliquid solent cõceptioni, quoniam sperent de ea nonnihil interdum etiam posse cognosci. Reliqua quæ sunt potissima certe principia, præsertim cũ animatur fœtus ex asse reiecerunt, quare scilicet, illis ex asse, hoc est, penitus sunt ignota, nec si inde pendere hominum fata concesserint, poterunt sibi diuinandi de fato aliquid arrogare. Verũ ut reliqua prætermittamus, genituram conceptui & fœtus animationi qua ratione præponanẽ, quandoquidem si primas in fato cõstituendo partes initio illi demus, quod maxime tempore primum est, nõ est prius principium principio seminali ex quo omnia alia qroficiscuntur, si non tam primum tempore quàm efficacia dignitateq; præponitur, tempus animandi fœtus omnibus erit præponendum, genitura & posterior omnibus & efficaciæ aut nihil, aut parũ habet, quæ nec hominem inchoat, nec facit, nec absoluit, sed inchoatũ & iam absolutum ipsa solum ostendit.

Ptole-

PTOLEMAEVM PLVS CONCEPTVI QVAM GENITURÆ TRIBUISSE, CUI NEQ; ALIQUID TRIBUENDUM ESSE PTOLEMÆI RATIO CONUINCIT. CAP. III.

QVod si uerba ipsius Ptolemæi grauiter pensitentur, uidebimus eum ui rationis adductum, plus dare conceptui, quàm genituræ, quanquam ut faueat professioni, de efficacia genituræ multa astruere sit conatus, uerba ipsius in tertio Apotelesmatum sunt huiusmodi: Cum principium temporale hominis aliquod statuatur natura quidem illud erit principium cum semẽ utero genitali admittitur, potentia autem & secundum accidens cum hora partus infans egreditur, qui igitur horam admissi seminis casu uel obseruatione deprehenderint, illam sequi potius eos decet in proprietatibus corporis animæq; dignoscendis, efficientibus eo tempore stellarum configurationibus considerantis. Cum enim semel à principio semen exambientis aëris affectione certa qualitate disponitur, licet per consequentis conformationis tempora uarietur, quoniam tam propriam cognatamq; tantum materiam naturaliter sibi asciscit, cum actum fuerit, magis etiam primæ suæ qualitatis dispositioni assimilabitur Hæc ibi Ptolemæus ad uerbum. Vbi mihi uidet quàm expressissime & asseuerate, nulla interiecta dubitationis particula, pronunciare primum & naturale & efficacissimum hominis principium esse seminis admissionem, atque huic potissime inhærendum, cum agnoscitur, in prænoscendis hominum uicissitudinibus, tam quæ ad corporis, quàm quæ ad animam attinent. Quod ubi etiã asseruit, tunc quæ uidebantur obsti ci posse de seminis permutatione accurate anxieq; dissoluit. Verum quoniam sciebat artem periclitari si aliunde pronunciari de hominis fato pernegaret, adiecit his quæ diximus in hũc modum: Qui autem horam ignorant principij seminalis, quæ plerunq; ignoratur, illos necessarium esse sequi principium natiuitatis. Pensemus autem hæc & priusquam alia subiungamus, in quibus solum utendum ait hora genituræ cum hora conceptus ignoratur, & de hora quidem cõceptus dixit, quòd adhærere illi conuenit. ita enim Græcè scribitur προσήκει, de hora natiuitatis non conuenire dixit, sed ἀναγκαῖον, hoc est, necessarium esse, quasi nescientibus horam hominis concepti, & tamen uolentibus de eius fato diuinare ad natiuitatem necessario est confugiendum, ut luce clarius appareat nõ uolentem sed cõactum necessitate in hanc sententiam descendere Ptolemæum ut hora genituræ quasi secunda (ut dicitur) post naufragium tabula utatur, & hactenus quidem pro ratione locutus, mox ne deserat professionem conatur quantum potest hoc quoq; de genitura principium ualidum demõstrare, quare de eo ita subdit: Et hoc etiam est maximum principium, atque hoc solo à primo deficiens quòd ex conceptu ea etiã possunt præcognosci quę ante partum eueniunt. Porrò si quis hoc quidem principium dicat, illud autem

tem κατ' ἀρχην, id est post principium, erit quidem illud ab hoc tempore secundum, sed fortasse erit potestate perfectius, ferè enim iure hæc humani seminis generatio non negabitur, illud aut hominis, cum multa tunc accipiat infans quæ prius non habebat cum erat in utero, & ea naturæ hominis propria, quamuis item quod hora partus non circumdat nihil uidearetur conferre, ut qui nascitur talis aut talis sit, facit tamen ut subcognatam circumdantis configurationem prodeat in lucem, quoniam natura postquam eum perfecit tantum ad exeũdum impetum dat, cum dispositio est similis figuræ illi quæ à principio fœtum formauit, quia rationabile & harum quoq; rerum significationem habere dispositionem stellarũ hora natiuitatis, non quia sit effectrix illarum, sed quia ex necessitate & secundum naturam similis est illi potestate quæ efficit. Hæc Ptol. à nobis fideliter recitata, in quibus illud primum est uidere omnino esse falsum quod ait interpres Auenrodan dubitanter loqui Ptol. in prioribus uerbis ubi de efficacia cõceptus edisserit, asseuerate in his postremis ubi hora natiuitatis significandi uim habere demonstrat, cum contra potius ibi quidem omnia affirmet, nihil excipiens, nihil dubitans, hic nihil non adiecta dubitationis particula loquatur, nunc ferè, nunc fortasis interponens, & cum denique totam suam disputationem terminaturus non aliam habet rationem qua fati significatricem horam genituræ defendat, quàm ut similem à principio seminali esse suadeat. Tantum abest ut authoritatem decernendi qualis sit futurus qui nascitur neget esse in conceptu, ut non plus super hac re concedat genituræ, quàm ut conceptui similis & consentiens inueniatur. nam illa quidem opinio apud astrologos inuulgata, credita etiã ab interprete Ptolemæi, ut significet solum hora cõceptus quæ in utero matris fœtui accidunt, de falsa intelligentia dictorum Ptol. nata, facile intelligitur, qui non ea solum significari per conceptum dixit, sed etiam illa quæ genitura non possit: Præstat, inquit, hoc Ptolem. cõceptus genituræ, quòd per illum etiam ea quæ sunt ante partum possunt præuideri. Quod si illa tantum, nunquam erat etiam apponendum, nec propterea præstare primum principium, secundo existimandum, cum longe sit maius spacium totius uitæ quàm rudis adhuc naturæ informisq; fœtus rudimenta gubernare. Quapropter si Ptolem. in illis dubitanter hæsitanterq; prolatis uerbis confidat, ut sit principij secundi uirtus fortasse primo efficacior, & hoc ferè seminis humani illud hominis potius sit principium, non solum à ratione sed à seipso plane dissentit. A seipso, quoniam, ut dicebam, non potuit in principio nascendi authoritatem fati defendere, nisi excogitata cum principio seminali, natiuitatis affinitate, & cum postea de sexu alijsq; nascentis conditionibus præuidendis præcepta tradit, ea ex conceptu magis quàm ex natiuitate ait præcognosci. A ratione, cũ propter multa quæ supra dixi mus, tum quare ualde extra rationem est, ut conceptum principium semi-

nis natiuitatem hominis dicamus, quãdoquidem cum semen uterum impleuit, non fieri ipsum, sed incipit aboleri, cum homini fabricando natura manus admolitur, quare illud sicuti hominis generandi, ita corrumpendi seminis est principium. Quòd si principium hominis uoces natiuitatem, quare multa tunc primum habet quæ in utero non habebat, at nõ illa pertinent ad substantiam, quæ iam facta & absoluta est, sed ad gestiones operum tantummodo nonnullorum quæ nec hominis propria, à quibus si fatum hominis auspicemur, multo post ortũ tempore fatum orietur, ut cum scilicet fati non iam infans incipiet, cũ cogitare, deliberare, ratiocinari, nam statim quidem natus nihil habet hominis proprium præter eiulatum, non igitur his tam scilicet si falsis & friuolis, astrologorũ prudentissimus Ptolem. insisteret, quanquam ea ne omnino desertor professionis præuaricatorq́ putaretur protulerit dubitanter. Neq́ uerò hæc solum quibus conceptui genitura præponitur, sed quæ aliquam uim in fato decernendo astruunt genituræ, minus habere possunt firmitatis. Summa enim totius uirtutis ad cõsensum refert, qui sit inter natiuitatem atq́ conceptũ. At qui nam iste consensus? quæ similitudo? Respondet Haly Solem hora genituræ in signo semper inueniri, quod aut septimum aut nonum aut decimum sit ab eo in quo fuit hora cõceptus. Hæccine igitur illa similitudo? O ridiculam uanitatem, quasi aliquod tempus alicui tempori hac ratione non consentiat, quare scilicet Sol quocũq́ tempore à signo in quo alias fuit, aliquo semper signorum numero necessario distat. An probabilius quod affertur de Luna? cuius locus cum nascimur horoscopus sit conceptionis, & qui tunc Lunæ locus horoscopus sit, deinde natiuitatis, atq́ hoc falsum confictũq́ ab astrologis postea demonstrabitur. & Haly Auenrodan in tractatu præsentis quæstionis exponẽs Ptolemæus. Vt uerum interdum, ita falsum interdum, ait se deprehensum. Verum age sit uerum nulla potius uia, fictus ille consensus, utriusq́ horæ euidentiusq́ coarguetur, quoniã si ex regula illa astrologorũ conceptus horã inuestigaueris, & thema ad id tempus tibi constitueris, inuenies cœli stellarũq́ dispositionem ab ea semper esse diuersam, aliarumq́ rerum omnino significatricẽ, quæ hora natiuitatis supputantibus apparebit, sed quid plura in nugis confutandis uerba prodigimus. Haly insignis astrologus in Lib. quem scripsit de electionibus aperte confitetur efficaciam fati discernendi esse in hora conceptus, sed quoniã hæc ignoretur, id circo ad horam natiuitatis astrologos confugisse. Et ipsi cum urgentur de ortu Geminorum quorum dispar sit fortuna, solent dicere interdum diuersitatem conceptuum illorum fortunam uariare, cum tamen si hora conceptus ea solum disponit quæ accidunt intra uterum, illud potius sequitur, ut possit eorum quorum conceptus dispar compar quidem esse fortuna, sed natiuitas nullomodo esse possit.

VNI-

VNIVERSALIA FATA QVIBVS VIIS ASTROLOGI VEstigent & quàm parum rationabilibus. Cap. IIII.

DIximus de initio fati particularis quàm sit incertum, & q̄ falsa ratione ab astrologis constitutū, restat dicere de uniuersali, unde scilicet fata urbium, gentiū, regnorū, & in uniuersum mundi pronūcientur, q̄ hoc quoq; (si aliquod esse concedat̄) in ambiguo tamen & incerto sit, & à nostris astrologis perperam definitum. Solent autem ad uniuersales prædicendas mutationes triplici ferè uia procedere, aut ex magnis siderum superiorum uel luminarium eclipticis cōiunctionibus, aut ex cœli dispositione, cū primas Arietis minutias Sol ingreditur, quod quasi principium anni statuerunt, aut ex principijs urbium, regnorū, gentiūq; peculiaribus, hoc est ex hora qua urbs ædificata, uel regnum institutū, uel lex genti data qua uiuit, quaq; gubernat̄, quæ omnia q̄ sint friuola magna ex parte supra est ostensum, nō solum ubi tota depulsa est siderū efficientia, sed etiā cum totam prædicendi ex magnis coniunctionibus rationē infirmauimus, & siue ab illis, siue à defectibus luminarium, longo postq̄ acciderunt tempore expectare aliquid uanū declarauimus, tum impietatem insaniāq; deteximus astrologorū, & legem cœli fato, & fato suæ legis gentes subijcientium, necnon q̄ sit uanū, uel urbis ædificatæ uel accepti regni, quasi rei naturalis diem natalem decernere. Nūc & si omnium rerum fatum aliquid esse concedamus, sumus ostensuri de fatali principio harum rerū nihil certum aut posse definiri, aut hactenus esse ab astrologis definitum. Primum quidem in auspicando urbis fato à iactu lapidis quàm ratione mouentur? quàdoquidem iam ciuitatis potius q̄ urbis fata perscrutant̄, illud momentū potius obseruandū quo urbs ædificata cœpta est habitari, & suis legibus regi & cōtineri. De regis item fortuna magna inter eos discordia, cū alij putent ex hora illam pendere qua rex instituitur siue decernitur. Alij cathedram potius siue coronationē putāt inspiciendā, sed hæc quasi minutiora prætermittamus, cum etiam Haly fata gentium urbiū & regnorum nō tā ab his ipsis quæ dicebamus q̄ à principijs magnarum uniuersaliumq; constellationū credat dependere, de quibus cum illis collato pede mox disputabimus.

ASTROLOGVM NON POSSE PRAEDICERE QVANAM orbis regione fatum aliquod euenturum sit, quoniam incertū apud ipsos quæ cui signo uel Planetæ regio subiaceat. Cap. V.

SI magnæ quas uocant coniunctiones, si defectus Solis & Lunæ quantas astrologi fabulantur scient mutationes, illud nūc contendo, uerè tamen de illis ab astrologis nihil posse prędici, neq; tamē illis cōiecturis quæ obijci possūt, horoscopū magnę cōiunctionis incertū, an sit proprius, aut ipsius anni quo uertēte illa conti gerit, arbitrarieq; illos in defectu luminariū principium mediumq; obser-

uare, temporibus reliquis inobseruatis, tum etiam solius principij habita ratione, condonentur illis hæc omnia, nec super his litem ullam faciamus, alibi premere eos possumus efficacius, unde omnimoda huiusmodi prædictionum incertitudo demonstretur. Sunt enim earum quatuor capita, primum ut prædicatur quid sit futurum, secundum quo in genere rerum, tertium quonam tempore, quartum apud quas gentes & in quibus locis ac regionibus. Quod si nulla ferè rerum mutatio est, nullus casus, uel prosper, uel aduersus, qui non aliqua mundi parte apud aliquos populos accidat, quocunq; tempore ueniat, erit omnis huiusmodi uana futilisq; prædictio, nisi postremum hoc habeant exploratum, quonam scilicet loco, quaque parte terrarum admirabiles illæ mutationes euenturæ sint. De hoc autem ita definiunt, ut in regionibus illis expectetur quæ sint signo subiecto, apud quod talis uel coniunctio siderum uel luminariũ defectus cõtigerit, nec solum quæ signo penitus eodem, sed uel eodem uel signo saltem eiusdem triplicitatis. Hæc est omnium astrologorum super hac re indubitata sententia. Vnde illud colligitur, nihil posse de fato alicuius regionis uerè prædiuinari, nisi prius constiterit, cuinã signo, cui planetæ regio illa subijciatur. Sicut nec de hominis potest fato prænunciari si tẽpus genituræ fuerit ignotum. Quod si de subsignis planetisq; diuersis terrarũ distributione omnia apud astrologos sint incerta, patet euidentissime prædictiones eorũ de huiusmodi rebus necessario forè quàm incertissimas. Illud uerò, qui Ptolem. & Albumasaris libros legerit accurate, facile intelliget, cum nullum sit dogma in quo sibi minus astrologia consentiat. Ptolemęus in lib. Apotelesmatum igneam triplicitatem præesse dicit septentrioni, terream meridiei, aëream orienti, aqueam occidenti. Quod secutus est Iulius Firmicus opinionum ueterum æmulator. Idem uerò Ptolem. secundo lib. eiusdem operis, uel aliter explicare, uel immutare nonnihil eam uidetur partitionem, igneam triangularitatẽ non tam septentrioni quàm his terris præficiens, quę sitæ sunt inter septentrionem & occidentem, terream his quæ inter orientem & meridiem, his uerò quæ inter ortum & septentrionem aëream, aqueam inter occasum collocat & meridiem. A quibus omnibus ea tantum distant quæ Albumasar scribit quantũ distat oriens ab occidente, is enim sexto lib. Magni introductorij igneam triplicitatem nõ septentrioni, ut Ptolem. sed orienti uoluit dominari, ipsi quidem septẽtrioni, cui scilicet igneam præficit Ptolem. ipse aqueam dominari cõtendit, & quam orienti Ptolem. aëream ipse contra præficit occidenti. Idem tenet Paulus Alexandrinus in institutionibus artis Apotelesmaticæ. Sed ipse idem Albumasar sui oblitus lib. primo de Magnis coniunctionibus tam diuersa ab his scribit, quæ scripserat in introductorio, quàm illa erãt diuersa à dogmate Ptolem. Nam ibidem non igneam ut Græci cũ Ptol. atq; Materno, non aqueam ut ipse alibi, Arabesq; permulti, sed aëream præficit triplici-

tatem

tatem, & quam ibi septẽtrioni aqueam dederat, tum oppositæ ascribit regioni, hoc est meridianæ, occidenti autem nec aqueam ut Ptol. nec ut ipse alias aëream sed terream ait dominari, quibus sententijs quidnã potest esse pugnantius? quarum se arbitrum quisnam faciet? cum nec ratio hic possit, nec experientia monstrare ueritatem. Henricus Macliensis postremã hãc Album. opinionem ait esse uerissimam & experimentis q̃ plurimis comprobatam. Contra Alchab. & Zaël Israëlita, & Abraam Auenazra, & Saphar in isagogicis, & Messahala, illam probant quam scripsit in introductorio Haly. Auenroadan utraq; reiecta Ptolem. sententiam omnib. anteponit. Mitto q̃ ipsi super his ueteres inter se dissentirẽt, Aegyptij ab Hipparco, ab Hipparco Ptol. id aliquib. exẽplis declarabo. Arieti enim Aegyptij antiquã Babylonem, & Arabiam Aegypto cõterminam. Ptol. Britanniam, Gallatiam, Germaniam, Hastarniam & Palæstinam subiecit. Hipparchus & antiquissimi astrologorũ exactiore quidem ratione, alijs enim signi partibus alias regiones subiecerunt, atq; ita sinistro quidem Arietis humero Babyloniam, dextro Thraciã τῷ στήθει Armenianæ τῆ πλεύραις Arabiam Aegypto confinem τῷ δεράχει καινότῳ Persidam, & Cappadociam, & Messopotamiam, & Syriam & Rubrum mare, atque ita in cæteris signis est discordia: Aegyptij, Hipparchus, Ptolemæusq; discordant nõ minus, quàm à Ptolemæo etiam Album. & à seipso. Vnde luce clarius constat nihil posse ab astrologis certi pronunciari, ubinam gentium atq; terrarum casus aliquis sit uenturus, cum de ipsa subsignis gentium terrarumq; diuisione nihil habeant certum uel exploratum.

NON POSSE INITIVM VNVM CONSTITVI DE QVO totius anni pendeant fata, tum uaria à uarijs anni statui principia, & iuxta Hebręos annum potius autumno quàm uere inchoare. Cap. VI.

REliquum ut de initio anni dicamus, quod non posse unũ constitui ex quo totius anni status prædicatur, tamen expresse firmat Ptolem. ut nullius potius quàm ipsius uerbis hoc sim comprobaturus. Is igitur lib. Apotelesmatum secũdo ita scribit: In circulo nullus cogitare principium simpliciter poterit, in Zodiaco autẽ ea utiq; quis principia iure constituet, quæ æquinoctijs atq; solstitijs determinantur, quæ sunt quatuor, duo scilicet æquinoctialia & duo solstitialia. Verum hic locus hæsitationi an aliquid horum quatuor sit præponendum. nam si ipsam quidem simpliciter circularem naturam spectes, nullum eorum singularis principij priuilegium obtinebit. Vtũtur autem qui de his scripserunt, aliquid supponentes, diuersimode, uno quoque illorum quatuor quasi principio moti, ab aliquibus eorum propria ratione naturaliq; consensu, habet enim unaquæq; illarum partium aliquid peculiare & excellens, unde sibi principij & noui anni authoritatem uideantur uendica-

re, ut uernum æquinoctium quod tũc primum dies nocte incipit longior fieri, & quia tempus id anni abundat humiditate, quæ qualitas & natura (ut superius diximus) in omni principio generendarum rerũ plurima est. Æstiualis solstitij prærogatiua hæc est, quòd tũc maxime dies in suo quasi fastigio cõsummationeq; producitur, tum uero apud Aegyptios & inundat Nilus & Canicula exorit. In autumnali æquinoctio fructus omnes colliguntˉ & terræ semina iaciũtur. In brumali solstitio post decremẽtum incipit dies tunc primum augeri. Quod autem mihi conuenientius & naturæ cõsonum magis uidetur, hoc est, ut in obseruatione rerum anni quatuor illis principijs utamur, obseruantes quæ ante illa proxime fiunt Solis & Lunæ, uel coitus, uel opponẽs, & præsertim eclipticas, ita ut ex principio quod sumitur ab Ariete uer quale futurum sit præuideamus, ab eo uerò quod à Cancro ęstatem, à Libra autumnum, hyemem à Capricorno. Hæc ibi Ptol. ad uerbum. E quibus apparet & creditum ab eo & cõprobatum nullum uerum initium posse constitui. Ex quo totius anni fatum præuideatur, ut non possim satis mirari & Auenrodan eius interpretem, & iuniores astrologos identidem prędicantes plus tribuere Ptolemæum in anno exordiendo ueris æquinoctio, quàm uel autũni principio uel solstitij. Nam quemadmodum uernum æquinoctium quid non habere dicit, unde principij priuilegium mereatur, facit idem nihil secus in reliquis, & postquàm omnibus initialem esse authoritatem ostendit, tũ non aliud quidem alio plus habere momenti, sed æquè omnia obseruanda esse decernit, hoc & magis conueniens & naturalibus consonum asseuerans, quàm ut unum ex illis reliquis superhabitis obseruetur, quandoquidem unumquodq; suam habet rationem cur principium aliquod anni iure existimetur, quo factum est ut diuersæ etiam gentes aliæ, ab alio ex his initijs annum exordirentur. Aegyptij ab æquinoctiali solstitio, Romani ab hiemali, alij ab autumnali, hoc est, ab ingressu Solis in Libram, eam etiã horam obseruantes quæ uigesimam Scorpij partem peragrabat, plurimum in ea efficaciæ momentiq; putantes ad statum & mutationes aëris prędicẽdas, quod Saphar & Aoniar sunt secuti. Nonnulli item ex sententia Aegyptiorum uolunt illa quatuor principia consideranda, sed non ita ut omnia in omnibus obseruentur, unde cum Sol quidem Arietem ingreditur ipsius Solis statum considerant, cum uero Cancrum Iouis, cum Libram Saturni, cum Capricornum Martis, quòd hæc omnia sidera in eis signis regnare existimentur. Albu. aliud sibi somnium est cõmentus, ut si quum Arietis primas minutias Sol inuadit horoscopus inuenitur, signum fixum, ex eius horę cœlesti dispositione de toto anno quidem recte pronuncietur, si commune sit signum duo principia anni statuantˉ, si mobile quatuor, quæ prorsus uana & arbitraria sicuti nec ratione, ita nec ueterum uel authoritate uel experimentis fulciũtur. Quòd si quis forte ex mundi creatione opinionem

nionem astrologorum uelit confirmare, ut propterea ex ingressu Solis in Arietem futura fortuna cognoscatur, quoniam per id tempus mundum Deus creauerit, ut non sint aliud annorum conuersiones quàm reuolutiones mundanæ genituræ, is uerò facillime statimq; reuincetur, quandoquidem si mundi sequamur genituram tam erit incertũ quod sit anni principium statuendum, quàm etiam est incertum quonam tẽpore anni mundus fuerit institutus. Neque enim apud Hebræos, à quibus mũdi creationem accepimus quicquam super hac re certum & definitum est, sed alij uere, alij autumno exortum contendunt, & si altera opinio est prę ferenda, eò potius declinant ut in autumno conditum credant. Nam quod scriptum est eodem mensium in quo phase celebrabatur primum mensem in anni mensibus futurum, id ratione solennitatum celebrandarum dictũ uolunt, quare si illa maxima prima & præcipue esset solennitas, à qua eorum existum de Aegypto, quod primum Dei in populum beneficium, cætera sint secuta. In reliquis aũt rebus omnib. à Septembri initium faciebant, quod multis tum sacrarum literarum locutionibus, tum antiquis cõsuetudinibus Iudæorum uidetur comprobari. Scriptum enim in Exodo est, scenophegia, hoc est, in festa tabernaculorum celebrari in exitu anni, ea uero medio Septembri celebrabantur. Et in libro Nehemiæ scribitur & factum est in mense Casleu, is est apud Chaldæos qui apud nos December, anno 20. tum scilicet factũ est in mense Nisan, hoc est, Aprilis anno 20. qui si mensis Nisan, id est Aprilis, caput anni esset, non uigesimo anno, sed primo ac uigesimo erat scribendum. Præterea cum lege caueretur ne septimo anno, qui scilicet erat sabbatum annorum, aut meterent agros, aut seminarent. Si caput anni erat Aprilis, sequebatur, ut quod per Octobrem sexti anni seminauerant, id æstate sequenti metere non liceret, quare hæc scilicet æstas ad septimum annum pertinebat, si eius exordia à uere sumebantur, quod si erat, credita sexto anno terræ semina deperibãt, quod incommodum non sequebatur à Septembri annum instituentes. Mitto quæ Lersiensis in cõputo scripsit, & Beda in libro Temporum, & Iosephus in primo antiquitatũ, & Hieronymus in epistola de Solennitatibus, qui Ezechiẽlem etiam exponens Octobrem dicit primũ esse mensem, Ianuarium uero quartum, è quibus omnibus liquet siue ex mundi creatione aliquid coniectemus, siue astrologorum ueterum rationem authoritatemq; sequamur, omnino astrologos aberrare, qui ex ingressu Solis in Arietem de totius anni fato pronunciari posse contendunt.

DE DIRECTIONIBVS ALIISQVE MODIS, QVIBVS tempora futurorum definiunt quàm parum constent, quàmue in his astrologi inter se discrepent. Cap. VII.

Sicut errant in fatis anni auspicandis (si qua fati concedatur auspicatio) ita in tempore definiẽdo quo illud sit euenturũ quod initialis hora promisit. Vtuntur enim hac quoq; in re friuolis, falsis, uanis, suppositionibus, & methodo naturali nihil conuenientibus, inter quas illa prima & potissima est de Planetarum partiũq; Zodiaci directionibus (sic enim libet eas uocare) quo magis ab his quibus cum disputamur intelligamur. Illæ igitur quàm falsis nitantur ridiculisq; fundamentis breuiter aperiemus, declarata prius ex proposito astrologorum opinione. Esto igitur genituræ alicuius horoscopus Leonis p. quintadecima. Satur. in Virginis p. sexta collocetur, patet Saturnum horoscopo, nec aspectu nec alia re copulari, quare non debet illi nocere, uerũtamen opinantur peruenturum aliquando ex directione horoscopum ad Saturnum, & quo anno illuc perueniet, ex Saturno morbi periculum nato imminere, peruenire aũt aiunt hac ratione, quoniam singulis annis singulæ nobis signorum partes attribuuntur, pro anaphorarum tamẽ proportione, sed hoc nihil ad rem de qua nunc agitur. Dicũt ergo primo anno uitæ ipsum deberi gradum in quo est horoscopus, quare si in eo gradu Planeta bonus, aut corpore, aut radijs fuerit, eo anno sua bona largiri, contra si malus mala, secundo anno secundum à primo gradu respondere, tertio tertium, & sic deinceps. Quare si Saturnus (exempli gratia) primam & uigesimam partem ab horoscopo occupauerit, cum primo & uigesimo ætatis anno pars illa respondeat, fore ut annus ille Saturni radijs infestetur. Cum uolunt igitur quonam anno bonum malumúe aliquid euenturum sit nato præuidere, dimetiunt gradus inter loca principalia genituræ, & corpus aut radios boni maliúe sideris interceptos, & pro numero graduum de annorum numero præscribunt, post quem euentus ille debeat expectari, hæc est eorum positio in directionibus, ex quibus & uitæ spacium Ptolemæus & casus omnes uicesq; fortunæ astrologorum turba pronunciat. Quibus quid potest leuius? quid magis irrationabiliter cogitari? nam illa primum ad annos graduum distributio, potest nè magis ex libidine fingi nullo fundo scientiæ rationisúe concepta, maxime cum interdum annos, interdum dies (ut scilicet eis subuenit) à gradibus istis dicant indicari. Et haberet hoc forsan aliquam probabilitatem, si partitio ipsa graduum esset à natura, illa uero ex arbitrio tota pendet, mathematicorum signa in triginta potius quàm in uiginti partes non ob aliud diuidentium, quàm quòd numerus ille diuisionibus arithmeticis est accommodatior, ut testimonio ipso astrologorum proximo libro nobis demonstrabitur. Sed quomodo mihi nocere poterit Saturnus in sexta Virginis parte (sicut erat

erat acceptum) cum nascebar inuentus, etiam si illis demus primo & uigesimo ætatis anno eius influxum ad me pertinere, nam quando ad me pertinebit Saturnus, illic non erit, & quando ibi erit Saturnus, pars illa ad me non pertinebit. Qui si forte quemadmodū à pestilentia infectæ uestes uenenum ad aliquod tempus non amittunt, ita partibus cœli etiam euenire dicant, ut receptam à malo sidere contagionem diu retineant, propterea q̄ gradus ille iam tum cum nascebar infectus à Saturno, post multos etiā annos uim noxiam illam in me refundat, Per belle positionē subtiliter q̄ defendent, & siquidem cum philosophis esset sermo, iuberem meminisse luminis affectionem subiecto non hærere, sed abire cum corpore à quo diffundatur. Cœlestium autem omnium impressionum (ut in metheoris ait Auicenna) & uehiculum lumen est, & fomentum. Sed ipsi mihi respondeant cum ad eundem gradum tot annis intermedijs aliorum accursus fit Planetarum, an superuentu luminum salutarium inolitum illud uirus putent aboleri posse uel imminui. Præterea si perdurant in cœli regionibus à Planetis acceptæ susceptæ q̄ qualitates, nec ad exiguum spacium temporis conseruantur, non erit in factis dijudicandis tantummodo obseruandum, quis quo cœli loco uel anno reuoluente, uel hora genituræ, Planeta inueniatur, sed qui eadem loca præcedentibus etiam annis peragrarint. Postremò commentum illud dirigendi aliud non est, quàm subijcere res non solum constellationibus his quæ sunt, sed quæ esse etiā possent. Nam quid aliud est dicere Lunam quæ me nascente hexagonis radijs à Sole fe riebatur, infortunium tamen aliquando inibi parituram ex quadrato Solis aspectu, sub quo illa quidem non fuit cum nascebar, sed fuisset si pluribus cœli partibus interiectis procul à Sole magis constitisset, quas partes per quas scilicet à quadrata radiatione distabat cum peregerit post tot annos ab ea illa ibi calamitas infligetur. At constellatio ista sub ortu meo non fuit, & si postea aliquando est futura, nihil tamen ad me, cui si fatū aliquod est, præterita illud cœli dispositio dedit. Patet igitur quàm absurda, quàm falsa, quàm inconsona sit positio dirigendi, qua qui quotidie utuntur astrologi, quodnam habent fundamentum undē q̄ sit deducta, nondum forte ut opinor in considerationem examen q̄ reuocarunt, utuntur autem præter directiones in euentorum temporibus præuidendis dominatu Planetarum, quos ordine quodam imperium uitæ suscipere confixerunt. Hinc centra Chaldæorum, fridariæ Persarum, Indorum nouenæ, tecates Ptolemæi, aphoriaq̄ occursorq̄ hinc, decennia Ægyptiorū, cranocratores Arabum, & quæ alia hoc genus, alij alia pro libidine somniauerūt, quæ omnia peccant hoc inconcinnum quod de sideribus ita definiunt, ut hic quidem tot annos Planeta nos regat, quo tempore cōsumato, succedenti Planetæ, uel pro sphærarū, uel pro climatis ordine, quasi per manus gubernacula tradit, qui rursus per cōcessum sibi tēpus administrata iurisdictione, cedat

sideri

sideri proximo ius & potestatem, quod quidem ab omni est naturali ra-
tione penitus alienum. Nam quod hoc potius quàm aliud ex eis hoc tem-
pore inferioribus dominetur, non alia potest causa rationabiliter assigna-
ri, quam aut materiæ dispositio huius potius quàm alterius impressioni-
bus oportuna, aut sideris ipsius ad nos efficacior habitudo, ut super terrã
feratur, alijs sub terra collocatis aut uergens ad aquilonem regionibus no
stris fiat proximior, aut rectiores radios in terram iaculetur, & quamuis cũ
astrologis sentiremus de bona malaq; rerũ conditione, pro locorũ, signo-
rum, radiationum diuersitate, eius Planetæ qui plus cæteris in cœlo per id
tempus authoritatis & potestatis obtineat, hoc est, solum quod dici ex na
turali methodo potest, at reliqua ficta & fabulæ sunt, ut Iouẽ dicamus nũc
præesse terrenis, quare annis præcedentibus præfuit Saturnus, quem ex
sphærarum ordine Iupiter sequitur, & Taurum hoc anno dominari, quo-
niam precedenti Aries dominabatur, quasi terrenorum & magistratuum
uices in sideribus inuenirẽtur. Quod si ita dicant experientia com proba-
tum posset esse aliqua fides, si de ista inter se distributione temporum con
uenirent. Sed cum alius Lunæ, alius Marti, alius Ioui, eosdem annos attri-
buat, nónne omnibus pariter experimenti fides abroganda, quam pro sua
quisque opinione in tanta opinionum uarietate prętendat. Aegyptij quos
sequitur Firmicus uitæ administrationem cuilibet sideri dant æqua par
titione annos 10. & menses 9. hoc ordine, ut in diurna genitura primum
decennium Sol accipiat, in nocturna Luna, post quod decennium, qui in
genitura per signorum cursum in secundo loco fuerit inuentus, tertius qui
post secundum fuerit, & simili modo cæteri. Sed quicunq; decennium so-
titus fuerit, licet sit totius temporis dominus, omnibus tamen stellis tota
decennij substantiam diuidat, à se incipiens, & post se illis tradens qui sint
per ordinem positi. Primo autem illi quicunq; in themate secundus fuerit
inuentus. Est autem summa annorum quos Planetæ septem moderantur
ex eorum sententia quinque & septuaginta ternis mensibus adiectis, qui-
bus constitutis ad primum rursus Planetam reditus fit. Persæ eundẽ qui-
dem annorum numerum colligunt, & à Sole similiter si quis natus inter-
diu fuerit, à Luna si noctu exordiantur, facientes etiam ipsi unum quidem
temporum dominũ principalem, sed alios tamen in dominatu uicaria suc-
cessione participes, quam distributionem uocant fridariam, unde illi uul-
gata inter iuniores aliquem esse frigidariæ Iouis participem. Multum ue-
rò discordant ab Ægyptijs, nam in successu Planetarum non loca thema-
tis genituræ, sed sphærarum ordinem obseruant, Solem medium facien-
tes. Præterea non cuiq; Planetæ æquale tempus assignãt, sed Soli quidem
annos decem, Veneri octo, Mercurio tredecim, Lunæ nouẽ, Saturno un-
decim, Ioui duodecim, Marti septẽ, Capiti tres, Caudę duos, quod quam
habere possit rationem ipse quoque Auenazra in libro rerum astrologi-
carum

carum fatetur se nescire. Contra uero in ascendendo participe dominatus æquam cuilibet Planetarum portionem dant Persę, ita ut princeps Planeta septimam sui temporis partem solus gubernet, secundam cum Planeta à se secundo, tertiam cum tertio. Aegyptij uero inæqualem hanc faciũt distributionem, decernentes Soli quidem menses nouem & decem, Saturno triginta, Ioui duodecim, Marti quindecim, Veneri octo, Mercurio uiginti, Lunæ uigintiquinq;, quam rursus subdiuidunt, ut Saturno ex triginta suis mensibus dies sex reliquis Planetis impartiatur, atque idem de suis cæteri mensibus faciant, ut docet Ephestion, & Maternus ignorauit. Sed illud fuit assiduum Persis & Aegyptijs. quòd illi caput & caudam annumerant cronocratoris, Aegyptij non faciunt. Ex quibus omnibus patet post primum decennium, rarò eundem fore annorum gubernatorẽ apud Persas, & apud Aegyptios. Ab utrisq; uero dissentit Ptolem. ætatũ dominos faciens, ut quaternos primos annos Luna gubernet, Mercurius decem sequentes, tamen ordine quidem cõsequenti, Venus quidem octo, Sol nouẽ, Mars quindecim, Iupiter duodecim, reliquũ uitæ Saturnus, qui tamẽ cum exactam peculiarẽq; unicuiq; genituræ temporum distributionem inquirit, Cronocratoris illis quidem principalibus addit annuos, menstruos & diurnos. Sed in illis Ptolem. totius fati cardo uersat, ubi taxat eos qui unũ faciunt uitę cronocratorẽ, Aegyptios innuens, & Dorotheum, atq; illi sententiæ Ptolem. si quis accedat, diuersissima semper in distribuendis temporibus ab Aegyptijs Persisq; definiet, quo magis libeat irridere nostræ ętatis astrologos qui non intelligentes, eodem tecates Ptolem. & cronocratores, quo Persarum fridariæ, Aegyptiorumq; decennia pertinent, uti simul his omnibus uoluerunt, quasi non diuersæ atq; cõtrarię sint super eadem re. Sed de rebus diuersis, opiniones inter se minime congruentes. Indorum astrologia nec fridarias, nec decennia, nec tecates, nec cronocratores nouit, sed unam non in septem, ut illi, sed in nouem membra partitur, de quibus hic ordine pro locorum thematis dispositione pronũciat, ut primam annorum partem regãt constellationes ad duodecimam domũ pertinentes, secundam quæ ad horoscopũ, tertiam quę ad secũdam domum, quartam uero quæ ad nonam, quintam quæ ad decimam, sextam quæ ad undecimam, septimam quæ ad sextam, octauam quæ ad septimam, nonam quæ ad octauam. Nec solum ab alijs in ista temporum dispensatione, sed in ipsa domorum partitione discordant, ad signiferi gradus (quos æquales uocant) illas diuidẽtes. Arabes Andrugazarem imitantes, per trigonocratores quasi dixeris triãgulatores, hoc est, dominos triplicitatum, tres uitæ iudicant partes, ut de rebus ab unoquoq; locorum duodecim significatis, quis sit primæ atque futuris status, ex primo triplicitatis domino iudiceut, quis mediæ ex secundo, quis postremæ de tertio, quòd si trigoni unius duo tantũ Domini sunt ut alio libro dicebamus, aut unius

fora

forte genituræ unus disposítor, quanquam alius in diurna, alius in nocturna, erit magna pars uitæ sine gubernatore. Sed nec ulli sunt isti trigonocratores, & si ter mille esse concedantur, ea in uita regenda uicaria sibi successio, penitus est deridicula. Sed ab his omnibus Chaldæorum inuenta plurimū diuersa qui nec tecatibus, nec decēnijs, nec fridarijs, nec nouenis Indorum, nec trigonocratoris, sed genituræ cardinibus utuntur. Primam uitæ partem ex primo cardine indagantes, mediam ex fastigio summi cœli, postremam ex occidente, tum uero de morte, de his etiam quæ post mortem eueniunt ex quarto thematis loco pronunciabant. Sed etiam trimembrem illam priorem diuisionem ita iterum partiebantur, ut apoclima quidem horoscopi (quasi decliuium dixeris) & partus dolores indicarent, & quæ accidunt matri dum uterum gerit, ipse horoscopus ipsam natiuitatē, & primos statim annos ab illa horoscopi epanophora, quod est reliquum postremum primæ ætatis. Rursus medij cœli apoclima primas partes mediæ uitæ, medias ipsum medium cœlum, postremas eius epanophora, similiter faciebant & in quarta item domo, ut declinans domus ab ea antecedentia proxime mortem, ipsa quarta domus mortē, epanaphora quæ post mortem possunt euenire significaret, quas opiniones explicandas mihi proposui, simul ut opinionum pugnantia cognosceretur, propterea q̄ nec ulla fides esset experimenti, simul uanitas dogmatum arbitraria leuissimis innixa coniecturis deprenderetur. Nam qui dabimus primam uitæ partem orienti, mediam summo cœlo, quandoquidem ætas media primæ succedit, medium cœli orientem non sequitur, sed præcedit. Sed in opinionibus istis confutandis laborandum non est quæ ipsę seipsas inter se confutant & elidunt. Quod si pergam narrare omnium somnia uix usquam ulli fines. Messahala à Sole orientali primam uitæ medietatem gubernat, ab occidentali secundam. Hemus aliter, illā quidem Planetis dat in hemisphærio superiori collocatis, siue illis orientalibus siue occidentalibus, hanc omnibus his qui sub terra. Vellius alio figmento Lunæ ascribit primam partem, alteram domino secūdæ domus. Albumasar fabulosissimus illam ad partem fortunæ, hanc ad dominum partis ait referēdam. Alij & aliter, sed non oportet omnia prosequi, lege Ephestionem in libro Apotelesmatum Ptolemæi. Lege Abenragelem, & prę̄ter quas narrauimus, multas alias ibi comperies pugnantes inter se super hac re opiniones, quare scilicet pro libidine suam sibi quisq̄ fabulam componit. Quibus demum nimis credulj, quasi oraculis & prophetarum responsis, fidem mancipantes, circulatoribus nugacissimis & fallacissimis, spes, metus, anxietates, lætitias, & quod est pernicioſius uitæ totius institutionem & gubernacula credimus.

SICVT

SICVTI ASCISCVNT INEFFICACIA, ITA OMITTE re necessaria, & quantum errent de stellis fixis. Cap. VIII.

Sicut autem asciscunt commẽtitia multa, qualia commemoraui mus, quorũ sicuti natura nulla, ita nullus influxus, signa scilicet domus, imagines, caudam & caput, partes, dodecathemoria, nouenaria, aliaq; hoc genus, ita multa prætermittunt in primis necessaria, & multa super his quibus utuntur falsa pugnantiaq; decernunt. Sicut enim quæ lumine carent inefficacia, ita nullum in cœlo lumen inefficax. Ipsi uerò cum stellæ penè innumerabiles in octaua sphæra refulgeant, mille tantum utuntur adiectis duabus atq; uiginti. Quod cũ eis objicitur, alij aliter soluunt. Petrus Aponensis in elucidario, hoc inquit difficultatem artis ostendit, non impossibilem tamen eã esse demõstrat. Quod respondens id quidem uidetur concedere cognitu illas esse necessarias, si fatalis perfecte constellatio comprehendenda est, & quoniam hoc sit difficile, ideò quę profitetur, id artẽ esse difficilem, sed nos illud contendimus, & fieri non posse ut omnes deprehendantur, & si fieri hoc potest, astrologos tamen qui nondum hoc effecerunt, ex cœlo futura uerè nõ prędicturos. Alij tutiore quodam perfugio se condentes, inefficaces aiunt illas quas omittunt, maiores enim omnes quæq; decernendi fati habent potestatem, astrologis exploratas, reliquas prætermissas, in quibus ob corporum exiguitatem nihil ferè momenti. Sed ex his latebris facile eruuntur, nã si stellas has nunquam obseruauerũt, de earum natura quid possunt asseuerare, faciant, nõ faciãt, immutẽt nõ immutẽt? & si de corporis paruitate persuasos se respondeãt, quodnam corpus in cœlo terræ comparatum exiguum reputabitur? uel ut rectius dixerim comparatũ illis quæ in terra collocata de cœlo putant gubernari, quod item inefficax & imbecille. Si cœlestium corporum & terrenorum naturam inuicem conferas, in quarum altera nihil non sublime, potens, & magnum, in altera nihil nõ humile, infirmum, & minutum. Adde quòd multæ forsitan ex his stellis quas ob paruitatem, aiunt, esse posthabitas, & Mercurij & Lunæ globo non uincuntur. Nam minime ex his quas obseruant Marte maiores Venereq; putantur. Præterea si forsan singulæ stellæ minutiores non magnas habeant uires, multarum tamen id genus cœtus atq; cõcursus habebit plurimum potestatis, ut si quæ lacteum orbem illum tot luminibus densum efficiunt, singulæ parum possint simul omnes, quo pacto parum posse putabuntur. Cæterum sæpe in musica, melodia si uocula parua subtrahatur, soluitur concentus, dum quæ per se parum exaudiretnr, facit ut reliquæ modulatius omnes exaudiantur, cœlorum ornatus totus inuicem nexus atq; consentiens, nihil habet quod cesset, quod superuacuum, quod inutile sit, quare quãcunq; uel minimam partem adempseris, perijt statim quòd tota integritas faciebat. Inter helciarios ut potest haud fortis homo tractum adi-

mere ut illius si desit manus non trahatur, sic potest unius stellæ tantũ igno
ratio, ueritatem fati labefactare, necdum ut numero penè innumero sine
piaculo ab illis prætermittantur. Bonatus hęc forte (si tamen peruidebat)
extimescens: Astrologus, inquit, utitur stellis omnibus quamuis nomina-
tim omnes non explicet, utitur enim signis duodecim sub quibus ferè om
nes stellæ comprehenduntur. At quis hoc dixerit, necdum astrologus, sed
lymphaticus? quando signa quæ uocantur duodecim, graduum habẽt la-
titudinem, extra quam stellæ utrinq; innumerabiles. quòd si quæ inter eas-
dem lineas signo cuilibet coextenduntur, uirtutis eiusdem esse respondeat.
Primum quærã de rebus ignotis quomodo assueueret? Quod si proprium
hoc esse dicat astrologorũ non repugnabo, & prouocabo ad ipsos astro-
logos, apud quos aliud imagines ipsę prętendunt signis coorientes, aliud
signa quibus cooriuntur. Alioquin signa quibus utuntur immobilia sunt,
imagines locum mutant. Erit igitur alia atq; alia natura eiusdem imaginis,
alijs signis, identidem loco signoq; respondens. Sed & ipse Bonatus insa-
niam responsionis puto animaduertens, statim alio est digressus cũq; cer-
neret pernegari non posse stellarum omnium cognitionem ad rem astro-
logicam pertinere, quarum omnium tamen cognitionem astrologi nõ ha
berent, quid tum, inquit, si totam nesciamus astrologiam? prædicatores
Christiani diuina omnia nesciunt, de quib. tamen quotidie ad plebem con
cionantur. In qua re uide quàm parũ bonus iste Bonatus decipiat. Si quis
enim inquirat siderum naturam gratia cognitionis, quod philosophi est,
uno sidere cognito aliquid est consecutus, si quod astrologus profitet, non
tam siderum quærit q; futurorũ in sideribus cognitionẽ, nihil fecerit pro-
sus nisi cognitionem eorũ siderum habeat unde futura possint præuideri,
sed pręuidentur ex his ex quibus fiunt, fiunt aũt ex omnibus, igitur etiã ex
omnib. pręuidẽtur, omnes igitur qui nõ cognouerit nouerit forte aliquas,
futura de stellis nunquã pręuidebit. Exemplũ in medicina philosophiaq;.
Quęrit philosophus herbarum potestates ut eas intelligat. Quærit medi-
cus ut earum uirtute morbis medeatur, si uel unam philosophus compe-
rerit aliquis, erit philosophus, sed imperfectus, quoniam quarum quæris
rerum notitiam, aliquam habet. at decem supponamus, aut quo numero
mauis species herbarum, ita pellendis omnibus morbis necessarias, ut una
si desit curari corporis uitium nullum possit, earum si nouem calleat quis-
piam & unam nesciat, non solum medicus non absolutus, sed medicus nul
lus erit, quando aliquam quidem notitiam, sed curationem nullam po-
test pręstare quam medicus profitetur. sic astrologus dici non potest qui
de unius saltem hominis fato dicere inspecta genitura non potest. Quod
si de mixta omnium siderum afflatione conficitur, quomodo præuide-
bit? qui & singulæ stellæ quidnam efficiant & omnium sociata tempe-
ratura quid pariat, non cognouerit. De Theologia autem alia ratio,

quia

quia sicut perfectè sciri nõ est possibilis, ita nec necessaria, ut credere, ut scire, ut suadere de ea multa possimus, de qua ut omnia ita nihil cognoscere ferme est impossibile, neq; enim oculatis minus negatum Solem nõ uidere, quàm & penitus introspicere. Sed iam nimis multa in confutandis nugis illiteratissimi circulatoris.

DOGMATA ASTROLOGORVM DE STELLIS FIxis pugnare tum inter se, tum cum ueritate. Cap. IX.

SEd nec illud astrologi tantum peccãt quòd ex stellis plurimas nesciunt, uerum super his etiam quas habere se putãt exploratas, pugnantissima & falsa dogmata statuerũt, est enim (ut declarabo) quando stellas Planetis efficaciores, est quãdo minus potentes efficacesq; decernunt, in qua re tum pugnant secũ tum utrobiq; à ueritate dissentiunt, ordinariam, ut ita dixerim, felicitatem proq; captu conditioneq; nascentis à bono Planetarum statu pollicentur, à non erraticis stellis, ut inquit Ptolemæus, παραλόξως ἀτυχίας, hoc est, opinione omni maiores felicitates expectant. Ego uero tum Proclo super Timæum Platonis, tum ratione asseuerãte, maiora à Planetis quàm à stellis fixis præstari possе contendo. Neque enim sedes ipsa sublimior sublimiorem naturam non errantium indicat, cum moderator omnium Sol, si non omnes, excepta Luna, certe supra se multas habeat stellas collocatas. Cæterum cur præstare Planetas fixis iudicemus argumento sit illud, quòd uni quidem Planetæ multæ sphęræ multis fixis unam tantum sphęram deseruit, ut ipsarum stellarũ agmen uniuersum unius sideris uincat potestatem, singulæ tamen stellæ Planetis singulis anteire non possunt. Quòd si magnitudinem corporum spectes, Sol extra controuersiam omnibus maior, maior omnibus item Iupiter & Saturnus si principaliores quasdam exceperis, quanquam nec de corporum uastitate potentia maior intelligitur. Neq; enim exploratũ Saturno Iouem potentiorem quanquã sit maior, & cum omniũ siderum minimus sit Mercurius, habet tamẽ (ut ipsi uolunt) in omni genitura plurimum potestatis. Nec item Lunæ Venerem anteponunt, quanquam ab ea uastitudine corporis excedatur. Deniq; illa lucida sita ad cor Leonis quæ à Latinis Regina, à Græcis Basiliscus dicitur, quanquã nõ primæ magnitudinis, primæ tamen ab eis authoritatis, potestatisq; censetur, quã scilicet nobiliorem certe faciant, quoniam à Solis itinere non deflectit, eadem ratione Planetę stellis nobiliores, qui minus utroq; uersum ab eadẽ uia declinant. Accedit testimonium antiquitatis Planetas cosmocratoras nũcupantis, quasi dixeris mũdi dominatores, qua stellas appellatione minime dignabantur. Sed utinam dogma saltem tuerentur, nec sæpius de eisdem quas mirabilium faciunt operum effectrices, quasi de infirmis & imbecillibus loquerentur, nam efficere nihil aiunt, nisi uel cardines, aut domorum initia saltem occupent, uel luminarium alteri copulentur. Atque ita cui tan

tum ſupra tribuebant, hic earum uirtuti adeò detrahunt, ut per ſe nihil ilæ efficiant niſi loci uigore uel potentiſsimi ſideris adminiculo fulciantur, cuius rei nec cauſam nec probabilem ullam afferunt rationem, ſed exfalſa cuiuſdam ueteris dicti intelligentia forſitan lapſi ſunt. Nam ueteres (ut Maternus docet) de ſignis dicebant, cum nuda ſideribus inueniebantur, efficatiam non habere præter ea quæ cardines quatuor occuparent. Hoc illi quod de ſignis ſiderum manſionibus & hoſpitijs dicebantur, ad ſingulares ſtellas etiam tranſtulerunt, niſi potius aſtutè dogma ſtatuerunt, ne ſi ab omnibus ſtellis fati ratio foret explicanda miſere inextricabili cura torquerentur, quam ab homine poſſe ſuperari, nec facile credulis perſuaderent, alioquin quænam ratio opinionis? an quia loco remotiore? ſed quanto nobis propinquior eſt Saturnus? aut quæ cardinis tanta prærogatiua? ut in eo non ſolum non faciant? ſed faciant admiranda? nihil obſtante uaſtitate diſtantiæ, mox ab eo cum paulum declinarint, aut ad eum nondum attigerint, faciant omnino nihil, cũ uel locus undecimus ad faſtigia cœli ſe erigens, quarto loco ſub terræ medium ſito potentior ad agendum eſſe uideatur. Sed ita eſt certe ut dicebamus, deterruit eos labor, nec difficilem adeò uideri artem uoluerunt, ut impoſsibilis facile poſſet iudicari. Nam quam ſolent afferre motus tarditatem, tarditati nihil ſuffragatur, cum radius ſtellæ tanto fortius affigatur, hæreatq; conſtantius, quanto eo in loco unde demittitur diuturnius ſtella ipſa commoratur. Quid quòd hæc etiam ſecum pugnant, cum de ſidere tardiori dogma ſit dare ſero, quęcunque det, uerum diu durare & permanere quæ dederit. Contra de non erraticis decernunt illas motu tardiſsimo, ſolent dicere maximas quidem afferre felicitates, ſed quas poſtremo calamitatibus claudant, quare nec morantur diu munera, ſicut nec diu conſeruantur, ſed ſicut ſemper à uarietate, ſic à ſeipſis ubique diſſentiunt, quam nos etiam omnia nõ proſequimur. Poſſet enim & quiſpiam eos interrogare, cur ſicuti Planetarum inter ſe, ita cum ſtellis & inter ſe ſtellarum interuallum aſpectus non conſiderarent, quod Ioannes de Regio Monte aduertens ait, poſſe aſpectus illarum eſſe forſan aſpectibus Planetarũ perfectiores, quòd nõ ſicuti hi fugaces & momentanei, ſed ſtabiles potius atque perpetui, poſſent & alia ſuper his obijci, ſed cõſequẽtia percurramus.

FALLI ETIAM ASTROLOGOS IN PLANETIS, REPETITIOQ; EORUM QUÆ HACTENUS DISPUTATA. CAP. X.

QVam multa, de ipſis etiam Planetis, falluntur, ſatis ſuperius eſt demonſtratum, cum nec eorũ proprietates (id quod uidentur errare in nõ erraticis) uiresq; nõ ſolum intendi, atq; remitti, ſed alias fieri, potiusq; diuerſas, identidẽ putant pro locorũ uarietate

tate, pro conditione signorum, pro schematismis, multiplicique habitudine inter se omnium, proque motuum ipsorum uaria denominatione, uel stantium, uel procedentium, uel repedantium, quæ procul ab omni uero, procul à ratione, dignitate, naturaque cœlicarum rerum dici, clarissime (nisi fallor) ostendimus. Illud quoque taxantes quòd Planetas & signa pariter illa duodecim dominari per uices, & tradita quasi per manus administratione iure successionis quodam imperia, diuersis rebus temporibusque præscribunt, ex humanis uidelicet ipsa quoque cœlestia non tã metientes certe, quã mẽtientes. Risimus præterea & cum Plotino, & coætaneis expunximus, quòd effectum expectare alicuius Planetæ tot annis iubent, quot forte ab aliquo loco signi partib. ille distabat, mille super hoc falsa, & nullo scientiæ fundo concepta comminiscẽtes, quare superiorẽ omnem disputationem ita colligamus, uideri quidẽ astrologos dicere probabilia cũ regi inferiora dicunt à cœlestibus, sed deprehendi mox falsos, uanos, detestabiles, hoc est, neque pios, neque philosophos, cum à causis uniuersalibus res particulares, malas à bonis, à magnis exiguas, ab ordinarijs temerarias, à corporalibus incorporeas, à necessarijs arbitrarias, à naturalibus artificiosas, à præsentibus iam præteritas, à præteritis iam præsentes effici posse credunt, prædicant, asseuerant. Si omnia ista fierent à cœlo, nullas tamen eorum minus quàm cœlestes causas astrologos assignare, cum taceant uerorũ quæ sunt in cœlo siderum atque stellarum uires, de rebus tamen non ueris multas accipiant proprietates, & cum eorum exiguam teneant partem, adijcere ipsi multa commentitia, qualia libro præcedenti commemorauimus, loca, domos, imagines, nodos, antiscia, partes, dodecathemoria, res fictas, ineffica ces, imaginarias, nulla naturæ soliditate, quibus si quasi naturæ uera soliditate constantibus, propterea quòque nos regentibus, potest sapiens homo fidem adhibere. Fateor proculdubio me nondum intellexisse quid sit esse sapientem.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVlæ aduersus Astrologos libri VII. Finis.

IOANNIS PICI MIrandulæ Disputationum, in Astrologiam, Liber VIII.

INCERTVM ESSE NVMERVM CORPORVM SVPEriorum, penes quæ iuxta astrologos fati decernendi potestas est. Cap. I.

INTER omnia quæ scire eum oportet, qui scientiã siderum profitetur, fere facillimũ id potest existimari, de quo mox disputabamus, ut quæ scilicet sit uniuscuiusq; rei hora fatalis dijudicetur, quod si nec sunt assecuti, neq; assequi astrologi possunt, difficiliora quo pacto sperabuntur? Quanto enim id difficilius operęq; maioris, ita numerũ corporũ superiorũ à quibus fati ad nos peruenit, habere comprehensum, ut in fatali constellatione describenda, non ascisçatur aliquid commentitium, & nihil uerum, & efficax omittatur. Erit enim alioquin hoc utile & cognitu illis necessarium, & cognosci tamen nõ posse, præsentis libri disputationibus aperiemus, ut non solum prædici ab illis uera non possint, quoniam & motus positusq; stellarum ad liquidum non peruident, & earum omnes minime habeãt exploratas, quod sequentibus libris obijciemus. Sed quoniã neq; illud constat eis adhuc quænã ista sint corpora quorum positus inspiciendus, atque proprietas indaganda, tantũ scilicet absunt, ut quæ artis eorum professio pollicetur omnia sint consecuti, ut etiã nesciant quænam istæ sint res quarum scientia ipsis est necessaria. Nã si falli dicant nos aut per calumniã hæc obijcere, cõpellabo ego eos uoce diuina, rogaboq; uti de numero mihi stellarum aliquid dicant, quod cum eos percunctor nõ solum intelligo stellas ab eis quæ uideantur numero nõ comprehendi, sed nec constare an præter eas quas intuemur, aliæ etiam sint in cœlo, cum sensum tum rationem nostram aufugientes. Phauorinus philosophus in elegãti illa sua aduersus gethliacos apud Gelliũ oratione, mirari se dixit cuiq; pro præcepto liquere Planetas, quos Nigidius errones uocat, non esse plures quàm uulgo existimant, posse enim fieri ut & alij quidam Planetę pari sint potestate, quos tamen cernere homines nõ possint, propter exuperantiã uel splendoris uel altitudinis. Certe si, quemadmodũ inquit Alpetragius, rerum cœlestiũ hoc mo sapientissimus, adhuc motus in cœlo est qui nescitur, potest & corpus inibi esse, cui potissimũ motus ille cõueniat, nulla artis adhuc obseruatione deprehensum. Attestantur tum multi tum uarij corporum superiorum à iuniorib. motus excogitati, ueteribus (ut ipsi putant) ignoti & longa tandem obseruationũ diurnitate deprehensi, quorum exemplo redditur manifestum

nifestū posse alios etiam motus sua uel tarditate uel obscuritate, aut alia spe cie mathematicos adhuc latere, quos sit posteritas ipsa diuturnioribus ob seruationib. aliquādo cognitura, nolo facere de epicyclis ecētricisq; sermo nem, deq; sphærarū Planetis deseruientiū multitudine, apud omnes astro nomos tamen incerta, quoniā forte penes hæc corpora potestatem in fato decernendo esse diffitebunt. De sphæris supra Planetas quāta sit ambigui tas, quāq; inde astrologia ista diuinatrix incerta efficiatur, minime est silen dum, alij enim orbem octauū qui stellis nō erraticis illuminatur extimum faciunt, alij supra eum nonū collocarunt, alij etiam decimū. Ægyptiorum & Chaldæorum astronomi supra orbem octauū nihil esse arbitrati sunt, quos secuti sunt Plato & Aristot. & Hipparcus & Ptolemæus, quod fortè iuniores non putabāt, sed ita seres habet. Nona sphæra apud Ptolemæum nulla est, quod facile ex eius Magna compositione potest intelligi. Multi autem ob id falluntur quòd putant eos omnes in noni orbis opinionē in cidere necessario, qui sphæram octauam ab occasu in orientem moueri ha beant exploratum, quare cum id & Ptolemæus & Hipparcus confitean tur, nihil ambigunt ipsi, quin noni orbis inuentum illorum etiam fuerit à quibus ille motus primum fuerit annotatus. Accedit quòd Ptolemæus & mobilibus & immobilibus signis utitur, cum & imagines sphæræ octauę mobile faciat, & ad immobilia signa loca referat Planetarum. Quare illis indubium certumq; uidetur præter signa octauæ quæ mouentur, alia esse signa apud Ptolemæum quæ non mouentur, præterquàm motu totius mundi, atque ea non alibi quàm in nona supra octauam sphæram cogita ta. Verum longe plurimumq; falluntur, nam & motus stellarum ab occi dente in orientem in noni orbis sententiā necessario nō adducit. Et quod mouet de immobilibus signis eo maxime declaratur solo orbe octauo con tentum fuisse Ptolemæū, quod miror ab istis animaduersum intellectūq; non fuisse, Ptolemæus enim hæc immobilia signa in ipsamet sphæra octa ua describit, quod non faceret si superiorem aliam excogitasset, uerba eius in secundo Magnæ compositionis libro hæc sunt: Abutemur autem si gnorum nominibus in ipsis duodecim obliqui circuli partibus, & qua si eorum initia à tropicis æquinoctialibusq; punctis capiantur, sic dode cathemorion, hoc est, duodecimam partem, quæ à uerno æquinoctio est, ad totius sphæræ sequentia, Arietem uocabimus, secundam Taurum simi literq; deinceps secundum traditum à nobis signorū duodecim ordinem. Hęc ait Ptolemæus qui eadem etiam docet primo libro Apotelesmatum, partes zodiaci ad quas Planetę referuntur solstitijs & æquinoctijs inchoa ri determinariq; principes, quę quatuor puncta, quoniam stata & immo ta sunt, ideo ipsa quoq; signorum partitio ab ipsis instituta, stata & immo bilis est, quāquam imagines à quibus ad illa nomina sunt translata iugiter moueant, & pro temporis cursu uarijs locis earum fines initiaq; reperiant,

non igitur ſigna hæc immobilia apud Ptolem. ſunt in ſphæra ſuperiore, ſed à quatuor fixis & immobilibus ſphęræ octauæ punctis deſcribuntur, ſupra quam alia ſi cogitaſſet, nunquam magnum hoc inuentum in Magna ſua compoſitione tacuiſſet. Libet autem irridere Ioannem Saxonienſem, qui in ſuis in Alchabitium expoſitionibus nititur comprobare utendum ſignis nonæ ſphæræ ex ſententia Ptolemæi, affertq; in confirmationem ſuæ opinionis uerba quædam Haly interpretis Ptolem. de gradibus lucidis & tenebroſis, quæ ipſe non Haly, ſed Ptolem. uerba eſſe putauit, ſunt autem ea expoſitoris uerba non authoris, quod non ſolum ex Græcis exemplaribus, ſed ex uulgata etiam translatione quilibet facile poteſt intelligere, uide quæ iſtis poſsit de cœleſtibus fides adhiberi, qui in ſuis authoribus euoluendis ſomniculoſis adeo & cæcutientib. oculis deprehenduntur. Quid quòd non ſolum Ptolem. ſed nullus eum plus mille annis ſecutus nono orbe uſus inuenitur. Primus Alphonſus loca planetarum ad nonam ſphæram ſupputauit, cui neoterici omnes adhæſerunt, ueteres octaua tantummodo utebantur, quam etiam Leo Hebræus, & Proclus Platonicus, excellentiſsimi mathematici ſupremam omnium eſſe contendũt, à qua ſententia iuniores diuerſi non uaniſsima coniectura aſtruunt aliũ orbem octauo eſſe ſuperiorem, quoniam duo motus ad partes maxime oppoſitas eidem corporei ineſſe ex ſe non poſſunt, quare cum ſit deprehenſum uera obſeruatione non erraticas ſtellas ab occidente moueri in orientem, rurſusq; ea ſphæra cum reliquis ab oriente uoluatur in occaſum, putant confici neceſſario, ut prior ille motus qui multis annorum millibus una reſtitutione completur, naturam propriam ſphæræ ſtellarum conſequatur, alius qui diei unius ſpacio conſumatur, ſicuti erronibus, ita ſphęræ octauæ ab alio atque ideo ſuperiore globo cõmunicetur, omnia ſecum ab oriente in occaſum rapiente, aſtra quæ proprijs eorum motibus ab occaſu feruntur in orientem. Quæ non de nihilo nata ſuſpitio ab alijs tamen elliditur multipliciter. Sunt enim qui negent moueri ſtellas ab occidente in orientem, quanquã & oculati certe homines & mathematici ſunt qui motum diurnum ætheris eſſe dicant, quòd ſit unum non diuiſum in ſphæras ſed perpetuum, ſtellas autem omnes fixas quàm erraticas proprijs motibus ab occaſu ferri in ortum. Leo Hebræus inferiori cuidam ſphærę non ſuperiori eum motum refert acceptum. Alij totum cœlum quaſi animal quoddam ex omnibus ſphæris ueluti membris conſtituentes, alium eſſe motum dicunt, qui toti cœlo à motore quodam uniuerſali alios qui ſingulis ſphæris pro eorum diuerſitate, diuerſus à proprijs eorũ diuerſisq; motoribus debeatur. Eũ igitur quem diurnum appellamus, cum ſit communis alijs ſphæris, non octauæ eſſe magis aut alterius cuiuſquam quàm cæterarum, ſed cœleſtis uniuerſitatis à communi quodam exiſtit motore. propterea nec fingi aliũ orbem oportere cuius ille ſit proprius, nec ſequi eiuſdem ſphæ

dem sphæræ duos esse proprios motus, cum alter ex communi cum reliquis cœli partibus, alter ex propria natura non ab eodem motore tribuatur. Nos hæc omnia in medium constituamus solum id affirmantes, nihil indubitati certiq; super his posse asseuerari, sed tota ad probabiles locos & translatitios disputatio redit, qui multi utrinq; cum sint in ambiguo, tandem in incertoq; nos relinquunt. Quod si rationi putamus concedendum qua nonus orbis confirmatur, erit & illis assentiendum qui decimã supra nonam excogitarũt, cum sit penè eadem ratio dogmatis utriusq;. Illi enim ut pertinaciter hoc defendant, plus uno motu uni sphæræ ex se non conuenire, nonam introduxerunt, quòd duplici motu sphæram octauam uolui deprehendissent, hi triplici motu deprehenso, eadem ducti coniectura decimam introducunt. Quod Alphonsus, Campanus, Leopoldus, Messahala crediderunt, qui hanc etiam opinionem, quanquam falso, sicut & secutus eam Albertus, referunt ad Ptolemæum.

SI SVPRA OCTAVAM SPHAERAM ALIA SIT, FALSAM esse ueterem astrologiam, si nulla, nouam, quam etiam si sit, nona ruere omnino necesse esse. Cap. II.

EX hac autem tam uaria tamqúe multiplici opinionum uarietate quàm incerta reddatur astrologia diuinatrix facile est perspicere. Nam si supra octauam duæ aliæ sphæræ sunt, falsa est omnis ueterũ astrologia, qui potentissimis cœli partib. ignoratis, inutilibus & imperfectis obseruationib. sunt innixi, quoniam sphęræ illę inefficaces esse nõ possunt, quarũ suprema motus rapiditate, utraq; loci sublimitate & uastitate molis reliquas antecellit, si rursus nulla sphęra præter octauam, nulla etiam iuniorum, omnis astrologia, duodecim signa in nono orbe describens, qui si est nullus, quamnam habebit in fato decernendo authoritatem? quanquã siue aliqua est siue nulla sphæra nona, omnis nostræ ætatis astrologia uacillare cognoscitur, nec solum inconstãtia dicere, sed controuersa atq; pugnantia. Nã illud mihi respondeant, putent ne afflatus ad nos ab omni cœlo prouenire? an solum ab his partibus quæ conspicuo lumine corruscant? Primum si concedant, ea ratione nõ solum Planetæ, sed quæ Planetas deferunt orbes, in participatum fatalis decreti recipientur, quos illi tamen ita non obseruant, ut apud quos putent nihil esse efficatiæ in permutandis inferioribus. Alterum si respondeant, Solis scilicet uim huiusmodi, inesse sideribus conspicui luminis radio refulgentibus, erit etiam his concedendum sphęrę nonæ defluxus nullos huc peruenire, qui uel nulla uel inuisibili luce prędita, nec sideralibus radijs, nec luminum ulla uarietate distinguitur, sed aut tota diaphana est, unde aqueum cœlum & cristallinum nuncupata, aut tenui luce raraq; diffunditur, qualis etiam inesse reliquis globis & potest & à quàmplurimis existimatur. Quapropter aut sphæra omnis obseruanda, aut nona illa etiam

si sit

si sit aliqua contemnenda, quod credidit Bonatus, affirmãs nihil quod sub pra octauam sphæram collocetur, ad astrologum pertinere. Et tamen in ea duodecim signa ab omnibus describuntur, quæ non modo aliquã, sed po tissimam habent in anni constellatione authoritatem, non solum ad hæc quæ suis uiribus largiuntur, sed quoniam in permutandis uiribus Planetarum primæ illis partes ab omnibus delegantur. Quare quocunque se uertãt laqueos incidunt inextricabiles, dum aut multas omittunt sphęras non omittendas, aut in una admittenda quæ sit inefficax, omnis constellationis adulteraut ueritatem, quòd si hinc forte se extricarent, omnino tenebuntur uinculo inenodabili, & cũ sphære nonæ uirtutis affixæ & efficatię quantum uelis inesse concesserimus, nulla præterea de sphęris alijs litę suscitata, nihil minus falsissima omnis iuniorum prædictio conuincetur, cum negari non possit uirtutem & proprietatem illius sphęræ ab octauæ influxibus esse diuersam, quam tamen illi quasi eandem existimantes, non alia de nonę signis tradiderunt, quàm quę de signis octauę tradita essent ab antiquis, magna certe uel hebetudine uel malitia si uel non uiderũt diuersarum sphærarum eandem naturam esse non posse, uel hoc uidentes uoluerunt hoc tamen alijs persuadere. Satis enim apparet uerisimile quòd decipi alios procurauerint, quoniam sphæra nona excogitata, si de orbis alterius influentia erat agendum, cessare multis ętatibus eorum professionem erat necesse, dum scilicet pluribus experimentis natura, tum primum inuenti orbis approbaretur, quod eruscatiores homines & ambitiosi minime patiebantur, quare translatis ad partes nonę sphęrę ijsdem nominibus quibus partes octauę ueteres appellarũt, quasi cum nomine ipsa quoque natura communicaretur, eadem prorsus de illis quę de octaua priores dogmata prodiderunt. Sic Arietem Taur. Gem. Canc. & reliqua signa in sphęra nona ipsi describunt, & eadem facere aiunt, quę signis eiusdem quidem appellationis, sed alterius sphęrę fieri antiqui scriptum reliquerunt, totam scilicet impostura solo consortio nominum defendentes, in qua re siquidem fallunt, flagitium est, si falluntur insania, cum nõ aliter errent, quàm si nomine Iouis ad Saturnum translato, Saturnum factum Iouem existiment, & cum de Saturno sit uaticinandum, ea pronuncient quę protendere Iouem ueteres tradiderunt. Neque enim minor putanda inter orbem octauum nonumq; diuersitas, quàm inter Iouem & Saturnum, si & motus eorum, & lucis qualitatem quibus cœlestia in primis discernuntur ęstimemus. Apparet enim inter illos duos Planeta solum diuersitas quòd alter altero tardior, quodq; alterius lux alterius luce, uel nigrior, uel candidior. At quanto maior illorum orbium distantia quorum hic quidem sua natura tardissimo motu, ille omnium rapidissimo transfertur, hic tamen multiplici agmine stellarum radians, & conspicuus, ille aut nulla aut inuisibili luce sub obtutum oculosq; non cadit. Deniq; si partium eiusdem

dem sphęrę atque etiam minutiarum diuersissimam dicunt efficatiã, quonam pacto sphærarum diuersarũ eadem erit? & si sphæris duabus eadem natura, nónne alteram frustra naturæ opifex Deus effecit? Et si ueluti dixi, nec motu, nec luce, nec situ, nec mole conueniũt, quæ illis præterea communio est naturæ? circumspiciatur undique machina uniuersi, & in omnibus globis elementorum uel cœlorum manifesta diuersitas semper apparebit. Quare si non cæteris excogitatus orbis nonus, aliquis est, necessario alterius est naturæ ab octauo, atque ita quæ de huius signis & partibus Ptolemæus & alij antiquiores præceperunt, signis sphæræ nonæ ascribi conuenireque non possunt, quod cum faciant, tamen omnes iuniores, eorum uaticinia (etiam si ueram artem profiteantur) non nisi casu incidere possunt in ueritatem.

DIFFERRE IMAGINES A SIGNIS QVANQVAM NOminibus conueniant. Cap. III.

VErum enimuero de sphærarum numero quicquid statuatur, signa ipsa duodecim, quibus & ueteres & neoterici tantum tribuerunt, ut in eis totius astrologicæ prædictionis summa cardoque uersetur, ea nos ficta, nullaque esse breuiter demonstrabimus. Tum si illa sint uera, falsa tamen astrologos super his, & pugnantia dogmata tradidisse, quare quæ pendent ab illis ad diuinationes (pendent autem omnes) eas prorsus esse fallaces. Sed admonere antea Lectorem oportet, aliud signa esse duodecim, aliud imagines, quanquam numero nomineque conueniant. Dico autem hæc omnino esse diuersa, etiam apud eos qui nona sphęra uel ignorata, uel neglecta, in eadem signorum faciunt diuisionem, in qua imaginum quoque formæ cogitantur. Signa enim immota fixaque constituuntur æquinoctijs intercepta, atque solstitijs, ita ut Arietis quidem, quod est signum, initia à uernali æquinoctio semper accipiantur. Arietis autem quæ est imago, alio tempore initia alibi supputentur, sicut stellæ, à quibus effingitur ab occasu ad ortum, iugiter deferuntur. In qua re lapsi magna pars astrologorum putantium, qui ad octauam sphęram referunt Planetas, eos signis mobilibus uti necessario. Neque enim uerba Ptolemæi primo libro Apotelesmatum contrarium præcipientis intellexerunt, quæ Latina huiusmodi sunt: Illud annotatione dignum non prætermittamus, quoniam & dodecathemorum (hoc est signorum duodecim) finium seu terminorum initia à tropicis & æquinoctialibus punctis facere rationabile est, quod etiam scriptores maxime significarunt. Ex his enim quæ supra diximus patuit, & naturas, & uires & cognationes eorum ex tropicis & æquinoctialibus principijs, & non ex aliquo alio causam habere, quare si alia principia statuamus aut non, uti illorum naturis in prædictionibus cogemur, aut utentes excidere à ueritate zodiaci interuallis, à quibus illorum uires proueniunt

omissis

omissis & permutatis. Hæc Ptolemæus, cuius sententia prius aperienda fuit quàm confutanda, quoniam parum uel intellecta uel animaduersa à quàm plurimis est. Patet igitur prima diuersitas imaginum & signorum quòd illę quidem mouentur, ista autem nõ mouentur, & si in octaua sphęra describantur, altera est euidentissima, quòd imagines inæqualem habẽt magnitudinem, signa inuicem sunt æqualia, signorum enim unũquodq; triginta continet partes imaginum, aliæ pauciorum aliæ plurium per spacia protenduntur. Quoniam igitur aliud signa, aliud sunt imagines, prosprijs utraq; rationibus confutabimus. Et primum illud de signis percunctabimur quæ illis ratio demonstrauerit duodecim ibi esse naturas distinctas uiribus & proprietatibus, atq; his neq; plures neq; pauciores. Abraam Auenazra in principio libri Rationum astrologicarum, aliqua, inquit, discuntur de signis quæ probantur, aliqua ax arbitrio statim declarãs, quæ nam ista potissimum, quæ arbitraria proferuntur, diuisionis zodiaci meminit. Diuisiones enim, ait, signorum cur tantum in partes trecẽtas & sexaginta, quoniã hic numerus diuisionibus est accõmodatior. Idem quoq; scribit Haly Auenrodan Apotelesmaticos libros Ptolemæi exponens: Diuisimus circulum in partes duodecim quæ signa nuncupantur, & unumquodq; signorum in partes triginta quæ dicuntur gradus, & partẽ quamlibet trigesimam in minutias sexaginta, quoniam hi numeri diuisionibus idonei magis reperiuntur. Quibus igitur potius quàm eorummet uerbis eos redarguam? ita naturæ rerum & consequentiæ rationis ignaros, ut quoniam qui astrorum motus metiuntur circulum in duodecim partes diuiserunt ob numeri ad diuidendum oportunitatem, hinc ipsi dogma constituerint partes illas duodecim uires & proprietates habere diuersas, quasi eorum distinctio non arbitrio mathematicorum, sed à natura cœli exorta sit, accidit; q; si in octaua sphæra describantur, ut Ptol. Aegyptij signorũq; omnes magistri uoluerunt, ut res nulla soliditasq; naturæ illis respõdeat, sed cogitari tantũmodo & mente cõcipi possint. Quare & Origenes imbutus doctrina Aegyptiorũ signa ista intelligibilia & ratione tãtũ perceptibilia nũcupauit. Neq; enim aliqua est pars sphæræ octauæ qua uel æquinoctiũ uel solstitiũ semper fiat, sed alia atq; alia, si quemadmodũ putant, ab occasu in ortũ proprio motu sphæra ista deferẽt. Quapropter pũcta in quibus fieri semper uel æquinoctium uel solstitiũ intelligimus, re quidem nulla, à sola nostra cogitatione dependent, quæ possint utiq; mathematicis ad inueniendos motus supputandaq; loca planetarum deseruire, sed uirtutum origines & influxuum aliquorum principia statui non possint, quod fortasse Chaldæi considerantes imaginibus solis non etiam signis in prædictionibus utebantur, unde maxima huius artis infirmitas & inconstantia ualde cognoscitur, quando ea quę prima & ualidissima eius fundamenta consensus putat astrologorum, ea tamen Chaldęi professionis fautores &

in fu-

In futurorum prædictionibus celeberrimi, nulla existimarũt. Haly Auenrodan aliqua ex parte hæc animaduertens, signa, inquit, mansiones sunt quæ nihil operantur, operantur autem stellæ fixæ quæ sunt in eis, tũ quare Sol ea singulis annis omnia percurrit, & ex operationibus quas in eis, constitutus Sol operatur, nomina accipiũt, quoniam item stellarum fixarum quæ sunt in eadem signi parte uel cẽtum, ut antiquiores, uel septuaginta ut iuniores, si uirtus permanet erit toto eo tẽpore & uis illius signi uirtus eadem quę stellæ inibi commorãtis, qua ad partem aliã translata uirtus quoque ad partem illam transferetur. Hæc ille, cuius quidem opinio tum ex allatis, tum ex alijs alibi eius uerbis hæc fuisse cognoscitur, partes quidem ipsas zodiaci si stellarum influxus excludantur efficiendi uim nullam habere, cum autem huius quidem signi talem, alterius aliã esse proprietatem & influentiam dicũt, duplici hoc ratione habere ueritatem, aut quoniã stellæ in ea tunc signi parte cõuenientes, tali potestate præditæ sunt, ut quæ hospitij dicitur hospitis sit efficacia, aut quoniam Sol ad signum illud perueniens talia operatur, quo pacto æquinoctialia signa & solstitialia Aries, scilicet, Cancer, Libra, & Capricor. mobilia dicuntur, quare in eis Sol constitutus anni tempus immutat, contra quæ his proxima sunt fixa, quare quo anni ea tempore peragrat Sol aëris status qualitasq; non mutatur. Similiter ait Ptolemæus Arietem facere tonitrua & corruscationes non ob aliquam uim in ea parte zodiaci sitam, sed quia Sole posito in Ariete æquinoctium uernum est, quod anni tempus ex sua qualitate mutationes huiusmodi aëris ciet. Solis enim calor ad nos accedens proxime, antecedentis hyemis humiditates dissoluens, multos sursum eleuat uapores, ex quibus compactæ nubes mutuis collisionibus quando inrer se concurrũt corruscationes emittunt. Hæc est Haly Auenrodan de signorum potestate sententia, qua magis confirmari non potest, quod uolebamus zodiaci, scilicet partes æquinoctijs interceptas atque solstitijs, in quibus uim principalem consistere ait Ptolemæus, quibusq; astrologi omnes præter Chaldæos utuntur, eas efficiendi uim nullam habere. Nam opinionem Ptolemęi Auenrodan dum exponere cupit & declarare, stylo ut ita dixerim, in amne ueritatis immerso obliterat, uel inuitus penitus & expungit. Asserit enim circuli partes nihil efficere, & quæ fieri ab eis putantur ea operatione uel Solis uel stellarum in illis partibus agentium excitari. At uero Aegyptij & Ptolemæus & omnis turba astrologorum perpetuas & immobiles signis asscribunt proprietates, quæ nec Sole nec stellis inde discedentibus exolescunt aut permutantur, alioquin debuit alia Ptolemęus tradere de natura signorum, quàm quę prodita olim erant ab Aegyptijs. Sed alia etiam posteriores ꝙ quæ scripsit Ptolemæus si migrantibus stellis uirtus quoq; signorum permutatur, cum ne syllaba tum commutata, eadem de natura signorum prodant ut ab eis qui pridie scripsere, quæ etiam apud Petosiras

& Cechipſos, cũ tamen illud debeat euenire, ut quæ Arietis aliâs erant ſint quandoque Tauri proprietates, & quæ Scorpij fuere ſint aliquando Sagittarij, atque ita de reliquis, quandoquidẽ ſtellæ olim in Ariete curſum agentes nunc in Taurum prætergradiantur, & quæ Scorpium olim occupabant, ad Sagittarium tractu temporis commigrabunt. Iam de Sole quod dicitur Ieſu bone quàm uanum & nugatorium, ut ſigno uidelicet attribuatur quod Sole inibi collocato non ſigni ſed ſolis uirtute proficiſcitur, quod ferme perinde eſt, ac ſi cathedram dicant aſpirare uim diſputandi, quòd in ea ſedens philoſophus ſoleat diſputare, pariterqúe à ſcabello, & in eo ſedente ſperent ſyllogiſmos, ſic ſcilicet quoniam in Ariete poſitus Sol tonitrua ciet, & hyemis gelu, temperie ueris immutat. Planetarij decernũt cum fuerit Luna in Ariete tonitrua expectanda, & omnibus in rebus Arietem eſſe mobilitatis authorẽ. Nec aduertunt ſi tonitrua fiũt in Ariete Sole collocato, nõ idẽ ſequi de Luna reliqsq; Planetis, quãdo illud nõ à ſigni natura ſed à calore fit Solis uaporoſos halitus in ſublime tollẽte materiã nubiũ, & de qua tonitrua & cætera id genus poſtea procreentur, quæ uis in calore ſiderum aliorum quoniam non eſt, non fietab illis quod fit à Sole, quam ſcilicet in eodem ſigno collocatis. Nam quòd hoc etiã Sol in Ariete magis faciat quã in aquario, non de ſignorum eſt proprietatibus, ſed de loci poſitione, quare ſcilicet in Ariete proximior eſt nobis, quare quę apud nos ſunt radijs eius per id tempus magis afficiuntur, propterea in eodem poſitus ſigno diuerſis in regionibus alia per id tempus efficit. Sed prima dialectices neſciunt rudimenta, in quibus docemur diſtinguere quod eſt per ſe, ab eo quod eſt ex accidenti. Sed utinam tantum non eſſent dialectici, ac non plane ut pueri delirarent. Nam quis illud non potius inſaniã uocet quàm errorem, ut quoniam poſito Sole in Ariete (ne ab eodem diſcedamus) tempus anni mutatur. propterea putent quicquid inchoaueris Luna ibidem poſita, ſtatum firmumq; non futurum, ſed fluxum atque mutabile. Et quoniam dum Leonem occupat Sol æſtatis ſcilicet medio, nõ mutatur, ſed durat eadem aëris qualitas, propterea eſſe fixum ſignum Leonem, quare quæ ſub eo quis auſpicatur diuturna, immotaq; futura. Vnde illud mirabile dogma Luna Leonem peragrante, nec induere primum ueſtes, nec incidere oportere, quare ob fixi ſigni qualitatem ueſtes illæ ſunt diu perennaturæ, qua ſignificatione uidetur aut morbus aut mala alia cauſa ſignificari, propter quam illis uti non poſsis, quandoquidem quib. utaris, hę ueſtes non conſumi diuq; perdurare non poſſunt, quis hæc audiens poſsit non putare uel ad riſum ficta à fabulantibus uel amentium deliramenta, aut quibus illi iam artibus ab erroribus remouebuntur, quibus talia poſſunt, non ſolum non abſurda uideri ſed uera. Solent autem philoſophi quando cum illis diſputatur, qui nihil erubeſcunt, & primis etiam dignitatibus prima fronte reſiſtunt, cogere ad ſui euerſionem, hoc eſt, ad

ea quę

ea quę dicunt non tam firme probare quàm contradicere. Et nos igitur eadem uia istos aggrediamur, quoniamq; absurdum eis non uidetur habere ob id Arietem uim faciendi res mobiles, quare Sol ad eum accedens anni tempus immutat. Illud saltem ab eis impetremus, ne quasi nati sub Ariete loco se moueant, sed dogma teneant & tueantur. Quod si faciant eos sic interrogamus. Signa hæc quæ mobilia, fixa, duplicia uocant, immobilia sint: an cum imaginibus pariter moueantur? si mobilia respondeant, iam à suis signis ipsi quoque mouentur, quandoquidem æstatem, autumnum, hyemem, uer, initiare non mobilium signorum sed immobiliū est, & quas ipsi dant signis proprietates, ut mobilia, fixa, duplicia sint, à prædicta uarietate temporis ducuntur, non igitur alijs competunt signis quàm quæ dictis in locis immota semper in circulo cogitãtur. Quod si immobilia esse dicunt, sequitur ut cum imaginum loco non conueniant, quæ cum suis stellis identidem loco permutata sint (quod si est) quonam pacto proprietates ab imaginum sola figura deriuatis alijs etiam signis attribuuntur, & Arietem quidem quem mobilem, æquinoctialem, breuium temporum uocant, quæ sunt immobilis signi conditiones, mox & quadrupedem dicunt, oculis languidis, libidinosum, quæ non iam signi sed imaginis sunt, nomine quidem eodem, si natura, loco, proprietatibus, differentis. Et ne particulatim singula prosequar, omnis turba astrologorum cũ signa partiuntur, ut hæc communia, hæc fixa, hæc mobilia sint, rursus alia recta, alia obliqua, quæ sunt (ut dixi) non mobilium signorum cõditiones. Item differentijs ijs utuntur, alia humana, alia sunt ferina, alia aquatica, alia terrena, alia muta, alia uocalia, hæc sterilia, illa fœcunda, quæ omnia sunt imaginum non signorum, quia nullam hæc circuli positionem, sed naturam imaginis, formam, effigiemq; sequuntur. Quę hæc igitur tanta est tarditas uel somnolentia? ut miscere res diuersas, atq; confundere, sola deceptos nominum communione non naturæ uideantur? Nam & illud quoq;, ut hoc calidum, illud terrenũ, aliud aëreum, aliud aqueum, signum sit, acceptum quidem est ex imaginibus, eademq; temeritate ad signa translatum. Quoniam si status circuli ex immobilibus punctis consideretur, Aries potius aërem erit iudicandum, hoc est, calidum & humidum quàm igneũ, id est, calidum & siccum cum eo uer aperiatur, calidæ humidæq; qualitatis; quin & Ptolemæus reddens rationem cur in circulo cuius initium nullum, sumere ab Ariete anni exordia consueuerimus. Respondet quoniam in prima rerum omnium ætate abundat humiditas, quæ est qualitas ueris quod inchoamus ab Ariete. Sic igitur ô Ptolemæe si primũ signũ Aries est, quare humiditas primæ ætati debet, putas ne siccum signũ an humidum est? si siccum non igitur primum, si humidum cur ignitum dicitur à uobis? Denique istę (quod uolebam probare) frigidi, sicci, calidi, humidi, differen-

tiæ ſignis diſtributæ ab imaginum potius conditione quàm à ſignis uidentur acceptæ, quod etiam Auenazra in libro Rationum aſtrologicarũ confitetur. Sic enim Cancrum, Scorpiũ, Piſces, frigida ſtatuerunt, animalium quorum habent appellationem natura penſitata, Arietem, Leonem, Sagittarium, calida, eadẽ ratione, Geminos & Aquarium ob effigiem humanam aërea, quæ in homine qualitas plurimũ dominatur, ſic terrea Taurum & Capricornum & Virginem, tum ob uim ſexus tum ſpicæ quam manu geſtat ratione, Sumptam uim igitur hanc ab imaginũ diuerſis proprietatibus, ſignis attribuerunt, in qua re bonus Ptolemeus non ſolũ dormitat ſed laſſim ederinat, ut in eodẽ contextu à ſigno ad imaginem ſe transferat, quod ita plane demonſtrabo & ſimul errorem Haly inexpiabilem in exponendis Ptolemei uerbis. Verba igitur eius ſecundo libro Apotelesmaton hæc ſunt, Arietis dodecathemorion (ſic ſigna uocat) uniuerſaliter quidem eſt βροντῶδες καὶ χαλαζῶδες, id eſt, tonitruoſum & grandinoſum. κατὰ μέρος δὲ ἐν τῷ μᾶλλον ἢ ἧττον. ἀπὸ τῆς κατὰ τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων ἰδιότητος, Hoc eſt, particulatim autem hæc magis & minus fiunt pro natura & proprietate ſtellarum quæ ſunt in eo, & ſubdit, nam præcedentis quidem eius partis imbres & uentos faciunt, mediæ aëris temperiem, ultimæ æſtũ & peſtilentiã. Tũ quæ ad aquilonẽ inflectunt, æſtũ et corruptionẽ, quæ ad meridiẽ glatiales & ſubfrigidæ ſunt, hæc ego Ptolemei uerba ita accipio, ut ꝙ de Ariete in uniuerſum pronunciat, inibi ad immobile ſignũ referatur, quod negari non poteſt, quoniam ipſum eſt in quo ſit æquinoctiũ, & Ptol. eam ob cauſam βροντῶδες dixit eſſe & χαλαζῶδες, quod hæc omnia uernum ante tempus ſolet excitare, tum quæ adiecit conſequenter de diuerſa partium eius efficientia pro natura ſtellarum inibi exiſtentium. Credit quidem Haly de ſigni etiam partibus diei, ut mox declarabo, ſed luce clarius ex ipſo Ptol. de imagine dictum eſſe declarabo, & quantum errat Ptol. in dogmate ſtatuendo, tantum erraſſe in exponendo Ptolemæo ipſum Haly. Putat igitur ille dicta Ptolemæi ſic accipienda, ut ſtellæ quas illis ineſſe partibus dicit, fuerint eo tempore quo ſcribebat in illis partibus eius ſigni de quo loquitur, atꝙ eam tunc fuiſſe illius ſigni proprietatem, quæ mutatis ad locum alium ſtellis ſucceſſione temporis alio transferatur, quæ utiꝙ Haly interpretatio probabilis appareret, ſi quod facit in Ariete in alijs ſignis feciſſet Ptolemeus. Et ſtellarum quas in illis partibus ponit, nomina nulla protuliſſet, ſed cum in Tauro explicet quaſdam ſtellas, nominatim & ſuum ſimul & ſui errorem interpretis manifeſtat, quoniam ſtellæ illæ tempore Ptolemæi in ea ſigni parte non erant in qua eas ordinat, ſed in parte potius imaginis, in qua ſcilicet ſunt & erunt & fuerunt. Verba eius de Tauro hæc ſunt, Tauri ſignum uniuerſaliter quidem utramꝙ affert aëris qualitatem, eſt tamen ſub calido, particulatim autem antecedentes quidem eius partes, præſertimꝙ ubi Pleiades ſunt, terræ motus & uentos,

& nubes

& nubes, exuscitant, sequentes ubi sunt Hyades, corruscationes & fulmina faciunt. Age igitur à Ptolemæo de imagine hæc dici quis non uideat? in eius antecedentibus partib. Pleiades sunt, quas Vergilias nostri uocant, in sequentibus Hyades pro quibus in uulgata translatione Aldebaran legitur, quanquam enim in uertice & cornibus totoq; capite Hyades sunt, Pleiades autem inter finitionem corporis eius & caudam Arietis, quē uocant locum abscisionis, illæ tamen sequentes, hæc antecedentes obtinent partes, quoniam Taurus auersu occidit & exoritur. At uero ad signa hæc si referantur, nulla erit ueritas dictis, quandoquidem tempore Ptolemæi non erant Pleiades in signo Tauri, sed in Ariete, ut ex magna eius compositione agnoscere, cuius promptum est, quam cum debuerit Haly legisse, nec eundem fuisse utriusque operis authorem dubitauerit, non possum satis mirari in re tam aperta hallucinatum, ut dicta Ptolemæi de locis stellarum in signis exposuerit, & Pleiadas per id tempus in primis partibus Tauri fuisse scriptum reliquerit, quem errorem etiam Haly, & Leopoldus, & Ascadensis in summa quam uocant Anglicanam, & denique posteriores ut Bonatus sunt secuti. Sed maior error horum quòd sequantur Haly dicentē Ptolem. locutum de stellis, positis in illis partibus signi, & tamen non mutant, sed dicunt idem quod Ptolem. cum ab eo tempore sint mutatæ plus uiginti gradibus. patet igitur quod probare uolebamus contradicere sibi astrologos imprudenter qui signorum imaginumq; proprietates (si quæ sunt illæ) quasi loco, natura, partibus, non differant, inuicem miscent.

CHALDAEORVM IMAGINES MERA ESSE FIGMENTA, quidq; ad eas fingendas illos induxerit, atque errorem artificiosarum imaginum & alios plures inde pullulasse. Cap. V.

NErum age signorum nulla sit uirtus, an imagines ipsę aliquid sunt? forsitan enim hic delirare astrologi non uidebuntur, nec inniti fictitijs rebus & arbitrarijs, quando illas imagines suis quāq; luminibus, stellis, radijs, pro stellarum natura potestatis habere plurimum quis negabit? ego uero astrologos delirare hic etiam nihil dubito, quoniam & si stellæ de quibus imagines fabricantur, & ueræ & naturales sunt, ipsa tamen de stellis imaginum constitutio, nec uera nec naturalis, sed falsa proq; libidine fabricantiū penitus imaginaria, & sine aliqua specie est probabilitatis. Quis enim statim non iudicabit, ut si magna est uirtus unius stellæ, multarum in unum pariter conspirantium etiā non sit maxima? Sed rediens ad seratio, nullam inibi esse uidet præter fictam à nobis siderum conspirationem, nam mixtio per coalitum certe ibi nō est,

quomodo igitur coëunt multæ ſtellæ in unam proprietatem, & natura di
ſtinctæ, & magnorum ſpaciorum immenſa uaſtitate diſtinctæ, ſcio quid
reſpondebunt, in unius imaginis illa effigiē conuenire, quod ſit argumen
tum alicuius occultæ etiam affinitatis, ut quemadmodum ex una ſpeciei
cuiuſdā figura deliniatur, ita una ſit in his ex illis omnibus eiuſdem rei na
tiua proprietas. At uero hoc aliquid forte eſſet, quanq; nec efficere (quod
uolunt) ſi imagines iſtæ ueriſſimis ibi notis expreſſæ abſolutæq; uiderē
tur, cum autem pro arbitrio (ut declarabo) noſtro fingantur, nec potius
ibi canes & lepores (ut ipſi uolunt) quam tygrides & elephantes, cuiq; fi
bi formare commodum ſit, patet quod de figura ſumitur argumentū eſſe,
ut cætera ſolent aſtrologorum, uanum & arbitrariū & fabuloſum. Quod
ſi non pro libidine aſpicientium, ſed pro natura conſiſtere ibi illas figuras
contendunt, non tam ad experimenti fidem prouocabo, quam ad ipſorū
met aſtrologorum & rationes & teſtimonia. Abraam enim Auenazra ma
gnæ apud illos authoritatis in æditiōe ſecunda de aſtrologicis rationibus
(Conſcripſit enim de eadem re libros duos) de imaginibus iſtis reddituꝰ
rus rationem, uerbis ita ſcribit. * Quæ nos ita ad ſenſum uertimus
in latinum: Vulturem cadentem uocat Ptolemæus lyram, nec mirū, quo
niam ſicut unuſquiſq; mutare ſibi figuram poteſt, ita & nomen, cœlum e
nim ſphæricum eſt, quare nihil eſt in eo cur hoc loco potiuſq; alio exordi
um ſtatuas alicuius rei, ſed quemadmodum aliæ aliis ſtellis pro oculorū ar
bitrio coniunguntur, ita diuerſæ fiunt imagines, nos igitur eo modo eas
narrabimus quo traditæ ſunt, hæc illæ. Qui uerius & efficacius opinionē
meam confirmare non poteſt, quoniam ſi principium nuſq; aut finis eſt in
circuli partibus, potes à quacunq; malueris ſtella tibi imaginem inchoare,
& in quacunq; uolueris etiam deſinere, nec dubium pro initij & termino
rum quos tibi præſcripſeris diuerſitate, proq; numero ſtellarum quas uel
aſciueris uel excluſeris uarias inde imagines te conflaturū, præſertim cum
ex his etiam ſtellis alias alius formas ſibi repræſentet, ut in Vulture & Ly
ra Abraam declarauit, & in alijs pariter potes declarare. Neq; enim in ipſa
rum quæ magis celebrate zodiaci imaginum numero conuenere, ſed cum
alij duodecim, Chaldæi tamen illas undecim fecere, ex Libra & Scorpio
unam cōſtituentes. Nam quid prohibet cum omnibus in pictura iſta cœ
leſti quidlibet audiendi conceſſa ſit æqua poteſtas, & ipſe etiam Albuma
ſar qui in omnibus rationes dogmatum aſtrologiæ redditurum ſe profi
tetur, cum uenit ad imagines aliam non attulit rationem, quam quod Ara
tus illas ita deſcripſit, quaſi non ille ſit fabuloſiſſimus, qui, ut Cicero in
quit, aſtrologia ſcripſit aſtrologiæ penitus ignarus, quod ſi ſphæram Ara
ti cum Barbarica ſphæra contuleris, diſſentire plerunq; & diſſonare inui
cem

cem illas uidebis, quare scilicet sint ad libidinem fictæ, & nulla doctrinæ, uel rationis soliditate nitãtur. Hebræorum magistri sicuti imagines suas astrologi, ita suum in stellis alephbetarium, hoc est, suæ linguæ notas & elementa inuenire contendunt, nec si credulos oculos nanciscantur, minus hoc possunt illi probabiliter, quam de imaginibus astrologi persuadere. Quid pluribus opus est, ibi omnes formæ, omnes effigies, quare nullæ ibi formæ, nullæ effigies, omnes potestate & arbitrio hominum, natura & ueritatis actu nullæ. Quod si ibi saltem nostri diuinaculi augustarum quædam rerum & sublimiorum simulacra confinxissent, facilius ego quidem inducerer, ut non tam eorum & contra naturam quam Dei opera mihi uiderentur. Sed cum illius consilium & sapientiam animaduerto, non uideo, cur illud diuinitatis templum, illa atria cœli, melioribus nõ potuerit aut noluerit imaginibus insignire, quam irrationalium animantium, monstrorum, uel rerum etiam uita carentium, quid enim ibi præter ursas, dracones, lepores, canes, & quæ inanima sunt, uti sagittas, naues, triangulos, adde capita abscissa tabe sanieq; diffluentia, & relegatam ad supplicium uirginem, ut hydram & centaurum prætermittam, quod si natura non patitur, cur eorum in cœlo exemplaria sibi descripsit? Equidem maius omni insania puto, adduci aliquando ut credamus naturæ hæc instituto, & diuino consilio ibi etiam formata. Puderet bonum antistitem, aut magnanimum regem meliores picturas in templo, in regia, non habere. Alioquin quod consilium instituentis ista naturæ? an ut per imagines has superiores, inferiora generis eiusdem corpora gubernaret? & per Lyram quidem cœlestem afflaret quibus uellet hominibus musicam melodiam, per animalia quæ sunt ibi ea quæ apud nos sunt, generaturq; quotidie & corrumpuntur, & generaret ipsa & cõseruaret, ne monstra sunt opportuna quæ nulla in natura sunt? innumera animalia ibi non describi quæ nulla describuntur? Nam quod canum ursarumq; sit priuilegium, ut duos habeant in cœlo siue rectores siue antistites, elephanti, tygrides, & innumeræ species animalium nullum habeant in cœlo numen per quod regãtur? sed nimis multa de his cũ illis, quæ nõ solũ est turpe credere philosopho, sed cõfutare etiã indignũ. Quod si quis me percontetur, cur in ista fingendi licẽtia ad has potius imagines quã ad alias fautores astrologiæ descẽderint. Respondebo illũ rationis habere quæstionem, quæ frustra desideratur in his rebus, q̃ nulla ratiõe cõstitutæ sunt. Quid tñ impleriscq; eos induxerit, facile est uidere. Puto enim imaginũ nomina, quæ zodiaci partibus ascribũtur, ab operibus Solis esse deriuata, qua potissimum fiunt, cum in illis partibus inuenitur, ut gratia exempli: Cancri nomen habuerit pars ea signiferi in qua Sol collocatus Cancri more regredi-

tur, quæ proxima est Leo propter æstus immodici exuperantiã, sicut Taurus pars alia nuncupata quòd ad eam Sol cum peruenerit terra bobus aratur, qua Gemini sequuntur, quare tunc geminando omnia geminant, sub Virgine terra exusta Solis ardoribus nihil parit, & sub Ariete uellere florum campi uestiunt, qua ratione capiti etiã de capilamenti similitudine animal illud præfecerunt, Libra noctes & dies in librili appẽsas inuicẽ æquat, cum ad Scorpium Sol peruenerit, tũ primum aër frigore pungit, mox sub Sagittario & frigorum uehementiorũ & uentorum aculeis nos lacescens, in Capricorno ratio manifesta, quare inde Sol instar capræ ascendere rursus incipit, in Aquario & Piscibus pluuias piscibus affatim effundens. Potuerunt huismodi illi similitudinibus adducti, has potius quàm illas in uarijs cœli partibus imagines fabricare, trahentes facile stellas in effigiẽ naturæ illius cuius illi parti nomen ob aliquã causam imposituri essent. Accessere figmenta poëtarum uel ad uoluptatem, uel ad gratiam multa confingentium, sicuti Conon Aegyptius mathematicus uidit prius monstra, & ex Beroniceo uertice cæsariem, sed nec operpæretium rimari diligentius & explorare insanias aliorum, dum satis superq; cõstet nolentibus delirare non esse naturæ hæc opera, sed fingentium nugas, uel somniantium deliramenta, sic ut tandem rectè de his inuentis diffiniam, à corrupta philosophia & poëtarum fabulis sunt exorta, quibus tamen quasi rebus ueris & digito (ut sic dixerim) Dei formatis tantum astrologi omnes tribuunt, ut uix credibile sit, in quas superstitiones hæc illos insania perduxerit. Nedes pharmacum, inquiunt, Luna in Tauro collocata, quoniam animal illud ruminat, quare pharmacum faciet, ut euomatur. Cum domũ ędificaueris caue ne Scorpius quartum locum obtineat, quoniam multi in illa domo Scorpij abundabũt. Qui Corona oriente procreabitur erit rex, qui Lyra musicus, & mille alia hoc genus, è quibus uideas illis esse persuasissimum harum omnium rerum ueras effigies & naturas esse in cœlo, à quibus ad nos mirabile defluant in decernendo fato potestates. Denicq; illa fabricandarum imaginum superstitio, tota per ista insania pullulauit, ut formata scilicet in metallo aliquo simili imagine, à cœlesti illa uirtutem afflari metallo opinentur, quæ tamen nec sunt in cœlo, nec si essent ob illã tamen ibi sculptam imaginem illinc descenderent, & si descenderet, haud quicquam tamen, ut probat Auerrois aduersus Algazelem, nobis inde proficeretur. Sed de his latius peculiari tractatu postea differemus.

INVISIBILES IMAGINES NEQVE SENSV, NEQVE RATIONE COGNITAS ESSE, PUGNARECQ; INTER SE EARUM AUTHORES, QUI NON CHALDÆI AUT INDI, SED ARABES TANTUM FUERE. CAP. VI.

DEmirari utiq; aliquis posset insaniam astrologorũ in fabricandis, quas hactenus incessuimus, fabulosissimis imaginibus, nisi alias multo magis ridiculas somniassent, Tradũt em̃ in uno quo-

que

que decano siue facie cuiuslibet signi imagines esse quasdam, inuisibiles il las quidem, sed ueerissimæ naturæ soliditate constantes, quas qui audiunt non diffluere in risum non possunt. Sunt enim huiusmodi, in prima, inquiunt, facie Cancri ascendit formosus iuuenis bene amictus, sed in facie eius & digitis nonnihil habens obliquitatis, corpore reliquo simili equo atq; elephanto, pedibus albis, supra se uarias frugum species & folia arborum suspendens. In prima facie Leonis ascendit arbor altissimæ radicis, cuius ramis insidet canis, & uir amictus uestibus nobilibus quidē, sed foedidis, lachrymabundus, & de parentibus suis tristis. His similes aliæ in aliis signorum decanis ab illis describuntur, quarum omnium, utpote rerum efficacissimarum meminit Aboasar sexto libro Magni introductorij. Meminit Auenazar in eo libro cui titulum fecit * hoc est, Initium sapientiæ: Meminerunt Petrus Apponensis, Michaël Scotus, & astrologi Arabes, latiniq; permulti, de quibus ego cum olim nonnihil audiuissem, putabam per has imagines illos indicare, quidnam signi cuiusq; decanus operaretur, non quòd inibi, hoc est, in cœlo figuras esse opinarentur. At eorum adiens libros longe secus esse agnoui, putant enim & asserunt, & contendunt, has in illis decanis imagines esse ueerissimæ, operum apud nos mirabiliū effectrices. Quin, ait Albumasar: Operantur quidem interdum quæ sunt similia suis formis, sed sæpe & alia penituſq; diuersa. Et quidem si lynces hoc dogma statuissent, adducerer aliquo modo ut subdubitarem patuisse oculis eorum quæ nostros obtutus effugerent. Istis autem hominibus tam admiranda mysteria propalantibus non inuenio fidem, quidnam possit astruere, cum nec habeant oculos alios quam quos homines solent, homines autem non uident, nec raptos cum ab Apostolo in cœlum eos legamus, nec in terra locatis ratio ulla potuerit ista demonstrare. Erubescant autem qui se uocant philosophos, nec ista pudet tamen eos nugamenta cōscribere quæ uix bimulo infanti fabulans anus persuaderet, adde quòd nec eadem omnes, sed alias alij sibi imagines cōminiscunt. Hic quidē in prima Arietis facie mulier, inqt, ascēdit fulgore resplēdens, & cauda piscis marini. Alius nō formosam ibi mulierem, non piscē, sed æthiopē esse ait, de cuius tamē oculis ambigit, nigri nean rubētes potius, sed qui procera certe statura, & albā chlamydē induat. In tertia facie Geminorum oritur inquiunt quidā, fistula aurea, & canis latrans, & delphinus. Alij contendunt nihil horum inibi esse, sed uirū petentē arma quibus se induat, clypeo munitū, instructūq; pharetra. In tertia facie Scorpij equum aiunt Arabes esse & leporem. Indi nec equū nec leporem, sed canē, aprum, & leopardū. Alij nullam bestiam, sed uirum in genua curuatū, forte (si licet mysteria interpretari) pro astrologis Deo supplicantē, ut eos aliquando reddita mente liberet ab insania. Quid enim aliud præterq; insa-

nos?

nos? qui fallatiosis adeò nugis nec posſibilibus uacent, credant, astipulen-
tur? Videns hæc Abraam Iudæus atque astrologus in libro de Natiuita-
tibus ridiculas potius quàm ueras imagines istas esse confitetur. Sed nec
quenquam inuenio, præter Arabes homines semper fabulosissimos &
qui eos secuti sunt Latini, fidem illis adhibuisse. Nihil de illis Aegyptijs,
nihil Chaldæi, nihil Græci, nihil Latini ueteres Astrologiæ scriptores.
Nam quod ait Album. Indos, Aegyptios, Babylonios, ista tradidisse,
falsus facile deprehenditur. De Aegyptijs enim & Chaldæis est unde in-
telligamus talia apud eos deliramẽta nulla fuisse, unde conijci potest de In-
dis eum pariter mentiri, quanquam non ita potest, ut de illis reuinci, cum
nulla extent à fidedignis authoribus tradita nobis Indorum monumen-
ta. Sed hoc peculiare Arabum est, ut quascunque ipsi fingunt commenta-
tiones, præscribant illis authorum nomina illustrium, quales multas in
primo disputationum istarum libro commemorauimus. Cum igitur ex-
tent Petosiris quædam, adhuc apud Aegyptios, astrologiæ magistri.
Cum extent præter Maternum, Ephestion commentatorque Thebanus,
& Paulus ex Alexandria Aegyptiaca omnes astrologiæ interpretes, facile
le ex illis cognoscitur nullam de istis imaginibus in Aegypto mentionem.
Patet idem de Chaldæis authore Teniro Babylonio, qui scripsit Apote-
lesmata decanorum, & coorientium cum illis imaginum. Patet Porphirij
& testimonio, qui ex sententia Chaldæorum astrologicas scripsit institu-
tiones, ut mittam Mallium, & Maternum. Vtcunque nobis & Chaldæo-
rum dogmata referentes, de Græcis authoribus soli possunt dubitare, qui
Græca non legerunt, neque enim usquam apud Græcum ullum scripto-
rem mentio de istis imaginibus, ut accusare magnopere Haly debeamus,
qui istum errorem asscripsit Ptolemæo, nam cum uerbo quinto & nona-
gesimo libri cui titulus Fructus, dicit Ptolemæus κινδυνεύειτὰ παρανατέλλον-
τα ἑκάστῳ δεκανῷ δηλοῦν τὴν προαίρεσιν τοῦ γεννομένου, hoc est, quæ singulis signo-
rum decanis cooriuntur nati uoluntatem indicare, & quamnam artem sit
pertractaturus, expositor Haly per coorientes imagines, inuisibiles istas
de quibus diximus putat intelligi, nesciens quænam apud Græcos πα-
ρανατέλλοντα, hoc est, coorientia dicantur. Vocantur enim apud eos hoc no
mine 6. ille atque 30. extra signiferum imagines, quarum 15. ad austrum,
1. atq; 20. uergunt ad aquilonem, de quarum proprietatibus & natura pri-
mo libro Apotelesmaton scribit Ptolemæus, qui nec eo loco, nec ali-
bi usquam, aliarum unquam imaginum meminit, præter eas quas fabri-
cantur ex uisibilibus stellis, aduersus quas superiore capite disputaui-
mus, utitur autem eadem dictione in sequenti uerbo, cum dicit con-
sideranda in defectibus luminarium παρανατέλλοντα, id est, coorientia,
quam eandem sententiam secundo libro Apotelesmaton tractans indicat,
ex quo

ex quo genere ista sint quæ coorientia dicantur. Ex quibus cum ait nati uo luntatem artemq; indicari quam sit professurus, id docet quod Manilius, Maternus Græciq; scriptores explicarunt, ut qui Naue cooriente nasci tur nauta sit futurus, qui Lyra musicus, qui Emotho auriga, atq; ita de reli quis. Sed & Porphirius in isagogis typum, hoc est, figuram & formam τῶν ζωλιῶν hoc est animalium quæ sunt in zodiaco παρανατελλόντων, id est coo rientium, * id est, astrorum compositione ait constare, unde intelligi mus coorientia hæc quæ dicuntur, non alias esse imagines quàm quæ ex stellis constituuntur, in quo declarando fui prolixior, quia audio Trape zuntium Græcum hominem (neque enim eius liber ad nos peruenit) sed ita audio in commentarijs eius in centiloquium Ptolemæi expositionem Haly esse secutum. A quo errore barbarus Album. potuit eos deflectere, qui nullas præter uisibiles & constitutas ex stellis imagines ad austrum aquilonemq; sitas, decanis exoriri ex sententia Ptol. affirmat. Libet autem ad mentem reuocare, quod quinto libro aduersus illos dicebamus, qui na tum Dominum Iesum dicunt oriente prima facie Virginis in qua Virgo sit lactans puerum qui uocetur Iesus, constat enim imago hæc Virginis puerum lactantis ex his fabulosis imaginibus quas irrisimus, quanquam nec talem ibi imaginem, sed aliam quandam, ut narrat Album. Indi com miniscuntur, quod inuentum quàm uanum & ridiculum sit, quisquis ani mo satis perpenderit, pudebit eum astrologicis istis deliramentis, Euange liorum ueritatem uelle aliquando confirmare, quod non alia ratione à dæ mone est procuratum, quàm ut quasi amica fautrixq; religionis pestis ista reciperetur. Sed habeant ipsi sua sibi nuga menta, quibus accersitis nõ confirmatur ue ritas Christiana, sed infirmatur potius atq; polluitur.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDV læ aduersus Astrologos libri VIII. Finis.

IOAN.

IOANNIS PICI MIrandulæ Disputationum, in Astrologiam, Liber IX.

EPITOMA EORVM QVAE HACTENVS CONFECTA, & quid sequentibus libris agendum, undeq; auspicandum. Cap. I.

DEMONSTRATVM est hactenus astrologiam nullam esse, quòd ista de quibus pronunciet à cœlo non dependeãt, prꝛterquam per accidens, aut tanꝯ à causa remota & uniuersali, quarũ neutra cognitionẽ particularem euentorum parit. Declaratũ est item si de cœlo fierent ista, non tamen quomodo astrologi opinãtur, hoc est, à momento quodã initiali, tum si detur hoc quoq;, certe non ab his causis quib. utũtur in prꝛdicendo, quarum nullam si certum habeamus examen uera & naturalis. Nam quanquam stellis utantur & Planetis, augent, minuunt, mutãt, prolocis, signis, interuallis, & cꝛteris id genus, quæ falsa & inefficacia esse declarauimus. Quare uel malas causas introducũt, hoc est fabulosas, uel inficiũt bonas admixtione malarũ. Nũc illud nobis agendũ, ut declaremus si cũcta ista cõsisterẽt, esse tamẽ huiusmodi qua cognosci ab illis nõ possint, aut si possint cognosci nondũ habitã tamẽ eorũ cognitionẽ. Tria sunt aũt cognitu necessaria, si de rebus futuris uera prædicenda sunt. Primũ illud, ut hora initialis rei cuiq; fideliter teneatur. Secũdum ut statũ cœli siderũq; positionem ad eam horã exacte cõprehendamus. Postremũ ut illa cœli siderũq; positio quidnam faciat rationibus ueris, aut nõ fallacibus obseruatum experimentis intelligamus. Horum nihil posse cognosci, aut quisquam uerit hactenus non extitisse duobus sequentibus libris aperiemus. Exordiemur autẽ ab hora primordiali cuius cognitio in primis necessaria, nec constitui reliqua recte possunt, si quid in ea, uel ambigatur uel erretur. Ea uero uel hominum siue geniturarum, uel urbium, atq; regnorum, uel anni constellationes auspicantur, nos à geniturís initium faciamus.

ASTROLOGVM CERTAM GENITVRAE HORAM NEQVE semper scire posse, neq; per ueram regulam explorare. Caput II.

MOmentum quo quis nascitur, exploratum habere astrologus non potest, nisi forsan accinctus cum prodit infans astrolabio cœlestia metiatur, sed hoc fit quàm rarissime, nec fieri nobis uolentibus semper potest, ut noctu, aëre nubilo, mathematico nullo, uerum cum sit labi quoque facillimum, ut testatur Auenrodan in commentarijs super Ptolemæum. Nam si non sit exactissimum instrumentum,

tum, quale forsitan nunquam est, quod inspectione momento egressionis ad liquidum respondeat, ratio partilis horoscopi uacillabit. Verum ut sit uera per astrolabium horæ perscrutatio, rarissime, ut dicebamus, fieri hoc contingit, illud frequens, fereq; perpetuum, ut parentes, dominusúe genituræ, talem fuisse natiuitatis horam dicat astrologo, cui fidendū non esse nec astrologi diffitentur, fallax em̄ plerunq;, quare dicit, apud eos hora extimata siue suspecta, de qua, scilicet, suspitio certitudo nulla, nā solaria mētiuntur & horologia quidem si nihil fallant, ea tamen quæ mediis horis cādunt interualla non demonstrant, adde quod horæ uulgares initiū ab occasu Solis non habent, quod mathematicarum ratio postulat, uerum cum aër incipit obtenebrari, quod euenit Sole sub finitorem dudū iam demerso, præsertim in signis obliquis Sole collocato, quæ cum moram in occidente trahant, longiorem interdum nox unam horam exegerit priusquā aër obtenebrescat. Deniq; confitentur hoc nobiscum astrologi, sed remedium adhibuere ne propterea diuinatio periclitetur. Nam & si illa non sit uera quam uocant horam extimatam, nisi tamen à uero plurimum distet, habere se methodum dicūt ueræ inueniendæ, quare nihil obesse priorem illam incertitudinem. nos, si sapere isti possent, id tātum obiiceremus, artem siue scientiam dari nō posse, quo facta sit nec ne, res particularis quæpiam cognoscatur, non igitur esse methodum qua reddamur certiores quo momento Ioan. aut Paul. æditus sit in lucem, sed ista non uidētur eis absurda, forsitan neq; illud esse qualibet nedū die sed horā particulas multas temporis, quibus certa regione nasci nemo potest, consequi hoc facillime demonstratur. Nam si natus ego prima noctis hora dicor à parentibus, & methodo conuenire horam negat astrologus, quare serius aut citius me fuisse natū rogo, nunquid alius sub eadem cœli inclinatione prima noctis hora nasci potuerit, quod si negāt fieri potuisse, sequitur quod dicebam ut multæ sint horæ cuiuslibet partes, quibus locis quibusdam nasci homo non potest, dico autem multas horæ cuiuslibet partes, quoniam nullum fere tempus genituræ datum à consulentibus regulis quadrat astrologorū, sed mutat ab illis semper in partē, uel antecedētem horæ, uel subsequentem, si potuisse alium nasci per id tempus in ea regione concedunt, quanquam ego tunc minime natus sim, natus igitur prima hora noctis dicatur Anto. atq; illud interrogo siquam ueram iam statuimus horā suæ natiuitatis Anton. porrigat astrologo uerā ille sit arbitraturus an falsam, si ueram debuit eadem ratione meam cum offerebatur ueram arbitrari, cum eius methodo non magis nunc cōueniat quam cum Ioan. eam offerebat, si falsam, uerum statuebatur ea hora natus Anto. falsum ergo dogma per quod hora uerissima quasi falsa reputatur. Præterea qui præceptum hoc genus tradiderunt signum aiunt mutari non debere, quod extimata hora demonstrat, sed eius signi partem methodo declarari, quæ po-

tissimum sit in horoscopo. Verum extimata hora de signo sæpe mētitur, cum postremis præsertim aut primis signi partibus ascendentibus homo nascitur, tunc igitur methodus non emēdabit errorem sed confirmabit. Patet his rationibus uiam non esse horoscopi uestigandi cumest incertus. Nunc illud ostēdamus, siqua forsitan posset excogitari, quas tamen astrologi tradiderunt apertissime esse fallaces.

PTOL. DOGMA QVOD ALMVSELI SEV ANImodar uocant, & authoritatibus & rationibus confutatur. Caput III.

PTolemæus tertio Apotelesm. lib. dogma tradit huiusmodi: Præcipit obseruari nouilunium proxime genitura præcedens, aut plenilunium: tum Planetam qua parte coitus fuit, uel oppositio, authoritatis plus habentem, deniq; themate iam dispositio cui cardini proprior ille Planeta fuerit, statui locum illum ad numerū quem in partibus signi Planeta ille dominator obtinuerit, hunc cardinem confingunt totius geniturae, hoc fundamentum totius Apotelesmaticæ astrologi omnes decernunt, hoc illud decretum quod Almuseli uocāt, interdū Animodar. In quo quantum peccēt iuniores sententiam Ptol. perperam intelligentes superius. Nunc ipse Ptol. excutiī, cui possum in primis magnas authoritatum moles opponere, nam Abraam Iudæus ait se multas genituras obseruasse cum exactissimis astrolabijs in his regionibus quarum longitudo latitudoq; confessa & explorata, nec tamen inuenisse de Planetis aliquem cuius gradus ex signis quæ occupabat atq; minutiæ, responderent gradibus & minutijs orientis, aut medij cœli, nec plus hora dimidia uariaretur, à iam comperta sensu uerissima hora nativitatis. Ridiculi uere qui dicunt iudicio non scripsisse hæc animi Auenazrā, quasi lis illi cum Ptol. de regno, quo fuit etiam annis nongentis posterior, quasiq; in anno constituendo in annorum datore, & pleriscq; alijs Ptol. sententiam alijs non anteponat. Sed & Alchabitius proprio commentario scribit se demonstrasse nullo pacto per eam rationem gradum orientem uerum posse reperiri. Henricus Batensis Alberti magni discipulus suam examinans genituram, quanquam nomine dissimulato seruum dei se nominans, mittamus inquit Animodar Ptolemæi à sapientibus reprobatū, alij dogma non expungunt sed castigant ut Aoniar, nonnihil à Ptol. dissentiens. Alij super eius intellectu digladiantur. Et cum illud inquiritur, cuinam loco proximior sit Planeta, sunt qui quantitatem discretam obseruandam uelint, sunt qui continuam, ut Antonius de Monte Vlmo. Verū omissis authoritatibus aduersantium Ptoelmæo, solitus ego dogmatis falsitatem ita declarare. Nascatur Lucius Romę, Florentiæ Fabius eadem hora eodemq; momento, liquet astrologis non eundem futurum horoscopum

scopum utriusq; ob diuersam cœli inclinationem sub qua nascuntur, & tamen si rationem ex Ptolemæi præceptis ineamus eundem utriusque horoscopum faciemus, cum utraque regione plenilunium antecedens, siue nouilunium eadem cœli parte contigerit, quare idem quoque dominator qui themate in utroque gradum signi possidens eundem, ijsdem numeris cardines in utraq; genitura definiet. Sed hoc euidentia rei sensuq; reuincetur. dogma igitur falsum, quod miror Ptol. mathematicum summum non peruidisse.

INVESTIGATIONEM PARTILIS HOROSCOPI per conceptum, Ptolemæo falso ab Arabicis ascribi, irrationalem esse, & à multis astrologis reiectam. Cap IIII.

APud iuniores inuenta est alia ratio uestigandi ex hora conceptus horoscopi, cui plurimum tribuunt. est autem huiusmodi, ponunt quasi confessum ex ueterum traditione, pxæsertimq; Ptolemæi uerbo primo & quinquagesimo libri cētum enunciatorum, Lunæ locum in natiuitate fuisse horoscopum in conceptu. Contra, locum Lunæ in conceptu horoscopum esse natiuitatis, hoc posito, methodum tradunt qua putant posse deprehendi locum Lunæ, cum semen uterum impleuit, quo reperto similem quoque gradum colligunt hora natiuitatis ascendere. Fuit autem eis erroris occasio mendosa translatio librorum Ptolomæi, quoniam nusquam ille de gradu hoc scripsit, uerum de signo tantum, uerba eius loco superius memorato sunt hæc ἔνθα ἐστὶν ἐν τῷ καιρῷ τῆς γεννήσεως ἡ σελήνη, ἐκεῖνο τὸ ζώδιον ἐν τῇ σπορᾷ ὡροσκόπησον, καὶ ἔνθα ἂν τῆς σπορᾶς ἔτυχεν, ἐκεῖνο, ἐν τῇ ἀποκυήσει ὡροσκόπησον, ἢ τὸ τούτου κατὰ διάμετρον. Latine ita ad uerbum: Vbi est tempore natiuitatis, illud signum cōceptus horoscopum statuas, ubi fuerit in conceptu, illud fac horoscopum partus uel eius oppositū. Non putauit igitur Ptolem. hac uia partiliter posse horoscopū inueniri, quare in libris Apotelesmaton, ubi hoc inquirit, nullam placiti huius facit mentionem, alioquin si de gradu intellexisset, quod ex eius uerbis falsum ostendimus, facillimum quoque existimasset in conceptu horam inuenire, quam hodie nullo magno negocio iuniores quibuslibet desiderantibus reddunt, usi methodo quam Ptolemæi esse uolunt. Quomodo igitur ipse Ptolem. Apoteles. libro tertio, principium seminale ἐπίπλεον, hoc est, plerumque seu maxima ex parte, ait ignorari, & cum in eius cognitionē deuenitur, id aut σύμπτωματι, hoc est, aut casu, scilicet fortuitoq;, aut obseruatione, debuit certe adddere aut ἐν τεχνῶς, hoc est, artificiose, siquidem arbitrabatur arte aliqua & uia istud posse deprehendi, quomodo autem ait casu, cognoscitur aut obseruatione, declarat

Græcus interpres casu cum accidit mulieri recepti seminis sensum fieri, ut Cleopatra docet, abseruatione si cõsulto uir illud tempus annotat quo semel fœminæ congressus, deinceps abstinuerit, tum fœcundum fuisse cõgressum menses declarauerint. Ptæter hæc aliam esse uiam tempus illud ad liquidum explorandi, ueterum nemo prodidit nedum ex eo natiuitatis horam uoluerint inuestigare. Nam quod Arabes dicunt Hermetem hoc præcepisse, fabulosum est, sicut alia multa (quod primo libro notauimus) mendacissime ad eundem referunt authorem, quod enim Aegyptij super hac re tradiderunt, Ephestion refert & Porphyrius, qui hoc ipsum præceptum quod legitur in Ptolemæo Petosiris Aegyptij inuentum fuisse dicunt his uerbis: ὁ δὲ πτολεμαῖος & quæ sequuntur. *

Petosiris autem inquit, signum in quo Luna fuit tempore conceptus, illud in partu horoscopum esse, aut eius oppositum, quod autem Luna tempore partus occupauit, illud conceptus horoscopum fuisse. Sed eodem loco Porphyrius duos alios refert modos, ex Antiochi quorundãq; aliõrum sententia, signi uestigandi, in quo fuit Luna hora concubitus, de gradu nunquam facta mentione, quin ipsum quo scribuntur hæc caput inscribitur: De signo seminali Lunæ, quod illud signant, quodnam signũ Luna tenuerit cum loco genitali semen admissum est. Ephestion quoque Thebanus tres alias ab his diuersas, quarum Porphyrius meminit, Aegyptiorum methodos narrat, quibus hoc idem inuestigarent, quodnam, scilicet signum, hora concubitus ascenderet. Vbi uerbis expressis admonet nos Ephestion, no peruenirí per eas uias ad partilem horoscopum, sed eum πάχυλῶς indagari, hoc est, crassa (ut dici solet) Minerua. gradus uero determinandi unicam esse rationem quam tertio libro Apotelesmaton tradiderit Ptolem. Est autem ea quam capite proximo confutauimus. Verum, ut diximus, in errorem lapsi sunt iuniores, quoniã in Arabica translatione, quam Latini sequũtur, interpretes gradum pro signo perperam posuerunt. Cæterum quicquid scripserint authores, quænam ratio dogmatis, aut qua potuit hoc obseruatione deprehendi? Respondet, inquiunt, supputatio, quoniam ex loco Lunæ hora natiuitatis quot diebus in utero infans fuit hora natiuitatis intelligitur, quos si retro numeres in conceptus horam deuenies, atque per id tempus Lunæ locum inuenies eum qui tempore natiuitatis ascendet. Verum illud interrogo, quis nos doceat ex loco Lunæ tempus mansionis in utero definire? non hoc Ptolem. non ueterũ quispiam, non uester etiam Hermes prodidit. Quod respondeatis aliud non est, quam ita definiri mansiones illas oportere, si uerum sit dogma de permutatione ascendentis & loci Lunæ in conceptu & natiuitate, circulo igitur demonstratis ueritatem dogmatis probantes, quòd eueniat ita mansionibus obseruatis, & mansiones obseruari ita debere, quare dogma uerum aliter non erit, scilicet ita facile sit cuique dogmata confirmare;

mare. Quod si forsan audetis experimento id asseuerare, simul obseruato collatoque inuicem tempore natiuitatis atque conceptus, impune uobis mentiri licet, acta re sine arbitris. Verum ex uestris qui se maxime contendũt expertos, negant ueritati respondere præceptum: Abraam enim Auenazra se quinquies id obseruasse dicit, ter non successisse, quod nunc quidem in Martem, nunc in Venerem, nunc in Mercurium refert. Puto si decies id obseruasset alios quoq; planetas pariter accusasset. Nam Hemanuel Hebræus Auenazræ sectator bis expertus, semel à uero tẽpore natiuitatis per septem dies reperit uariare. Aboasar numen astrologorum falli methodum istam quinque gradibus posse credit, ut Sedis eius Discipulus narrat. Quod si est, nihil nos iuuat, quibus de gradu tantum sollicitudo. Pariter & Auenrodan magnus apud istos expositor Ptolemæi mentiri sæpe illum testatur. Saxoniensis interpres Alchabitij, falsam & uanam penitus putat inutilem quoque affirmans fieri non posse, ut per eam incertus gradus horoscopi certus unquam reddatur, quod exemplo propositæ genituræ late manifestat.

MESALLAE FIGMEE TVM CVM ALIIS QVINque, à Paulo Alaxandrino recitatis explorandi horoscopi modis refutatur. Caput v.

HI sunt ferè modi qui recepti magis astrologis. Messalla figmẽtum aliud cogitat, sed explosum ab omnibus, perspectęq; uanitatis. Iubebat enim Lunæ tempus à nouilunio ad plenilunium, uel contra à plenilunio ad interlunium, quasi horam unam existimari, tum utrum illorum antecederet genituram, quod inter ipsum & tempus genituræ spacium caderet, comparari ad totam distantiam Lunæ nascentis & consummatæ, & qualis esset interuallorum proportio, eam partem sumere horæ temporalis, ita tamen ut illud obseruaremus, ne quando mas hora pari nec fœmina impari nasceretur. Risit secuta ætas experimento deprehendens eadem hora mares & fœminas nasci. Ego uero non tam placiti unius cogito uanitatem, quam hinc totum Messallam illum iudico. Nam ut labi, errare, decipi proprium sit hominis, attamen scribere tam pudenda, niti rebus ridiculis, fabulas ponere quasi dogmata, loqui quæ rerum passim euidentia confutet, non est hominis certe, si dos hominis propria ratio est. Sed nec tam unum Messallam æstimo quam de Messalla omnes astrologos, apud quos primi ordinis est, nec temere in ea familia sapientiores inuenies. Nam Antistites sacræ istius disciplinæ mirabiles Aegyptij, quanta super hac re fabulamenta com-

ta commenti sunt. Refert Paulus Alexandrinus methodos quinque diuersas à tribus iam memoratis quibus ad horoscopi ueritatem partiliter indagandam utuntur, deus bone quam uanas, rudes, futiles, falsas. Prima huiusmodi, respice, inquiunt, epochan Solis in diurna genitura, Lunæ in nocturna, & cuius planetæ fuerit monomiria, fac eiusdem planetę monomiriam suspecto gradui proximiorem, uerum horoscopum. Altera siue dies fuerit siue nox Lunę tantum epochan inspicit, cætera similis. Tertia, quæ Ptolemæo sui dogmatis præbuit occasionem, pleniluninm uel interlunium proximum genituræ considerat, tum uero despotem, hoc est, dominum domus in quo contingit, & onocratorem, hoc est, finitorem dominum, uidetqúe uter fortior in natalitia constellatione, uter plus in ea possideat authoritatis, & ex isto dinumerat gradum ascendentem. Quarta duntaxat inspicit dominum summum gradus, scilicet in quo Sol & Luna postquam infans utero prodit uel coëunt uel opponuntur, & quot fines in ascendente signo possederit ille planeta, tot gradus eiusdem signi putant in oriente iam apparuisse. Postrema non solum genituram, sed conceptum obseruat, hoc est, quod utrunq; tempus uel plenilunium uel nouilunium anteceserit, tum graduum quibus illa contigerit dodecathemoria fieri iubet & obseruari, in quo planetarum cadant monomirijs, ut qui in themate melius se habuerit arbitrium habeat horoscopi metiendi. Scribens Heliodorus quo pacto inuestigarent tempus conceptus, retrocedebant, inquit, à genitura per nouem menses, quasi gestãdi uteri tempus semper sit æquale, ut rudissimi ubique diuinissimi isti Aegyptij inueniantur. Possem autem obijcere multa quibus peculiariter ista dogmata peccant. Verum illa una ratio breuitati studentibus satis est qua Ptolemæi quoque dogma reiecimus. nam quamcunque secuti fuerimus methodum ex prædictis, semper eorum qui simul nati fuerint, regione tamen diuersa, faciemus eundem horoscopum, quum tamen omnibns mathematicis extra omnem controuersiam constat esse diuersum.

INITIA

INITIA VRBIVM, REGNORVM, FACTIONVM, LE
gum ignota esse, nullamq; artē astrologos tradidisse qua
posint inuestigari. Cap. VI.

LIquet ex his, nunquam horam natalem præterquam casu no-
tam ad liquidum esse: tum quod aberret nullam posse per ar-
tem restitui, sed cum ea uera non fuerit, ueritas prædictionis
constare non potest. Nihil igitur ueri dici potest à Genethlia-
cis qui partilem horoscopum cardinem geniturę, compagem totius fati,
fundamentum totius Apotelesmaticæ, una uoce testantur. Neq; uero me-
lior fides in urbium & regnorum initijs, quorum notitia scrupulari lon-
ge difficilior quàm geniturarum, quis enim hæc prodidit? quis obser-
uauit scriptor historiarum? quarum fides & diligētia si reddiderit diem ur-
bis instauratæ, uel urbis conditæ, utiq; magnanimis existimabitur. Ro-
mæ diem natalem coli mos fuit, sed non plus inde cōstat astrologis quam
in imp. fuisse Lunam, hoc est, in Libra, cum condebatur. In opistogra-
phis Pauli Florētini medici & mathematici duplex reperi tempus anno-
tatum instauratæ urbis Florentiæ, alterum anno gratiæ octingentesimo
primo, alterum octingentesimo secundo, unde siderum constitutio peni-
tus diuersa. Crediderim & multas uariari urbium cōstellationes, quæ uul
go feruntur, fictas ex Apotelesmatis, quales ueterū fingit Iulius Firmicus
Paridis & Platonis, & aliorum, quod de mundi quā affert genitura, ipse
quoq; testatur. Præterea magni quoq; esse momenti uolunt illud momen
tum quo noua factio prævalere cœpit in ciuitate, quo tyrannus urben oc-
cupauit, quo seditio facta inter populares, quo ciuilis discordia nata, quo
gens extera regnum inuasit, quo nouæ conditę leges, noua decreta fuerūt
promulgata. Quarū rerum horoscopum quisnam reddet nō diuinator?
cum hæc tamen habere prius oporteat quam diuinemus. Deniq; ut habe-
ri momenta possint aliqua temporum istorum, certe non denegabunt ea
fore minus exacta, minus certa, quam particulariū geniturarum. Quare
si putant istas indigere castigatione, nec aliter eis fidendū, multo hoc ma-
gis opus fuerit in illis, quas cum nulla ratione docent emēdare, nam quas
memorauimus methodos genituris tantum hominum adhibentur. Erit
igitur manca, fallax omnis eorum prænūciatio de fatis urbium & regno-
rum, quando de momentis illis primordialibus uolunt hæc dependere,
quæ tamen aut ipsi penitus ignorāt, aut non satis ex fide, satis ad unguem
tradita receperunt. Non iam igitur homines mortem, exilia, pau-
pertatem, non excidium urbes, aut pestilentiam uerean-
tur, cum audacissimi nugatores æditis passim
libellis annuis ista minitantur.

INCERTVM ADHVC ESSE APVD ASTROLOgos quomodo domus diuidendę, quantum earum uires extendantur, & quibus signis utendum.

Caput VII.

RElíquum de principijs anni, magnarumq; coniunctionum, & defectuum dicere, nam momentum quo fiunt obseruantes, inde uaticinantur fata rerum public. & uniuersalium. Erit igitur declarãdum, huiusmodi tempora citra lapsum erroris ab illis deprehendi non posse, uerum hoc ex sequentibus eluceſcet, cum incertos adhuc motus planetarum, nec inaccusabili supputatione comprehensos ostendemus. Hactenus igitur quam sit incerta cuilibet rei fatalis hora dixerimus, si sunt horæ fatales rerum quas astrologi maxime putauerũt, nam nullas esse fatales, & si quæ sunt, alias esse quam putent, supra demonstrabamus. Nunc illud palã faciemus etiã si tẽpora consequantur auspicandæ prædictionis, quæ tamen siderum positio, qui cœli status ad eam horam, scire eos non posse. Primum igitur opus thematis disponendi, præfinitis duodecim locis, quas appellant domos, ubi quantis astrologi tenebris offundant, quantum inuicem digladientur, re penitus incõperta, nemo nescit qui libros mathemati orum attigerit: alij sex circulis ista loco discriminant, quorum unus per orientis punctum circumuolutus & septimum facit cardinem & horoscopum, alius ipse meridianus ætheris summa infimaq; deliniat, alij quatuor medijs locis intercepti per quatuor puncta notasq; dicuntur diuisionum arcus semidiurni & arcus seminocturui, in tres æquales portiões. Sed & omnes isti circuli mũdi uertices permeant. Quã opinionem uulgo receptã superius coarguebamus. Abraã Auenazra docet in astrolabij cõpositione, tum alibi quoq;, domos ita partiri, ut sex circulos designemus, quorũ unus orizon, alius ipse meridianus, quibus quatuor statim cardines statuuntur. Alios quatuor duci iubet per notas sectionis horixontis & meridiani ac diuisionis partiũ æquatoris cadẽtium inter orientem & meridianum, & diuisionis, inquam, in tres æquas portiones. Hanc methodum ualde probat, authoris tamen nomine suppresso, Ioannes de Regio mõte sublimis ætate nostra doctissimusq; mathematicus, quanquam Cãpano tamen non satisfecit, qui nouam ipse quoq; partitionis istius attulit rationem, cætera similis Auenazaræ, sed in eo plurimum diuersam, quod pro æquatore factitio quodam utitur circulo, quem nuncupauit circulum uerticalem, unde alius mensus alijq; locorum fines emergunt, scripsit Ioannes de Regio monte copiose confirmationẽ huius dogmatis, multis tum mathematicis, tum ueterum astrologorum authoritatibus nitens. Alij & aliter partiuntur, & Ludouicus Heremita noster diligens exactissimusq; supputator, solitus est probare nullã ex methodis quas memorauimus Alchabitij dictis conuenire.

Quid

Quid quod eadē loca per zodiaci gradus quos æquales uocāt multi censent diuidenda, uel hac tantum utentes uia (quod plerumq; feciſſe Indos ſupra quoq; monuimus) uel utramq; diuiſionē pariter recipientes, tū eam quæ ex anaphoris uariatur ad æquatorē tamen quæ gradus ſigniferi tantummodo reſpicit. Quod Hiſpanus Abraam præceptor Auenazræ, & Henricus Valenſis obſeruant, non minus ex loco pronunciantes in quo planeta ſit, facta per æquales gradus diſtributione, quàm ubi communi more diuiſionibus annotatis. Præterea ſi conſtaret, ubi locorum principia finesq; ſtatuendi, ſupereſt alia dubitatio quæ rurſus omnia reuocat ad incertum, quoniam non conueniunt loci uirtutem & efficaciam intra ſpacium claudi loci deſignati. Sed Ptol. ſupra illud ad antecedētes ſignorum partes quinq; gradus exorditur. alij tribus tantum partibus illud extendunt. Aegyptiorum ſapientes initium loci, quam uulgo cuſpidem appellant, non initium, ſed medium eſſe quaſiq; centrum uirtutis uolebāt, quare quindecim ſupra gradus loci illius eum diffundi, & totidē citra. Quas omnes opinionum uarietates ſi paribus ferè omnes uel rationibus uel authoritatibus communitas animaduerterimus, uel hac duntaxat incertitudine totam pronunciandi per aſtra rationē (ſi qua ſit illa) in ambiguo eſſe cōfitebimur. Nam uariatis locorum diuiſionibus, omnis uariatur conſtellatio, quandoquidē (quod ſupra reprehēdebamus) mutāt ſtellæ apud aſtrologos pro loci mutatione, naturam, influxum, & proprietatem, & quod maximum eſt, illa loca pugnanti & contraria imprimis conditione decernunt, quæ ſunt ſitu coniuncta & cohærentia. nam primo loco & duodecimo qui deinceps ſe habēt, quid magis poteſt eſſe diuerſum? quid ſexto & ſeptimo, rurſus quinto & ſexto? undecimo item & duodecimo? nono rurſus atq; octauo? atq; ita de reliquis. Sæpius autem quem alius mathematicus ſexto loco planetam collocabit, alius in quinto eſſe cōtendet, quod omnem prædictionem penitus uariabit, & quem quidam in nono eſſe decernet, alius ad octauum dicet pertinere. Tota igitur iſta locorum diſtributio, radix & fundamentum omnis Apoteleſmaticæ remanet in incerto. Sequitur eam cura ſignorum, quibuſnam, ſcilicet uti debeamus? ubi perplexa nec explicabilis quæſtio de mobilibus ſignorum & immobilibus, deq; ſphæra octaua, nona & decima, de qua re non eſt nobis hoc loco dicendum, quoniam ſupra abunde eſt pertractata. Iudæus Abraam duplex thema fieri præcipit, ut qui controuerſiam dijudicari poſſe non crederet. Erit autem incertum ex hac dubitatione, quænam ſigna planetis debeantur, & ex ea quam ante tractauimus, quænam loca. ſed omnis hinc pendet aſtrologica pronunciatio: omnis igitur dubia, incerta, inexplorata.

LOCA PLANETARVM VERE ASSEQVI ESSE LAborioſiſsimum deq; inſtrumentorum fallacia.

Caput VIII.

IOcis diuiſis ſignisq; diſtributis, ſupereſt labor epochas ſtatuendi ſyderum & ſtellarum, hoc eſt, quibus gradibus & minutijs tam non errantes quam errãtes ſtellæ reperiantur indicandi, quod officium rudes & imperiti facillime putant poſſe ſe præſtare, doctiſsimi hæſitant & diffidunt, quibus, ſcilicet notum, quanta ſit difficultas aſſequendi uere loca planetarum, quod impoſsibile nedum laborioſum multis iudicatur. Andreas Sũmarius grauis mathematicus ſuum ita librum exorditur: Motus ſtellarum an ſciri poſsint neſcio, nondum eſſe ſcitum, certiſsime teneo. Affert rationem ſententię ſuæ talẽ, quoniam qui metiuntur ſyderum motus, neceſſario prius locum ſyderis definiunt, in quo illum inſtrumenti ope conſpiciunt, & loco ſtellæ cõperto, quaſi ſuppoſitione utũtur, ad ipſam ſuper eius curſu ſupputationem dirigendam, quod ſi locus uere deprehenditur, uera motus futura ſupputatio, nam mathematica ratione nituntur, quæ minime fallitur, uerum loci deprehenſio fidelis uſquequaque non eſt, organo ſimpliciter utiq; deficiente. neq; enim poteſt qualiſcunq; uaſtitas inſtrumenti mechanici ſatis eſſe diuiſionibus actu ſenſuq; perceptibilibus, quæ ſunt errori uitãdo neceſſariæ, ſi diſtantiæ ſtellæ cuiuslibet ab obſeruantis loco, tum proportionis illius qua ambitus uniuerſi, inſtrumenti ambitũ excedit, ratio habeatur. quare cum habitudinem partium inſtrumenti corporis perexigui, ad totius partes tanquam ad res immenſas nequeat ſenſus aſſequi, locus ſideris obſeruari ſine fraude non poterit. Verum forte latebit error, ſed ætatis ſucceſſu fiet euidentior, ſidere ſemper à uero loco ſingulis reſtitutionibus magis recedente. Confirmat hoc Ptol. qui hanc ob cauſam de fallacia inſtrumẽtorum, iubet ducenteſimo quoquo anno aſtronomicos numeros inſtaurari, quod eo temporis tractu ueteris obſeruationis culpa retegatur, quare nouis obſeruationibus caſtigãda, quę necipſę futurę ſint inculpatæ, ſed citra tamen errorem qui tunc ſenſu deprehendatur, quę cum rurſus exactis multis euolutionibus aberrabunt inſigniter, noua, quã maxime fieri poteſt, rurſus caſtigatione redigentur ad ueritatem. Sic tabulæ Ptol. principis aſtrologorum multis retro annis habitæ ſunt inutiles. etenim ſtudia recentiorum obſeruationes identidem corrigunt, quoniam ut prædixim9, nulla tã ſolers, tam ſubtilis inſtrumẽti cuiuſcunq; fabricatio, nulla itẽ tam uaſta magnitudo, quæ locũ ſideris inculpata fide renunciet. Refert Abraã Iudæ. in lib. ſuper opere tabularũ de duob. aſtrolabijs ſumma ratione cõfectis, tum magnitudinis tãtæ, ut utriuſq; diameter nouẽ palmis extenderetur, & cũ duo fratres Berſechit inſtrumentorũ cõpoſitores ſimul, ingrediente Sole in Arietem, Solis altitudinẽ obſeruarẽt, non idem

utrunq;

utrumq; retulit instrumentũ, sed duob. minutijs inuicẽ uariarunt. Henricus Baten. Machiliuensis in hac arte prȩcipuus, ut in omni mathematica, scripsit enim super astrolabij compositiõe nobilem tractatum, putat uel impossibile, uel, ut inquit, proximum impossibili, fieri instrumẽtum nullo modo fallax, & cum esset Parisijs refert se uidisse, duobus arte mira dispositis maximis quadrantibus altitudinem solis maximam in meridie, scilicet æstiualis solstitij obseruatam, & altero quidem instrumento, partibus deprehensam quatuor & sexaginta, minutijs uero duabus & quadraginta. Altero totidem partibus sed minutijs nullis, quare fuit error in alterutro minutiarum duarum & quadraginta. Vide quàm falli poterũt etiam qui nascentis horoscopum colligunt instrumento, quod admonitos quoque nos ab Auenrodam supra sumus testati. Baten. item, quem mox citauimus, in naturalium rerum speculo multis millibus uersuum probat nec Ptol. nec Ieber, nec Albategni, quantitatem diametrorum Solis & Lunæ certius indagare quàm per defectus, nam fidem instrumentorum super ea re fore suspectam. Mitto quàm multis modis in magna compositione docet Ptol. & Alliacen. libro septimo de uisu, falli oculos posse super stellarum locis obseruandis. nam ut aër serenus & innubilus habeatur, quid prohibet uentum flare qui non sentiatur? At scribit philosophus Aristotel. Euro flante uideri sydera maiora. Leo Hebræus uir insignis & celeber mathematicus quasi ueteribus parum fidens, excogitauit nouum instrumentum, cuius uidimus canones mathematica subtilitate præcellentes, ueruntamẽ eo duas non erraticas bis eodem anno cum obseruasset, discrepasse priorem ab altera obseruationem duobus gradibus dicit, quod in aëris statum putat referendum.

VARIAE SENTENTIAE DE PLANETARVM motibus, anni inæqualitate, & maxima Solis declinatione. Caput IX.

HInc nata est forsitan inter authores tãtarũ diuersitas opinionũ de motibus syderum, quoniam si loca non fallentibus instrumentis uera deprehendissent in metienda, ut dicebamus, mora restitutionis non aberrassent, nec dissonassent inuicem. Ptol. in magna compositione motum solis uocat manifestissimum omnium, quoq; cæteros ueluti notiore metiri debeamus, hic uero quam parum certe sit exploratus, nihil certius nobis ostenderit, quàm quæ pugnantissime super eo à principibus astronomiæ sint scriptæ traditiões. Antiquiores Hypparco solis restitutionem qua conficitur annus, trecẽtis sexaginta quinque diebus constare uoluerunt plus quarta parte unius diei. Alij tantum quartã partem superaddiderũt. Hypparcus ab Alexandri morte anno centesimo septuagesimo octauo scribens ex suis & Chaldæorum obseruatio-

obſeruatiõibus minus quarta parte diei adiiciendum ſupputauit, uerum quantum illud eſſet quod deficeret ad liquidum non exegit. Poſterior eo Ptol. annis ducentis octuaginta quinq; trecenteſimam eſſe illam diei partem diffiniuit. Albategni poſt Ptol. annis 743. obſeruans cœleſtia, motum Solis inuenit uelociorem, quia deficere à quarta illa parte per centeſimam & ſextam diei partem. Thebit annum conſtare dixit 365. diebus horis ſex minut. 9. grad. 12. Tum illa magna diuerſitas, quod alij putant annos omnes æquales, ut Ptol. Alphonſus. Alij inæquales, ut Azerchel Baten, Iſaac Iſraëlita, quos ſequuntur & alij exiunioribus, quare citius interdum, interdum ſerius redire ſolem ad locũ unde digreſſus eſt, cauſam inæqualitatis eſſe, quod ſphæra octaua non ab occaſu ſemper ad ortum, ut putant Ptol. & multi, ſed ab oriente interdum feratur ad occaſum. Quare illius motu cum ad eandem ad quam ſol reflectitur partem, ſolis motum fieri uelociorem, cum ad cõtrariam tardiorem, hinc diuerſis temporibus annum nunc productiorem nunc breuiorem obſeruatum. Et quem citauimus Iſaac eo lib. cui titulus Ieſodolam, quaſi dixeris, ſæculi fundamentum tempore ſuo, ſcripſit autem anno gratiæ 1310. qui erat annus mundi Hebræis 5700. putauit annos ad ſummum breues, ita ut breuiari magis non poſſent, ſed iam tempus apparere, ut ſphærę octauæ motu paulatius produci inciperent. Inter illum autem qui poſſet eſſe longiſſimus & eum contra qui breuiſſimus, mediam moram eſſe dierum 365. & horarum quinq;, tum diuiſa hora in partes mille octuaginta partiũ habere nongentas nonaginta ſex, tum minutiarum 48. quarum quęlibet ſit 76. pars unius ex illis mille & octuaginta partibus. Quam ſcrupularem ſupputationem memini etiam me legiſſe apud uetuſtiſsimum hebręorum ſcriptorem Rabi adabaraba Adam Abraæ filium. Deniq; quàm ſit ſolis motus in ambiguo, ſolis defectus oſtendunt, qui præcedunt tempus in tabulis annotatũ plus dimidia parte horę, quod & Andreas ſummarius tradit, & euidentia ſenſus quotidie declaratur. Henricus quoq; Machliuẽ in libro quem inſcripſit ſpeculũ rerum naturalium aſſerit, in defectibus deprehẽdendis ſeu locum ſeu horam, ſiue quantitatem inſpicias erraturũ, qui numeros motuum tam Ptol. quam Albategni fuerit ſecutus. Paulus Elorentinus inſignis mathematicus cum obſeruaſſet ingreſſum ſolis in arietem diligentiſsimis annotationibus, inuenit eum tempore in tabulis deſinito tertia parte horæ uelociorem. Tradit & Alliacenſis in Elucidario cũ anno domini 1364. ſolis ingreſſus in æquinoctium uernum Pariſijs obſeruaretur, deprehenſum Alphonſi tabulas excidere à ueritate: Quod ſi in tanta luce cęcutiunt, hoc eſt, in motu ſolis omnium manifeſtiſſimo, ubi ſi quid erretur, errare quoq; in reliquis ſit neceſſe: quid de motu erit Mercurij, qui ſe nunquam mortalium fere oculis oſtendit, quem Soſigenes præceptor Alexandri ex aphrodiſiade, non plus duabus & uiginti partibus

poſſe

posse à sole distare tradit, Theon Paulus Heliodo. Porphi. tribus & uiginti. Ptol. etiam octo atq; uiginti, de cuius planetæ motu insignis quidam mathematicus fatebatur nihil à se compertum. Porrò Martem partes fere una minutijsq; triginta tardiorem esse quàm putarẽt, quod ipse deprehendisset, in qua re tamen studijs posteriorum esset exactius inuigilandũ. Idẽ maximam solis declinationem ab æquatore prodidit à se obseruatam partibus tribus & uiginti, minutijs 30. quantum Ptol. ijsdem partibus, sed minutijs una & quinquaginta. Albategni 36. & 30. Archazel plus tertio & uigesimo protulerunt. Deniq; Abraam Auenazra summus mathematicus in sexto de reuolutionibus affirmat, inueniri partem nõ posse quæ sit in horoscopo, cum partem Arietis primam sol ingreditur, quare scilicet tempus quo peruenit ad Arietem, nec certa ut ait motus supputatiõe, nec aliquo genere instrumenti ad liquidum deprehendatur, quod Auenroadan etiam exponens Ptolemæum aperte confitetur. Idem sæpe citatus Auenazra, quicquid exquisita ratione foret supputaturus, Tria canonũ genera, ut scribit, adhibebat, Ptolemæi, Persarũ & Indorum, quod uariarẽt inuicem omnes & ad loca diuersa planetas determinarẽt Plutarchus Ptolo Posterior & Emilio Romano mathematico summo sub Traiano contemporaneus, in problematis rerum romanarum hoc quoq;, inquit, tempore quo ad summam astrologiæ peruentum est, inæqualitas tamen temporum, mathematicorum peritiam uicit, & eorum numeros ac supputationes sæpissime fallit ac fugit.

VNICI GRADVS ERROREM, IMO ET SOLIVS MINVTIAE MVLtos interdum errores parere, nec per reuolutiones uel annorum uel geniturarum, aut per magnas coniunctiones astrologum posse iudicare. Cap. X.

EX hac autem cœlestium motuũ incertitudine quis non totam labefactari uidet diuinatricẽ astrologiam? quam, si labatur uno gradu, cadere tota ueritate sit necessarium, fiet enim mutata signi parte, qua sidus reperitur, et fines sæpe permutari, quibus parem uim domibus, alij maiorem, maximam omnes confitentur, & interdum exaltationes, quas determinatis partibus perscripserunt, certe monomyriæ semper uariabunt, & nonnunquam confinia decanorum, & si planeta postremas signi teneat partes, fieri potest ut error unius partis à signo transferat ad signũ, & quæ foret in tauro luna fiat in geminis, cũ sit felix in tauro, in geminis infortunata. Tamẽ à mascula parte mutabitur ad fœmineã, à lucida ad opacã, ab opaca ad tenebrosam, à puteo ad altitudinẽ, à plenis partibus ad inanes, à morbosis ad felicissimas. Postremo cum sit graduũ omniũ apud astrologos differens inuicẽ proprietas, imò etiã minutiarũ, quarũ discretas proprietates in myriogenesi tradidit Aesculapius, quomodo uariato loco planetæ gradu uel minutijs multũ ab errore

nõ mutabit uirtus ſideris & influxus? & quemadmodum error gradus interdum uariat ſignum, ita minutiæ error interdum uariat gradum, ſed & locis quandoq; fallet ob gradus unius lapſum, ut qui forte ſit in occidente ſub terra collocetur, & qui pertinet ad horoſcopum in 12. locis tenebris retrudatur, in dodecathemorijs error unius gradus 12. faciet gradibus aberrare, nec ſi ſideris epocha perperã habeatur, ſortium ulla, quas uocãt, pars recte ſtatuetur. Adde fallaciam in radiationibus ex unius tantum partis uarietate, cũ aliud ſi partilis ſit radiatio faciat, aliud applicans, aliud uero defluens. Adde peccatũ omniũ grauiſsimũ dirigendis, ut debent, radijs planetarũ, ſi parte una labatur aſtrologus, unde anni unius error eueniet. Sed hæc ſumma atq; maxima propeq; flagitia in iſta profeſsione, quæ tamen ſi compares alijs erratis, parua uidebuntur, quæ tum eos incurrere ſit neceſſe, cum horas initiales ex motibus capiunt planetarum, quod ſuperius dicturi diſtulimus in hunc locũ. Sit igitur anni principium ad ingreſſum ſolis in primas arietis minutias ſtatuendum, porrò, ſi, quemadmodum uidimus, hora dimidia plus ibi falluntur, conſtellatio penitus erit diuerſa, tanta ſcilicet eueniet uariatio. Nec minus idem eueniet, ſi non ab ingreſſu ſolis in arietem, quàm à plenilunio ſiue interlunio antecedenti annũ auſpicentur. Nec uideo cur Auenazra pariter & Auenrodan illic quidem errorem uitari poſſe non putent, hic uero putent, cum deprehendi coitus hora ad liquidum nequeat, niſi motus ſideris utriuſq; recte teneatur, quod Auenaz. Macliuenſis etiam obiectat, pariter annuas geniturarum reuolutiones, cum à reditu ſolis ad locum eundem ordinatur, quomodo perperã non definient, inexplorato tempore, reſtitutionis? Aſcendentia quoq; magnarũ cõiunctionum quàm recte ſtatuent, non exacte cõprehenſis motibus Iouis & Saturni? à quorum perfecta cognitione tantum putat abeſſe nos Abraam, ut magnum eſſe pronunciet ſi uel diem ſciamus qua debeãt ſimul inueniri, cuius ſententiæ Saxonienſis accedit, qui propterea factũ dicit, uti aſcendens magnæ cõiunctionis non illud habeatur, quod hora magnæ cõiunctionis aſcẽdit. Sed quod anni uertentis initio quo illa cõtigit aſcẽdebat. Sic errorẽ errore tuentur. Verũ cõiunctionis aſcẽdens non deſinit eſſe quod eſt, propterea quod à nobis ignoratur, quare potius erat dicendũ, ſciri à nobis nõ poſſe quid cõiunctio ſit factura, quia ſciri neqt horoſcopus, quã quia uerus ignoratur aliũ fingere minime uerũ, quid enim coniunctioni cũ horoſcopo anni tot ſorte menſibus antegreſſo? aut quæ ratio ut aſcẽdens deficientiũ luminariũ obſeruemus, cõiunctionis non obſeruemus? Deniq; ut uim concedatur habere in cõiunctione aſcendens anni, tamen non negabũt, aut paris, aut maioris eſſe momenti propriũ aſcendẽs, à quo diuerſa cũ oriatur penitus cõſtellatio quam ignorat, neceſſe ſit eos in pdicẽdis cõiunctionis effectibus uacillare. Mitto q; aſcẽdens anni, autore eodẽ Auenaz, pariter eſt incertũ. Ex qbus omnib. patet error pudẽdus

Aboasaris, qui lib. 1. maioris introductorij dixit, nõ referre si gradu uno erret astrologus, in quo uerbõ se plane nescire quã defendebat astrologiã ostendit, ut nõ iam illud uerũ quod dicitur accusari eam à multis ob ignorantiam cum potius non damnetur nisi penitus introspecta, non collatur non ametur nisi procul & de limine salutata.

DISSIDENTES SENTENTIAE DE MOTIBVS OCTAVI orbis distantia capitis arietis octauæ, à capite arietis nonæ, & auge Solis. Cap. XI.

QVid q̃ hactenus tantũ de planetarũ motu dicebamus qui forsitan magis explorati, sed hærentium siderum motum quis fideliter reddet? quibus esse uim magnã imo præcipuam & admirabilem confitetur omnis astrologia, quis inquam recte collocabit in themate stellas fixas? aut quis denegabit errorẽ unius gradus omnino nõ habere momẽtũ? quãdo tantũ unus est gradus in quo credũtur efficaces, hoc est, uel cardinũ uel luminariũ. Sed habemus, inquient, oẽs in astrolabijs, in numerorũ tabulis passim uulgoq̃ descriptis. Hoc. s. est q̃d admonebã, cum super his cœpimus disputare, facillima hæc uideri astrologis triualibus, quorũ doctrina de paucis omnino scedulis, uerũ doctoribus & peritis inextricabilia, qui cum literas paulo remotiores adierint peruident æquali authoritate magistros super his tantũ dissentire, quantum distat oriens ab occidente. Aegyptij, Chaldæi uetusq̃ omnis deniq̃ sententia, stellas erraticas uno tantum moueri motu putant, quem uocamus diurnum. Hypparcus alium introduxit, qua raperentur sicut errantes ab occidente in orientem. Sit hæc igitur prima controuersia, moueãtur proprio motu nec ne. Recentiores cõtrouersiam nullam dicent, quoniam non sit mirum à iunioribus obseruatum, quod ueteres nondum poterant deprehendisse. Verum sunt etiam ex iunioribus qui sententiam ueterũ tueantur, quiq̃ non dubitent falli qui contra existimauerunt. Proclus posterior longe Ptol. peritissimus fuit omnis mathematicæ, quod eius cum astrologicæ suppositiones, tum de sphæra tractatus & de astrolabij compositione, cõmentaria super Euclidem quæq̃ alia scripsit multa, facile declarant. Is in commentarijs super Thimæum, quod & alibi facit, Hyppar cum Ptolemæumq̃ retaxat, qui putauerint stellas non erraticas circa polos signiferi uolui ad orientem, post centesimum quemq̃ annum una parte peracta, sed potius accedendum ægyptijs & chaldæis, qui diuturnis obseruationibus nihil huiusmodi prodiderunt, præsertim ita sensibus attestantibus antiquæ traditioni, ut non possit accedere Pto. qui nõ sit èxoculatus. Nam si mouentur, inquit, super polos zodiaci, quomodo putant Hyp. & Pto. necessarium fuerit in his locis non parum uergi Vrsam sub occasum, quæ tamen ab Homeri usq̃ temporibus inoccidua dicta sit & Canopum oporteat amplius non uideri, cum faciat ea stella degentibus in tertio cli-

mate breuem periodum ſupra finitorem, his aũt qui Rhodum incolunt ra dat orientem, ut ſcribit Poſsi. cum igitur arctos eadem nunc apparet inoc cidua, quæ tot retro ſeculis ſemper apparebat, & Cano. eandem ſeruauerit poſitionem, deprehendi falſum ſenſus euidentia, quem recentiores hæren tium ſtellarum motũ introduxerunt. Qui ſi forſan obiiciant ſupputatio nes motuum planetarũ colligi recte teſtimonio ſenſus ab his qui in nume ris digerendis & in canonis expoſitione fixarum motum aſſumunt, dupli citer ait, dilui obiectionem: Primum quod hi quoq; qui fixarum motũ il lum omittunt in ſupputandis motibus planetarũ, conſona debent appa rentibus & de ſiderum reuolutionibus canones ſtatuentes, quanquã non errantes immobiles faciunt, ad ueriſsimæ tamẽ rationis exeunt competen tiam, deinde quod notum eſt ex falſis ſupputationibus colligi uerum, qua re ſenſui reſpondere quod colligitur, fidem non facere ueritatis in ſuppo ſitionibus. Hæc doctiſsimus ille philoſophus & mathema. Abraam Aue naz. cum ſæpe meminerit utriuſq; ſententiæ, quarũ altera mobiles non er raticas, altera facit immobiles, quam Indis aſcribit, nunquam præiudicat, ſed in medio rem relinquit, ut in lib de genituris duplex fieri thema præci piat, alterũ quaſi mouerẽtur, alterũ quaſi non mouerẽtur. Et quanquã ſu per his ego nihil definio præter hoc unũ, nihil poſſe certũ definiri, ueriſsi mũ tamẽ illud, opinioni ueterũ hoc fauere, quod aſſertores dogmatis op poſiti nihil inter ſe cõueniunt. Nã Ptol. quidẽ poſt Hip. ab occidẽte mo ueri uerſus orientẽ ſemper putat. Arzachel Maurus cũ proceſſerint certũ ſpacium regredi ab oriente uerſus occidentẽ, quod Iſac ſequit Iſraëlita ue riſsimis dicẽs experiẽtijs obſeruatũ. Thebit benchorath iſtũ motũ expun git, alio cogitato, qui uerſus auſtrũ uergat & aquilonẽ, recentiores inuentũ Thebit probantes, admittũt etiã opinionẽ Ptol. triplici ſphæram octauã motu diſcerpentes. Tum qui ſentiũt cum Ptol. progredi illas ad orientem, neq; curſum mutare digladiantur, tamẽ de uelocitate curſus, id falſum pu tantes quod tradiderat centũ annis expleri partẽ unã. Nam Auen. Moſes Aegyptius, Auenaz. poſt annos 70. pertrãſiri partis unius ſpacia tradũt. Albategni poſt annos ſex & ſexaginta ut fere ſexqualtera proportione fe cerit eas uelociores quam Ptol. Paulus Flo. eas ocius uolui quam dixerit e tiam Albategni, aſſeuerabat. Has opiniones quis diiudicabit? Depræhen dimus, inquiũt, iuniores, fidelibus inſtrumentis earum loca quare falli non poſſumus. Quidnam igitur illos ueteres fefellit, quibus inſtrumenta non defuerunt, nec minor artis peritia quam uobis? uulgatũ hac tempeſtate, mobilẽ arietẽ ab immobili uiginti quinq; partibus diſtare. Sed Auenazra lib. quodam, cui titulus, Rerum aſtrologicarum octo partium tradit, cum ſcribebat, fuiſſe diſtantiam, ſcripſit enim anno ſalutis humanæ, milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio. Quare noſtra fere tempora trecentis & 40. plus minus annis anteceſsit. Proinde ſi motum quem tradit Alba-

tegn

teg. qui cæteris ocior, imitemur, non plus annis qui ab Auenazra ad nos abiere astra gradibus quinq; processissent, quare foret hodie distantia non (ut aiunt) graduum 25. sed tredecim. An fallebatur igitur Auenazra? cui ratio tum organū suppetebat. Moses Aegyptius in eo lib. cui titulus Mismethora, quasi dixeris græce λευτερωσιν, latine, secundam legem, inter initia primæ partis ait: tempore cathaclysmi concordasse mobilem arietem cum immobili. Tum postea semper motam sphæram octauam uersus orientem septuagesimo quoq; anno, gradu uno. Cum igitur inundauerint terras aquæ anno mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto; nunc agantur ab orbe condito, ut uerior docet supputatio (Neq; em̄ refert hic ad liquidū rem exigere) annorū quinq; millia adiectis fere trecentis, erunt à diluuio, ad nos anni fere tria milia supra sexcētos aut circiter. Quare mota erit octaua sphæra tot annis gradibus plus minus duobus & quinquaginta, quibus distaret mobilis Aries ab immobili. Isaac Israëlita scribit cō curriſſe simul utraq; signa anno qui fuit nobis à Christo nato quingentesimus & sexagesimus. Petrus Alliacensis in elucidario tradit, id euenisse anno Christi ducentesimo & sexagesimo, quæ supputatio per annos trecentos à priori supputatione discordat. Angelus Mantuanus & plerisq; recentiores idem fuisse contendunt anno gratiæ quintodecimo paucis mensibus superadditis. Idem refert Isarith, quendam iuniorem cum supputasset loca Solis & Lunæ ad octauam sphæram, deprehendisse nouilunium mensis Martij exactis à mundo annorum quinq; milibus ducentis uiginti quatuor prope decimā quartā partē piscium. Se uero Angelū nouiluniumid supputantem ad immobilia signa siquidem tabulis Emanuelis utebatur quas inscripsit Baal Cuaphim, deprehendere illud in uigesimo octauo gradu piscium, si Alphonsi tabulas sequeretur in uigesima septima parte minutijsq; quatuordecim. Vnde colligeretur distasse mobilia signa ab immobilibus gradibus tredecim uel quatuordecim. Scripsit autē iste paucis annis ante nostram ætatem, quare sibi mirabile ait esse, quod Ozonienses tabulæ tradant sitam inter Arietis cornua stellam quæ scilicet Arietis mobilis est principium semotam ab immobili ariete anno gratiæ millesimo trecentesimo sexagesimo gradibus uiginti quatuor & minutijs quinquaginta septem. Per quæ tempora inuenio annis supra fere quadraginta, tum Isac illum, tum Rogerium Baconam floruisse, quorum uterq; non plus gradibus decem ætate sua putauit immobilem Arietem à mobili uariasse, nam uterq; secutus est Azerchelem qui maximam inter eos distantiam quæ posset euenire tot partium existimauit, scilicet decem, ad quarum finem peruentum sua tempestate prodidit Isaac. Quare tempus asserere et proximare rursus inciperent retrouersus occidentem motu reuoluto. Sic igitur colligamus, aut non fallunt organa Mathematica, aut fallunt, si non fallunt quomodo Isaac & Rogerius stellas obseruātes mobilis Arietis nō

plus partibus decem ab æquinoctio ſummotas iudicarunt? quæ tamen ſi tabularum ozonienſium, ſi recentiorum uera ſententia plus tribus & uiginti partibus iſtinc mouebantur, ut pateat error graduū tredecim. Si fallunt, unde noſtri cognoſcunt ſe non falli, principibus in hac arte uiris tanta opinionū uarietate diſſentientibus? inter quas utiq; ſi quis putat ſe poſſe dijudicare bruto magis iudicio, quam ut de cœleſtibus iudicet. De locis igitur non erraticarum qui ſententiam proferat caſu forte non errabit, aſſequi hoc ratione minime poterit. Sed nec illud prætereundū quod Proclus & Ptolomæus negat apogeon & epigeon Solis moueri. Eſt autem quod appellant barbare, augen & oppoſitum augis, recentiores uolunt, quos retaxat Hebræus Leo, ueram ſententiam Ptolemæi defendens. Mitto ſuper æquatione dierum quàm neſciant quàm digladientur, unde horoſcopi colligendi maxima incertitudo.

DE DIRECTIONIBVS QVAM MVLTIPLICES aſtrologorum ſententiæ. Cap. XII.

EIs omnibus ſupereſt opus inextricabile ſuper radios componendos, & quas apheſes uocat Ptol. atq; peripachos, uulgo directiones exacte dinumerandas. Nam mutuis utrobiq; uulneribus cōfodiunt ſe mathematici, nec niti æqualem ita aduerſus authoritatem, uel arbitrari rem quamq;, uel tot ætatū experientia potuit. Recentiorum opinio eſt, exactiſsimam radiationem ex anaphoris rectis, obliquis, mixtis, pro locorum uarietate componi, uerum illud eueniet, ut ſi quis edatur in regione cui ſupra finitorem uertex exaltetur gradibus 48. & pars prima Capricorni ſit in horoſcopo, trigona radiatio ſit futura in partibus Cancri, quē tamen ex diametro ſcimus opponi Capricorno. Henricus Batenſis obſeruat eam cōfigurationem planetarum ratione locorum, ut trigonus ſit horoſcopo qui locum quintum tenuerit, nulla interim habita ſigni ratione, atq; ita de reliquis. Albategni per zodiaci gradus numerat interualla, quos æquales uocant niſi ſidus ad latus altrinſecus declinauerit, quanquam parum ob id numerus uariatur. Neq; enim plus triginta minutijs etiam ſi decem partibus declinauerit. Hanc ſecutus eſt methodum Ioānes de Regiomonte, quam tradidit, & Abraam princeps præceptor Auenazræ. Quod ſi dicas experimentis eſſe deprehenſum per anaphoras ſchemata componenda eſſe, reſiſtet Auenazra, diu multis obſeruationibus infinities dicet annotatum per æquales gradus eſſe conſtituenda, ſunt qui rectas anaphoras ſemper uſurpent, quod obijci falſo Ptol. ſupra declarauimus. Adde q; latitudinem non obſeruat Ptol. præterquā in planetis copulatis. Abenragel aūt in omni radiatione præterq; in diametro. Aboaſar & in diametro quod illi calūniantur. Mitto quā diſſentiant, quonā uſq; radiationis uis extendat, ſunt qui gradibus tribus, ſunt qui potius quinq;, ſunt in Luna qui ad 12. uſq; partes, ſunt etiā qui ad tredecim, ut Porphi. ait. Par quæſtio mathematicis inexplicabilisq; diſſentio ſuper directionibus (ut cum eis eorū more

moreloquamur) Nam Aegyptij quidem anaphoris regionis semper utebantur. Dorotheus in dirigenda prima parte rectis semper assẽtionibus, quod experientiæ respondere sæpissime Abraam testatur. Ptol. & fere posteriores in oriente posito sidere & occidente per regionis ascensiones, positis quarto loco uel decimo per æquatoris, medijs locis uero per admixtas. Idem sentit Almeon cap. septimo tractatus quarti de directionibus. Aboasar per zodiaci dirigit gradus, sic enim octaua differentia secundi tractatus libri de magnis cõiunctionib. dirigit Lunam ad locũ coniunctionis siderum infortunantium. Idem sentit Auenazra libro cui titulus initium sapientiæ, confirmans authoritate etiam Albategni. Sunt qui putant utroq; modo tam radios extendendos quã sidera dirigenda scilicet per signiferi gradus & anaphorarũ proportionẽ, quod uidetur Ioannes Hispalensis in isagogis suis uoluisse. Nam secunda parte sui quadripartiti capite super prima domo idem est executus. Alij extendunt quidem radios per zodiaci gradus, dirigunt autem per ascensiones quod Messalæ necnon Ptol. uidetur Auenrodan ascripsisse. Contra Abraam Iudæus eandem affert rationem operis utriusq;, quare schemata componantur per æquales gradus, per eosq; dirigendum sit. Mittam quam discordant ad quam partem planeta sit ducendus, ubi quid ab alijs Ptolemæus dissentiat in apotelesmatis est uidere, tum nonnihil Auenroadan explicãte, sed nec illud hoc loco pertractamus, quanta sit difficultas his qui putant ascensionibus mixtis utendum in dogmatis executione. Nam Ptolemæum id parum recte uel sufficienter præcepisse doctissimi iudicarunt. Paulus Alemanus insignis mathematicus, qui nunc apud Guidonem Vrbini ducem principem literatissimum uiuit, scripsit aliquando, se nunquam uidisse qui sidus ad locum triangulum recte dirigeret, quin etiam (quod superius erat dicendũ) negat in latitudinibus planetarum fideles esse tabulas quæ feruntur. Ex quibus omnibus in capescendis horis initialibus siue geniturarum, siue urbium, siue constellationum, tum in themate disponendo, siue cardines statuantur, siue loca præfiniantur, seu signa diuidantur, seu sedes sideribus, uel hærentibus, uel errantibus tribuantur, seu schemata componantur, siue apheses numerentur, quanta patet erroribus ianua, quum adhuc ueritas super his & mathematica certitudo in Heracliti antro lateat inexplorata.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVLÆ in Astrologiam libri IX. Finis.

IOANNIS PICI MIrandulæ Disputationum, in Astrologiam, Liber X.

EPILOGVS EORVM QVAE HACTENVS CONFECTA, & quid in sequentibus agendum sit libris. Cap. I.

AVltis iam gradibus astrologicã rem deiecimus, dum nec cœlo pendere fata inferiorũ omnium declaratum est, nec significari, nec si dependeant, aliter potius quam pro naturæ cognatione, quorum utrunq; cõfirmabatur ex perpetua & stabili conditione cœlestium, quæ sui par semper, suiq; similis non mutatur, ut fingunt instar Chamæleontis, ui locorum uel distantiarum. Deinde quia quid cœlum faceret uel indicaret id intelligi à nobis posse negabamus, tum quia nec horas illas fatales quænam essent nec in choro cœlesti penes quos fati decernendi potestas collocata cognoscere nostræ sit imbecillitatis. Certe quæcunq; super his illi tradiderunt exorbitant penitus à ratione, rerum enim fecerũt primordia quæ non sunt primordia, ueris omissis, & cœlestium potentissima uel nescientes uel negligentes, utuntur in prædicendo commentitijs causis & fabulosis, quibus ut nulla ueritas inhæret, ita nulla potestas aliquid efficiendi. Post hæc tertio declarabatur, si nihil in istis quæ dicebamus offenderint, non modo non contigisse speratum, sed potius aperiri quam sit impermeabile, nec humano uestigio pertransibile, quod est illis conficiendum, ut scilicet initiales horas indagent, & cœlestium quas finxerunt causarum statum ac positionem omnem momentis singulis assequantur, quorum neutrum sciri posse, libro proximo disputabamus. sed hæc etiam præstiterint, tantum abest ut suum munus impleuerint, ut nec dum suum officium sint aggressi. nam labor ille proprius astrologi, themate iam constituto (quod opus est mathematici) quid explorata constellatio faciat indagare, inter omnia est difficillimus, hæc si darentur ratione constare, scientia foret astrologia, si experimentis ars, si nec ratione nec experimentis, nec ars utiq; nec scientia, sed temeritas, inconstabile præstigium, circulatorum figmentum fabulosissimum. Primum igitur rationis authoritatem, tum fidem experimenti astrologis eripiemus.

Ratio-

RATIONES ASTROLOGORVM INANES ESSE ET ridículas. Cap. II.

GEneralia quædam de sideribus Aristote. Plato, cæteri philoso-phi, nixi rationibus tradiderunt, substantiam sempiternã, motum circularem, reliquaq; id genus, uerum proprias siderũ proprietates nusquam prodiderunt, nihil super eis, quæ phisica dici posset, indicante ratione, alioquin rerum corruptibilium quas tractamus, quas proxime sentimus, quas intimius noscimus, dotes peculiares ab euentibus tantummodo effectisq; cognoscimus, quas autem astrologi rationes confinxerunt sua dogmata probaturi, tantum absunt à ratione, ut nihil possit irrationabilius cogitari, neq; enim solum non demonstrantes aut rhetorũ etiam enthimematis inferiores, sed falsæ futiles, pugnãtes, uitiosæ, ridiculæ, quod excutientes ordine singulas, palam faciamus.

DVPLEX PRINCIPIVM, QVO ASTROLOGI DECERNVNT quæ domus sit fortior, falsum esse, utq; sit uerum, non tamen ex eo id colligi quod uolunt. Cap. III.

INxordiemur à rationibus quibus locorum probant proprietates, quorum tamen & nullas proprietates, & interualla sciri non posse, supra declarauimus. Primum aũt agemus de quantitate uirtutis locorum. Secundo de qualitate, declarantes illorum ubiq; principia quibus nituntur esse falsa, neq; tamen colligi ex illis si sint uera, quod uolũt. Est autem duplex quasi proloquium, quo definiũt quis quo loco sit fortior, quo debilior, Vnum est, loca illa prævalere quæ nectantur horoscopo radiationis affinitate siue trigonæ scilicet siue quadrangulæ, siue sexangulæ. Contra pigra, deiecta quæ non coniungantur. Alterum, cardines quos uocant angulos primæ potestatis esse, secũdo loca cardinibus succedentia, tertio quæ declinant ab eis, græce dicuntur apoclimata, barbari cadentia dicunt. Primũ igitur ista principia falsa, aut si cõcedantur, quæ tamen intelligunt ex his, tum inter se, tũ principijs istis pleraq; repugnant. Principiorum falsitas ita demonstratur, efficacia locorũ non potest alio referri, quam ad habitudinẽ loci supra finitorem, ut in eo situ putetur stella quælibet efficacior, in quo posita supra nos fortius operatur. Hæc philosophus statim dabit naturali rõne psuasus, hoc dare cogit & astrologus, qm̃ uirtus ista locorũ uel à natura petit ipsius spacij, uel ex ista quã diximus habitudine ad nos, à spacio deriuari nõ potest nõ modo, qa nulla istius spacij uis natura est, ut supra monstrauimus, uerum quoniam istud si dixerim erit idẽ horoscopus eadẽq; locorũ partitio quacunq; regione constituenda, siquidem spacij partes determinatæ suas habuerint proprietates, quibus inibi positas stellas afficiant, quare non uariabuntur ex cœlo, sed erunt omnibus eædem. Hoc aũt toti penitus astrologiæ repugnat, quæ sidus eadem spacij parte collocatũ mihi quidem decernet in

ascen-

aſcẽdente, alijs ſecũdo loco, alijs duodecimo, alijs tertio, alijs undecimo, pro cœli. ſ. inclinatione diuerſa, quæ nõ eſſet ſpectanda, ſed natura ſpacij quã cõſequerentur iſtę proprietates, nõ habitudinẽ illius ad nos, nam pro cœli deuexiõe nihil illa mutatur, hæc ſemper alia fit & alia. Quod ſi locus conceditur efficacior in quo ſitus planeta fortius agit in nos, concidũt ſtatim illa fundamẽta de angulis & horoſcopo, primũ quicũq; locus ſub terra debilior erit omnibus qui ſupra terrã, nec quintus aut quartus erit duodecimo uel octauo præferendus, tũ inter eos qui ſupra terrã quicunq; magis aſcẽdet ſupra finitorẽ potentior exiſtimabitur, quare duodecimus primo præualebit. Cõceſsit Aſchedenſis aſtrologus author ſummæ, quã uocãt, Anglicana plus credens rationi prorſus indiſſolubili, quã aſtrologorum omniũ authoritati. Sed Ptolemæus quoq; rationem uidit, quã fere ſecutus apoteleſmaton lib. primo ſtatuit, omniũ fortiſſimum eſſe locum medij cœli, quod inibi poſiti radij planetarũ potentiſsime nos afficiunt, proximum illi uirtute locum undecimũ, propter eam rationem, debiliſſimos autẽ eſſe planetas qui mediant inter occidentẽ & imum terræ. Repugnãt hæc autẽ cæteris aſtrologis, quorum maxima pars orientem cæteris locis anteponit, ut Meſſala, Firmicus, Aboaſar, quanquã Auenazra ſentit cum Ptole. quare non cardines omnes primos facit, uerum locum undecimum omnibus antefert præterquã ſummo. Poſtremo ſi dicta tuentur planetam quinto loco faciens debiliſsimũ, quando medius eſt inter quartum locum & ſeptimum. Tertio quoq; libro ſuper annorum ſpacio loquens, omne quod ſupra terram præfert his quæ ſub terra, ſed oblitus eorum quæ prius dixerat, orientem loco præponit undecimo. Tum ſecutus aſtrologos abijcit 12. nimis futili certe falſaq; ratione, quoniam inquit ſpiſſior & obſcurus terræ uapor ex humiditatibus halans, illis uim deſcendentem turbat & infirmat. Certe ſi ratio ualet, natus aëre caliginoſo naſcetur ſemper infelix, cui planetæ ſub tenebris omnes erunt, quaſi duodecimo loco collocati. Præterea cur nõ magis id patiatur in oriẽte poſitum ſydus? An plures halitus luce facta ſuperius quæ potuit uaporoſos fumos attollere, diſſipare nondum potuerit? Verum in ſole forſitan hoc procedit, ſed meridie quænam ſtella duodecimo loco reſidens, aëre uaporoſo præpedietur? Rectius igitur primo libro tantum illud ſpectauit, medium cœlum fore potentiſsimum inter alia loca, ille intenſior uel remiſsior qui magis faſtigio minusue propinquaret, hoc eſt, ſolum quod dici naturaliter poteſt, ſi naturalium tantum uirium penſemus efficaciam, nam proprietatem alicuius influxus habere forſitan locus poteſt ſub Occidente, quàm locum cœli medium non habeat (ſi quas habuerit huiuſmodi differentias) uerum quod Planeta facturus eſt ut fortiter faciat, quid aliud erit in cauſa quam poteſtas diffundendi radios in finitorem. Nimis igitur ſtulte ſtellã fixã in quarto loco potentẽ, ſub imo ſcilicet terræ latitantẽ, quæ ſi fulgeat

ſummo

ſummo fere cœlo, cardinem in partibus non attingat uirium nihil ſit habi tura. Planetam loco duodecimo nō eſſe uitalē, qui ſit tamen in quinto collocatus, cum longe rationabilibus quintus locus ſedes tenebrarū q̄ duodecimus poſsit appellari, nemini quiſq̄ perſuadebit fortius affici nos à Sole cū procul ab oriēte diſtat adhuc gradibus 25. quā cū lapſus uno gradu mergatur in occaſum, cū tamē ad aſcendentē ibi pertineat, hic ad locū ſextū, multo minus niſi ſenſu carentibus perſuadebūt eſſe potentiorē quarto loco ſub media ſcilicet nocte, quā ſi octauū uel duodecimū locū occupauerit. Nam colligatio trigona cū horoſcopo reprobatur ex ſuperioribus, ubi de radiorum diximus interuallis, ut ſi rectam ſequi rationem uelimus plus ad horoſcopi uim attinet eius anaphora quā tot ſpaciis diſtans bona fortuna. Quod ſi colligatio talis habet momentū, cur non iunctus cardini meliori locus erit potentior? Eſt autem ratione docente tum uariis aſtrologis à ſtipulantibus cardo ſummus omnibus melior. Igitur ſextus locus illi triangularis debet bonis adnumerari, qua ratione nonus ex aſcendentis affinitate. Hactenus falſitas principiorum, nunc principiis decreta diſſentire, neq̄ enim ſemper octauus malus ſi propterea malus quod diſiunctus ab aſcendente, cum plerumq̄ locatus ibi Planeta, trigono radio foueat orientem, ſimiliter & ſecundo loco hexagona radiatio nonnunquā uenit ad horoſcopum, quare quod colligunt non eſt perpetuū, niſi loca per gradus zodiaci diuidantur, hoc autem non recipiunt, igitur nihil colligunt. Illud item reſpondeant, cum affinitas aſcendentis & anguli bonum faciat locū, ſufficiat alterum priuilegium, an utroq̄ ſit opus. Si alterum bonus, erit octauus locus ſuccedens occidenti, ſi utrumq̄ malus, ſecundus diuulſus ab aſcendente. Scribit item Heliodorus ex Pauli cæterorumq̄ ſentētia malos infortunantesq̄ Planetas in decliuiis uehementius lædere & nocere, quod ſi locus infimus ſua natura quodq̄ dicere ſolent ἄπρακτος tam malos debet radios hebetare quam bonos.

ARGVMENTATIONES ASTROLOGORVM QVIBVS SVA ROborant dogmata ad quinq̄ fere genera redigi, infirma quidem & inefficacia. Cap. IIII.

EXcutiamus nūc errores q̄bus locorū proprietates probant, ut hic quidem fratres ſignificet, alius parentes, amicos alius, hic mortē, alius inimicos, uerū ne ſæpius eadē reprehendēdā, genera quædā prius refellā argumētandi q̄bus utūtur aſtrologi q̄c quid ſunt probaturi. Tū particulatim cuiuſq̄ dogmatis euertētes fundamēta, tm̄ admonebimus è quo genere iā taxatorū ducat argumētatio, proprijs uero locis hoc ageī, ut datis principijs & forma ratiocinādi nū cōſequi tamen quæ putant oſtendamus. Sunt autem fere capita quinq̄ ad quæ redigas omnē aſtrologicam probationē. Primū locus dici poteſt ab ordine numerorū, ſecundum à parabolica ſimilitudine, tertiū à mathematicis,

quartum

quartum ab astrologicis principijs, quintum à dialecticis. Ab ordine numerorum sic argumentantur: Clima primũ subiacet Saturno, Ioui secundum, tertium Marti, quia Saturnus primus Planetarum, Iupiter secũdus, tertius Mars. Loca sunt 12. signa sunt 12. Primum igitur signum primo loco respondet, secundum secundo, atq; ita deinceps. Sed tertium signũ Geminorum, tertius igitur locus, fratres significat quasi geminos. Similiter primus Planeta primo loco respondet, secũdus secundo, tertius tertio. Sed Iupiter sidus secundum, diuitias significat. Erit igitur loco secũdo super diuitias significatio. Hæc methodus à numeris ducta faciliter confutatur. Siquidem cum philosophis, cum dialecticis, sermo sit, nam non modo nõ cogit, sed nec colligit, nec solũ non persuadet, sed nec suadet. Primum igitur futilis nimis insanaq; suppositio, primum genere quoq; primo generis alterius naturæ cognatione consentire. Primum ignis elementum, primus planetarum Saturnus, quid ab igne diuersum magis astrologis est Saturno? Mars tertius planetarum, aqua tertium elementum, nonne dissidet Mars ab aqua quantum ab aqua dissidet ignis? Aries primum signum, Saturnus primus planeta, neq; tamen astrologis habet Aries cum Saturno proportionem, non regnat in eo, non dominatur, imò deprimitur, fallax igitur suppositio, rudis & imperita, quæ si uera foret nihil minus esset incerta, non tam quod incertum sit ne à Luna Saturnum uersus ascendendũ, an potius à Saturno descendendum ad Lunam, cum sua quilibet ratione sit primus ordine Planetarum, quàm quòd mediorum situs & ordo penitus in ambiguo. Manet enim adhuc sub iudice lis antiqua, Sol à Luna secundus an medius magis sit, creditus est Aegyptijs Lunæ proximus, medius à Chaldæis, medium quoq; putat Ptol. & turba recentiorum. Verũ non modo Ieber acutissimus mathematicus, sed & ipse Theon interpres Græcus Ptolemæi dissentiens à magistro putat supra Lunam statim collocandum. Quod Plato quod Aristoteles etiam affirmarunt, nec mirum summos autores in ea re dissentire, super qua rationes utrinq; translatitiæ multæ, certa non potest ulla cogitari. Nam parallelares ubi sustuleris, hoc est, obtutus discrimina, mathesis nihil indicat è duabus stellis utra superior, nec de Sole duntaxat ambigitur, uerum etiam de Venere, de Mercurio, quoniam de Marte, Ioue, & Saturno, cõstat, inquit Summarius, omnes supra Solem, quo tamen ordine, nec est scitum, nec sciri potest, quod multa scilicet (ut loquuntur) aspectus est diuersitas, præterq; rationes, quascunq; feceris ex cõmunibus erunt uanæ & dialecticæ, non ex proprijs certæ & mathematicæ. Qualis illa Ptol. de Sole conuenienter inter planetas mediũ poni, quoniam summouentur ab eo quidam longitudine loci, quod Saturnus & Iupiter & Mars faciunt, quidam sequuntur eum semper ut Venus atq; Mercurius, friuola coniectura nec procedens, quoniam Luna digreditur ab eo quantum superiores, non igitur medius inter digredientes ab

eo &

60 & non digredientes. Alpetragij ratio pariter debilis ut sint motu uelo ciores inferiores, quanquam qui uidentur uelociores probat esse tardio- res. Sic enim locus Veneris, Solis & Mercurij locis superior erit, quod non fore omnes æqualiter resistunt, plus niti uidetur euidentiæ, ueterum ratio- cinatio Solem proximum Lunæ decernentium, quoniam Veneris inter- iectu Mercurijúe nunquam nobis eripiatur. Sed hęc quoque multipliciter soluitur, ut quod contingat id in Mercurio paruitate, contingat in Vene- re, quia proxime Soli radijs occupatur & intercipitur. Quare radijs ob- struere uiam non potest ad nos descendentibus quod remotior Luna po- test. Quid quòd forte tenuia nec Lunari densitate terrosa radijs non obsi- stunt. Habeant item proprium lumen, quod cũ uice Solaris erepti reddũt, non eripiunt lumen, sed commutant, quare defectus non percipit. Auer- rois in paraphrasi Magnæ compositionis Ptolemæi dicit se quondam in Sole duas quasi maculas nigricantes annotasse, cũq; numeros digessisset per id tempus, inuentum Mercurium Solis radijs oppositum. Recte igitur Moses Aegyptius ex Abubachesis quoq; testimonio situm & ordinẽ Pla netarum iucertum pronunciauit. Nam Lunam quidem scimus omnibus inferiorem, cœliq; uestibulum, propter maiorem aspectus diuersitatẽ quæ minorem indicat necessario habitudinem semidiametri terræ ad sphæræ semidiametrum. Quomodo uero tres aliæ se habeant Sol, Venus, Mercu- rius, incertum. Similiter notũ quatuor has stellas nobis proximiores alijs tribus, sed illarum inter se trium situm & ordinem ratio non demonstrat. Cum igitur genethliaci nituntur ordini huiusmodi consequentiæ princi- pio nituntur primum quidem falso, tum si uerum foret incerto, licet autem de signis idem obiectare, quando (quod satis demonstrauimus) in zodia- co nullum aut quatuor æquè principia sint. Dictum de primo genere argu mentationis, à parabolica similitudine sic probant: decimus locus in ædi- to cœli uertice patet, quartus latet in imò terræ. Cum igitur magis cõper- tum cuiq; de matre sit quàm de patre, conuenit ut per decimum locũ mater iudicetur, pater aũt per quartum, qui modus non est aliter quàm ex suo ti- tulo refutandus. Nam quæcunq; de istis similitudinibus argumẽta petun tur non solum philosophis sunt indigna docentibus, uerum nec dialecticis apta uel utilia disputantibus, quin nec rhetorum persuasionibus commo- da, & uanę ferè poëticæ lusum potius præ se ferũt, quàm serię cuiusq; pro- bationis idoneam authoritatem à mathematicis argumẽtari eos dicebam, cum bene decreta mathematicis male uertunt ad suas prædictiones, qua- lia quæ superius de zodiaci in signa, signorum in partes, partium in minu- tias diuisionem dicebamus. Item cum quod recta quędam, alia obliqua signa illis dicuntur, ob ascensionis moras inæquales ipsi transferunt ad naturam rectitudinis & obliquitatis in motibus. Ex astrologicis colli- gunt, quoties astrologicum aliquod dogma principium faciunt, alterius

dogmatis confirmandi, dialecticis utuntur, si quando communes & probabiles quosdã ex natura uel prima philosophia propositiones assumunt. Sed id quàm rarissimum, neq; enim memini apud eos legisse me rationem, quæ fidem dialecticæ probabilitatis afferret.

RATIONES A PARABOLICA SIMILITVDINE DVCTAE quibus domorum probant proprietates, refelluntur. Cap. V.

HÆc dixerimus in uniuersum, nunc ad referẽda particulatim fabulamenta descendamus (nam sic uerius dixerim quàm argumenta) quibus locorum proprietates asseuerant, inchoãtes ab illis quæ sumuntur à situ & conditionibus signorum. Est autem locus à parabolica similitudine per hunc modum, pater amat filios, & quintus locus amica radiatione, quia triangula nectit horoscopo, quintus igitur locus filios significat. Vt sit igitur modus argumentandi bonus, qui tamen plane est ridiculus, ostendamus, non recte colligi quod contendunt. Primus, inquiunt, locus nascentem significat ipsum, quoniam de tenebris prodit in lucem. Itẽ horoscopus ecce parabolica similitudo, de qua reddunt & rationem cur idem locus itinera modica repræsentet, ut cũ de uico eiusdem urbis ad alium, de urbe ad suburbium, de domo itur ad pomerium. Nam uolunt horum quoque motuum causam in sideribus esse, quæ primi loci dispositione portendantur, ut ait Bonatus. Præterea uideamus an in reliquis locis similitudo procedat. Et secundi proprietas super diuitijs, quoniam nihil aiunt homini magis proximum, igitur hærens primo secundus locus diuitias significabit. Necessaria ratio penes eos quibus nihil potius est diuitijs, uerum homini proximiora & intimiora multa, puta dotes animi & corporis, sapientia & ualitudo, quare debuerunt potius hæc à secũdo loco significari, quàm à sexto uel à nono, quid quòd inter externa quoq; parentes, uxor, amici, filij, gloria, pecuniæ præferuntur, ut potiora, ut proximiora, præterquàm apud unum hominum genus qui se uocant astrologos. Tum locus idem, cur epistolas quoque notat, ut ait Zaël Israëlita, præter forte in genituris notariorum, quibus semper hæreant stylus & pugilaria. Iam pergamus ad reliqua. Tertio fratres indicari uolunt, quinto filios, diximus causam, cur hic filios, similis fratrum est ratio, quoniam locus tertius hexagona radiatione iungitur ascendenti, quoniam igitur hexagona copulatio amica, sed melior est triangula, propterea filijs hęc quos amamus magis, illa fratribus datur, & eandem ob causam locus undecimus est amicorum, quem pariter ex hexangulo respicit ascendẽs, uerum eos interrogo, cur non locus nonus filios significabit cũ sit & ipse triangularis horoscopo? respondebunt quoniam cadit. Rogo igitur iterum melior tertius an undecimus? & patet eadem ratione undecimũ præferendum, quoniam cadit tertius, cur nõ igitur tertius amicorũ undecimus fuit fratrũ? nisi peruertentes ordinẽ naturę putent amicos fratrib. præferẽdos.

Illud

Illud quoque de filijs alio dicto perturbatur, nam parentes quarto debent iudicari, sed inter quartum & ascendentẽ tetragonus est aspectus, quo nullus inimicitiæ magis iudex, quomodo igitur nascentem nascentisq; filios amica radiatione componunt, eundem tamen cum suis parentibus inimicã? Præterea placet Ptolem. Græcis omnibus & Auenrodan potius à decimo loco filios iudicari quàm à quinto, quod Porphirius ideo rectũ probat, quia inde animæ in corpora demittantur. Sed Porphirij fabulæ fabulam possumus opponere, quia perhibentur animæ per Cancrum labi deorsum, per Capricornum ascendere. Est autem Cancer signum aquilonare, cui respondet apud Ptol. imum terræ non summũ, sed à quarto quoque pariter & undecimo prædictionem de filijs auspicant. Quid quòd Alchabitius & Hebræus Andragazar ad quintum locum legatos uolunt pertinere, & quod Vellius ait rumores & nuncios, addunt & famam, quæ post cineres, & quod Adla scribit uestimenta, quanã igitur ista ratione? nullam enim reddunt, illud ualde irrationabile quòd sextum locum quem uocant ἄπραχτον quasi dixeris torpidum, cessantem, inertem, inefficacem, seruis attribuunt, quorum tamen & labor & industria dominorum nutrit otium & ignauiam. Sed uide pulcherrimã quam super hoc dogmate facit rationem Auenrodan, septimus, inquit, locus pares significat, subiecti uero elongantur à paribus (uerba sunt ipsius) quantum sexta domus à septimã elongatur. Sextam igitur posuerunt pro domo subiectorum. Hæc ille: Quæ ridenda sunt potius quàm confutanda, ne nimis ab Aristot. coarguamur. Nam de septimo quod dicunt pares significari, uide quam ipsi minime ueracia, minime consentientia putent super illa, referunt enim ad eundem locum uxorem, socios & apertos hostes, quibus quid est pugnãtius. Sed defendit Abraam in hunc modum: quoniam septimus, inquit, locus opponitur primo, lites & bella significat, quoniam rursus descendit ascendente horoscopo significat uxorem. Postremo quare mora descensus eius æqualis est tempori ascensionum primi loci, quæ nõnulla conuenientia est, ideo significat æquales, & socios, sic omnia facile confirmabuntur, cũ nulla sit res quæ similitudinis alicuius istiusmodi argumento, cuicunque alteri similis & dissimilis fingi non possit. Vbi enim non succedit? si de rebus oppositis ab eodem ponuntur indicia quasi conueniant. Sed conueniunt, inquiet, hac ratione quòd tẽpora emersus in ascendente casusq; in occidente sunt æqualia. Fateor bene dictum, si id quoque concedas eodem exemplo similem esse igni aquam, quoniam tot partes possideat aqua frigiditatis quot ignis habeat caliditatis. Tam enim puto forsitan opponuntur (quòd non sit dictum scrupulosissime) descensus atq; ascensus, quàm calor atque frigiditas. Nonne certius uxor ad secundum locum pertinet proxima uiro, semper illiq; succedens quasi suppar, & secunda, præsertim cum uelint etiam ex signis alterum esse marem alterum fœminam, quoniam, ut inquit

Ptolemæus fœminæ uiris inhærent. Sed & reddant rationem cur idem locus fures, fugitiuosq; significet (ut Vellio placet) & emptiones quoque ac uenditiones, & quod alij traduntitinera mediocriter longa, tum quod scribit Bonatus cultum puræ diuinitatis præscientiãq; futurorũ. Certe mors isti loco rectius debebatur quàm octauo, cum pariter hic à luce descẽdatur ad tenebras, sicut in ascendente de tenebris itur ad lucem. Sed non placuit, inquit, Auenazra, quia nonnihil est similis ascendenti, tali scilicet similitudine qua nos aquam probauimus esse similem igni. Sed Dorotheus quoq; ex hoc potius de morte iudicabat quàm ex octauo dominũ loci ad id obseruans. Illud itẽ respondeãt cur octauus locus bella significet apud Aboali, & quod scribit Alchainil uillicationem. Quod alij uolunt etiam usuras, debent hæreditates hinc etiam præuideri. Ego non uideo quomodo conueniant hæres & mortuus, melius igitur si mortem octauus locus iudicabat, hæreditatẽ nonus significasset, qui succedit octauo, sed relatas ad octauum hæreditates, ait Auenazra, quod loco secundo proportione respondet, ad quem pertinent facultates scilicet hæc est illa sæpius iam irrisa concordia rerum oppositarũ, nam quæ oppositis locis erit similitudo præter dissimilitudinis? Quod si super eis quasi similibus semper loquerent ignoscendus forsitan error, sed nunc quasi similibus, nunc ut maxime dissimilibus, & quidem ueris oppositis utuntur, ut scilicet eis subueniat. Sic quasi contraria loca sumuntur, dum secundus & portendit quibus nutrimur, & uitam conseruamus, octauus mortem exiliaq; significat, mox idem hæreditates & censum quasi secundo similis & affinis, omnino qui moriuntur hæredes faciunt, nõ fiunt, nisi forsitan cœli, quod cœlo certe non subijcitur. Essent alia obijcienda, sed uereor nugas confutando, ne fiam ipse quoque nugator. Prætermitti de nono loco quod dicunt nullo modo potest, unde tantum quòd rideat habet Lector ut fastidio multiloquij nonnihil subleuetur. Nonus ait locus itinera longa significat, audi rationẽ, quoniam Sol decimo loco positus ad nonum descẽdens mouetur, hoc scripsit Auenazra lib. Rationum primo atq; secundo, ubi opus omnino cachinnis potius quàm syllogismis, quasi in omnibus locis ab uno trãsiens ad aliud Sol non moueatur. Quid quòd cum eo motu Sol descendat, puto nõ significabit locus nonus itinera, quibus montes & eminentia loca conscendamus. Quis enim non iocetur litigans cum ridiculis? adde illam quoq; super duodecimo loco fabulam, significari per eum animalia quibus uehimur, quoniam iunctus sit ascedenti, quoties idem signum utroq; loco protenditur. Alibi uero per eundem locum tenebras aiunt carceresq; portendi, quia maxime distat ab ascendente, a quo scilicet est duodecimus, sic tam parum sui quàm ueri memores metiuntur in quibuslibet. Quod si iunctum eũ locum debet horoscopo tum esse, cum idem signum sedem utranq; occupat, disiunctum cum diuersa sunt signa, sequitur illud ut nec animalia quibus

uehimur,

uehimur, nec carceres, ille locus semper indicet, imò nunquam hæc simul, sed illa cum idem utrobiq; signum, hos aũt cum signa sunt diuersa, quod nullus tamen putat astrologorum.

CONFVTATIO RATIONVM AVENRODAN DE PROprietatibus signorum quæ ab ordine & consequentia signorum sumuntur. Cap. VI.

HAec sunt à situ conditioneq; locorum parabolica quadam similitudine ductæ rationes. Auenrodan primo lib. Apotelesmaton ab ordine, consequentiaq; signorum augmentatur, ut primum scilicet signum primo loco respondeat, secundum secundo, & pro natura domini signi respondentis, natura quoq; loci iudicetur, sic per tertium locum fratres iudicari & itinera breuia, quoniam Gemini quoque tertium signum quorum dominus est Mercurius. Item idem inquit super res mixtas habet influentiam, quare fratres significabit, & cursu Solis proximus hæret semper, quare breuia ad eum itinera pertinebũt. Sed nec alius quispiam astrologorum, nec ipse quem sequitur Ptol. Mercurium facit fratrum significatorem. Sed nec ulla ratio est ut breuibus præsit itineribus, quoniam cursum Solis imitetur. nam si propterea hoc quòd ueloci motu reuoluatur, non magis ad Mercurium quàm ad Solem & Venerem hoc pertinebit, quorum omniũ cursus fermè sunt æquales. Veniamus ad quartum cui respondet Cancer patrem inquit significat, quoniam Sol patribus præest, uis autem Solis apparet in Cancro. Vide quàm uanas quàm friuolas accipiunt coniecturas. Nam in alijs quidem domino semper utitur domus, hic autem ad eum confugit qui nullam habet in eo signo authoritatem. Neq; enim Sol in Cancro, uel regnum habet, uel hospitium, uel trigonum, uel decanum. Quoniam uero nec domina domus Luna, nec Iupiter signi rex, significato patrum deseruiebant, ad Solem se conuertit, quoniam maxime in Cancro positus calefaciat, quod ut sæpe iam diximus non de signi natura, sed habitudine Solis ad terram cõtingit, alioquin quæ cognatio Solis si principia sequimur astrologorum, cum signo humido, frigido, fœminino, in quo ut paulo ante monuimus nullam habeat dignitatis alicuius prærogatiuam. Præterea cum Saturnus eodem in loco dominetur, ut ibidem dicit Auenrodan, quomodo etiã Sol dominabitur? quorum naturam putant opppositam, faciunt domos & regias etiam oppositas. Aut quomodo & illud consonat quod ibi loquitur? ut illi loco Saturni natura respondeat, quapropter in hæreditates occultaq; protendat, cui tamen ut quarto competit signum Cancri, in quo Saturnus à domo procul exilium patitur. De octauo & nono loco non minus falsa pugnantiaq; comminiscitur. Scorpius, inquit, octauum signum cuius dominus Mars, quia mortem significat, uerum nõ qualem facit Mars apud astrologos sed Saturnus potius, nam sicut inquiunt, uenena significat & pigritiam ac inertiam,

ertiam, ut ait Aboasar, quare à Græcis etiam appellatur Argos, quod naturæ Martis minime conuenit. Nonus locus ad Iouẽ refertur, quare nonum signum est Sagittarius, propterea q̃ dicitur religionum iudex & sapientiæ pro natura Iouis. Sed cur non eadem ratione locus 12. cui Pisces respondẽt æquè domus Iouis atque Sagittarius, & si gratior Ioui domus est Sagittarij, tamen si uera ista suppositio de qua ratio mutationis huiusmodi ducitur, ut loco scilicet natura planetæ respondeat, quæ in signo compari dominetur, non debuit locus 12. omnium esse miserrimus, cui signum ascribitur domus Planetæ omnium felicissimi, quanquam methodi infirmitatem satis ipse confirmat Auenrodan, qui quoniam non procedere eam uidit in omnibus, usus est tantum ea in quinq̃ locis, in reliquis confugit ad rationes quas proximo capite confutauimus. Nos autem nec in illis quinque sequi quod putauit ostendimus.

CONTRA RATIONES EARVNDEM PROPRIETATVM quas Aboasar ex ordine accipit Planetarum. Cap. VII.

ABoasar istas locorum proprietates à Planetarum colligit ordine, ut primus primo detur, secũdus secũdo, tertius tertio, proq̃ Planetæ comparis numeri proprietate, proprietas quoque loci decernatur. Sed grauissimum statim incidit incommodum, ut eidem Planetæ rerum oppositarum loca attribuantur, Saturno primus & octauus, Ioui nonus atque secundus, Veneri quintus & duodecimus. Est enim primus locus uitæ, locus octauus mortis, quomodo igitur primo pariter & octauo præerit Saturnus? postquam enim pro numero Planetarum septem loca percursa sunt, redeunt ad primũ, quare Saturnus incidit in octauũ, quod omnes confitẽtur. Itẽ nonus est fidei, sapientiæ, religionisq̃ significator, secũdus diuitiarũ, sed Deus & mãmona non consentiunt. Adde quòd ibi sicut alijs quoque locis ait Aboasar Iouem futuri seculi felicitatem significare, quæ per fidem & sapientiam acquiritur. Venerem autem felicitatem istius seculi, igitur cum diuitiæ ad istius non ad uenturi seculi felicitatem pertineant potius à Venere quàm ab Ioue significabuntur, nec ad locum secundum cui Iupiter numero cõpetit, sed ad quintum cui Venus datur referentur, præsertim quòd & ipsi solent oppositas domos Iouis & Mercurij dicere, quoniam sapientia cuius author sit Mercurius dignitatibus & diuitijs Iouijs aduersetur. Hinc quandoque calumniam repellentes qua sæpius inceſſuntur, quòd scilicet per futurorũ præscientiam & cœlestium uirtutum deductionem, naturæ ferè totius domini, iuuant tamen plerunq̃ pauperes & ignobiles, esse enim in hoc fatũ debent sapientum ne ditescant, quia Mercurio Iupiter aduersetur. Quomodo igitur Iouem nunc ut diuitiarum, ita sapientiæ faciunt authorem? sed in Venere quoq̃ magis absurditas eluceſcit, quæ sicut quintum locum ita pariter incidit 12, quorum alter lætitiæ uoluptatis, alter carcerum & mœroris &

ris & tenebrarum locus dicitur, quibus quidnam potest esse pugnantius? excogitarunt quidam bellissimam defensionem, nam quoniam solet uoluptates consequi pœnitentia, debent Veneri utrunque locũ conuenire, tam gaudij scilicet quàm doloris, puto defendent ita quoq; pariter, ut quoniam uitam sequitur mors ab eodem Planeta utrunq; significari. Nec dubito pari ratione dicturos ad Martem bella pacemq; pertinere, quoniã semper bella sequitur pax, sicut pluuiam quoq; serenitas, pluuia serenitatem. Verũ ne putent extra omne gaudium sibi semper mœrendum ne aliquando mœreant, admonere illos uolo nõ omnis lætitiæ comitem esse mœrorem, sed quæ præter modum fuerit & rationem, hæc autẽ à quinto loco significari non dicent, si suorum principiorum mœrores sunt, nam ad quintum hęc referuntur quoniam iuuent, foueant, refocillent, sicut locus quintus iungitur ascendenti per quod nascentis hominis uita significatur. Immodica uero uoluptas quam pœnitentia dolorq; sequuntur non est uitæ fomentum sed pernities. sed nimis serio loquimur in confutandis nugis. De Marte uideamus Aboasaris rationem & finem faciemus. Fratres, inquit, significat & sorores, quoniã ex illius sunt parentibus, ratio dogmatis hæc quoniam primo loco quo genituræ dominus iudicatur ascribitur Saturnus, secundo igitur Iupiter, qui secundus est Planeta, tertio Mars pro sphærarum ordine tertius. Sed ex eodem genere sunt Mars atq; Saturnus, quia uterq; malus & noxius est. Significabit ergo tertius locus, quæ sunt generis eiusdem, cũ eo qui nascitur, quare fratres atq; sorores. Hæc noster Aboasar qui nisi scripsit ebrius, hæc certe scripsit insanus. Qui enim dissimilis magis Planetarum Marte & Saturno? ille ignis, hic terra, ille feruore furit, hic torpet frigidate, ille nocturnus, hic diurnus, & omnes si percurres nullum inuenies influxum Martis, Saturni influxibus conuenire. Præterea cum filij quoq; similes sint parentibus, aut non debuerunt à quinto significari cui Venus ascribitur, aut erit dicendum Saturnum cum Venere quoque conuenire. Narrauimus rationes astrologorum quibus locorum proprietates probant, in eo forsitan magis arguendi quòd nimis diligenter quàm quòd parum illas uere taxauerimus, ductas tenui quadam similitudine rerum, sed quamuis nullo negocio confutantur, habent tamen ex ueterum traditione scribentiũq; testimonijs potius inficiandã q; negligendam authoritatem.

GAVDIA PLANETARVM CVM DOMIBVS ruere. Cap. VIII.

HInc omnia subuertuntur de gaudijs Planetarum, quoniã locorum proprietatibus denotant, nam gaudere Planetã quemq; uolũt eo loco cuius proprietati Planetæ proptietas est similis. Sic Venerẽ quinto loco, quia gaudia, filios, uoluptates, quemadmodũ Venus significet, sic & alios alijs locis eadẽ ratione, quod ex Auenazra libro tertio rationum & Aboasaris introductorio licet intelligere.

Quanquam si sequamur hanc intentionem, Mercurio magis tertius locus aut sextus conueniebat quàm ascendens. Lunæ magis ascendens aut occidens quàm tertius. Magis Soli decimus quàm nonus. Ioui potius nonus, item secundus quàm undecimus. Marti septimus ꝯ sextus. Saturno quartus quàm duodecimus. Quæ poterit quilibet munera locorũ Planetarum conditionib. conferẽs animaduertere. Abenragel ait signi cuiuslibet partes alias esse calidas & siccas, alias frigidas & humidas, alias frigidas & siccas, alias calidas & humidas, alias medias siue mixtas, quare de partib. suæ naturæ uigorari quemlibet Planetarum. Medias autem siue mixtas conuenire Mercurio, uerum non reciperet istam rationem Ptolem. & alij qui Venerem calidam & humidam esse uolunt, quare partes humidæ & frigidæ nulli Planetarum conuenient. Præterea cum Mars in Ariete tantum quinque partes possideat, erunt tantũ in Ariete si uerus Abenragel partes quinque calidæ & siccæ, reliquæ conditionis alterius & à natura signi diuersæ qui tum natura calida siccaq; decernitur. Similiter erunt in Tauro plures aëreæ partes longe quàm terreæ, sic in alijs eueniet. Fallax igitur Abenrag. ratio, nec si uera, nostram tamen explicat quæstionem, quando relinquetur incertum quæ partes calidæ quæ sint frigidæ, quia non erit certũ quæ cui Planetarum potius debeantur.

RATIONES PTOLEMÆI DE PLANETARVM DOMIBUS DESTRUUNTUR. Cap. IX.

NVnc agendũ de signis, & quidem super his multas iam rationes eorũ euertimus ut quibus probãt signa esse 12. sed nec plura nec pauciora. Tamen principium signorum statuendum ab Ariete, diuisionẽ præterea illam in aquea, terrea, ignea, & aërea, cur item hoc illius Planetæ uel exaltatio, uel trigonum, hoc alterius, restãt alia de quibus nũc dicemus à Planetarum domibus ordientes. Neq; enim si concedatur cum signis diuersis affinitatem huiusmodi esse Planetarũ, ut hic quidem sub signo tali positus infirmetur, sub alio fiat fortior, horũ tamen signorum differentiam nulla ratione posse nos consequi, quoniã non potest aliter hoc fieri quàm pro natura stellarũ eiusq; signi, ut superius diximus. Sed naturam stellarum nobis ratio nõ demonstrat. Igit nec signorum cũ sideribus affinitatem, quæ si spacia cœli potius ꝯ stellas cõsequi dicatur, nihil minus inexplorabilis erit syllogismo ꝯ occultę cæterarum rerum proprietates. Ptol. de domibus Solis & Lunæ nititur una ratione tantum, de reliquorum domibus triplici. Prima sumitur à natura signorum. Secũda de proportione cõfigurationis ad domos luminariũ. Tertia de numero consequentiaq; sphærarum. Primam primitus excutiamus. Est autem eiusmodi: Capricornus & Aquarius hyemalia signa sunt, quia frigida, Saturnus quoq; Planeta frigidus, igiur illi recte conueniunt. Peccat autem multipliciter argumentum. Sed primo quia debet in natura signi

spectari

spectari potius quod conuenit exse quàm quod ex accidenti. Conuenit autem ex accidenti signis illis frigiditas, quare duntaxat ea ratione quòd positus Sol in illis frigoris causa est per accidens, dum scilicet mouetur lōgius à nobis. Cū uero de illis pro sua natura decernitur, alterū apud ipsos astrologos terreū, alterū est aëreum, quę qualitas Ioui potius conuenit q̄ Saturno, qui frigidus & siccus omnibus Aquarij qualitatibus aduersatur. Præterea solent astrologi cum diuersa diuersis stellis associant, si malæ sunt stellæ dare illis quæ potius earum naturæ dissentiant quàm quæ consentiant, ut eorū natura scilicet mala contrarij mixtura temperetur, sic diurnum Saturnū, Martem nocturnum faciunt, cum tamē calore Martis frigida nox, frigore Saturni calidus dies non consentiat, ut inde qualitas utriusq̄ noxia refrenetur feruor in Marte, torpor in Saturno. Dicant igit̄ an in signis Planetæ malo reddendis, hanc quoq̄ sequi uelint rationem? an contrariā potius? Equidem Ptol. contrariam sequi uidetur sententiam, nunc methodi, quam supra seruauerat in nocturnis diurnisq̄ diffiniendis. Verum liceat illi diuersis in locis eadem non sentire, modo in eadem serie uerborum sibi non repugnet. At si naturæ Saturni cōsonum signum domū faciat, Aquarius excluditur, si dissonum, foras mittitur Capricornus. Dicet Ptol. ad illas se respicere signorum qualitates quę de Solis operibus illis debentur, signum autē utrūq̄ tam Capræ quàm Aquarij frigidis numeratur, quod Saturnię qualitati cōcordat. Nos extra rationē fieri contendimus, sed admittamus, nec tā colligi quod putat declaremus. Respondebit enim hoc forte super Saturno, super alijs Planetis non succedet, nam Veneris domus Libra, Taurus, Libra signum autumnale, quare siccū & frigidū, sicut Aquarius frigidum quidem hyemale. Repugnat igitur Veneri Libra quę pluribus quidem calida, rursus omnibus humida definitur. Nec parū demiror Ptolemæum qui dixerit hæc Veneri signa conuenire, quoniam sit generatiua maximeq̄ fœcunda. Nam potest hoc dici de Tauro, de Libra dici nullo modo potest. In Ioue quonam pacto ratio quadrat? cui nulla cōmunio cum Piscibus & Sagittario. Siquidem anni tempus sub istis signis ęstimatur, alterum finit hyemem, alterum autumni finis. Igitur illud per frigiditatem repugnabit Ioui, hoc etiam per siccitatem, quanquam nec Pisciū humiditas aquea uitali Iouis humori conuenit. Ptolem. ad istam se refert concordiam, quòd utrunq̄ illorū uentos facit, & uim quoq̄ habet genitalem, quare cum illis Iouem consonare Planetam temperatum. Quæ dum refello, putarem superuacuam operam facere, nisi potuisset hæc prodere Ptol; cuius facile potest authoritas imperitis imponere. alioquin his similia quæ solent interdum literati per iocum ludentes inter se dicere uentos suscitant, igitur Ioui similia. Rationem reddit Auenrodan, quoniam rerum uiuentium geniturę seminibusqúe præest Iupiter, quorum uapores halitúsque uentis nonnihil similes sunt. O mirabilem sapientiam, qua possunt

etiam

etiam humidis sicca similia defendi. Nam uentos quidem philosophi (nisi fallor) omnes siccos faciunt contra genituram omnem humidam, sed et fœcunda signa, quoniam posito in illis Sole semina germinãt, res exoriuntur. O si potuissent ad humanum semen deferri, commodius omnino accidisset hoc eis ab Ariete. Sed non poterant Ioui dare quem Mars occupauerat, quanquam omnino iniuria. Quid enim illi cum primo uere? cuius nullus calor, & genitalis humorq; prolificus cum torrida Martis siccitate nihil participat. Inuasit audacia pari Scorpium nullo etiam iure, frigidum scilicet signum & autumnale. Nõ igitur istam si sequamur rationem satis æqua partitio fuerit ista domorum. Examinemus alias à configurationibus luminarium & à sphærarum numero susceptas. Verũ quoniam per habitudinem colligunt ad luminarium domos, excuti prius oportet rationem qua domus ipsæ luminarium statuantur. Est autem huiusmodi illa quam Ptolemæus affert: Cancer & Leo de duodecim signis omnium maxime uergunt ad aquilonem, proximantq; uertici capitum nostrorum, propterea duabus maximis & principalibus stellis, hoc est, luminaribus data sunt, Leo Soli quoniam masculum signum, Cancer Lunæ fœmineũ. Primum igitur falsum quod assumitur, nam signa nobis uiciniora, Cãcer & Gemini, non Cancer & Leo, deinde si sit uerum quæ ratio dõcet, maioribus siderum signa conuenire nobis proximiora? Potuerunt hoc dicere ueteres hac similitudine, quòd & illa proximiora nobis inter Planetas. Sed Ptol. dicere non potest, qui medium facit Solem omnium Planetarum. An ideo factũ quoniam in Leone Sol magis calefacit? Verum sæpius dictum ex situ id euenire, non de signi proprietate, quare gentib. alijs facere Solem in Libra quod nobis facit in Leone. Quod si uirium siderum cæterorum, sensus ita ueros, & rationes, ut Solaris caloris haberemus, experiremur, de reliquis idem quod de Sole, magis affici nos ab illis accedentibus ad Leonem, q; quia procul à nobis in alijs signis inueniũtur. An alijs igitur rationibus Sol cum Leone concordat? sane quod calidum signum & siccum, quod masculum item est, non est proprium Leoni, sed Arieti commune & Sagittario. Restat una conditio cuius meminit ille grauissimus Aboasar. Nam quemadmodum, inquit, Sol medius Planetarum, ita Leo medium signum æstatis, hac nisi ratione ligarer, non eram concessurus apud Leonem melius Phœbum quàm apud alias cœli bestias hospitari. Sed persuasit Aboasar uere præsidium & dulce decus astrologorum, qui de Lunæ quoque cum Tauro cognatione pulcherrimam rem cogitauit. Nam Ptol. attullit ad distantiam quòd inter signa proxima nobis est fœminium. Non contentus Aboasar aliud addidit, quòd significet Luna rerum initia, sit autem Cancer æstatis initium, cui demonstrationi quis non concesserit? Hoc nõ uidit Auenrodan usus alia ratione, quod proxime scilicet Solis ędib. ędes Lunæ merito collocent, quia Luna sequat, semper Solem.

Sed

Sed uiderit quàm de Venere & Mercurio rectius hoc dicatur, quorũ etiam ædes proximas Soli natura fecit, si credimus Ptol. cuius interpres Auenrodan quem citauimus. Cæterum sint istæ domus luminarium, quæ ratio super alijs distribuendis Ptol. hanc affert imprimis, ut domus siderũ malorum, qualia Mars atq; Saturnus inimica radiatione luminarium domos aspiciãt, domus uero bonorum ut Iouis, & Veneris amica, Mercurius illis proximus statuatur. Recte igitur Martí datum Scorpium & Arietẽ quadrangulares Cancro atq; Leoni, Saturno Capricornum & Aquarium, illis oppositos, Ioui triquetra illis signa Pisces, Sagittarium, hexagona Veneri, Libram & Taurum, proxima Geminos Virginemq; Mercurio. Sed nec uerum quod assumitur nec ex assumptis recte colligit. Nam domum statui eã rationabiliter dicimus in qua Planeta positus bene se habet, sed noxia Marti, Soliq; pariter illorum radiatio quadrangula, noxia item oppositio Saturno, tum propter oppositionis aduersitatem, tũ propter retrogradationẽ. Quod si uerum illud quod ipse tradit Ptol. felices omnes Planetas in ea distantia summotos à Sole, in qua domus eorum à Solis domibus distant, quod Græci uocant ὑστεροποιοποίαν, Arabes almugeam, sequeret & Saturnum oppositum luminaribus, & Martem illis quadratum esse felices, contra sententiam omnium astrologorum de talibus schematis infortunia calamitatesq; magnas decernẽtiũ. Postremo nõ quadrare principio quod colligit euidens est, nã cum dicunt has uel illas domus triquetras uel quadrangulas esse domibus sic accipiunt, ut cõparentur ad Leonem, quæ inter eum & Capricornũ pro signorum consequentia sunt ad alterum, ordine conuerso quæ inter Cancrũ & Aquarium, quare altera Solis altera Lunæ medietas & imperiũ dicitur, alioquin domus Veneris tã quadrangulæ quàm triangulæ dici possent, cũ sit Libra quadrata Cãcro, Leoni, Taurus, & Martis domus triquetræ forent, Scorpius Cãcro, Aries Leoni. Igitur ad domum cuiusque luminaris comparari debet domus collateralis & quasi sub sideris ditione locata. Quod si fiat falsissimum deprehendetur, opponi luminaribus, ut ait Ptol. domos Saturni, quoniam nec Aquarius Cancro, nec Leoni Capricornus opponitur. Quapropter domos quam Saturni nemo dixerit cum ex diametro luminaria respiciant se, quia sextũ à Sole uel octauũ Luna locũ teneant, quod Auenrodan quoq; confitet. Alia ratio penes orbiũ numerũ sumitur, ut cũ de Leone Cancroq; definitũ est, tum proximioribus Soli, Lunæq; Planetis in ordine sphærarũ, proximiores domus ascribebant, sic Mercurio statuũt hinc Geminos, inde Virginẽ dari, tum Veneri quę sequũtur, proxima Marti, deinceps Ioui, postremam Saturno, has omnes ab ista sphærarum consequentia ductas argumentationes falsas, tum si uere forent incertas esse declarauimus. Recte igit Auenazra lib. secundo Rationum: Quæsiui, inquit, in libris sapientum de singuis rationes domorum nec reperi in eis aliquid bonum, tantum ad fidem

expe-

experimentorum se conuertunt. Hæc ille. Nos hoc libro rationes, proximo astrologorum experimenta labefactabimus.

FACIERVM ET FINIVM RATIONES IAM ESSE reprobatas. Cap. X.

FAcies Planetarum quibus omnes utuntur à consequentia similiter orbiũ diuidunt, nã primas arieti partes decernentes, domino domus dãt, sequẽtes sequentibus, iuxta ordinẽ situs & sphærarum, Soli scilicet primas à Marte, secundas Veneri, atque ita deinceps. Indi primas dabant domino domus, alias duas dominis signorum eiusdem trigoni, quòd si trigona satis confutauimus & quæ super orbium numero argumentantur, nõ est opus aduersus huiusmodi rationes, nouis rationibus. Super finibus adeò non conueniunt, ut quinque super eis fecerint opiniones, quare rationes alterius alter arguit & irridet. Ita uero sunt omnes debiles & infirmæ, ut suos quisque confines nouo quodam iure mutet & inuadat alienos. Ex ordine trigonorum Chaldæi fines suos ordinarunt, ut trigona signa similiter partirentur. Esset autem modus partitionis, ut primas partes trigoni dominus occuparet, tum subsequentes qui sequentibus in signis habent trigoni potestatem, numeris semper ab octo decrescentibus ad quatuor. Aegyptij, quod illis obijcit. Ptol. nullum seruant methodi tenorem, nunc adeunt trigona, nunc reges, nũc patres familias, ordientes interdum ab his qui nullam in signo possident authoritatem, ut à Mercurio in Capricorno. Ptol. aliam probat diuisionem, cuius legere rationem cuique promptũ libro primo Apotelesmaton. Pendet autem à dominis domus exaltationis & trigoni, quam probare non debuit tamen Ptol. nisi reprobat seipsum, quandoquidem illius author diuisionis exaltationem trigono præponit, trigonum domui. Ptolem. uero præponit omnibus domum, postremamq; facit exaltationem, quæ in illa diuisione cunctis ante fertur. Indi mascula signa similiter per omnia diuidunt, & fœminea pariter eodem exemplo, sed exempli in utrisq; ratio nulla cognoscitur. Asotol dedit luminaribus etiam terminos, cuique Planetæ totidem partes, primas autẽ domino domus prophetarũ ordine, reliquas reliquis. Nos cũ istud iam fundamentũ & similiter domos, exaltationes, trigona, sustulerimus, uel si quid sunt in incerto esse probauerimus, cõcidit omnis ratio finium definiendorum (si qui fines esse concedantur.) Præterea si de trigonis, domibus, altitudinibus ueritas foret explorata, non tamen exploratum hoc modo potius quàm illo fines decernendos, unde nata uarietas opinionum dum aliud alijs magis probabile uisum est.

Quòd

QVOD CVI MEMBRO SIGNVM DOMINETVR VARIE à uarijs determinari & ab omnibus parum rationabiliter. Cap. XI.

QVod item caput Arieti, Taurum collo, signis alijs similia membra subijciũt, ab illo quoq; iam sæpe sugillato numerorũ ordine trahunt originem, ut primum scilicet signum primę corporis parti præficiatur, secundum secũdæ, tertium tertiæ, quamuis illa quoq; peccant in hac partitione, non tam quòd Arietem primũ faciunt signorum, quòd signa 12. ueluti ex confesso rem tam ambiguã nesal sissimã dixerim, quàm quòd corporis partes quasi principales tot fieri ratio nulla persuadet. Aristot. septem fecit, Nicomachus 10. cur 12. ipsi reddant rationem, uident rem potius absurdam, humeros, brachia, manus in unam cogere partem signo uni subiectam, tam & pedes tibijs, tibias geniculis, & genicula femoribus, uti partes quatuor magnas, quatuor signis subijciendas. Præterea facturis distributionem huiusmodi potius calida calidis, frigida frigidis, erant comparanda, quàm secunda secundis, tertia tertijs, hac est potius obseruanda naturæ communio quàm situs & ordinis enumeratio, nec forsitan riderentur pedes piscibus subijcientes, qui soli pedibus inter cœlestia carent. Caueant igitur medici ne tã futili aliquando dogmate persuasi metuãt uenam incidere brachiorũ, si res postulet, Luna Geminos peragrante quoniã brachijs Gemini præsunt, nec salutare remediũ ducti uana superstitione morent. Non Hippocrates, nõ Galenus, non Auic. non Paulus, non Oribasius, aut hoc ipsi fecerunt, aut alij ut facerent constituerunt, non qui nostra (quod alibi diximus) tempestate, feliciter & prudenter hanc artem exercuerunt, quare cesset omnis hoc genus insana superstitio, quæ si nullam probatur habere rationem, nec robur habere potest experimenti. Tum quia ueritas nulla consonat mendacio, tum propterea quæ sumus libro sequẽti plurima probaturi, tum ob ipsam ponentium hęc inter se contrarietatem. Nam dat Sagittario testes Auenazra, dat Aboasar illos Scorpioni, dat Alchabitius Virgini Diaphragma, quem Latine septum transuersum, Porphirius Leoni cui etiam uentrem, quod Arabes Virgini, sunt qui genua Sagittario, quæ tamen Arabes & Latini Capricorno, Heliazer Garnozensis uir Hebræus in lib. de Anima Cancro manus & pedes assignat, cum tamen alij Geminis manus, pedes Piscibus reddant, Libræ rursus ille crura pedesq; etiã alia tamen ratione quàm Cancro subijcit, Cancro enim quatenus scilicet gradiendi functionem implẽt, Libræ propter hanc similitudinem, quare dum fit incessus attolluntur & deprimuntur instar Libræ. Cæteri libræ nihil tale, sed Aquario crura, Piscibus pedes, Libræ uero tam nates q̃ renes & lumbos subijciãt, Scorpioni fel respondere ait Heliazer, naturã Sagittario, sed alij Scorpioni dant uerenda. Quod si quis dicat astrologis obseruatum nunquam tuto ferrũ admoueri

moueri membro cuius signo Luna per id tempus insederit, primum in tanta incertitudine quodnam signo membrum subijci dicatur experimẽtum constans & confessum haberi non potest, tamen utcunq; forsitan cõtigerit, sapiens tamen uir oppositũ obseruauit. Scribit enim Nicolaus ore grauis philosophus & mathematicus, plerunq; se uidisse factam salubriter in pede sanguinis missionem cum Luna foret in Piscibus, & in brachijs item cum Geminos illa peragraret.

RATIONES ASTROLOGORVM QVIBVS PROPRIETATES signis absolute conuenientes astruuntur, & quod de supradictis sint reiectæ. Cap. XII.

DIximus de proprietatibus quibus ad nos & ad Planetas signa referuntur, restant quæ simpliciter illis competunt & absolutè, quas illi de triplici genere probationis assumunt. Primum à confutata iam cũ Planetis ducit affinitate. Secundum à figura cognominis animalis. Tertium ab his quæ sub eis positus Sol operatur. Ab affinitate cum Planetis argumentantur cũ talem naturam signi faciunt qualis quoq; Planetæ qui dominatur in eo signo, ut cum Arietem dicunt latebras latronum maleficorumq; hominum significare, quoniã Martis est domus, id genus hominum significantis, ab opere Solis cũ mobilia signa, fixa, cõmuniaq; decernunt, ex quibus Sol anni tẽpus aut mutat aut firmat, aut qualitate promiscua temperat. A figura, cum alia mites mores, alia ferinos afflare nascentibus dicunt, quòd hæc omnium gerunt imaginem, ut Aquarius, Gemini, Virgo, alia bestiarum, ut Leo, Taurus, Capricornus. Item hæc esse pulchra, illa deformia, nam pulchra uocant quæcũq; sub hominum specie cogitantur præter Aquarium, quoniam sit Saturni senis hospitium, quasi non senex etiãq; deformis pulchro possit hospitio uel egere uel delectari, pariter quæ sint bruta effigie, ut Taurus, & similia semiuocalia, uocant uocalia quæ humana, muta quæ speciem referũt aquatilium, quod genus uiuentia uocem non habeant. Rursus & aquatilia multę prolis, humana specie sterilia. Reliqua mediæ statuunt conditionis, pro natura scilicet animantium quarum fere creduntur imagines. Quos modos positionum superius disputata satis euerterunt. Cum enim de Planetæ domicilijs & ingenio faciunt coniecturam, argumentantur ab astrologicis, quę nos pauloante confutauimus. Cum ab opere quoque Solis argumentãtur quantum uel fallant uel fallantur ostendimus, quandoquidem non est natura signi putanda quod opus est Solis in signo locati, non pro signi natura, sed pro situ ad terram distantiãq; taliter operantis. Præterea quod in anni temporibus aëreisq; mutationibus cum euenit fallacissima coniectione transfertur ad alia, ut quia signum mobile Aries, tẽpus uariat, faciat quoque in eo nascentis ingenium mobile, non perseuerans, factum ad inchoandum potius quam ad absoluendum. Nec solum errãter ab aëris qualitate

ad euen-

ad euenta diuersa proprietatesq; seuertunt ingeniorũ, sed in ipsis aëris mutationibus fieri putatur in sideribus alijs quod in Sole prospicitur, ut quare Sol positus in Ariete uernum faciens æquinoctiũ ciet fulgura, suscitatq; tonitrua, putemus in Ariete Lunam positam idem facturam. Nec alium delapsus in errorem quàm quòd ad signi referunt naturã, quod à Sole prositus prouenit uarietate. De figuris imaginum diximus abundanter libro octauo quàm sint nullæ, uanæ, quàm commentitiæ. Non opera Dei, sed hominũ, non à naturæ ratione profecta, sed poëticæ mẽtis temeritate conficta. Sed ut ille ueriſsime, nusquam tamen astrologi magis falsi quàm cum ex illis signorum proprietates eliciunt, quandoquidem à signis ut supra late demonstrauimus, etiam in octaua sphærà differunt imagines, non modo situ mobilitateq;, sed & partium mobilisq; dimensu & quantitate. Deniq; nimis inerti, futili supinaq; tarditate repugnant, dum eorundẽ signorum & ab opere Solis & imagine conditionem inquirunt: Etenim illud aperte signis immobilibus ex communi eorum consensu; mobilibus istà conueniunt.

TAXATVR PTOLEM. DE PLANETIS LOQVENS, AC SI ex elementis constarent, rationesq; aliorum quibus Planetarum probant qualitates, pariter confutantur. Cap. XIII.

HActenus de signorum rationibus quàm insigniter sint irrationales, in Planetis eadem falsitas, imò maior, maiorq; temeritas. Ostensuri nos superius Ptolem. male philosophatum de erronibus, ea potissimum indicauimus, quibus naturam Planetarum inquirit. Nam quasi Planetæ constent ex elementis, aut ex passionibus constent elementorum, non solum sese inuicem uel calore uel frigore permutantes, sed à terræ quoq; uaporibus permutati, sic de eis sermonẽ facit Ptol. Luna inquit humida est, quoniam terræ proxima, sursum ad eam terræ uaporibus ascendentibus humescit. Saturni stella frigida est, in primis & modice sicca, friget procul à Sole posita, arescit procul à terræ uaporibus exaltata. Mars Solis uicinitate torridus exiccat. Iupiter medius inter frigus Saturni, Martisq; feruorem temperatus euadit, quoniam uero super calidas sphæras fert Martis atq; Solis, ideò præcipue calefacit. Venus humida est æquè atque Luna, nam luminis sui copia multos sibi terræ uapores ascisit, habet item à Sole cui proxima uim calefaciendi. Mercurius & à Sole cui semper hæret habet exiccandi proprietatẽ, & à terræ uicinia Lunæq; confinio humectandi uires. Sic primo lib. Apotelesmaton ratiocinatur Ptol. Cui si persuaderi non potest à Peripateticis liberum esse cœlum ab istis affectionibus, saltem ex numero eorum quæ ipse demõstrauit, illud intelligat, plus à Luna distare terram, quàm ut possint ad eam terræ uapores halitusq; prouenire, qui nec supra sedecim stadia putantur à physicis sursum tolli, ne dum ad Lunam, ad Venerem, ad Mercuriũ incolumes

attollantur. Adde Venerem de Solis uicinitate futurã magis siccam quam de terræ nebulis humidã, siquidem Soli iunctior est quàm terræ, nec cum Solis potentia uis humoris terreni potest comparari. Adde etiam Mercurium terræ proximiorem, & à Sole propterea distantiorem, plus siccum facit esse quàm humidum. Quomodo igitur cõsentit sibi Veneris humiditatem conferens Lunari igne tam uicino tam parum excalescente, ut frigida multis existimetur. Et si riget Saturnus à Sole minus elongatus, nónne tota stellarum hærentium multitudo, cum distantior sit à sole torpida frigoris glacie distringetur? cum tamen inter eas igneæ multas esse naturę pronuncient. Igitur ratio Ptol. non modo falsa sed nec consona sibi, quod in falsis plerunq; rationibus usu uenit. Alij de Planetarum coloribus argumentantur, quod in Marte quoque tetigit Ptolem. Dicunt igitur hi mentiri philosophos elementa putantes nullo colore saporéue participare. Sed aquæ colorem album, dulcedinem ex saporibus conuenire. Terræ fuscum colorem & saporem amarum, quod alij tamen negant, dulcẽ potius contendentes, nec si foret amarus terram quicquam germinaturam. Tũ in igne saporem confitentur nullum, colorem uero rubeum. Aërem dicunt tã coloris quàm saporis expertem, admittere aduentitios uariosq; colores. In planetis ipsis nullos quidem sapores, sed colores esse multiplices, ex quibus illorum facile naturam possumus explorare. Nam fuscedinem in Saturno terrenam ostendere proprietatem, & atræ bili conuenientẽ. In Marte ruborem igneæ qualitatis & bilis rubræ testimonium facere. Venerem croceo & albo radiantem, ex croceo calidam intelligi, humidam ex albo, quæ quoniam nec pares sunt qualitates, indicari naturę temperamentum, qualis aëris sanguinisq; conditio. De Ioue similem fieri coniecturã. In Luna quod albicat humiditatem ostendi, quod fuscedinis aliquid habet frigidam demonstrari. Mercurij quidem colorem identidem permutari, qui nunc uiridis uideatur, nunc fuscus, nunc in alium quoque uertatur aspectum, uerumtamen magis fuscum adamare, quare terrenæ siccitati reddi conformiorem. Sic illi ratiocinantur nimis utique præter rationem, nam consequuntur colores elementorum mixtionem quæ nulla est in cœlestibus, nec colore dicuntur ab Aristotele participari cœlestia, nisi quatenus lumen color quidam est, neque uero si color indicat mixti aliquã proprietatem, indicabit & lumen naturam corporis præfulgentis, siquidem coniectura fit de colore, qui uarijs prom[illegible]ture uarietate putatur emergere. Quare cum non erit aliud color quàm luminis euidentia, magis aut minus clari, non de composito, sed de simplici corpore manans, nullum faciet nobis indicium corporis illuminantis. Quid quòd certa nobis indago cœlestibus explorãdis ex eorum coloribus nulla foret, etiam si ueris coloribus prædita essent, interiectu tam uasti, quodq; magis obturbet, tam multiformis spacij fidem coloris penitus auferẽte. Nec uolui obijcere illis Plat. scribentem

bentem in Phædone, non esse quæ uidemus nos siderum corpora, sed radiorum quasdam reflexiones in aëre similem sideri speciem referẽtes, sicut in profundo uitam agentes pisces uident in aquæ suprema facie non sidera sed imagines siderum, quasiq; dixerim radiosas umbras. Verum siue hoc, siue ipsa sidera contuemur, nemo nescit initiatus sacris philosophiæ uariari colores mirum immodum, rerumq; uidentur interuentu corporum multiformium. Denique dubium apud medicos, an, quod putat Galenus, ex odore, colore, sapore, tactu, cognosci uires & proprietates herbarum possint, idq; multis tum Auerrois rationibus, tum experimentis falsum demonstrari. Porrò de solo consequi nos id posse colore nemo suspicatus est, rerum inquam illarum quæ sub oculos, sub obtutum habere dies integros possumus, non motu, non spacio, non luminis multitudine coniectantis industriam studiumq; interpellante. Quis igitur de cœlestib. hoc audeat polliceri? quanquam colores corporum illorum ueri simile quoque nobis immixti, sinceri, puri renuncientur. Calcis candor à niue fere nõ uincitur, cum sit tamen in calce plurimum caloris, in niue contra plurimum frigiditatis. Errat autem Auenrodan nimis impudenter, qui falli nos quidem in terrenis rebus colore credit, in cœlestibus minime, quoniam illa mixta sint ex elementis, cœlestia non sint mixta. Nam hinc maxime scimus de cœlestiũ natura fidem adhibendã non esse coloribus, quoniam ex elementis non sunt mixta, cum tantum possit indicare naturam corporis color, quantum mixturæ nobis indicat modum. Præterea (quod mox dicebamus) interiecta tam uasta regione corporum multitudo, non potest quicunque fingantur ibi colores non peruertere, interpellare, quod uel ipsa demonstrat super istis coloribus nata uarietas opinionum. Negat enim Aboasar tales cœlestes colores Planetarum esse quales narrauimus supra, creditos ab his qui de coloribus sidera iudicarunt, quippe stellam Saturni plumbi potius referre colorem quàm qui terræ fuscedinem repræsentet, nec albedinem esse in Ioue, nec item Veneris esse proprium candorem, tum si Mars ideo calidus dicitur quare rubeus est, multo Soli rubrum colorem magis deberi qui sit Marte calidior, albam Lunam neminem putaturum qui non careat oculis, non nihil diuersa uidentur quæ de coloribus Planetarum ex ueterum monumentis in naturali produntur historia, ubi candidus Saturnus, Iupiter clarus, Venus nunc candens cum Lucifer dicitur, nunc fulgens cum Vesperi nomen habet, Mercurius radiãs, Luna blando colore describitur, omnino quod dicitur in Mercurio uariare illum coloribus, quare naturę quoque multiformis & mutabilis esse de fallaci nascitur euidentia, neque enim quòd Mercurius huiusmodi sit hoc contingit, uerum quoniam Soli proximum semper magna ex parte uidetur prope finitorem, qua cœli parte multiplices (ut testatur Ptolemæus) halitus humiditatesq; terrenæ, uersipelles aspectus, & colores stel-

larum multiuagos repręsentant. Nulla igitur ista de coloribus ait Abaosar commentatio, probabilitatis fide coloratur, à qua tamẽ ut ait Aboas. astrologorum uniuersitas pendet. Aboasar ipse reijciens memoratas rationes, putat ex primis qualitatibus quas Planetæ producunt, eorum naturã posse cognosci, quod etiam Ptolemæus admonuit, quare Saturnum authorem frigoris & siccitatis experimento deprehendi, nam uigere in corporibus has qualitates, cum fuerit ipse gubernator anni, sic de Marte, de reliquis obseruatum, quas quisque corporibus elementariam influat affectionem. Ex his uero de tota natura Planetæ coniectari, siquidem cum frigus & siccitas opera Saturni uitæ sint aduersa, maleficum sidus Saturnum infelixq; decerni, maleficum quoque Martem, ob æstum caloris adurentis, immodicæq; siccitatis, contra Iouem & Venerem stellas esse beneficas ob caloris naturam & humidi, quibus qualitatibus uita conseruatur, sic in alijs argumentatur. Ad quatuor denique illas qualitates omnia referens, frigus, humorem, calorem, siccitatem, sed huiusmodi ratio pẽdet ab experimentis. Nam frigoris effectiuum Saturnum potius quàm caloris nõ probat ratione, quod paulo ante confutati facere conabantur, uerum experimento quasi compertum sensus euidentia, quod falsissimum putant multi philosophorũ, asserentes nullam stellam frigoris & siccitatis esse productricem, quasiq; cõstet inter eos quæ cuius qualitatis stella sit opifex, quod tamen ambiguum in Luna & Venere est. Venerem enim frigidã & Abenragel & Alchabitius, Aboasar cum Ptolemæo calidam putat, Lunã Ptolem. calidam, cæteri frigidam, de Mercurio quoq; non conueniunt. Tum si de Planeta gubernante annum (ut Aboasar uult) facta est obseruatio, quomodo possunt in ea conuenire, cum tanta super anni domino deligendo sit ambiguitas opinionum, ut tot ferè sint futuri domini quot astrologi pronunciauerint.

SI CONCEDAMVS PLANETAS PRIMAS EFFICERE qualitates, non esse propterea concedendum alios noxios esse, alios salutares. Cap. XIIII.

CÆterum siue talibus experimentis, siue primis adducti rationibus, concedimus quæ de qualitatibus dicunt, non plus efficitur, quàm influxus siderum exploratos in permutando aëris statu non corporum peristiusmodi primas affectiones, uerum nec salutares has esse stellas alias noxias, nec quæ propriæ peculiaresq; siderum dotes inde colligi potest. Primum si naturam terræ Saturni stella, si Martis ignem repręsentat, cur aut ille malus, aut hic. Si nec terra mala, nec ignis malus, ex quibus innumeri uitæ usus, sine quibus natura constare non possit. Nam in uiuentium quoque corporibus bilis atra rubraq; non sunt noxiæ sed necessariæ, nec minus utiles quibusdã muneribus subeundis, quàm uel sanguis uel pituita, quòd si nocere dicatur excessu, nocent eo mo-

eo modo sanguis & pituita, si supra modū excreuerint. Quod si de mundo uniuersali ratio particularis mundi quem hominē appellamus rite uestigat, iniuria cognoscemus ascribi stellis, excessum cuiusp iam qualitatis in humano corpore. Nā quòd elemēta maneāt intra fines, & præscripto iure contenta, negocium mundi nō facessant, à cœlesti natura creditē esse, regente & moderāte fluxibilem & erraticā materiā rerum corruptibilium. Cur nō igitē eadem ratione cœli potius fuerit cōtinere frenareq; qualitates in nostro corpore sub continuā uitæ dispositionem, q̄ alterius excitatu superfluo reliquas perdere totumq; labefactare? Quare si præest atræ bili Saturnus cū nihil à cœlo nō ordinatū non uiuificum emanet, nō excitabit illam ad exitiū animalis, sed moderabit ad conseruationē, nec habebit à stella sua bilis atra quo magis & uiolentius agat, sed quo moderatius atq; uiuacius. Est enim istorū materia quædam congeries elementorū, efficiens causa cœlum, sed efficiens in unū cogit quæ miscentur, ac sub unius communionis pace omnia temperat, aliud alia cœli parte mouēs, si diuersis ista stellis subijciantur, omnib. uero simul cū cœlo stellis ad harmoniā totius unanimiter cōspirantibus. Proinde nemo fallatē ut cum rubræ bili Saturnum p̄fici audierit in subiectā sibi qualitatem fieri quicq; à stella suspicetur, quod ordini bono uitæq; nō conueniat, cum non minus compescere tumultuantem, q̄ suscitare torpentem intelligi debeat cœlestis p̄fecturę munus. Nec mors à cœlo sed à natura, cū uitio proprio quæq; qualitas ita degenerauerit, ut præfecti sideris disciplinā non sustineat, sed uel euagetur immodica, uel remissa deficiat, hoc est, quòd semel iterūq; lectorem admonui nō esse professionem cœlo magis iniuriam astrologica superstitione, quæ quicquid à nobis fit præter rationem, culpa uoluntatis, quicquid natura euenit p̄ter ordinem, uitio temerariæ labilisq; materiæ, id totum sideribus ambit imputare, nec putat illorum saluam dignitatem, si non illis indignissima quæq; accepta referamus. Ita igitur ratio colligatur non nocere corporibus, sed prodesse quatuor qualitates, cum sint modicæ & temperatæ, sed non aliter eas à stellis prouenire, nō igitur quòd ab eis prouenient, stellas noxias dici posse. Primum neq; Mars neq; Saturnus ideo mali dici possunt, quoniam bilem hic quidem atram ille rubeam suscitet in corporibus, quando neutra, si fines modumq; non excedat uitæ noxia, cui potius est necessaria. Tantum uero abest, ut exuberet, exitialiter authore cœlo, ut non aliunde intra modū præscriptumq; contineatur, de qua re diximus abundanter libro tertio, quo loco probauimus mala corporis cœlitus non prouenire. Quod si qualitates huiusmodi uigoraret cœlum, & ultra modum, non statim sequeretur etiam malos Planetas omnibus Martem & Saturnum, sed essent aliquibus excessus isti salutares, nam & frigidum semen radij Martis temperarent, & plus excalescens frigore Saturni ad competentiā redigeretur. Quare non posset astrologus eum cuius

in genitura uidisset præpotentem Saturnum atræ bilis incommodis adiudicare, nec quem præ cæteris Mars afflasset æstibus choleræ obnoxium pronunciare, nisi qualis natura illis hos illi scripsisset, uel usus haberet exploratum. Quod cum ille nesciat nec uestiget, sed de istis tantum excessibus qualitatum bonam malamq; fortunam examinet, patet eum in dubio semper uersaturum. Patet item illud quod dicunt fortunator Planeta mutatur interdum in infortunatorem, & infortunator in fortunatorem. Nocet enim Iupiter quandoque & prodest Saturnus, non aliter hoc accidere, quàm pro materiæ conditione, non autem pro locorum, distantiarum signorumq; uarietate, quæ si forent in causa mutationis huiusmodi, pessime super ea decretū foret ab astrologis, siquidem positionem de primis qualitatibus tuentur. Nam Mars in Ariete uti magis calefaciet ita magis nocebit, quod ipsi pernegant. Nam Mars, inquiunt, domum suam non euertit, & uniuersaliter quælibet uel domum, uel finem uel altitudinem stella possidens, felix illis existimatur, calefacturum uerò magis Martem in Ariete quis dubitet? siquidem Aries ut uolunt igneum signum est, pariter in Capricorno Saturnus noxius, in Ariete felix erit putandus contra illorū opinionem, quando de Capricorno Saturni frigus & siccitas quibus nocere putatur intenduntur, & calor Arietis illius rigorem moderabitur. Felicior enim erit cum retrocesserit, quod non putant, quàm cum recto cursu se mouerit, quoniam ut Alchindus ait, cum regreditur magis calefacit. Eadem ratione Mercurius in Virgine nimia siccitate nos lædet, & Solis calor ex Leonis calore uiolentius quàm oporteat nos inuadet, moderatius uero salutari, usque nos afficet, si frigidi signi mixtione temperatus in nos eius radius diffundetur. Ita multipliciter ista de primis qualitatibus accepta ratio non modo ueritati sed astrologorum dogmatis repugnat. Sunt enim præter ea quæ diximus adhuc multa quæ illis obijciamus, ut si quæramus cur non stella sit aliqua dominans pituitæ, sicut imperat atræ bili Saturnus, Mars rubræ, Iupiter sanguini. Cui si Lunam aut Venerem dominari dicant, Venus & Luna Planetis infortunantibus erunt enumerandi, cum non minus exuberans pituita uitæ noceat quàm atra bilis & rubra. Porro si Luna qualis à Ptol. definiatur, infelicis habere præ omnibus astri rationem uidebitur. Est enim (ut illi placet) parui caloris, humiditatis uero multæ, qua temperatura nihil putrefactioni magis obnoxium, quare si noxius & salutaris Planeta de primæ qualitatis influxu iudicatur, erit noxia Luna soluentis & corruptricis mixtionis effectrix, & longe noxia magis quàm Mars atque Saturnus, qui si non optimas naturales tamen infundunt qualitates, quæ solum nocent non moderate, uerum quòd à Luna descendit ipsa sua ratione est immoderatum, per caloris imbecillitatem fluente humido neque cocto satis neque coacto, quam tamen & Ptolemæus ipse fortunantibus stellis annumerat, ueterum nixus authoritati, &

tati, & Aboasar etiam Ioue feliciorem esse contendit. A quo libenter id quoq; scisciterer, cũ sit Marte calidior Sol, adiunctaq; siccitate, Mars infortunatior & inter sidera fortunantia primus Sol existimatur. Ita enim definit Aboasar, principe loco inter authores felicitatis statuens Solem, secundo Lunam, tertio Iouem, Venerem quarto, quinto Mercurium, de quo sibi uidetur dissentire, cum Mercurium sua natura siccum esse uelit, & terræ naturam sapere magis quàm aliorum. Quare si principia sua sequatur, debet illum inter noxia numerare. Dissentiunt autem alij cũ inter se, etiam cum ab ipso quoq; Aboasar plurimum, nam magna pars Lunam, Solem, Mercurium medios faciunt, inter nocẽtes atq; beneficos, quos ut uidimus omnes beneficos facit Aboasar. Heliodorus & Paulus inter salutares quoque Mercuriũ annumerant. Ptol. Lunam salutarem, sed Mercurium & Solem medię conditionis facit, ut uel ista eorum inter se discordia non parum opinionem istam euertat, & artis incertitudinem palam faciat. Adde futurum si uera illa suppositio de primis qualitatibus, ut ex 12. signis cœlestibus citra controuersiam sex infelicia & infortunantia sint, omnia scilicet ignea, omniaq; terrestria, cum illis abundent hæ qualitates propter quas Martem atq; Saturnum infelicitatis accusant. Sed & nouem potius quàm sex, cum in aqueis quoque cum frigiditate sicut putant exitialis humiditas, etiam non qualis sit aëris signis, qualisq; in Ioue, Venere & Planetis, aërea, hoc est, uitalis atque prolifica, sed aquatica fluxaq; dominetur. Id quod absurdum duplici ratione, nam cœlum primum omnium corporum maximeq; beneficum, maxima sui parte damnabitur, & felicibus astris infelicia signa domus erunt, ut Ioui Pisces & Sagittarius, Veneri Taurus, quæ debent tamen pro naturæ cognatione distribui. Denique si fortunas hos Planetas uocant illos infortunia, quoniam de primis qualitatibus quę uitales, magis ab his proueniant, contraq; corruptrices & noxiæ sunt ab illis, non plus tamen (ut cum eis benignissime decidat) efficient quam ad corporis habitum istam uel felicitatem uel infelicitatem pertinere, qui de primis illis qualitatibus temperatur & conciliatur. Cæterũ ad externa fortuitosq; successus id etiam deriuari, quonam pacto defendent? si non illa sunt infirmissima, quæ superius contra istam opinionem adduximus. Postremò ut nihil sint omnia quę nunc diximus, dubium non est nimis parum perité parumq́ue considerate facere qui de influxibus siderum penes has primas qualitates reddere rationẽ uolunt, quod tamen nullus nõ astrologus facit, nec qui se dogmatis huius artis naturales causas afferre posse gloriantur, alio tandẽ se conuertũt q; ad elementales huiusmodi affectiones. At uero si qui proprij particularesq; siderũ sunt afflatus, hi nõ huiusmodi qualitates, sed occultas uereq; cœlestes uniuscuiusq; stellæ ꝓprietates cõsequuntur, ad quas etiã solent in terrenis rebus referre quæcũq; supra elemẽtalem naturã, infra corporis tñ terminos attollere se uidentur, in quib. multas interadum

dum uidemus dotes atque uirtutes, non solum de mixtione qualitatum elementalium non prouenientes, sed dissentientes etiam ab illa. Quemadmodum mirobolani quidem temperatura frigida & sicca, plus ad mortem facere uidentur quàm ad uitam, in quo tamen secretioris naturæ priuilegio ad uitam prorogandam uegetandamq; mirabilis esse credit efficatia. Multo magis & Iupiter & Saturnus & natura omnis superior, si quæ putant astrologi, influunt nobis, etiam si hic quidem Planeta frigidus & siccus, ille calidus humidusq; censeatur, multa tamen ea quę præcipua non per has qualitates, sed per alias radiorum suorum occultas uires agere sunt putandi. Tum quare illorum naturæ magis hoc congruat, tum quòd opera ad eos relata ab astrologis non possunt (ut demonstrauimus) ad qualitates illas affectionesq; referri. Quod si est patet ratione illas deprehendi nõ posse, quod hoc loco probandum suscepimus. Restabit experientiæ uia, de qua libro sequenti late disputabitur.

RATIONES ASTROLOGORVM DE DOMINIS DIERVM & horarum, annisq; Planetarum inefficaces esse, tum astrologos sæpe uti demonstratione circulari. Cap. XV.

CONfutauimus omnem modum quo se planetarum uniuersales proprietates probare posse confidũt, ut à locis sphærarum & terræ situ, uel à coloribus stellarum, uel influxu primarum quatuor affectionum, restant argumentationes quibus nonnullas particulares magis planetarum colligunt conditiones, hæ uero uel à parabolica similitudine, uel ab astrologicis, uel à sphærarum ordine eliciũtur. à sphæris ut in dominatu dierum & horarum, nam horam diei primæ gratia exempli dantes Soli, dant reliquas Planetis, qui deinceps ex sphęrarum positione succedunt, atq; hinc dierum distributio nascitur, ut ille Planetæ dies adscribatur, cui facta per ordinem præcedentem horaria diuisione primæ diei hora cõtigerit. Hæc aũt superioribus ample confutant̃, ubi quàm futilis iste modus argumentandi, q̃ rursus in ambiguo positus, adhuc orbium ordo, quàm in cœlestibus uane cogitata imperandi successio declarauerimus, præter quæ possumus illud quoq; astrologos percũctari, quęnam ratio Chaldæis & Aegyptijs authoribus huius superstitionis primã totius temporis diem demonstrauerit? Neq; enim uti possunt authoritate legis Mosaicæ, nisi credant eidem astrologos cum omni diuinatore prorsus exterminandos. Ab astrologicis ratiocinantur cũ tot uitæ annos largiri Planetam quempiam dicunt, quoniam tot in zodiaco fines possideat. Est enim tam incertũ quod de finibus sumit̃, quasi confessum, q̃ quòd inde de annis est comprobandum, quanquã tamẽ si uerũ quod definibus uolunt, nulla tamen authore Ptol. ratio cõsequentiæ, ut per tot, est nos uiuẽdi nobis spacia, decernant̃. Peccant autẽ & in his sæpe quòd qui circulo probant, alibi de annorum numero finium numerum, alibi ex finibus annos col-

colligentes. Ab ariete annum auspicantur, quoniam primũ sit signorum, quòd tamen primum esse in continuo circulo solent inde mõstrare, quòd initium ab eo temporis ordiamur, sic & locum secũdum Ioui respondere, quia rem faciat atq; portendat, & Iouem rem facere, atq; portendere, quia secundo loco respondeat argumentantur. Ad hoc exemplũ plurima inuenies in eorum libris, sed & longe magis ridicula, præsertim si in Aboasaris incidas libros, apud quem nuper hoc legebam Lunam largiri annos centum & octo, Sol annos centum & uiginti, nam deficere Lunam à uita Solis annos duodecim, quippe quę uim nõ habeat, nisi postquàm à Sole gradibus iam duodecim fuerit elongata, ut iam nihil sit mirum gloriari Aboasarem se dogmatis astrologici plene reddidisse rationem, cũ nihil sit adeò irrationale quod nõ ei ratio uideatur. Par insania cum annos breuiores Solis decem & nouem ideo esse dicunt, quoniam per hunc numerum medio motu luminaria coniunguntur, ubi nihil omnino commune, nihil connexum, nihil sequens antecedentibus cum sequentibus, hi tamen ita argumentantur, post hunc annorum numerum coëunt Sol & Luna medio motu, igitur totidem annos dat. Sol cum pauciſsimos dat. Simile enim ac si dicatur homo duobus oculis nascitur, ideò ex duobus quoque parẽtibus nascitur. Parabolica similitudine sic utũtur: Luna cœli ianua est, igitur os significat, est enim ianua fere os domus, & os cibi ac sermonis ianua, barba item ad idem attinet sidus quod instar Lunæ identidem renouatur. Subiiciuntur autem aures Saturno, quoniam sublimes tenent in capite partes, sicut in cœlo ipse Saturnus, qui eadem ratione quoniam scilicet est supremus, proceros homines parit, quòd illius tamen naturæ non conuenit, siquidem siccus frigidusq; decernitur. Hæ sunt rationes astrologorum quibus cœlestia sua dogmata fulciuntur, quas non ego rationes, sed uel errandi uel ludendi uocauerim occasiones, quibus auditis tam patet uanitas dogmatis quàm solet ueris auditis firmitas innotescere. Quare satius illis fuit hæc uelo aut cista quasi orgia tegere, suspitionem mysterij relinquentes, quàm dum rationales uideri uolunt suis ipsimet rationibus, quasi propria manu accusationi suæ subscribere, cum non sit aliud eas audire quàm quid astrologos in errorem duxerit intelligere.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVLÆ in Astrologiam libri X. Finis.

IOAN

IOANNIS PICI MIrandulæ Disputationum in Astrologiam, Liber XI.

EX HIS QVAE HACTENVS SVNT PROBATA PATEre astrologiam experimentis non esse comprobatam, tum idem multis rationibus probari. Cap. I.

SI naturam cœlestium consequi ratione non potuerũt quod demonstrauimus, an potuerunt experientia? Et quanq̃ cur ita fiat ignorent, ita fieri tamen obseruationibus didicerunt, ut si nõ possit astrologia scięntię nomẽ, possit tamẽ & artis & ueræ traditionis habere prærogatiuam, quare uera quoque prędicere siue id syllogismis siue experimentis sit consecuta, neq̃ enim interest ad diuinandum, modo sit consecuta. Solent autẽ astrologi, sicut omnis ars prodigiosa experientiæ plurimum titulo se defendere, in quam uelutí asilum se recipiunt, quoties supra fidem prætęrq̃ rationem aliquã uel loquuntur uel pollicentur, omnibus statim se laqueis omnium rationũ putantes extricari si seita dicant expertos. Hoc igitur perfugium illis adimemus, quod aliquod esse putant qui & labijs loqui & auribus audire magis quàm corde consueuerunt. Nam siquis exploratum meditatumq̃ habeat quid sit experientia, tum quibus uijs super influxu siderum comparari prosit, is neutiq̃ dubitabit siderum uires peculiares propriasq̃ operationes, tam esse experimentis quàm rationibus homini imperscrutabiles. Et quidem patere potest hoc satis ex superioribus, quoniam si uel nullũ è cœlo fatum, aut si quod iam fatum, non ex hora initiali, sed à materiæ cognatione dependet, patet experimentis nullam uiã relinqui, quãdo quæ quęq̃ stella imprimis afflauerit, tam tibi erit incertum, quàm prorsus ignota primæ illius materiæ conditio singularis, sed & horam seminalem si quis fatalem faciat, ipsi non negabũt astrologi nimis abditam fore obseruationis opportunitatem. Verum ut tempus quoq̃ genituræ sit satis obseruatum, quonam pacto fidelis obseruatio fuerit? si nec exploratũ, ut declarauimus, quot & quæ causæ cœlestes obseruandæ, nec earũ quas putant haberecomprehensas, quę sit forma, quis habitus, quæ positio, possint singulis momentis ex fide determinare, tum ipsam quoque horam genitalem nec habere exactã à domino genituræ, nec q̃d aberrat aliqua methodo castigare possunt. Porrò si quid in his deliquerint (ubi delinquere semper eos ostendimus) cadet necessario totius obseruationis authoritas, nunc si non delinquant etiam in illis, fieri tamen experimenta super cœlestibus libro prę sen

ti nulla posse monstrabimus. Demus igitur genethliacis, ut horam geniturae fideliter teneant, & statum cœli ad eam horam quàm fidelissime, rogo quale cœli decretum talis constellatio faciat uel significet, quonam pacto se putant experientia consecuturos? siquidem experientia multiplici eiusdem rei & sæpius iterata obseruatione colligitur, eadem uero constellatio aut nunquam ut probant doctiores, aut quod ueteres crediderunt, non nisi post multa millia seculorum eadem est reditura. Respondebunt fortasse particulares redire constellationes iterariq; sæpius, etiam si totius & absolutæ constellationis redintegratio non contingat, posse igitur se notitiam particularium illarum repetitis obseruationibus adipisci, unde collectis experimentis ex fide futura prænuncientur. Id quod ita declaretur exemplo. Nascitur aliquis Ariete horoscopante, posita inibi stella Martis, & septimum cardinē occupante Saturno, tum alijs suo modo dispositis, nascetur alius, cætera quidem dissimili genitura, sed quod ad Martem attinet & Saturnum simile, poterit astrologus, quanquam non totius constellationis particularis, tamen illius bis facere obseruationem. Quod cum sæpius euenerit, sæpius iterata obseruatio, faciet experimentum, sic se illi fortasse defendunt, sed parum uere, parum cōsone, etiam suis principijs, tum quia particularis eadem constellatio, in alio toto aliud operatur, tum quòd substantia totius decreti, non tam à paribus prouenit, quàm à tota, hoc est, ab hominum simul partium, harmonia, peculiare & proprium aliquid efficiente, quod nulla seorsum pars, sed neque omnes simul efficient. Siquidem aliud sunt omnes partes, aliud quod ex omnibus de mixturæ proportione dissultat. Erit igitur imperfecta talis obseruatio, qua sua colligunt experimenta. Nam imperfecta quæ totum nullo modo, fallax quæ eandem partem non in eodem toto considerat, quæ ratio non ex alijs magis quam astrologorum præceptis robur habet, asseuerantium pro mixturis stellarum omnia fieri, nec à proprijs earum uiribus, sed à complexu simul uniuersarum, & societatis coalitu fieri fati sortitionem. Non igitur si in una uel altera genitura cum Mars atque Satutnus in cardinibus primis ex diametro serespexissent, dominum genituræ calamitatibus distrahi uideris, poteris quasi facto experimento, cum alias idem acciderit calamitates denunciare. Cum nihil repugnet eam constellationem, sub alia siderum aliorum temperatione, ita conuenire, ut uel noceat nihil, uel forte etiam possit, omnino aliud efficiat, quàm quod in alijs genituris, ex radiorum diuersis mixtionibus fecerat, ut si cum astrologis sentiamus fieri fato res humanas. Huc referri posset quod experientia quotidie deprehenditur infelicium omnium felicissimas esse genituras, & felicium contra, infelicissimas. Quare scilicet, quanquam particulares constellationes, aut bonam sortem, aut malam portendere, uideantur ex præteritis obseruationi-

bus, ipsa tamen totalis temperationis harmonia non alias uisa, non cognita, non explorata, facere aliud nunc potest, quàm quòd ille alias uel seorsum, uel in alia mixtione portenderant. Hoc animaduertentes antiquissimi astrologorum non aliter huius artis dogmata tradebant, quàm singulares à se obseruatas genituras particulatim exponẽtes, & cum euentis demum comparantes, ut non tam quid Saturnus aut Iupiter, sed quid constellatio talis tota peperisset indicarent. Quod Maternus exemplo Aegyptiorum sexto libro suarum commentationum aliquo modo est assecutus. Accusat autem illos Ptolemæus quòd ad methodum artem non redegerint, quodq; rem infinitam & incomprehensibilem prosequerentur. Quare se ipse ad uniuersalia præcepta & simplices uires siderum explicandas conuertit, putans illis cognitis posse genethliacum sua demũ coniectura de particulari mixtione iudicare. Sed quanquam accusat iure ueteres astrologos, ipse tamen non minus iure est accusandus. Viderunt enim illi recte quid facto esset opus, sed errauerũt existimantes id esse tale quod fieri posset, cum infinitum sit illud, nec ad artem, nec methodum redigi possit, tum nullus ex eo usus, nunquam scilicet eadem restituta constellatione. Ita autem Ptolemæus potius quid posset, quàm quid oporteret fieri existimans, nimium aberrauerit, si de præceptis illis similibus ueras fieri posse prædictiones putauit, ut hinc forte contigerit, quod scribit Auenazra, præcepta Ptolemæi nunquam euentis experimentisq; consentire. Sed propterea minus culpandus Ptolemæus, quòd quemadmodum libro secundo ostendimus, & opinabilem, & coniecturalem, & dubiam, & fallacem hanc esse artem plane confessus est. Ita igitur, in medium allato themate genethliacum urgeamus. Hic est aliquid ô Genethliace, si tibi cætera concedantur, in efficiendo potens atque præcipuum, proprius scilicet harmoniæ totius effectus, à quo maxime proprie nati fortuna dependet, cuius tibi notitiam, cum nec ratio fecerit, nec obseruatio, quomodo fati poteris explicare ueritatem. Falleris enim si non aliud putas totius efficientiam quàm collectiones eorum quę singulę partes efficiant. Erit hoc enim in coaceruatis & hærentibus tantum uel corporibus, uel qualitatibus, non autem ubi miscentur & alescunt in aliam formam, quod in alijs fiderũ credit omnis astrologia. Sicut igitur theriacæ proprietatem non est expertus, qui rerum uires ex quibus cõficitur obseruauerit, ita nec cœli agmen præsens intelligit, quid efficiat, qui seorsum de partibus eius habuerit alias experimentum, cum non solum partis ad partem, hoc est sideris ad sidus, sed omnium omnino siderum inter se status & habitudo id efficiat maxime, quod nascentis est proprium, sicut eius quoq; indiuidua propria quæ natura non de confluuio gignitur accidentium, sed incommunicabilis est, uel substantiæ peculiaris, priuataq; sortitio. Quid quòd nec unius etiã stellæ notis

læ notitiam consequi possunt experimento, cùm nihil ulla seorsum, sed cum alijs omnia semper operetur, quo non solum id fit, ut tantum quælibet possit ex habitudine ad alias definiri, sed ut nullo modo possit ab alijs separata cognitione discerni. Nam à tota quidem constellatione uidebis seriem talis uitæ, & euenta talia prouenire, uerum agentibus illa omnia omnibus stellis, quæ cuius rei stella fuerit author scire non poteris, nisi seorsum cuiusque stellæ naturam, uel ratione, uel alia prius uia deprehenderis. Quod si te dicas ita obseruaturum, ut quorum uideris hominum aliqua fata similia, qua parte illorum decreta consonauerint, inde maxime rem prouenire illam argumenteris, ea facta præcipue sæpius obseruatione. Respondeo nimis fallacem hanc esse uiam coniecturandi, tum quoniam similis stellæ status rem diuersam efficere potest, in mixtura diuersa, & dissimilis potest eandem, tum quia sors eadem potest eandem causam non habere, cum ex sententia astrologorum sint eiusdem effectus in cœlo causæ pene innumerabiles. Erit autem exemplo totum hoc dilucidius, nascitur Petrus Ioue posito in Piscibus, nascitur Paulus Ioue similiter se habente, reliqua omnino dissimili constellatione, uiuunt dispari sorte, moribus, ingenio, ualitudine, tantum pari fortuna in opibus cumulandis. An hinc licet coniectare datorem diuitiarum esse Iouem loco secundo in piscibus collocatum? Minime certe licet. Nam quod illis commune fuit in fato, diuitiarum scilicet copia potuit à diuersis causis cœlestibus prouenire, non à communibus, & si in alterius genitura dominus horoscopi Soli cardinem occupanti uim fuerit elargitus, altero in lucem prodeunte pars fortunæ tenuerit orientem, domino suo benigna radiatione coniuncta, uel in altera quidem genesi Planeta fortunator primo cardine fulserit, in altera Mercurius eo loco situs fortunanti Planetæ cardinalique uim suam fuerit mutatus, sed & si Venus nascente Petro quinto residens loco, in primo habuerit potestatem, Paulo uero nascente luminaria nullis humilitatibus debilitata amicabiliter se respexerint, erit ex opinione astrologorum non ab eadem stellarum facie, utrique tamen diuitiarum eadem fortuua, potest sors uaria eius rei diuersis euenire, cuius tamen opifex stella in genituris illorum positione simili fuerit, Tum quòd non potest idem omnino unius stellæ habitus esse, nisi sit eadem penitus tota constellatio, tum quia potuit in alterius themate contraria uis adesse, talis ibi sideris efficientiam, uel obruentis, uel hebetantis. Patet igitur ex coniuncto promiscuoque stellarum afflatu discernere nos nõ posse, quacunque obseruatione, quid quæ stella potissimum largiatur. Quare nec uires naturasque siderum experimentis cognitas definire. Accedit alia ratio difficultatis inexpugnabilis, etiam si seorsum ageret unaquæque stella quod agit, quoniam cum illarum effectus inuertere, interpellare, frustrari, conditio uel alterius sideris uel

ris uel inferiorum circumstantiumq; causarum multipliciter possit, nemo non prodigus præcepsq; iudicij sic asseuerabit hæc euenire ea stella sic se habente, igitur cum se aliâs habuerit ad eum modum, similis quoque euentus erit expectandus. Nam erat illa forte sua natura diuersam rem paritura, sed mutauit opus priuati fati uel fatum uniuersale regionis anni, uel principis, uel ciuitatis, uel familiæ, uel contubernij, uel antecedens, ut parentum, auorum, attauorum, uel arbitrium nati, uel aëris dispositio, per quem cœlestes ad nos influxus trajiciuntur, uel materia cõtumax, uel proximior causa non commoda, non idonea, superioribus motionibus. Hęc cum omnia, ut uolunt, immutare stellarũ efficientiam possint, quomodo tuta erit argumentatio, si de eo quod euenit stellarum naturam interpretemur? præsertim cum sint ea quæ diximus, ita semper annexa stellarum operationibus, ut non possit ad stellam quasi initium referri, quod obtigisse sæpius annotauerimus. Illud falli uidentur inexpiabiliter, quòd quæ suis, exempli gratia, in regionibus, uel Aegyptij, uel Chaldæi, uel Arabes obseruauerũt, putant uniuersalis dogmatis habere rationem. Hoc est in omni pariter regione ualitura, cum tamen accidere omnino aliter sit necesse, siquidem ea sunt uera quæ traduntur ab eis, quæq; usus & uitæ fides ipsa demonstrat. Nam in aëris mutationibus id uidemus permanifeste ab eadem constellatione cieri alibi alias tempestates, hic placidas, ibi uiolentas, hic fieri niues, ibi serenitatem, alibi uentos, alibi pluuias. Nimis igitur est inconsequens in humanis corporibus pariendis, in successibus negociorum (si quidem fiunt ista de cœlo) non aliud pro diuerso cœli curuamine, quanquam stellas easdem, in diuersis locis operaturas. Obiecit hæc illis etiam Phauorinus quod nos Pauli Alexandrini authoritate confirmabimus. Is enim in isagogis Apotelesmaton felices in Aegypto genituras esse scribit eas potissimum cum Aquarius principalia obtinens loca bene fuerit affectus, quoniam sit Aquario subiecta Aegypti regio, ut hinc illud fortasse Mercurium in Aquario feliciter Aegyptiorum ingenijs aspirare, uerum in omni domo Saturni humiliari Mercurium, ac male se habere proditum à Materno. Patet igitur testimonio singularis astrologi non ualituras in omni regione pariter easdem obseruationes (si quæ fieri possent in aliqua regione fideles) quod non contingere rationibus multis iam demonstrauimus. Et si pater medicorum Hippocrates fallax in medicina dixit experimentum, nemo non indoctissimus in astrologia negauerit esse fallacissimum.

SI QVA EXPERIENTIA HABERI DE ASTROLOGIcis dogmatis possit eam nondum esse habitam. Cap. II.

AGebamus hactenus hoc ipsum ut probaremus nulla temporis diuturnitate, nulla hominum quorumcunq; uel industria, uel doctrina, de secretioribus siderum uiribus experimentum posse comparari. Nūc siquidem id forte minus est persuasum, uel hoc saltem euidentissime demonstrabimus, si qua comparari talis possit experientia, nondum tamen esse comparatam, nam prioribus rationibus illud certe cōfectum est, ut notitiam fateamur huiusmodi omnium rerum esse difficillimam, quæque perfici nisi multis ætatum reuolutionibus non possit. Igitur ea primum astrologorum mendacia refutauimus, quibus se parum Christianè, parum peritè, parum uerè, tot millium annorum habere prædicant obseruationes, tum eas quascunq; habent ex eorum dictis fallaces esse declarabimus. Phauorinus philosophus apud Gellium, non est, inquit, ista Chaldæorum disciplina tantę uetustatis quantæ uideri uolunt: & Panetij secutus authoritatem Cicero, nam quod aiunt, quadraginta septuaginta millia annorum in periclitandis experiundisq; pueris quicunque essent nati Babylonios posuisse, fallunt, neminem enim habemus authorem qui aut fieri dicat aut factum sciat. Hæc ille. Nos altius ordientes impudentiam illorum coarguamus, & siue mundus æternus (ut philosophi quidam uolunt) siue factus ex tempore, ut diuina ueritas docet, hoc testatissimum relinquamus, nullas quatuor millibus annis antiquiores obseruationes potuisse ad istos peruenire, qui de astris scientiam tradiderūt. Certum enim philosophis qui æternitatem mundi crediderunt, magnis quibusdam elementorum mutationibus, & siccescere maria, & terras inundari, quasiq; terrarum & hominum sedibus commutatis, fieri oceanum ubi erat terra, & terrā qua parteerat oceanus. Nec solum sacri historici, sed & Plato philosophus, & externi scriptores, eluuionū huiusmodi exustionumq; item sæpe meminerunt, nihil autem interest, mundi nouitas, an mutatio præteritarum rerum memoriam nobis adimat. Hæc igitur quàm uetusta cœlestium obseruationum esse potuerint ex historijs examinemus. Varro doctissimus Romanorum quàm poterat uetustissimum cōtexturus historiam à regno Sicciniorum exorsus est, huic regno uel paulo superior uel contemporaneus Trogus à Nino ipso fecit exordium, qui cū Zoroastre bellauit, fuitq; Abraam Patriarcha paucis annis antiquior, unde fabulosi deprehenduntur qui Zoroastrem scribunt quinque millibus annorum ante Troianum bellum claruisse, cum nec tot ab Abraam ad nostra usque tempora supputentur, quænam igitur causa cur & Trogus & Varro professi historias scribere uetustissimas altius tamen orsi non sunt, præter rerum aliquorum * mundi, uel nouitate, uel certe innouatio-

ne, aut nullas aut penitus obliteratas, nam quamquam illi scribere ueteres atq; adeò primas historias uoluerunt, ueras tamen scribere uoluerunt, non fabulosas quales Herodotus & Diodorus, quorũ solent interdum dictis roborare obseruationes tot milium seculorum impudentissimi fabulatores, quasi Diodorus inscriptione sua, Herodotus consensu omnium literarum non habeatur fabulosissimus. Sed hæc ueluti * mittamus, est in re nostra Porphirij testimonium euidentissimum, qui quidem quas Callisthenes ex Babylone, temporibus Aristotelis & Alexandri, Chaldæorũ de astris annotationes in Græciam misit, Mille ait & nongentorum trium annorum obseruationem duntaxat continuisse, quos annos ab Alexandro retro si numeres in Abraam patriarchæ uel paulo superiora tempora desinere eos comperies. Hipparcus & Ptole. principes astronomiæ, ubi pro dogmate statuendo ueterum obseruationes afferunt, nullas afferunt ipsi uetustiores his quæ sub rege Nabuchodonosor apud Ægyptios Babyloniosúe fuere, post cuius regnum sexcentesimo fere anno floruit Hipparcus, à quo ad nostra hæc usq; tempora anni nõ plus mille sexcentis aut circiter fluxerunt. Mendaciter igitur & fabulose tot seculorum habere se iactant obseruationes, eas uero quas habẽt necessario esse falsas, ita facile demonstratur. Aut enim cœptæ sunt à temporibus Ptolemæi, aut ab his excidere qui Ptolemæum antecesserunt. Siquidem post Ptol. cœpit istius obseruationis tenor non fuit satis hoc temporis ad obseruationem perficiendam, quod nec ipsi negabunt, si nititur experimentis antiquorum, quæ scilicet uel Ægyptij tradiderunt, uel Chaldæi, quis rursus dubitabit esse fallacem? quando fidelis obseruatio de cœlestibus esse non potest apud eos, qui motus cœlestium recte non tenuerint. In his uero Chaldæos pariter & Ægyptios aberrasse plurimum nemo nescit, qui mathematicorum libros attigerit. Taxat eos ubiq; Ptolemæus in Magna compositione, taxat Hipparcus, nec facile quisquam crediderit quàm sero de cœlestiũ motibus sapere aliquid rectũ uita cœperit. Solis defectus primus Thales prędixit Eudenio authore, & Callimachus dicit quod primus inuentor fuit minoris Vrsæ qua Phœnices nauigant. Idem annum in trecentos sexaginta quinq; dies diuisit. Obliquitatem Zodiaci primum sideralis scientiæ rudimentũ excogitatam Plutarchus asserit à Pythagora, quamquam eam Euripides quidam Chius Pythagora iunior inuentam primitus à se glorietur, priusquam Solon floreret in Græcia, floruit autem ante tempora Christi annis fere sexcentis, nemo non putabat lunarem mensem triginta esse dierũ. Primus Solon errorem hunc emendauit, ut scribit Proclus in Timæum Platonis. Quod si tam insigniter in Lunari motu tam facili familiariq; nobis errabant, quid de motibus siderum aliorum occultioribus tardioribusq; sit putandum, sed non est opus hic coniectura. Legatur Ptolemæi liber cui titulus

tulus Magna compositio, patebitq; citra suspitionẽ ueteres omnes in cœlestium motibus, toto ut dicitur cœlo, penitus aberrasse, de motu quem dicebamus sideris proximioris, nihil non modo uerum, sed nec proximum uero deprehensum ab antiquis ibi cognosces. Hipparcus primus in Rhodo insula ducentesimo fere ante Christum anno Lunæ cursum uerius obseruauit, sed nec tamen ad liquidũ, quare corrigitur à Ptolemæo, qui proximus quidem Hipparco accessit ad ueritatem, sed ita ut nõ attigerit. Ab Hispanis deinde astronomis emendatus, in Solis motu quo cæteros metiuntur adhuc quoq; cæcutiunt, ne dum illum antiquitas sit consecuta. Sed Ægyptij plus nimio exorbitarunt, fieri Solis restitutionem putantes post trecentos sexaginta quinq; dies, & quartam diei partem, adiecta * atq; trigesima, nam nec quartam impleri ueriores deinde obseruationes docuerunt. Quomodo igitur fidelia fecerit experimẽta super anni fato sapientia Ægyptiorum super eius initio tantum delinquẽs, ibi quoq; ridiculi quòd annum auspicabantur, ut Theophilus tradit, cum primũ Ægyptum Nilus inundabat. Anaximander, ut scribit Phauorinus, in omnimoda historia primus, Gnomonem inuenit, quo conuersiones solis & æquinoctia notaret. Astrolabium Ptolemæi inuentũ esse nemo nescit, qui eius libros legerit. Primus Pithagoras idem sidus esse dixit uesperum atq; luciferũ, authore Parmenide, Pithagoras Christum quingentis annis non antecesit. Sed redeamus ad motus, adeò parũ antiquis exploratos, ut de motibus quinq; Planetarum præter solem & Lunam, ita paucas extare ueterum obseruationes dixerit Hipparcus, ut nec aliquid super eis quod fidem faceret, à se quoq; compertum posset affirmare. Primus Ptol. aliquid sibi de istis certum uisus est dicere, quamquam secuta ætas multis eum in locis pro temporis beneficio castigauerit. In ascensionibus, quas anaphoras Græci uocant, signorum dinumerandis, quantum exciderent à ueritate quicunque in Ægyptõ per sidera diuinabant, & primo Apotelesmaton Ptolemæi, & Apollinarius in commentarijs * testatus est. Et Apollonius ex Laodicea quinque libris opere dicato illorum errata sugillauit. Quis igitur hæc considerans dubitauerit ? nullum apud Ægyptios uel Chaldæos de astrorum influxibus experimentum haberi uerum potuisse, siquidem nec signorum ascensiones, unde maxima pars huius artis dependet, nec Planetarum motus haberent exploratos, quasi quid quo loco quis Planeta faceret experiri fideliter possent, cum semper essent in eo loco Planetæ, quo ipsi eos minime putabant, ut non erraticas stellas præterea quarum motus omnino, si Ptolemæo credimus, illis fuit ignotus. Quod si illi errarunt, ut indubie liquet, errant Græci qui illos, errant Arabes qui Græcos, errant Latini qui Arabas Græcosq́ sequuntur, & ex eorum regulis hac expertis euentura pronunciant.

Neq; enim quicquam putant maiori se prodere authoritate, quàm quòd Chaldæorum & Aegyptiorum authoritate confirmant. Hinc Aesculapios, & Hermetes, & Notepsos, & Potosires, uana omnino nomina, quasi nebulas lectoribus spargunt, quasi non fuerint isti rudissimi scientiæ quam profitebantur. Si uera nobis Hipparcus & Ptolemæus authores astrologiæ præcipui tradiderunt, quid igitur Ptolemæus Apoteleſmaton lib. primo quasi fidem dictis facturus ad antiquorum experimenta se conuertit? quæ uix ipse suo tempore uera potuit exordiri siderali scientia. Tũc primum tolerabiliter indagata, Petrus Aponensis aberrantem Galenum in Lunæ motibus sic excusat. Hæc exactè non scripsit Galenus, nondum enim erant comprehensa, nec fuit tamen Galenus Ptol. prior, sed contemporaneus. quare totam nos ita disputationem concludamus, si quæ scripta est astrologia, experimentis ueterum nititur, fallax est, quia illis ratio defuit, cum neotericis ista quoq; sint in ambiguo (ut supra ostendimus) nedum antiquitati fuerint manifesta, si iuniorum adhuc fallacior, quibus & ratio pariter defuit & tempus.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVlæ in Astrologiam libri XI. Finis.

IOAN=

IOANNIS PICI MIrandulæ Disputationum in Astrologiam, Liber XII.

NON ESSE ADHIBENDAM FIDEM ASTROLOgiæ quasi reuelatæ. Cap. I.

SI fabulamentis astrologorum nec ratio patrocinatur, nec fides esse potest ab experimentis, quid iam superest, cur se illis homo sapiens dedat? an oracula putabuntur? & quæ uelut parum rationalia confutauimus, ea uelut diuina suscipiemus, astrologos imitati, qui si quid fit ab hominibus præter rationem referunt ad stellas. Pari ne igitur nos exemplo hominum deliramenta referemus ad Deos? Atqui si forte persuasio hæc aliquem cepit, sciat nonnihil sibi prodesse diuinas huiusmodi reuelationes, quandoquidem, ut uidimus, tanta sit in decretis astrologiæ dissensio, nec reuelatum sit adhuc Chaldæorum ne astrologia, an potius Aegyptiorum, an Iudæorum, an Ptolemæi, an Arabum, illa sit quam munere singulari Dij nobis bene merentibus aspirauerunt. Nihil igitur ista nos iuuat diuina beneficientia, dum in colluuie nostrorum mendaciorum latet illa de cœlo suscepta cœlitus uerissima sapientia. Nec Lydius aliquis lapis inde demissus quo legittima possit ab adulterina discerni. Quid si mihi sermo cum Christianis, quæram putent à Deo reuelatam, aut à dæmone potius, à Deo dici non potest, siquidem illam literæ sacræ diuinæ uocis interpretes interdicunt. Si respondeant à dęmone nulla fides dæmoni, quem mendacij patrem Deus appellauit. Hinc illorum insania confutatur, qui diuinitus hanc scientiam sicut alias omnes Adæ collatam fabulantur, à quo per manus deuenere ad Noë: Cuius filium Ionicum referat Methodius multa futura per hanc artem prædixisse, tamen per filios Noë superstites Cataclismo ad Abraam Patriarcham qui docuerit eam Aegxptios teste Iosepho, & ab Aegyptijs ad Græcos, à Græcis ad Latinos deuolutam. Sic perbellam isti sibi successionem comminiscuntur, illaqueandis rudibus oportunam, sed doctioribus ubique falsam atque mendacem. Nam de Adam quod dicunt, nisi hoc quoque reuelatum, quo testimonio probant. An quod credimus illum Dei munere scientias omnes caluisse, sequitur hanc quoq; Certe sequeretur si hęc quoq; foret scientia, si non uana, non falsa, non ridicula, nõ repugnans principijs uerarum doctrinarũ, non Deo, ut dicebamus, sed nec inuẽtore homine digna. Ad Ionicũ ueniamus.

Scribit

Scribit quidem de hoc Methodius, sed idoneus parum author, neq; enim ille est cuius meminit inter uiros illustres diuus Hieronymus, hic Parcharensis fuit, ille alius omnino, citatus interdū à Petro Commestore, in quo nemo mediocriter eruditus delectum bonorum authorum non desiderat. Sed nec Methodius dicit eum prædixisse quicquam, cæterum super isto Ionico quid ualere potest ignobilis scriptoris authoritas? cum & Moses ipse Propheta, tres tantum Noë filios numeret: Sem, Cham, & Iaphet, nec Iosephus alium quenquam præter hos nominet, nec Philon, nec Hebræus quisquam, uel annalium conditor, uel Mosaicæ legis expositor. Abraam Aegyptijs astrologiam tradidisse Iosepho credamus, sed non diuinatricem superstitiosam, frequentiorē apud idolatras quàm apud ueri Dei cultores, qui Deus Abraam nuncupatur, à Mose & à Prophetis, sugillatam, qui se tamen Abraæ traditionem & præcepta sequi profitebātur. Verum illam potius mathematicam de siderū motibus, molibusq; scientiam, cuius usus frequens Hebræis & necessarius, pro statis cærimoniarum temporibus obseruandis, cuiusq; studio delegatum Hysachar tribū, Hebræorum monumentis proditum est. Hæc non sine arithmetica discitur, quoniam tota fere numeris constat & mensuris, quam simul cum astrologia Aegyptijs demonstrasse Abraam, scribit Iosephus, qui si diuinatricē potius istam intellexisset, falsus omnino esset, siquidem ait hāc astrologiam, quam primus Aegyptijs Abraam iudicauerat à Chaldæis Aegyptios accepisse. Liquet autem ex superioribus suam sibi Aegyptios ad prædicendum astrologiam fecisse, cui nihil fere cum dogmatis Chaldæorū sit commune, sed in ea quæ de siderum motibus est, paucos se Chaldæos exercuisse, absq; eis ad alios defluxisse docet Ptolem. in Magna compositione, non aliam igitur quàm mathematicā istam Iosephus intellexit. Irridens autem Aboasar, qui suo loco, filios Noë in Chaldæam cum ueniissent hāc ait disseminasse scientiam, quam cœlitus habitam, Chaldaicam ipse de finibus Planetarum reijcit opinionem. Sed non fuit in confutandis his nugis tantum operæ insumendum, cum nemo non intelligat nisi tardissimus, hæc deliria esse hominum, suis somnijs fidem sic mancipantium, ut quæ nulla ratione protulerunt ab Adam repetita authoritate confirment. Nam illud respondeant cur non aliæ quoque artes atque scientiæ per istam ad nos successionem deuenerint, sed ingenijs posteriorum excogitatæ studij secuta diligentia consummatæ sunt: An in una astrologia quasi utiliore diuinæ hoc nobis prouidentiæ munus obtigit? Verum quod non solet dormitasse illa prouidentia, non animaduertens frustra nobis seruari hanc diuinatricem, nisi mathematica quoque seruaretur, sine qua uti recte illa non possumus. Neque enim prodest siderum uires & naturas habere compertas, nisi possis exacta supputatione notare singulis

gulis horis siderum habitus, formam & posituram. Quod cum sola mathematica præstet, debuit hæc quoque ad nos à primo patre hæreditaria traditione deuolui, sitam salutaris diuinationis usum deesse uitæ diuina prouidentia noluit.

QVALES AEGYPTII ATQVE CHALDAEI APVD quos nata astrologia. Cap. II.

Sic reijciuntur qui nugalia hæc tam indigne de cœlo, tam mendaciter ficta, quasi de cœlo tamen habita uenerantur, quæ cum quis leget, introspectans, tam plane uidet uim eius, ut non relinquatur ulla suspitio cœlestis inspirationis, id quod ex iam dictis hebetissimo cuiq; satis euidens puto. Verum tamen non inutile fuerit sub uno quasi cõspectu reputare Lector quomodo nata pestis ista mundo se diffuderit, hoc est, quib. authoribus orta, quibus persuasionibus recepta, qua authoritate confirmata, quibus fomentis aucta, perseuerauerit in hanc diem. Nam hoc quoque ad abrogandam illi fidem detegendamq; illius uanitatem nõ omnino erit inefficax. Nata igitur de Chaldæis, Aegyptijsq; parentibus, de quibus dicendum aliquid priusquàm de uanitate ipsorum ista dicamus. Fuit igitur utraque gens duarum rerum in primis studiosa atque perita idolatricæ religionis, & mathematicæ. Ad hanc loci oportunitate inuitabantur, nam patentes campos & planities latas, habitabant, unde siderum facilis ueriorq; prospectus, in illa hoc est, uanis superstitiosisq; cærimonijs, cur præ cæteris gentibus occuparentur honorarenturq;, cum antiquitate factum, propter quam primi Deorum cultus exercuerunt, quasiq; parentes alijs, & necessario magistri religionis fuere. Tum quod alibi quoque monstrauimus propter imperitiam sapientiæ phisicæq; rationis, & ruditatem ingeniorum. Nam mathematica quidem sapientes non facit, quare ueteribus puerorum studium fuit, quin potius, ut modicè cum rationeq; gustata uiam struit philosophiæ, ita siquis ei soli totum se tradiderit, occasiones errorum in philosophia maximas parit, Aristot. teste. Fuerunt igitur Aegyptij atque Chaldæi, quantum equidem assequor coniectura, parũ facto ad sapientiã ingenio, id quod in hominib. earum regionum nunc quoq; conspicitur, quibus si cultũ studij casus ademisset, naturam tamen adimere non debuisset. Neq; uero nos fallat quod me quoq; adolescentem olim fallebat, celebrata ueteribus, etiãq; Platoni, Aegyptiorum sapientia & Chaldæorum, quos adijsse Pithagoram & Democritũ, Eudoxum, Platonem, alios cõplures, non ob aliud q; cõparandæ sapiẽtiæ gratia, memoriæ proditũ est. Nam celebre quidem illud atq; diuinum sapientiæ nomen de sola sibi cærimoniarũ, & colendorũ Deorum cognitione uendicabant, qui fuit apud omnes gẽtes, apud omnes etiã bonos philosophos hæc semper persuasio, summã sapientiã in religione cõsistere.

Quare

Quare Plato, Pithagoras, alíq; complures, hoc quidem recte uidentes, ueríssimam philosophiam in diuinorum esse notitia. Cum fama esset Aegyptios huius in primis esse peritos, ad eos descendebant auiditate discendi, quicquid apud illos occultius sanctiusq; uideretur. Descendebant etiam ut mathematicam discerent, quam quos modo memorauimus auide combiberunt, Pithagoras ille, Democritus & Eudoxus. Verũtamẽ ille titulus, sapiẽtię prærogatiua q; secretioris disciplinę, non aliunde Chaldęis Aegyptíjsq; quàm de magisterijs doctrina q; numinum colendorum, quam auditam ab illis probauerint, nec ne boni philosophi alibi diximus, hoc tantũ asseueramus naturalis primæúe philosophię quæ rationibus demõstratur, nihil Grę cos philosophos quicũq; recte philosophati sũt ab Ægyptijs accepisse, sed quę ad cę rimonias mathematica q; spectarẽt, cuiꝰ rei uel illud sit argumento. Quod si aut de mathematicis, aut mysterijs agitur, Chaldæos citari & Ægyptios uidemus, eorumq; sentẽtias afferri semper in medium, in philosophię rationibus apud Plat. & Aristotelem illorum nomina nulla sunt. Quod si philosophatum in Aegypto Thaleten dicas nõ negabo, ut qui ab eis etiam didicerit aquam esse rerum principium, in quam opinionem non ob aliud puto ductos Aegyptios quàm quòd de Nili inundatione beari suam regionem & fieri fœcundam uidebant, unde ab illius quoque exitu per Aegyptum annum auspicabantur. Erant profecto rudissima ingenia, propterea q; superstitionibus idonea. Quas nihil magis quàm ingenij uiuida uis accedente doctrina reijcit & aspernatur, ita faciles erant qui à dæmonibus etiam ad omne genus insaniæ perducerentur, quòd si non erat eis religio aliud q; superstitio quòd ex magna parte Iamblicus confitetur, in malorum eos dæmonum cultu occupatissimos fuisse confirmans. Sequitur cũ nomen illis sapientiæ de religionis nomine foret, quanto sapientiores ferebantur, tanto fuisse illos insipientiores, quanquam ut superius dicebatur illorũ commertium Græcis philosophis magis semper fuit in mathematicis, quàm illis fuit in superstitionibus. Thales in epistola ad Phereciden, in Aegyptũ inquit, ego cum Solone descendi, ut sacerdotes & astronomos uideremus, nil de philosophia. Idem ab eis se didicisse geometriã, Demetrius dicit Democritũ ad Aegyptios isse ut Geometriam disceret. Interdũ Democritus & Platoni & prudentib. monstrosus etiã Pithagoras dictus. Sed inculpatum illud Platonis ingenium exhibens, quod fuit satis seculoq; necessarium antiquitati honorem & titulo religionis, de cætero suam massam Aegypti fermento nusquam temerauit. Et sic Eudoxus quoque in uera Aegyptios est secutus astronomia, in diuinatrice, præterea illis non consentit. Verum ne longius digrediamur ita concludimus Aegyptios & Chaldæos occupatissimos in idolatrica superstitione plurimumq; mathematicis deditos, in reliqua se philosophia

parum

parum exercuisse. Nec quenquam moueat quod Auerrois ait apud Chaldæos olim perfectam fuisse philosophiam, nam de Chaldæis ipse non loquitur, quorum memoria uel monumẽta ad nos peruenere. Sed ex illa opinione quæ mundi credens æternitatem, infinities ait has artes & abolitas, & redditas apud diuersas gentes. Nec nobis etiam fraudi fuerit in uniuersum Chaldæos non probasse, ex quibus Abraam fuerit uir diuinus, neque enim Abraam Chaldæus, sed de Hur, quanquam ex regionũ uicinia Chaldæus interdum nominetur. Et dictum est Platonis, in ea gente quæ plurimum mala est, si quis bonus nascatur, eum esse quàm optimum. Nec ipse Abraam tam naturæ quàm diuinæ gratiæ obtinuit priuilegium. Sed redeamus ad astrologiam, in qua re Aegyptios & Chaldæos, quidnam adduxerit facile est uidere, postquàm de illorum studijs & ingenijs satis multa diximus.

QVID CHALDAEOS AEGYPTIOS IN HANC OPINIONEM induxerit fieri fatores humanos & de stellis posse præuideri. Cap. III.

SOlent quicunque in aliquam disciplinam se totos ingurgitarunt, omnia ad illam referre quàm libentissime, non tam propter ambitionem, ut scire per illam omnia uideantur, quàm quòd ita illis uidetur, quibus scilicet usu uenit quod per niues iter agentibus, nam cætera quoque illis alba uideri solent, candoris habitu in oculos iam recepto, reliqua in se transformante, sic amantibus, perdite quicquid occurrat amatę, aut faciem, aut omnino aliquid refert sub ditionem unius imaginis, tota imaginaria amantis facultate redacta. Qui Theologus est, nec aliud quàm theologus, ad diuinas causas omnia refert, Medicus ad habitum corporis, Phisicus ad naturalia rerum principia, Mathematicus ad figuras & numeros, quod Pithagorici factitabant, hac ratione cum essent ueteres Chaldæorum in cœlestium motibus metiendis & stellarum cursibus obseruãdis iugiter assidui, nec aliud quicquam eorum magis ingenio detinerent, omnia illis erant stellæ, hoc est, ad stellas libenter omnia referebant, id quod de Aegyptijs dictum pariter intelligatur. Cum igitur ad hanc ex professione propensionem accederent cõiecturæ, quas libro tertio narrauimus, & confutauimus, ut corpora inferiora moueri à superioribus, non posse stellas uires ad influendum maximas non habere, uideri in Sole & Luna quantum nostris corporibus aëriq; dominentur, & similia cum occurrerent animis ad eam partem iam inclinatis, facile adducti sunt, ut quæcunq; acciderent hominibus, siue corporis sortes, siue animi, siue fortunę, de cœlestibus causis crederent prouenire, quibus quoque cognitis & exploratis futura rerum omnium euenta præcognosci. Neq; enim adeò perspectæ illis res phisicæ, ut quòd uniuersalis cau

sa differret à particularibus, quodq; illius & harum esset officium, satis intelligerent, quid substantiæ cœlesti conueniret, quid repugnaret? quid esset quod per se dicitur apud dialecticos, quid quod ex accidenti, quanta dissimilitudo inter naturæ opera & artis? quid posset esse signum alterius, huius tamen causa non esset, ut his rationibus excitati, nec quasi cessantibus proximis causis, communi causæ particulares diuersitates ascribe rent, nec quasi Deo cœloq; parum bonis, & culpas astris pariter suas imputarent, & pœnas tam animi mala quàm corporis, inde deriuantes, nec quasi natura corporis intelligeret, incidentium simul temere causarum ad eam concursus referretur, nec uelut ad intima reiq; substantiam arte peruadente nouas à cœlo influi uires in artis operibus existimarent, aut si nõ fierent hæc à cœlo, crederent tamen posse significari, quanquam nec si inuicem, uel effecta, uel causæ, nec ab eadem origine eodem modo utraq; prouenirent. Hæc omnia illi cum ignorarent, parum adhuc perfecta philosophia, parumq; illis etiam indagata, quid mirum si tot cõtra trahentibus in errorem, inducebantur primũ coniecturis, quas diximus inefficacibus illis quidem, sed uulgo rudibusq; philosophiæ magnæ probabilitatis, tum assidua illa cum stellis consuetudine, quasiq; familiaritate, quibus omnibus accedebat innata sciendi futura hominibus curiositas. Nam quæ fieri posse cupimus, eadem facile posibilia credimus. Accedebat seculi uitium, & in hominum mentes alte dedita per id tempus persuasio diuinandi, cuius mille modos & species isto longe minus probabiles, & insaniæ plus habentes auidissime consectabantur, ut pyromantias, geomantias, astragatomantias, & cætera id genus anilia nugamenta, inter quæ poterat error astrologorum sapientia summa existimari. Adde quòd idolatriæ cui erant obnoxij mire consentiebat, ut quos Deos colebant eos authores omnium rerum arbitrarentur, non bonarum modo sed malarum. Nam erat in idolatrica hoc quoq; disciplina, alios esse deos beneficos, alios noxios, ut uel hinc contra rationem philosophiæ, stellas alias bonas, alias malas, existimauerint. Adde gloriæ & quæstus occasionem, quam paratã sibi uiderunt astronomi, si de cursibus cœli, quos de magno labore, sed exigua mercede, forsitan indagarent, putarentur futura præuideri. Quibus adijce fraudes dæmonum improborum, tunc maxime mundo imperitantium, qui procliues in hunc errorem, ex causis memoratis, illorũ animos, occultis magis instigationibus impellebant, cum iudicia peruertentes, omnino mentium sibi mancipatarum, tum illorum prædicta nonnunquam confirmantes, uel ad prædicendum illos mouentes, quod euenturum, uel exequentes quod ab illis erat prędictum. Hæc omnia simul in causa fuisse non dubito, cur primum apud Aegyptios & Chaldæos homines superstitionibus & idolatriæ deditos, in cœlestium motibus occupatissimos, philosophiæ

losophiæ parum peritos, opinio nasceretur ex siderum statu futura præuideri. Recepit opinionem seculum facile ob curiositatem & imperitiã, confirmarunt astronomi libentissime spe quæstus & gloriæ comparandæ.

IN EA QVAE OBSERVANDA IN PRAEDICTIONIbus statuerunt quo pacto inciderint. Cap. IIII.

VIdimus apud quas gentes, & quomodo primum natus hic error, fieri cœlitus res humanas, uel indicari, quomodo rursus in hac astrologi dogmata quib. utuntur in prædicendo deuenerint, facile est uidere. Non enim ut demonstrauimus ueris ad hæc rationibus ducti, nam qui possent? cum non sit ratio uera mendacij. Tum rerum quoque nobis & loco, & natura cõiunctiorum proprietates, aliter quàm ab operationibus nõ exploramus. Sed nec inducti experimentis, alioquin cessare eos oportuit, multas saltem ætates à prædicendo, cum extra controuersiam diuturnis duntaxat obseruationibus & sæpius repetitis experimenta huiusmodi perficiantur. Quid igitur coniecturas secuti sunt, partim à mathematicis quibus incumbebant? partim à parabolicis quibusdam similitudinibus sumptas, quibus nihil poterat cogitari fallacius, sed uel fallebant ipsi rudes philosophię & dialecticæ, uel falli posse putabant imperitum uulgus, nec properantibus ad diuinãdi quęstum & gloriam tam satisfaciebat, quæ uerisimilior, quàm quæ facilior uia atq; paratior, sic primum statuerunt fata hominum ista de natali hora pendere, tum quoniam id fere uulgò uidetur hominem fieri cum nascitur. Tum quòd alia principia, uel concipiendi fœtus, uel animandi, posita magis erant in incerto quàm ut forent obseruanda in prædicendo, à mathematicis sic accepta, primum quoniam motus siderum metiẽtes in duodecim partes obliquum orbem diuiserunt, numerandi facilitate rursusq; eadem ratione quamlibet partium in triginta, & trigesimam quamq; in sexaginta suscesperunt hanc diuisionem quasi natura non arbitrio factã, & quot iam partes ipsi finxerant, sibi tot influxuum uires & proprietates diuersas esse decreuerunt, tum pro numero signorum duodecim loca diuisere, sex supra finitorẽ, sex infra, sicut sex quoq; signa sub terra, sex supra semper reuoluuntur. Ita magno errore definitum obseruandũ in primis, sub quo loco, quo signo Planeta collocaretur, alias enim ad influendum pro loci signiq; uarietate uires adipisci. Post hæc quascunque in motibus diuersitates notarunt, eas in operationibus quoque stellarum notandis iudicarunt, quasi efficientiæ quoque uis inde speciesq; uariaretur. Sic aliud facere Planetam decreuerunt cum rectus incederet, aliud cum repedaret, aliud cum subsisteret, tum pro siderum inter se, uel coniunctione, uel distantia fieri ab illis res diuersas. Obseruarunt autem in primis distantias quasdam, quas cum motus nonis metiebantur, insigniores nonnullos mutationibus deprehenderant,

henderant, ut trigonum interuallum, quòd in eo Saturnus & Iupiter Soli configurati semper retrocederent, sicut interdum Mars in quadrangulo, Mercurium & Venerem ultra hexangulum remoueri à Sole nunquam uiderent. Cogitauerunt igitur istas siderum esse distantias obseruandas, cum inter se trigona uel hexagona uel quadrata radiatione ponerẽtur, sed & opposita cuius euidens ratio est, præsertim quòd in his quoque configurationibus Lunæ schemata ad Solem mutari conspiciebant, & cornicularem fieri in hexangulo, diuiduam in quadrato, prætumidam in triangulo, plenam in diametro, sicut item concirculorum quorundam ad uiam Solis, interfectiones fuerant imaginati, rem necessariam in motibus metiendis, sed uanam in influentijs, ita has quoque fatorum decretis adhibuerunt caput caudamq; appellant, quasi denique uires afflatusq; radiorũ mathematicas has quantitates, situs, loca, puncta, distantias, nõ qualitates naturasq; radiorum consequerentur. Sed hunc illi errorem nec animaduertebant ignoratione physicæ, nec poterant euitare si singulis momentis alias in cœlo constellationes esse uolebant, quæ nascentium identidem hominum uitam, fortunam, mores, ingenia, uariarent.

QVID OBSERVANDA ILLA INDICARENT, QVIbus coniecturis definierunt. Cap. V.

SIc à mathematicis quid obseruandum foret acceperunt, intentione peruersa, quæ fuit antiquis (si credimus Aristot.) erroris quoque occasio, dum res naturales quasi mathematicas iudicant. Restabat post hæc inuestigandum, quid hęc ipsa significarent, uel efficerent signa, sidera, motus, aspectus, cum uel hoc modo, uel illo disposita inuenirentur, hic coniecturis egerũt leuissimis & fallacissimis quas narrabimus. De signis ita primum commenti sunt, erat Aegyptijs indubitatum omnia constare ex quatuor elementis. Cum igitur signa iam duodecim accepissent, occasione quam diximus, uisa illis perbella commodaq; partitio, ut hæc quoque per quatuor elementa distinguerent, quibus ter replicatis signorum numerus implebatur. Et quoniam prima fuisse corpora, ignem, terramq; opinabantur, utpote cẽtrum & circumferentiã. Nam ignis illis erat supremum corpus, tum inter media aduenisse aërem & aquam, ut etiã Plato ostendit in Thimæo. Iccirco primũ signum igneum statuerunt, secũdum terreum, tertium aëreum, quartum aqueum. Tum redeuntes simili consequentia quintum igneum, sextum terreum, atque ita deinceps. Hinc euenit ut quæ trigono interuallo distarent, tribus scilicet medijs signis interceptis, eadem natura censerent, quia scilicet quintum signum ad naturam primi reuertebatur, quæ uero hexangulo, partim quidem affinia, partim discordia forent, sed affinia magis, quoniam primum

mum igneum, tertium erat aëreum. Quæ uero tetragono penitus aduersa, si ignis & aqua penitus discordant, sic figmentum ut trigona radiatio bona foret, quadrata mala, hexangula uere media, sed quadrata melior, oppositionem quoque malam fore, quòd ita posita sidera ex aduerso se cõtuentur. Aliqui tamen mediam hanc etiam uolunt signorum qualitates in ea, sicut in alijs aspicientes. Est enim inter signa, quæ altera quidem qualitate conueniunt, altera discordant. Patet hinc ut se inuicem ista placita peperunt, & quæ seorsum audita suspicionem cuiuspiam rationis relinquunt, origine patefacta statim contemptibilia fiunt. Nam si illud primum fundamentum nutans & imbecillum, numeris scilicet signorum duodenarijs, arbitrio supputantium (ut astrologi confitentur) inductum sit, quæ superædificantur omnia ruinosa, sunt autem plurima ex ea una radice pullulantia, nam & trigona inde quæ magnam sibi astrologi uendicant partem, unde trigonocratores, hoc est domini, ut dicunt, triplicitatum, à quibus rationem de finibus Chaldæi posteriores acceperunt, Aegyptij monomirias, Arabes à magnis coniunctionib. maxima dogmata, Ptolemęus & omnes (quanquam alij aliter) distributionem partium mundanarum regionumq; sub signis, ut hoc uidelicet trigono orienti, illud occidenti, aliud austro, aliud aquiloni, darent, unde prædictiones de anni fato magnopere pendent, ut sciamus qua quid regione sit uenturũ. Sed redeamus ad alias signorum proprietates, nam mysterium distinctionis in elementa satis deteximus, deducto uelo tantum nugas ibi meracissimas deprehendimus. Excogitarunt igitur alia quidem ex his quę subter labens signa Sol in illis operatur, inde illa diuidentes in fixa, mobilia, communia, alia ex nomine partium circuli, quasi rerum illarum, non imagine modo, sed uiribus similes, naturaq; forent, unde alia humana signa dixerunt, alia bruta, quòd hoc signum Aquarium iuuenis ipse figuratus, illud Aries diceretur, sic omnia fere nata dogmata de signis, uel ab opere Solis uel à nomine imaginum, uel à diuisione per elementa, quæ statim iudicat unitatem, tum audire * confutata sint. Naturam planetarum à coloribus iudicarunt, quod Aboasar testatur, hanc esse coniecturam dicens uniuersitatis astrologorum, & hinc etiam fixarum, nam omnes rubentes dixerunt esse de natura Martis, ut oculũ Tauri, cor Scorpij, ea uero quàm irrationalia quàm falsa satis iam demonstratũ. Affinitates Planetarũ cum signis sic paulatim introduxerunt, exaltationes apud Chaldæos, primũ ut reor inuentæ, de quo scripsimus lib. 8. quòd in gradibus illis positæ, stellæ à centris suarum absidum erant remotissimæ. Addiderunt Aegyptij domos, de Leone primum accepta coniectura, sub quo uis Solis crescere uidebatur, ab eo principium facientes, reliqua signa Planetis alijs pro sphærarum ordine, ut uidimus, dipartiti sunt. Trigona quid introduxit, diximus, terminos,

& decanos, & dodecathemoria, & nouenas, & monomirias, diuisio signorum fecit, quæ cum uastiora uiderentur, quàm ut alijs exclusis in unius tantum Planetæ dictionem concederentur, lineauèrunt in partes uarias multifariam, & has quidē fines esse unius stellæ, illas alterius uoluerunt, quod quoniam alia quisq; coniectura decernebat, hinc natę de finibus opiniones quinq;, de quibus adhuc sine fine digladiantur, alij in decanos signa partiti sunt, hoc est, in tres partes, alij in nouem, alij in duodecim sed pro arbitrio omnes, nulla ratione, nam quis rationem dicat 12. partes signum quodlibet diuidendum, quia signa 12. sunt, aut in tres partes ob ternarij perfectionem, aut in nouem, quoniam nonum signum cum primo qualitate cōcordat, Sagittarius scilicet cum Ariete, Capricornus cum Tauro, atque ita de reliquis, hæc etiam Ptolem. quanquam astrologus cum legisset irrisit. Illi uero diuini uiri, Aegyptij, Indi, Chaldæi, quasi primam philosophiā amplexabantur. Veniamus ad loca quorū proprietates ex similitudine quadam definierunt, ut quoniā cœli medium locus sublimis, quæ putantur esse sublimia significaret, imperia, regna, potestates, quasi non descendat intus potius homo quam ascendat, oriens nascentē indicaret ex utero prodeūtem, septimus locus aduersarios quia primo opponitur, duodecimus carceres & tenebras, quoniam ad eum locum Sol cum peruenerit suscitatis uaporibus nec dissolutis aër ueluti tenebrescit. Sed non omnia prosequi oportet quę supra commemorauimus, tantum satis ad memoriam reuocare quomodo sidereæ istius cœlestisqúe disciplinæ gradatim oracula prodierunt, quæ sint sibi inuicem mire connexa fabula fabulæ ubiq; manum porrigente. Sic enim cum trigonum & hexagonum interuallum bona determinassent, rursusq; Planetas bonos Venerem & Iouem, sed & Solem & Lunam quoniam bonis boni gaudent, gaudere dixerunt Iouem in 11. loco, Solem in 9. quorum alter hexagonus, alter trigonus est horoscopo, Lunam in 3. Venerem in 5. qui ab ascendente similibus distant interuallis, dederuntq; melioribus ac potioribus Ioui scilicet atque Soli loca supra terram, infirmioribus uero quæ sub terra, sed & Martem eadem ratione 6. loco gaudere, Saturnum 12. uoluerunt, quoniam sunt hæc loca mala, sicut illi quoque Planetæ mali. Nec dubito pro natura deinde horum planetarum multas ipsis locis ab eis tributas proprietates, ut 9. uaticinia, quę Sol dare creditur, 3. breuia itinera, sicut breuius omnibus stellis spacium circuit Luna, mœrorem 12. pro conditione Saturni, & clancularios inimicos, sexto seruos & morbos, ob naturam nocentis, sed efficacis agilisqúe Planetæ. quinto gaudia, filios, uoluptates, ob Venerem, quam & præsulem harum rerum non magis iudicio statuerunt, quàm de stellæ nitore, radijs, & pulchritudine, unde illud alma superne nectareum ridens, quare credita antiquis elegantiarum & uenustatis Dea, talibus usi demonstrationibus,

tionibus, quasi filiæ araneæ rete præstigiosum contexuere, quod si procul aspicias fallat mentita filorũ magnitudine, & illecebra textus nouitatisq; lenocinio, si cõminus intuere contemnax, si tangas manu disrumpas, atq; dissoluas. Auxere nepotes inuentum patrum, quoq; fuit figmentum antiquius eo robustius, latente magis originis fraude quodq; euenit semper authoritatem ætate conciliante. Neque uero nos omnia diximus, tantum inuentionis methodum, hoc est erroris lubricum demonstrauimus, cætera uero ad id exemplum leuissimis scilicet omnia coniecturis, & tenui nixa dissimilitudinaq; similitudine, etiam rerum terrenarum, qualia sunt illa, felices esse Planetas cum procedunt, infaustos cum retrocedunt, cumq; etiam stare creduntur, quasi negent retrocedentes, quod promiserant, expediant procedentes quod pollicentur, morentur subsistentes quod largiuntur. Deficientem Solem & Lunam parere magnas calamitates. Nam hæc imprimis terrificant, ignota causa, quasi uel deferentibus nos Deis uel abrogantibus, in apogeo positis stellis nascentem exaltari, quoniam is locus etiam sit altissimus, Partes Lunæ, tam aliorum deinde siderum, postremò & auenæ, & fabarum quis inuexerit, error explicatum, lib. octauo. Postquam autem huiusmodi coniectamentis hæc dogmata fundauerunt, cœperunt geneses obseruare nascentium, & si semel aut iterum casu dogmata respondissent, experimento nulla iam fides nulla maior erat authoritas, ut si forte gratia uerbi, natus aliquis Marte Scorpium occupãte bello claruisset, indubium habebatur Scorpium esse Martis domicilium, quasi nõ longe sit aliud Marte sic posito, aliud à Marte bellicosum nasci, quasiq; ut diximus, experiri fideliter quicquam possent in cœlestiũ motibus tanta delinquentes. Annotabant igitur etiam quæ euenerant domino genituræ cuiuspiam themate & regulas inde canonesq; condebant, quoniamq; non erat hæc uia uerorum experimentorum, sed illis pro ratione, casus, atq; temeritas, ideo & alijs, & ijsdem etiam alias obseruantibus, aliter contingebat, quo factum ut tot euaserint penè astrologiæ, quot erant obseruantes, unde illa confusio pugnantiaq; opinionum quas proximo libro late sumus executi.

QVIBVS FOMENTIS AVCTA QVOMODO propagata. Cap. VI.

Sic de nugacibus orta coniecturis, fallacibus adoleuit experimentis, fota seculi uitio, nutritaq; hominum curiositate, nullo nõ auido futura de se sciendi, atq; ea è cœlo uerissimè peti, Quotus enim quisq; de populo, de scholasticis etiã, quàm non recte de cœlo petuntur ista, cognoscat? accedebant principum studia nihil non credentium ob imperitiam, necnõ sperantiũ ob cupiditatẽ. Quib. si quando de cœlo felicitas pronunciabat (pronunciabat aũt semper) tã nolebant

euerti astrologiam quàm neistam quoq; felicitatem, prædicebant interdū uera, nunc temerè, nunc astutè, nunc dæmone suffragante, modis quos explicauimus. Quod cui etiam non succedat multa prædicenti? tamen uero plausus, acclamationes, & tamē mille mendacia statim obruebat obliuio. Sed & multa illis fides authoritasq; ab oraculis non modo probantibus istam artem, sed exercentibus. Interrogatus Apollo mas an fœmina nascereturꝰ fœmina respondit, quoniam in conceptu ad Venerem Luna ferebatur. Quod uero maius testimonium professioni quàm deos habere authores? nouerunt scilicet improbi dæmones, sic non solum à nostris, sed à Platonicis quoq; nuncupati, nouerunt, inquā, sub una superstitione quantum mundo ueneni propinarēt, quod cum altius in uenas penetrasset, primū quidem fidem adimeret religioni, summo hominū bono, quasi de cœlo pendente fatali necessitate, quasi nulla miracula, nulla diuinitus præcognitio futurorum, sed ui constellationum omnia prouenirent, tum uitijs patrocinium faceret cœlitus in nos descendentibus, atq; adeò fortasse bonis siquidem quæ à natura bona omnia sunt, inficere demum bonas artes medicinam & philosophiam, ut quas non euerteret, sicut nec theologiam, contaminaret tamen & philosophiam quidem à rationibus ueris ad fabulas, medicinam à naturalibus efficacibusq; remedijs ad uanas obseruationes, & anilia deliramenta conuerteret, fieretq; una pestis peruersæ superstitionis, & corpori, & animo simul exitialis. Videbant pessum ire prudentiam pro qua iam consuleretur astrologia quid agendum, quo tempore, qua ratione, sedens in ipsa stolidissima uanitas uitæ clauum in manu teneret. Postremò sperabant fore quod euenit, quæ una de cœlo mathematicisq; supputationibus captaret authoritatem, reliquarum superstitionum minus fraudem dissimulatam, minus fucatam infirmitatē, obtegeret, nec uanæ putarentur quæ cœlestis doctrinæ sequaces appendices, & alumnæ forent, neq; enim ulla est (ut ostendimus lib. primo) quæ quidem astrologiam, uel sociam, uel parentem, uel ducem, non agnoscat. An non digna res igitur pro qua se quoq; facerent astrologos dæmones nocentissimi? nihilq; non procurarent, quo magis indies pestifera persuasio sensus humanum studiaq; possideret, nam usos dæmones in oraculis, astrologorū regulis, credendū ob aliud q̄ ut fallerent, id est, fallaciæ fidē facerēt, quis addubitet etiā Porphirianus? quando ipse Porphirius tūc mentita dicat oracula cum astrologicis nixa dogmatis responderent, quod non euenisset si uera foret, futuriq; præmonstratrix, quando in ea latere dæmones peritissimos rerum naturalium, nihil poterat. His fomentis adulta præsidijsq; multa, Ægyptios & Chaldæos penitus occupauit, peperitq; statim apud eos superstitiosam medicinā. Scripsit enim Necipsus in Ægypto, qui decanus quem morbum faceret, cuiusq; rursus decani potestate curarēt, rem

habitam

habitam in arcanis interq; mysteria quasi non arbitraria, ut demonstrauimus, ista partitio decanorum, irrisaq; & neglecta penitus à Ptolemæo, hinc statim emensa magia, quæ non est aliud quàm complexus idolatriæ, astrologiæ, superstitiosæq; medicinæ, quæ sicut alias quoque superstitiones in libris de uera fide aduersum septem hostes singulatim confutauimus.

QVOMODO AB AEGYPTIIS AD ALIOS ASTROLOgia deuenerit. Cap. VII.

AB Ægyptijs & Chaldæis ad Græcos astrologia deuenit, sed per authores ignobiles. Nam excepta domibus circulatorum, Licium & Academiam non intrauit, sed nec in porticū, quoq; licet procurāte thale concorditer admissa, nec qui poterat atomis & uacuo astrologiæ tamen credere potuit, Epicurus. Primus centesimo & quadragesimo post Christum anno, bene audiens in literis, eam coluit Ptol. sed parcius quàm cæteri, ita ut non tam insaniæ isti fauere quàm modum ponere uoluisse uideatur, ut cumq; authoritas unius hominis semper mathematici, raro philosophi, tot contra, in mathematicis philosophiaq; hominum clarissimorum obstantibus præiudicijs, relabitur. Rapuit nomen Ptolemæi Græcos aliquos in errorem, alioquin ad superstitionem propensos, ut Porphirium, cuius nimiam in cultu dæmonum operam curamq; superstitionū, & præceptor Plotinus, & discipulus Iamblicus damnauerūt. A Græcis ad Arabas maiori tamē authoritate deuoluta, mirantibus illis quicquid à Græcis scriptum inueniebant, & in nominibus Ægyptiorum & Chaldæorum uanam illam antiquitatis speciem suscipientibus, sicut autem acceptam illam à Barbaris repurgauit prouiribus, circumciditq; Ptolemæus prudentissimus astrologorum, ita acceptam à Græcis, Grammaticus quidam Aboasar & scriptor historiæ refert, nugis & fabulis innumerabilibus, fecitq; astrologiam pene tanto peiorem astrologia Ptolem. quanto bonis artibus peior est astrologia, factus homo ad inanem loquacitatem, nec modo philosophiæ, sed astronomiæ quoque fere penitus insolens, fugillatus à doctissimo quoq; astrologorū, multitudini gratus, apud quā magnus qui plura dixerit, non qui meliora. Creuit aūt per ea tempora studiū mathematicę, sicut totius quoq; philosophiæ disciplinarumq; omniū in Hispania, in qua cum regnaret Alphonsus in numeris mathematicis & cœlestium motuū supputatione diligentissimus, amaret quoq; diuinatricē uanitatē, alioquin philosophiæ studijs nō imbutus, & in eius gratiā Arabū & Græcorū multa eius artismonumēta ad nos peruenerūt, per Ioannē præsertim Hispalensem & Michaēlem Scotū scriptorē nullius ponderis, multæ nero superstitionis. Amplexatus hęc primū Albertus utpote noua, natus enim per ea tēpora, sed puto

non

non tam ſenex probauit quàm iuuenis, ſicut & magica adoleſcens cũ uul-
gaſſet, matura ætate deteſtatus eſt ſanctiſsimam in cœnobio, & inculpa-
tam uitam degens. Factum tamen tempore procedente cum diuturnitate
traditionis, tum multitudine ſcriptorum, & quadam cum mathematica
aſtronomia tam nominis quàm ſubiectarum rerum, affinitate, ut fere in
controuerſiam iam ueniret, an ſine fallacia ſcientia: an ſuperſtitio foret: ue
rum licet tam multis ſeculis à multitudine excepta, cuius proprium nihil
ſapere, à ſuperſtitioſis exculta, quorum ſcire delirare eſt, curioſis quæ-
ſita nullo iudicio uiris, ita ſemper, ut primo libro monuimus, à prudenti-
bus à philoſophis, ſanctiſsimis uiris irriſa, cõfutata, profligata fuit. Nam
quo tempore cum idolorum cultus in Aegypto atque Chaldæa, cumque
omnium uanitatum inſania adoleſcebat, apud Hebræos ueri Dei cultores
per Moſem, per Eſaiam, per Hieremiam, per alios prophetas, uoce, ſcri-
ptisq; damnabatur. In Græciã cum uenit Pithagoræ non placuit, autho-
re & Diogene & Theodoreto Platonici & Peripatetici ne dignã quidem
putauerunt, de qua uerba aliquando facerent, ut quam inter artes circula-
trices haberẽt. Eudoxus Gnidius legislator prudentiſsimus (ſcripſit enim
leges ciuibus ſuis) idem magnus ſub Platone philoſophus, in mathema-
ticis uero princeps ætatis ſuæ omnium conſenſu, nullo modo credendum
aſtrologis affirmauit, ſcriptumq; reliquit. Fecerunt idem aliquot poſt an-
nis Caſſander ac Archelaus inſignes mathematici: fecerunt Panetius & Car
neades, graues ueriq; philoſophi. Romam quoties ueniebant uel ex Aegy-
pto, uel ex Babylonia diuinatores iſti, toties eos Romana illa prouiden-
tia ſeueriſsimis legibus urbe ſubmouebat, ſic ſub Tiberio, ſub Vitellio, ſub
Diocletiano, ſub Conſtantino, ſub Gratiano, ſub Valentiniano, ſub Theo
doſio, uel deſerere profeſsionem, uel pœnas dare profeſsionis coacti ſunt.
Hadrianus horum præſtigijs cur ſit delectatus ſatis manifeſtum, nam
propenſione quadam naturæ Aegyptum ſic adamauit, ut nihil Aegy-
ptiacum poſſet illi non placere, quo tempore tamen Phauor. illos aper-
te, Plutarchus oblique, grauiſsimo uir iudicio ſugillauit. Mox ſub Ptole-
mæo cum parum uiſa eſt honeſtari, ſtatim & Plotini magni Platonici, &
Alexandri Aphrodiſiadæ inſignis Peripatetici, & Origenis in omnibus
diſciplinis eminentiſsimis, iudicijs infamata eſt. Cum ad Arabes ue-
nit, detinuit quidem Abenragel. & Aboaſares, nec dialecticos homi-
nes, nec philoſophos, Auerroës & Auicennas non detinuit. Vbi ue-
ro in Academia Pariſienſi primitus apparuit, uix impetratum à curio-
ſis quin internitioni data ſub ignibus deliteſceret, cumq; aliquot poſt an-
nos honeſtare eam Rogerius Bacchon & alij quidam conarentur, reſti-
terunt eis uiri doctiſsimi Gulielmus Aluernius epiſcopus Pariſienſis,
& poſt eum Nicolaus Oreſmus mathematicus excellens, & Henricus

ex Aſia,

ex Asia, & Ioannes Caton, & Brenlanlius Britannus astrologiam non solum qua parte lædit religionem, sed plane totam, ut uanam falsamq; detestantes. Quare non ita unquam artis nomen obtinuit ut in præscriptum abierit, nam semper aliquis ueritatis patronus obnunciauit.

DISPVTATIONVM IOANNIS PICI MIRANDVLÆ in Astrologiam libri XII. Finis.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA SACRAtissimo patri Oliuerio Carafæ Episcopo Sabinensi, Cardinaliq; Neapolitano, S.

APollinium Thyanæum pater amplissime, dum ob literas capessendas peregrinationē illam à Philostrato postea celebratam susceperus esset, optasse legimus, ut uiros bonos & inueniret & agnosceret, idq; etiam à Sole concessum iri sibi multis precibus expetiuisse. Quod quidem uotum citra culpam non laudari magnopere non potest, sicut ipsa ad Solem deprecatio non uituperari, hoc enim uulgus eruditum & rude congenito ueritatis noscendæ lumine, passim prædicat, ut ualidissimas omittam rationes, & diuinorum eloquiorum testimonia. At si optandum est id muneris, efflagitandumq; à Deo Opt. Max. illis proculdubio summopere lætandum est, quibus non modo obtigerit bonos agnoscere, sed etiam hosipsos & in propria familia & sanguinis sibi nexu deuinctos reperire potius q̄ inuenire, indeq; aliquem eorum fructuum consequi. quos bonorum parit amicitia. Quæ mihi diuina beneficentia eueniſſe neq; inficias eo, neque dissimulo cum Ioannem Picum Mirādulam Galeotti patris fratrem hominem profecto dignum, quem Apollonius trans Caucasum & Brachmanas, sed & aduſque aduersum orbem auide rimaretur intra parietes domesticos compererim, multisq; ab eo beneficijs cumulatus extiterim. Huic ego nobiscum degenti dum par pari referendum esse quoad possem iudicauissem, Eo magis defuncto censui debere rependi susceptа officia, quo cum eius gloria & studiorum periclitabatur utilitas, & non mediocrem ecclesia patiebatur iacturam. Quamobrem pro eo quæpiam nec semel, mandauiliteris ipsiusq; opera diuturna & anxia uestigatione nobis ascita in multa exemplaria transfundenda curaui, laboratum autem mihi summopere est in reparandis libris omnem diuinatricem astrologiam funditus eruentibus, quandoquidem eiusmodi characteribus delineati erant (qui erat hominī mos) ob scribendi dictandiq; uelocitatem, ut cuiusuis alterius linguæ quàm Latinæ speciem præ se ferre uiderentur, tot interli-

ti lituris ut non facile internosceretur quid pro dispuncto quid pro emendato haberi deberet, tot præterea partibus lancinati disceptiq; ut uix ab authore ipso exscribi posse iudicaretur. Hos ego libros (si non magis thesauri quàm libri) ueluti rediuiuos à nobisq; nuperrime ab interitu reuocatos, cum cui destinare inscribereq; deberem diu mecum cogitassem, occurristi tu mihi Præsul Sacratiss. à quo digredi nullatenus ualui. Nam cui & congruentius & honestius quàm tibi doctissimi hominis eiusdemq; consanguinei literaria monumenta dedicare potui? & illa potissimum, quæ nostræ Christianæ religioni aduersos errores refellunt, cum & literis polleas, & ob Ioannem Thomam Carafam Magdaloni comitem socerum meum, cui arctissima cognatione deuinciris, sis etiam mihi necessitudine coniunctus, atque eam inter ipsius religionis homines geras personam quæ sit proxima supremæ. Ea igitur uolenter suscipe, & cum à maximis uersandis negocijs aliquid ocij suffuraberis perlegas obsecro, in ipsa lectione simul cogniturus simul gauisurus artem illam astrologicam, siue (ut loquar rectius) pestem quæ iam truci elata rabie, quanquam subdola fronte uirus insimulans in nostrum exitium debacchabatur, ipsius Ioannis Pici patrui ope ualidissime extinctam. Vale pater amplissime. Mirandulæ. 4. Cal. Iulias.

FINIS.

SAN-

SANCTISSIMO LEoni decimo, Pontifici Maximo, Iohannes Reuchlin, se supplex commendat.

ITalica Philosophia, Beatissime Leo decime, religionis Christianæ Pontifex Maxime, à Pythagora eius nominis parente primo, ad summos homines excellentibus ingenijs præditos olim delata, perquamplurimis annis ingenti latratu Sophistarum occiderat, tam diu tenebris & densa nocte sepulta, quousq; Deûm fauore Sol omnis generis optimorũ studiorum clarissimus Laurentius Medices pater tuus, Magni Cosmi propago Florentinæ ciuitatis princeps exoriretur. Quem & si nouimus animo & scientia gubernandi Rempub. & domi belliq; omnia consilio ac prudẽtia gerendi, tam fuisse compotẽ, ut nemo ætate sua in ciuili exercitatione uideretur magis laudandus, tamen ad hoc nobis eum fateri oportet commodius, natum esse perinde atq; cœlitus demissum, ut post eloquentiæ disciplinas & benedicendi artes à Petrachis, Philelphis, Aretinisq; rhetoribus ante iuuentuti Florentinæ traditas, quo esse absq; cõtrouersia possent ciues cunctis nationibus exteris nitidore scribẽdi calamo, & puritate linguę ornatiores, ipse tandem patriæ inferret quoq; illam expultricem uitiorum sapiẽtiam, & arcanorum inuestigandi rationem quæ in libris & monumentis priscorum ad sua usq; tempora latuissent. Ad id prouinciæ diligenter acciuit undequaq; doctissimos, & ueterum authorum peritissimos uiros, quibus cum rerum scientia etiam satis esset eloquẽtiæ Demetrium Chalcondylen, Marsilium Ficinum, Georgium Vespucium, Christophorum Landinum, Valorem, Angelum Politianum, Iohannem Picum Mirandulæ Comitem, cæterosq; orbis eruditissimos, quibus antiquorum solertia & arcana uetustas malignitate casuum obliterata in lucem rediret. Hoc egere summi uiri certatim. Nam docuit hic, commentabatur alter, legerat iste, interpretatus est ille, aclinguas uertit in linguas. Marsilius Græciam duxit in Latium. Romanos in Grẹciam Politianus reduxit. Instabant omnes operi, nemo non summas Medicibus laudes afferens. Hos in heroas Beatissime LEo tuus natalis uirgula, ut aiunt, diuina feliciter recidit, Dijs gratia, certe ut non restaret ullum elegantioris doctrinæ genus, in quo tu non euaseris peritior, adeò quidem puer amplexus politissimi suauitatem Politiani. Quid multis? Florentia illo æuo nihil erat floridius. In qua renascerentur optimarum artium, quę

ante cecidere omnia, nihil remãsit intactum de linguis & literis, quo non exercerentur nobilissimi Florentini. Ea fama ego tum quidem uehemẽter mouebar, tactus eius loci cupiditate, ac nõ solum magnificẽtissimi & insuetinobis Hercynijs ædificij auitæ domus tuæ, quam magni Cosmi nominarunt, uerum etiam parentis tui desiderio uisendi, unde nostro seculo tanta cõmoda prodijssent. Igitur in Italiam profectus cum illustri Eberhardo Probo Sueuorum nostra ætate primo Duce, cui à Secretis fiebam, intraui Florẽtiam circiter 12. Calend. Apriles, Anno Christi 1482. Cunque insignem Medicæ gentis nobilitatem ei duci commendassem, ut pro rei ueritate profecto debui, optabat cum eo sibi uiro colloquiũ habere. Quod ubi animaduertisset, nescio quo reuelante, Laurentius apprehendit peregrini dexteram perquam humaniter, omnesq; nos domum suam duxit, singula uisu digna ostendens. Primo, faberrima equorum stabula, deinde armamentarium omni adparatu bellico refertum, post item singulos thalamos pretiosissimis aulæis ornatos pulchros qúe tapetas, & in excelso culminis tecto arboribus consitum nemus, hesperidum hortos, ac aurea mala, cuius Bibliothecam cum in cœlos usq; uerbis extollerem, perhumaniter, ut solebat uir suauissimus, respondit maiorem sibi thesaurum in liberis esse quam in libris. Quæso te Papa Sãctissime, sinas me loqui tecum aliquanto liberius infimatem de media plebe hominem, Quanta putas me tum captum admiratione cum quodam insigni gaudio, quando uniuersis adplaudentibus audiuissem ad summa te rerum fastigia cõscendisse optimum optimi sapientissimiq; Principis diui Laurentij Medicis filium, recordabar subito tanquam hierophantes aliquis paternum illud uaticinium uere prophetię par. Quid hac ex Laurentio laurea fruticari queat, non modo laurentibus populis, sed etiam toti orbi pretiosius, quis maior excogitari thesaurus possit, quàm sit illud tuum ineffabile regnum, unde nobis omnes diuitiæ tanquam ex Pactoli abysso fluunt, omnes gratiæ, omnes optimarum literarum ornatus, & omne quod est in humanis bonum. Semina iecit pater uniuersæ ueteris philosophiæ, quæ nũc te filio in culmos surgunt, ut te regnante, nobis spicas illius metere liceat in omnibus linguis, Græca, Latina, Hebræa, Arabica, Chaldaica & Chaldiaca, quibus hoc tempore libri tuæ Maiestati offeruntur, & uberius omnia perficiuntur sub tua ditione, quæ sunt à parente tuo prudentissime inchoata. Quare cogitans sola studiosis Pythagorica defuisse, quę tamen sparsim in academia Laurentiana delitescunt, credidi haud ingratum tibi futurũ, si & ea foro afferrem, quæ Pythagoras, nobilesq; Pythagorei sensisse dicuntur, ut tuo felici numine legerentur Latinis hactenus ignota, Italiæ Marsilius Platonem ædidit, Gallijs Aristotelem Ia. Faber Stapulensis restaurauit. Implebo numerum & Capnion ego Germanis per me renascentem Pythagoram tuo nomini dicatum exhibebo. Id tamen absque

Hebræorum

Hebræorum Cabala fieri nõ potuit, eò quòd Pythagorę philoſophia de Cabalæorũ præceptis initia duxit, quæ patrum memoria diſcedens è magna Græcia rurſus in Cabaliſtarũ uolumina incubuit. Eruenda igitur inde fuerant ferè omnia. Quare de arte Cabaliſtica, quæ ſymbolica philoſophia eſt ſcripſi, ut Pythagoreorum dogmata ſtudioſis fierent notiora. In quibus omnibus nihil affirmo, tantũ utut opinantur infideles recito, qui Simonem Iudæum Cabalę peritum audituri Francofordiæ in unam Cauponam è diuerſo itinere cõueniunt Philolaus iunior Pythagoreus, & Marranus Mahometiſta. Iã uero reiectis in diuerſorio ſarcinulis peregrini famem pellere cupientes, horrent conuiuarum tumultuantem gregem, at illis poſt ſympoſia tabernam deſerentibus, ita cœpit

MArranus: Temperaui à multis mihi uerbis in tanto murmure coëpulonum indigenarum, qui nimium poti à prandio nunc abeunt, ueritus ne male audiſſem, ſi quouis ſermone aduena ego fremitus intercalaſſem eorum, quos exitioſa temulẽtia onuſtos nouerim. Poſt uero quam hinc illis profectis, ſoli nos in iſto pridem diuerſorio cõuenimus, ambo, ut eſt uidere, peregrini, & haud parum ab itinere feſsi, iubeas oro cauponi, ſi tua mecum ſtat ſentẽtia, ut ſecundæ menſæ ferantur, & bellaria minime Sybaritica, quando liberiore geſtu conuiuere licet & colloqui. Ate ecce ſtructores accedunt, neſcio quæ promentes tragemata cum nucibus & caſeo utinã bithynio & cratere incertũ zythico an uinario, quaquã nobis omnium nihil monẽtibus. Tum Philolaus, haud mediocri dexteritate aít, cauponariam agit hic inſtitor, ut qui nummis ubiq; locet pedicas, etiam hoſpitibus addat aurita miniſteria, quo plus uini obligurire geſtientibus uendat, mox eñ atq; de bellariis ſermo excidit, fercula præſto ſunt. Nunc ſane inter honeſta pocula opto nobis laxiora ſodalitia fore. Nam utrique me conſule uultus, mi conuiua, capiendus eſt nouus, & laſſatis membris curanda requies. Potiſsimum uero mihi poſt longam nimis & ſcabrã uiam, durosq; calles, quos hucuſq; ſum emenſus. Quid tibi ſit integrũ ignoro, cum de tua peregrinatione nondum factus ſim certior, quam longinque, ut quis tu, aut undenam ueneris? E Byzantio, inquit ille, Conſtantini urbe, quam multi nouam Romam appellant, ſum enim patria Byzantianus, ſtudio uarius, ſiue Græce uelis, aut Hebraice, ſeu magis Latine, Arabum tamen doctrinam plus callens, & niſi moleſtum eſt, tu uiciſsim indicare ne recuſes qui uir ipſe ſis. Philolaum me nominant, inquit iſte, Alanum natione, diſciplina Pythagoreum, & fortaſſe haud abſimilẽ tui linguacem, ſed quod tibi erit uocabulum quæſo? Conſtantinopolitani Marranum me uocant, ait ille, nomen à Cherintho & Ebione, ſcholaſticis notum, quod & aqua tinctus & recutitus apella, utriq; alioqui tam Moyſi legibus quam Chriſtianorum doctrina ſum initiatus, ſcholaſticos memoras audio, Philolaus ad hęc, Id rogo autem ſunt ne humanitatis ſcholę

Cõstinopoli modo, inter istos maxime omnium crudeles & truculẽtissimos Turcos? Plurimæ, inquit ille, quibus se excellẽtissimis ingenijs homines dediderunt. Est enim plus illic discipulorum quam decem millium, è Persia, Græcia, Latio, & Iudaismo in unis mœnijs, inter quos cum iam annis duo de uiginti multarum artium auditor fuerim, libuit tandẽ expatiari alio, si forte uel trans alpes inuenirem studio sapientiæ præditos, qui de maximis quæstionibus copiose queant probabiliterq; dissertare. Tũ cuiatis philosophiæ? petebat Philolaus, & Marranus, Cuiusuis retulit, cũ sim nullis ipse unius disciplinæ legibus astrictus, quo minus ne secta quidem fidei libere quicquid sensero defendere prohibeor. Certe par habes mecũ Philolaus inquit, ut uideo explorandi desideriũ. Nam ad Germanorum nobile hoc emporium Francofordiense migrantibus è Thracia mercatoribus comitem me iunxi, quod acceperim hic esse Iudæum magnæ in opera Cabalistica famæ, ac ingentis existimationis, quæ una facultas, ut sæpe audiui doctissimos homines suaui ocio & consilijs uberrimis adfluentes me præsente arbitrari, præ cæteris esse queat philosophiæ Pythagoricæ cognatior tanquam nihil similius. Nam esse Pythagorã omnia fermè dogmata istinc expiscatum aiunt. Iudæo illi Simon esse nomen perhibent Eleazari filio ex antiqua Iochaicorum prosapia, quem nunc remotis mensis adoriri stat sententia. Ego uero, inquit Marranus, si per te licet tecum ipse uirum accedã, tametsi Pythagorica parum edoctus, semper enim mihi Arabes magis ueneratione fuere Algazel Alpharabius, Abucaten, Hali, Abumaron, Abensina, quem Latini Auicennam & Abenrust, quẽ Auerroem uocant, & reliqui consimiles peripatetici. Quanquã nemini unquam mea ætate negatum fuit Constantinopoli qualemcunq; singularum propè linguarum atq; sectarum philosophiam consequi maxime dissimilium gentium præceptoribus indies publice docẽtibus. Tum Philolaus, Confide, nam facile, inquit, Pythagoreus fit is, qui & libẽter uerbo credit, & pro tempore tacere potest, & omnia præcepta intellectualiter intelligit. At ille, astabo saltem ubi patieris tanquam Pythagoreus aliquis, & audiam qua de re sermo inter uos fiat. Itaq; inenarrabili gaudio delibutum me reddes, cum permagni æstimauero in conuersatione sapientum fuisse. Et Alanus: Veniamus ait, nã in pomario domi eius, in qua habitat, deambulare nũc solus dicitur, ac certe hic loci est, & ostium patet. Cernis ne istum ex horto nos uersus incedentem: Age, maturius ingrediamur, Salue magister. Cui Simon de more gentis, Dominus uobiscum. Tu ne Simon ille Iudæus? rogant aduenæ. Tũ is, Vtrunq;, nam & Iudæus sum & Simon. Quæ autem nomina uestri amborũ accipiam? quo rectius uos alloquar. Vterq; ad id, Ego Philolaus, & ego Marranus responderunt, ac diuersis itineribus alter alterius nesciens, post lõgam peregrinationem huc tandem cõuenimus, quos non hoc emporium tam late imminens tanto commeatu

prope

prope toti Europæ decantatum, ac tot & tam pretiosis mercibus illustres nundinæ, tam diuersarum gentium confluxu speciosæ ad sui contemplationem traxerunt, sed unius tui fama perduxit, eâ cupiditate, ut nobis de omni Cabalistica ratione magnopere, ut doctis uisum est, & colenda & expetenda, nobiles illas, & tam in Scythia quàm in Thracia commendatas ingenti laude cogitationes tuas breuiter & cõmode aperires. Ad hæc: Est ne Simõ, inquit, memoria nostri etiam apud Scythas & Thracas gentem tam longinquã? Est profecto, ait, utercp multo maxima. Nam ab hinc ante triennium circiter quatuor lustra quando tempore illo supputabant uestri à mundi exordio post quintum millenarium annos ducentos octo & triginta pulsi ex Hispania Iudæorum centena quatuor & uiginti millia, indecp discriminatim illorum maxima pars ad loca nostra exules profecti multam in te homine sibi ut affirmant perquam notissimo artium disciplinam, multas literas, incredibile ingenij acumen, & philosophici sermonis expeditam integritatẽ, præsertim quocp Cabalisticæ speculationis diuinam peritiam, & uniuersis auditoribus admirabilem inesse prædicant, ita ut in omnium oculis discendi cupidorum ultra Sauromatas & glacialem fulgeas Oceanum. Super quo suscepit ille: Tanta de me uestra existimatio, uiri Pythagorei non mediocrem ruborem mihi affert, qui uereor ne si iudicium hoc uestrum ex populari rumusculo cõceptum frustrer aut fallam, quantumuis id contingat fragilitate mea, ipse uidear in tam diuinum Cabalæ studium prope mea ignauia dolendam iniuriam commisisse, quo plane quicquid in me languidum, fractum & imperfectum deprehenderitis, id in huius sapientiæ quam desideratis quandam uergat ignominiam, quasi opificis defectus tendere debeat in artis indignitatem, id quod minime omnium uelim. Nam ego ipse, quantuluscunq; sim, qui scio quam sim exiguus aut mecum cæteri Cabalistæ omnes quicquid uero esse putentur, laudati si uultis an despecti mitto dicere, tamen hac contemplandi arte nihil est hominũ generi usquam qui humi degunt, & præalijs egregie pollent ingenio ac mente florent, à Deo collatum expetibilius, nihil ad salutem animorum commodius, nihil ad immortalitatem consequendam aptius, quo congruenter naturæ mens humana propinquius ad deificationem ascendat, hoc est, ad beatitudinis summum, quod τέλος Græci dicunt, siue id uobis extremum aut ultimum uocare placuerit, seu finem, unde contingat, nihilo indigentes, absolute, semper absq; impedimento fortunate, tranquille, feliciter uiuere, cum artificiose admodum per quædam symbola terrenis omnibus reiectis, semotaq; rerum materia, formam è forma decerpserimus, quousq; ad primam omniformem & informem ascenderimus formam. De quo intelligunt Cabalistæ diuinum Geneseos hunc iussum: Producat terra animam uiuẽtem ad speciem suam, scilicet, ad diuinam Ideam, quæ & ipsa est terra uiuentium in uirtute Dei

uiui eam uitam influentis per nomen Adonai, ut cognoscatis, authore Iosue, quod Deus uiuus intra uos est, & dispersdet in conspectu uestro contrarias fortitudines. Hæc in libri שער אורה id est, porta lucis inscripti capite 2. leguntur. Quo fit, ut omnia uitã habentia suo instinctu sursum tendant, & omnia uitam influentia uergant deorsum. Cum enim in isto mundo sensibili quicquid elementis quatuor constat מורכב, id est, mystum, id omne aut anima careat, diuersi & uagi motus effectrice, ceu iacens immobiliter, & quiescens ut lapis & ferrum, aut uegetet & crescat ut planta & herba, aut multifariam dimoueatur, progrediatur, & tantum uiuat ut animantia, bruta & cõchæ, aut etiam rationaliter loquatur ut homo, quæ solent adulescentes nostri de libro רוח חן, id est, spiritus gratiæ sic Hebraice nominanda discere הרומם חצובה חחל ומחמרכר, id est, lacens, pullulans, uiuens & loquens, nihil profecto eorum est, quod intẽtum cœlo se non modo quodam arrigat, quasi eo conspectu quendam sibi uirtutis suę usum glisens, & mores fingens, ut altissimos terræ mõtes cœlum uersus, ab imis uallibus exurgere cernimus, iuxta Psaltæ carmẽ: Ascendunt montes & descendunt campi, ut experimur in altum procellas maris erigi, ut ascẽdit mare fluctuans in Ezechiele, ut flatus aëris è cauernis exuperare sentimus. Nam & naturæ dominus in illo eodem Propheta erumpere facit spiritum tempestatum, ut denicp omnia ignea leuari uidemus. Ascẽdit enim ignis de petra in Iudicũ uolumine. Ita uiri præstantes, quæ uestra ingenij uis est, intelligitis quadã necessitate coactos fateri nos quãto quæcp res nobiliore natura extat, tanto eã adeptione sublimiori gaudere, ceu granum frumenti iactatum in terram, quod non quiescit, donec glebæ uiscera frangat, & extra telluris meatus suspiciat, & cœlesti aura fruatur. Eadẽ est ratio in metallicis quocp cum id quod generosius est in altiores spiritus ebullit ab alikmia sublimatum, ut puriora semper ea uideantur, quæ sunt sublimiora. Sic quæ apud inferos esse dicuntur lurida & squalentia, sordibuscp depressa iudicamus, quæ apud superos candida & illustria incredibilicp decore ornata miramur, & præconio laudũ prosequimur. Quanto magis omnium opinione cum solers natura rebus iacentibus, uegetantibus, spirantibus ingenia talia ingignat ut altiora petant, profecto nõ uidetur ea hominem neglexisse omnium animantium dominatorem, animal decorũ & uenerandũ, cui animal nobilissimum, cæteris prę fectum, non modo prudens & sapiens, uerum & contemplatiuũ & religionis capax, quin meliorib. & sanctioribus ipsum dotib. ornauerit, & præsertim id generis donauerit conditione, ut ex insito sibi naturę desiderio quibuscunqp possit uiribus ad summa & optima tẽdat. Hominẽ eñ melior natura Deus, ut extat sacratissima historia ex duob. cõposuit limo terrę & spiraculo uitæ, ut limo indutus corporea prudenter curet, & spiraculo uitæ p̃ditus, sapiẽter amet diuina, producatcp terra animã uiuentẽ ad speciẽ suã

atcp

atq; propriã, uidelicet illã peculiarẽ Ideam, non brutorũ, non plantarum, non lapidũ aut lignorũ, sed ab ore Dei natam, & in faciẽ eius diuino spiritu adflatã mentis suæ ipsam illuminationẽ. Hæc illa est, quæ paulò ante à nobis uocabatur deificatio, cum ab obiecto præsente per mediũ suum exterior sensus transit in sensionẽ interiorẽ, & illa in imaginationẽ, & imaginatio in existimationẽ, & existamatio in rationẽ, & ratio in intellectũ, & intellectus in mentẽ, & mens in lucem, quæ illuminat hominẽ, & illuminatũ in se corripit. Hinc recte acceptum esse apparet, quod Cabalistæ in arbore decem numerationũ Thipheret μικρόκοσμον in medio Sephiroth ponendũ censuerunt, magnũ illum Adam quasi lignũ uitæ in medio Idealis paradisi, aut quasi lineam rectã, ut aiunt, mediã. Fecit enim Deus homini rectũ Ecclesiasti regio tam ad supera quã ad infera flexibilẽ, ut per Empedoclis litẽ & amicitiã in numerationibus illis subter notatã, quæ designantur per נצח והוד humana se cogitatione agnoscat elementorũ & mundani huius regni esse participem. Timore autẽ Dei & sanctificatione per חסד ופחד quæ supra eum expanduntur, trium simplicissimæ deitatis notionũ בחר חכמה ביגה pro suo captu apprehensiuũ. Igitur ad id natus est homo, & ad hoc eũ natura finxit atq; formauit, ut & pedibus cum bestijs ambulet in terra, & solus ex omnibus animantibus erecto capite cum angelis in cœlo conuersetur. Manus aũt utrasq; inter pedes & caput locatas, tum ad uictũ necessariũ laborãdo figat in tellurẽ, tum ad uitã æternã contẽplando leuet in cœlũ, ad quarum tutelam oculorum orbes soli ex omnium sensuum instrumentis homini motabiles inditi sunt, ut in terram pro corporis, & in cœlũ pro animi conspiciant salute. Talis est aptitudo atq; uis hominis, hæc facultas, hæc potentia, quã non implantauerit utiq; siue Deus seu natura, nisi facultas in usum, & potẽtia quandoq; redigeretur in actum, præsertim in homine industrio & ad id se præparante. Si enim captus ille diuinitatis non esset homini possibilis, frustra desiderium eius natura ingenuisset, homo nanq; agilis & idoneus, haud unquam corporeorum sensu & rudi cœmentorũ tactu satiatur, quin & omni cogitatione ad separatorum puritatem & altissimarum rerum cognitionem proue hatur. Ea est plane cunctorũ studiosorum irrequietudo, quibus & uehemens animi applicatio per morales, naturales & mathematicas ueritates, ad supernaturalium dispositionem agnoscitur, & tãdem ad primam entitatem fidelis ascensus indulgetur. Verbi causa. Luculẽtissimum procul ignem exardescere uidetis, intẽditur forma eius per illustre mediũ, quod Græci adpellant diaphanon, usq; ad oculum corporeum. Expectat intra spiritualis uisio & obiectæ rei propriæ formam suam esse percipit, quare ipsam ceu affinem ac propinquam libenter hospitio suscipit, & per medium apparentiæ, quæ à uobis dicitur Græce phantasia, spiritualiter iudicio sensitiuo, ac brutali offert, quam quidem effigiem rursus ad iudi-

tium humanū ſuperne producit, & paulò ſuperius totum illud ad ipſam rationē promouet, tum ea tandem poſt agilem diſcurſum, ita ſublimatā & cribratam corporalis ignis abſtractionē trāsfert ad intellectum. In iſto igitur aſcenſu tres inueniuntur regiones, & in ſingulis unus abſtractionis ſtatus. In prima regione obiectū, diaphanon, ſenſus exterior, & ibi ſtatur. In ſecunda interior ſenſus, phantaſia, iudicium brutum, & ſecūdo ſtatur. In tertia, iudicium humanum, ratio, intellectus, & tertio ſtatur. Horum omnium domina mens, recepto lumine ſuperiori, hominis intellectū illuſtrat & perficit. Ecquid aliud opinabimur Cabaliſtas, de Sechel, Sandalphon, & Mettattron docuiſſe? Status autem quilibet duplicem habet differentiam. In primo enim ceſſat corpus, & incipit anima, unde nominatur animal. In ſecundo ceſſat anima, & incipit ratio, unde nominatur homo. In tertio, ceſſat intellectiua potentia. & incipit mens, quæ ſola ſine cōtrouerſia deforis aduenit, unde nominatur Deus, iuxta oraculum, Ego dixi, dij eſtis. Statuum itaq; nomina ſunt ſenſus, iudicium & intellectus. Interuallorum autem media, ipſas ſpecies deferētia ſunt diaphanon, phantaſia & ratio, cui rei haud abſimile proferunt in Mercaua Cabaliſtæ tres patres, qui ſunt Abrahā ſuperior, Ishac inferior, Iacob medius. Cum igitur trium regionum duo interualla ſenſus & iudicium duplicantur ſecūdum inferius & ſuperius, & utraq; ad binos reducuntur terminos, reſtant decem ſcalæ gradus, per quos ad cognitionem omnium quæ ſunt uerè aut ſenſu, aut ſcientia, aut fide ab imo ad ſummum aſcendere poſſumus. De quo Abraham Cabaliſta in libro mirabili Ietzira ſic ait, עשר ספירות בלימוחי ולא טי ולא יא חבן בחכמה וחכם בבינה בחן בהם וחקוק מהם וה והעמר דבר על בוריו וחשב יוצר מכונו Id eſt, decem numerationes præter quid, decem & non nouem, decem & non undecim. Intellige in ſapientia & ſape in intellectu, inueſtiga in eis, & proba ex eis, & ſtatue rem ſuper puritates ſuas, & repone creatorem in thronum ſuum, hactenus ita. Intellectus em̄ humanus quę ſupra ſunt intilligit in ſapientia, & quæ infra ſunt ſapit in intelligentia. Et ſenſus exterior ſtatuit rem ab obiecto per ſpecies oblatā, & ſenſus interior ſtatuit rem ſuper puritates, id eſt, abſtractiones ſpecierum, quæ ante fuerant diaphano ac demum phantaſiæ ſunt peculiares. Deinde iudicium inter phantaſiam & rationem, inueſtiget ex eiſdē apparētijs, & ratio diſcurſu uario concluſioneq; probat in eis. Tūc credo ad initium & dico quod intellectus creatorem ut cauſam omnium cauſarum primam reponit in thronum ſuum quæ eſt ipſa mens, שכל רוממעל Habetis itaq; uiri ſolertiſsimi decē numerationes, quib. homini cōtingit rerū apprehēſio, quæ ſunt obiectū, diaphanon, ſenſus exterior, ſenſus interior, phantaſia, iudiciū inferius, iudiciū ſuperius, ratio & intellectus. & hæc omnia non tam ſunt quid, quam quo. Suprema uero mens in homine aliud quid eſt. Quapropter ſicut Deus in mundo, ita mens in homine

mine inter decem Sephiroth regni gerit diadema, & recte cognominatur כתר id eſt, corona, quæ ut Ariſtoteles aſſerit in ſecundo de generatione animalium libro, ſola diuina eſt & ſola extrinſecus homini accedit, à cuius lumine recepto uirtutes inferiores diriguntur & gubernantur עד השכל והמשכיל והמושכל אחד id eſt, quouſq; intellectus intelligens & intellectum ſint unum & idem, ut ſcribit Commentator arboris decem Sephiroth quod magiſtri ſuper uerbis Prophetæ, In lumine tuo uidebimus lumen, ita dijudicarũt, כי בשפע השכל אשר שפע ממד נשכיל ונתישר Hoc eſt, quod in influẽtia mentis quæ influit ex te intelligimus & rectificamur. Puto iam eſſe patefactum omnibus qui naturæ humanæ conditionem diligenter ſcrutati ſunt, primo quod deſiderio naturali ducimur, uel ſi rectius libet dicere trahimur ad apprehendendum res ſummas & diuinas. Secundo, quod eas quantum ad noſtram beatitudinem ſatis eſt, data opera pro modo & captu noſtro apprehendere poſſumus, ad alterum nos inclinat natura, ad alterum diuinitas, utrunq; per ignis figuram ſurſum tendentis, & omnia quodammodo comprehendentis & lambentis artificioſe à Cabaliſtis demonſtratum. De quo Rabi Ioſeph Caſtilieñ. in horto nucis lib. ſecundo inter cætera his uerbis ait. תדע לך כי נפש השכלית הנאצלת באדם ומציירת בו צורת עליו נה היא הנקראת אש Id eſt, Scias, quia anima intellectiua infuſa in hominem, & repræſentãs in eo formam ſupremam, ipſa uocatur ignis. Cui applicãt Salomonis illud: Lucerna dei ſpiritus hominis. Vt plane tamen fatear id quod uerũ eſſe tum ratio probat, tum exercitationis confirmat experimentũ, non paucis oportet artibus, non ualde minutis humanorum ſtudiorum ſcientijs, non leui doctrina eum prius inſtructũ eſſe, cuius induſtria, prõptitudo & ingenium ad formarũ ſeparatarum ac ſimplicium mundi ſuperioris & intelligibilis ſubſtantiarum contemplationem ita manſueſcat, ut in ipſa ferme Dei penetralia irrepat. Ante omnia nanq; prudentium uirorum ethicis & bonis moribus eruditos eſſe nos conuenit, ut turpia uitemus ſequamur honeſta. Quod Eccleſiaſtes admonuit, Cuſtodi pedem tuum cum iueris ad domum Dei, quia Ethan Ezraita in eruditione ſic pſallit: Iuſticia & iudicium præparatio ſedis eius. Quo carmine non tantum opera hominum, quæ ipſa debent iuſticia perfici, uerumetiam & cogitatiões cordis & oris uerba cõplectitur, quæ recto iudicio conſtare oportet. Quare una uoce ac conſimili ſenſu tradunt Cabaliſtæ כי בהמשך אחר התאוה לבד במו הסכלים יבטלו התשוקות העיוניות Id eſt, Quod indulgendo cõcupiſcentiæ atq; libidini tantũ ut faciunt ſtulti corrũpuntur deſideria ſpeculationũ. Poſt mores itaq; cõpoſitos & animũ purgatũ, taceo quidẽ nunc pene infinitas ſiue rectè ſeu uerè aut bene loquendi regulas, quæ ſolum ueſtibula & fores ſcientiarum ſunt, non autem ſcientiæ, tum opus erit mathematicis & phyſicis quæ innumerabilia cõplectuntur, Arabum & Græcorum & Latinorũ ubiq; uo

lumibus

luminibus cõprehensa, uel de uniuerso numero pondere & mensura, uel de omni motu & quiete rebus essentialiter inhærẽte quã dicunt naturam. Est enim natura ut Rabi Iuda Ben Leui scribit in libro Alcozer התחלה והסבה אשר בהינוחוי נוע ודבר אשר הוא בו בעצם ולא במקרה Id est, Principiũ & causa, qua quiescit & mouetur res in qua est per se, & non per accidẽs. In hac terminatione uidetis quãtæ & quales, q̊t & quã interminatæ res cõgeruntur, ut ferè sint omnia nobis suscipienda naturã inuestigantibus, quæ à supremo cœlo ad infimũ terræ centrum, siue suo nitantur robore ac substent, seu quoquo modo se habentia innitantur & accidant, ut non tota ætate hominis uel ipsa nomina singularum inueniri, taceo proprietates, cõditiones, uires, mores & operationes, queant, propter eorum quæ scire cupimus propè infinitatem, & uirtutis nostræ rationalis capacitatem, & rerum inuestigandarũ difficultatẽ, & humanæ potentiæ fragilitatem, & desiderij nostri multiplicem distractionem. Quid enim? nõne Abrahæ dictum fuit: Suspice cœlũ & numera stellas si potes, nec potuit ipse, quanquã suo tẽpore secundum Rambam insignis astrologus erat. Vnde tradũt Cabalistæ, quod כל מה שבשמים לא ידע האדם דבר ממנו אלא בזה השעור הלמודי המעט, id est, Omne id quod in cœlis est non scit homo aliquid ex eo, nisi ad ipsum modum Matheseon, seu disciplinarum usq; adeò modicum. Quorum hoc dicto admoneor, multa errasse ueteres in Mathematicis, etiam in quibus illi totam pene uitam, ut mos est studiosorum, contriuere. Quod in suis recordatur scriptis Abubacher posteris nobis attestatus antiquus eo seculo etiam usq; Aristotelis post tempora non plene Mathematica sciuisse. Ait enim sic כי הל מודים לא נשלמו בזמנו, id est, quod Mathematicæ scientiæ non erant tempore Aristotelis perfectæ, cũ igitur, ut Salomon inquit, cunctę res sint difficiles, & in ipsis naturalibus, quorum saltem principia nobis nota sunt, aut esse possunt, החומר הצורה ההעדר Materia, forma, priuatio, tanta in hominibus sedeat apprehensionis tarditas, quid futurum de nobis cogitabimus supremas illas spiritualium causarum species intueri, quærentibus? Ad quod omnium inferiorum abstractionibus, discursu, ratione, ac logicis speculationibus opus erit, quæ facile possent totã hoĩs uitã occupare, ut est non nullius põderis discere המאמרות quæ appellamus prędicamenta, & ut ad illorum consuetudinẽ loquar genera generalissima, uidelicet quæ sunt עצם כמה איכות הצטרפות מתי אנה מצב לו יפעל יתפעל id est, Substantia, quantitas, qualitas, relatio, quando, ubi, situs, habitus, agens, patiens, istis enim & constare putant & intelligi, quæcunq; in hoc cõditoris orbiculari globo continentur. Inueniri autem nihilominus & quæ de his ipsis, ac eorũ cõprehensis diuulgẽtur atque dicantur, ob idq; prædicabilia nominari סוג מין הבדל סגולה מקרה, id est, Genus, sipeciẽ, differentiam, propriũ, accidens. Horũ omniũ dies atq; noctes aucupia, plagas

& indagines

& indagines inſtituũt per ſingulas cuiuslibet rei cauſas, quæ ſunt, החומר
חצורה הפרעל והתכלית Id eſt, Materia, forma efficiens & finis. Ex quibus
ut nobis ipſi molliter blãdimur, omnis negotij ueritatẽ uenari queamus,
quadã euidenti, ut aiunt, demõſtratione, quam מופת appellant, ſcilicet de
altero ad extremũ alterum, tanquã è carceribus ad metam diſcurrentes in
modum cuiuſdã artificij, cui nomen חסש indiderunt. At uero qua ſoler-
tia, & qbus ambagibus illorũ hominũ, qui hęc plus oſtẽtare ſoleant quã
præſtare, ſophiſmata præſtruantur, noſtri ſic docuere, יתחבר כל חסש ו
ומופת משתי הסרמות חגרולח והקטנח בשלשח חלקים והם הנקראים גב
גרולים אחר מהם נרשם והוא הנקרא חקצח הקטן והשני החלק ת
חמשחת והוא הנקרא גבול אמצעי והשלישי נשוא המכוסש והוא הנקרא
סצה הגרול ומאלו תולדת, Id eſt, Cõponitur omnis ſyllogiſmus & de-
monſtratio ex duabus propoſitionibus ſiue prę miſsis maiore & minore,
ſecundum tres particulas, qui uocãtur termini, una ex eis eſt ſubiectũ quę-
ſiti, & dicit extremitas minor. Et ſecunda pars eſt participans, uocaturq;
terminus medius. Et tertia eſt prædicatum quæſiti, quæ nominatur extre
mitas maior, & ex illis concluſio, Hoc eſt illud rete, hic ille hamus, uiſcum
& ilex, hoc uinculũ quo illorum opinione libera capitur ueritas, & quo
uel circa naturæ ſubiectas res ut ſunt phyſica, uel naturam commitantes
ut mathematica, uel naturam quodam modo exuentes ut μετὰ τὰ φυσικά,
indiſtinctè ac quandoq; fruſtra utuntur. Quæ autem à natura prorſus, &
ab omni materia & motu ſunt eſſentialiter abſoluta & ſeparata, dicimus
theologica, quippe iſtis linguacitatibus & ſyllogiſticis ſuſurris non ſub-
iecta, ut quorum tanquam immediatorum non ſit proprie loquendo ſci-
entia ſed firmior ac ualidior notitia. Quo abſolutius Ariſtoteles in libro
rum illuſtriũ, quos poſt naturalia ſcripſit uolumine primo nobis inſinua-
at, quod illius quidem notitiæ poſſeſsio eſt non humana, tum ut conſpi-
cimus quia raro & uix è millibus uni cõtingit, quaſi uideatur magis diui-
nitus illabi quã humanitus acquiri, tum quod in ſumma cõſtituitur diffi-
cultate propter tenuem, arbitror, & exilem intellectus noſtri ab initio in-
ſtinctum. Quod figura quadam innuit Zophar in libro Iob: Pullus ona-
gri homo naſcitur. Deinde ob naturalis aptitudinis cõmoda eruditione
adiutæ inopiam & defectũ. Eò quòd longo iam tẽpore à malis præcepto
ribus deluſi nondũ prudentes pueri tenera in ætate relictis optimarũ lite-
rarum ſtudijs, ad ſordida ſophiſmata compelluntur, illorũ ſuaſu, quorũ
aures præter utrum hoc & utrum illud cum ſuis propoſitionibus & cor-
rolarijs aliud nihil admittunt. Accedit in cauſa, celeris promotio diſcipu
lorum ad gradus ſuperiores, quibus nõdum credenda erant tam excelſa,
quando in literis humanioribus parum adhuc olei cõſumpſerunt, quare
in tot & tantis ſentibus & dumetis labore moleſto fruſtra defatigati, re-
ſiliunt, antequam ad uenerandæ ſenectutis annos peruenerint, nempe

adhuc

adhuc ætate uirili floreſcentes. Audite autem uos obſecro uerba Iob: In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. Ideò motus quondam Rab. Eleazar dicenti ſibi benigne magiſtro Iohanan: Veni docebo te opus de Mercaua, id eſt, de ſublimioribus contemplationibus. reſpondit לא פשאי, id eſt, non incanui, quaſi nondum conſenui. Nouerat enim diſcipulus ille ſagax, & præcocis aduleſcens ingenij, ad tam ſublimem & altam ſapientiam non eſſe aptos nec idoneos, niſi eos qui iam ſedatis & extinctis cupiditatum ardoribus, & calore iuuenili refrigerato, annis proiecti, cum quadam tamen naturali probitate ſeneſcunt. Nam quid huc afferret ſenium commodi? niſi probitatem & conſtantem uitæ integritatem adderet. Idcirco uelim credat omnium nemo, quod hi ſint uere Theologi quantumcunq; ſenes, quacunq; prediti contentioſa loquacitate, qui uitiorum quolibet genere fœdati, ſuperbia, hypocriſi, auaritia, odio, inuidia, & ſæpe tecta religione luxuria, neglecto mentis lumine affectiones ſequuntur animales. Aſsilit huic meæ opinioni Salomon, qui ait: Abominatio Dei eſt ipſe puerſus, hic eſt ille, qui ab altitudine auerſus uergit ad decliua, quantūuis eum natura erexerit in alta. Non ignorauit Algazel Marrane tuus, ille Mahumetiſta hos ſibi cōtrarios in anima motus ſurſum & deorſum homini docto quā infeliciſsimos fore, cum in libro de ſcientia diuina demōſtrat, quod ex contrarietate huiuſcemodi attrahentiū impreſſionum fit cruciatus in anima fortiſsimos & maxime formidoloſos. Sic pxæter uitia etiam peruertunt & auertunt ſecularia negotia, dum forte parentes, uxor, liberi, res familiaris, amici, inimici, caſus, euenta, & quælibet propinquorū neceſsitudines, haud ſinunt uires hominū ſummos intelligentiæ gradus aſcendere. Sed fac quiſquis ueſtrū erit, nihil in nobis ſitum eſſe quod impediat, finge captū ingenij noſtri felicē & fauſtū, nula ſit dementiæ aut deſipientię ne ſpecies quidē. Iam parata ſuccurrāt omnia, quę ad ſuſcipiendū res altiſsimas pertineant, ut de noſtra fragilitate recte queri nemo poſsit tamen à ſpeculando nónne plurimos deterrebit excelſior cœlo, profundior tartaro, diuinorū obſcuritas illa, nec ſenſu nec ratione peruestigabilis, quæ à ſtudijs noſtris nō ut cæteræ ſcientiæ, lucem recipit, ſed ſecū affert, & quaſi de ſuo ipſa promptuario in uiros non indignos radiat atq; lucet, quanquā nec ſua ſponte, ut uilem ſeſe paſsim proſtituit, nec non inuitata ſe offert, ſed à noſtra uolūtate humanis ante ſcientijs perquā ornate inſtituta non ualde repugnans attrahitur, quēadmodū ſi retuſum ferrum, ut ait Salomon, & non prius politū fuerit, exacuetur multo labore, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia. Etenim quæ à ſenſu prouehuntur ad intellectum, diligentia quadam ſtudiorum & artificiali ratione colliguntur, ultra uero quæ ab intellectu ad mentem & ad eius lumen pertingunt, quaſi diuinā induunt perſonā, & idolio carent humano, ut ijs queat nihil à nobis cogitari profundius. Super ea igitur re ingemuiſſe uiſus eſt

idem,

idem Salomon cum ait: Alta profunditas seu profunda, pfunda, ita enim Hebraicè legitur, quis inueniet eam? Non dixit, quis habebit eam, nõ nulli enim habuerunt. Sed quis inueniet, tanquam difficile, non autẽ quoquo modo impossibile, quia dominus dat sapientiam, & beati qui inueniunt eam, ut est in sacris oraculis. Paucorum est igitur inuenire illam, & eorum quidem beatorum, super quos non suis meritis, sed dono Dei coruscat tam uenerandi luminis splendor. Sane arbitror neminem fore qui nesciat nõ esse multitudinis audire Dei sermones, quapropter clamabãt ad Moysen: Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Deus. Te inquiunt, te audiemus, quod Onkelus interpretatur Nekabel. Quare in capitulis patrum ita legitur, Mose kibel, id est, Moses audiuit, & accepit legem de Sinai. Vnde Cabala dicitur ab auditu acceptio. Quod animaduertendum, & memori puto mente reponendum, ex tanta fuisse hominum multitudine tot etiam sanctorum, Moysen ipsum qui ad ueri & æqui agnitionem ab ore Dei recipiendã unus & præter eum nec alter aliquis esset destinatus. Sic enim Cabalista ille Azariel Bar Salomo Garonensis scribit, לא בל חגביאים חיו יכולים לשמוע הרבור השבינה כי אם משרת Id est, Non quidem prophetæ omnes fuerunt potentes audire sermonem ab ore Dei, nisi Moyses. Vos igitur optimi uiri, quorũ animos meo erga uos amori communia studia mirifice deuinciunt, ex his facile perspicitis, quæ mihi obiter exciderũt, rem ualde necessariam humano generi cœlitus indultam esse Cabalam, sine qua nemo tam raram, tam difficilem adipisci queat apprehensionem diuinorum, quæ certe non sunt mortalium rationum probationibus, non senticosis inanium uerborum contentionibus, non humanis syllogismis propter eorum diuinitatem subiecta, quin imò tam magna, tam grandia, tam infinita, ut una hominis ætate uel si libeat deniq; pluribus omni quantumcunq; indefesso labore superari non possint, etiamsi uitæ nostræ anni tendant in multa secula, nobis plane in hoc luto, in hac argilla & densi corporis cœmento spirantibus, & corporeo sensu cuncta præsumẽtibus. Aiunt enim sapientes Hebrçorum magistri, בי לחגיר בהמעשה בראשית לבשר ורם אי אימשר, id est, quod ad explicandum uirtutem operis de Bresith carni & sanguini, impossibile. Quanto magis de Mercaua. Quare faciamus oportet, ut singulares technographi & artifices docendo solent. Credamus unicuiq; in arte sua perito. Nã logicus de parte orationis à grammatico recepta credit, Rhetor à logico argumentationũ adsumit locos, Poëta & Orator à musico, Geometra proportiones ab arithmetico mutuatur, Astronomia numeris, figuris, ac dimensionibus mathematicis fidem habet. Transnaturalia utuntur coniectura naturalium. Et omnis scientia superior recte præsumit de statutis inferiorum, nihil eorum conata probare, quæ ab arte ulla priora audiuerit esse firmata, sed liberaliter dictis credit, ne ante tota homines uita defi-

ciat, quam unius possit disciplinæ uel minima ratio perfecte inuestigari. Quod si hoc in humanis fit, & quasi uilioribus ac sellularijs opificijs, ut ab auditu recipiant, atq; credant eis uiris, quos præ alijs doctrina singulari esse præditos arbitrantur, an in summarum & diuinarum rerum scientia quam nostris uiribus ne unus item & alter attingere uix possumus, traditionem sanctorum hominum & receptionem fore contemnendam putabimus? quæ Cabala Hebraicè dicitur. Est enim Cabala diuinæ reuelationis, ad salutiferam Dei & formarum separatarum contemplationem traditq; symbolica receptio, quam qui cœlesti sortiũtur adflatu, recto nomine Cabalici dicuntur, eorum uero discipulos cognomento Cabalæos appellabimus, & qui alioquin eos imitari conantur Cabalistæ nominandi sunt. Perinde atq; circa æditos illorum sermones quotidiano labore desudantes. Equidem Philolae, Marranus inquit, si per te licet opinor hunc Iudæum uno fasce quicquid de Cabala dici potuit Nestorea eloquentia cõplexum esse, ut pernoscamus quid nomẽ ipsum designet, ac unde oriatur, sit ne in natura uel in hominum usu aliquid eiuscemodi quod Cabalã uocant, deniq; cuius causa uel propter quid ita sit, quatenus & ad quid utilis, & diuini contẽplationi quã uideat esse necessaria, quantũq; homini possibilis idoneo, & ad eam se præparãti. Quis dici Cabalicus, q̃s Cabalæus debeat, & quis Cabalista, quid opus est uerbis? totũ à capite ad calcem in hoc laudãdus, quod nullas oculis tenebras offundit. Tum Philolaus, Solui isti funem Marrane, ingressus mare magnum, & uix sulcabile, nondum in portu nauigas, & quæ Simon iste tanquã in breuem tabellã depinxit, uideris per caliginẽ uidere, ac per mediam nebulã intueri, adhuc enim ne ad fores quidẽ eius artis adducti sumus, quare mi Simon Hebræorũ contemplatissime, amabimus te, pergas ultra, nobis enim hactenus plus non profueris, quàm ut ansam præberes de arte Cabalistica latius cogitandi, quid illud sit quod reuelatũ est, quis reuelauerit, quis receperit, quid cõmodi afferat ea receptio, quis modus artis huius, per quam, ut rumor est, miracula fiant, nam id ultimũ de longinquo me huc appulit. Expostulabo, inquit Simon, illud omniũ primũ de Nestorea eloquentia, cuius à Marrano insimulor. Ea enim & philosopho mihi & Iudæo esset me iudice opprobrio futura, tanquam adulationes amanti, cum nequeat tãta breuitate sermonis cotineri eloquentia, quę & uerborũ & rerum copiã desiderat, & Iudæis nobis in more non sit, ut fucos dicendi sequamur. Nam loqui proprie, non eloqui sub ferula didicimus, & causæ ueritatem magis quàm locutionis ornatũ quærimus. Sed absoluam paucis, quod uehementer optatis, ne tot & tam discriminosis itineribus defatigatos, uel neniarũ ambagibus quasi oscitantes uiros animo pẽdere sinam, post enim quã sine ullo ut apparet tędio audiuistis, ego q̃bus uestigijs & indicijs quot & q̃bus uelu-

ti canib. diffinitionẽ Cabalæ uenatus deprehẽderim, ne uos in ipso nomi-

ne cona

ne cõtingat errare, sicut sophistarũ quidã irrisione digni propria temeritate, uel si malueritis negligẽtia discendi falso asseruerũt, Cabalã fuisse hominẽ diabolicũ & hæreticũ, unde Cabalistas hæreticos esse omneis, absti nete obsecro si potestis à risu, quanꝯ est ridiculũ ingens, at definite uelim hæc hominũ monstra & portenta ridere, cõmodum ea proferã de quorũ certitudine dubitantes me rogastis, si prius cõmonuero Cabalã nec sensu um rudi tactu, nec imperiosis logici artificij argumẽtis esse quærendam, cuius fundamentum in tertia cognitionum regione constituitur, ubi non iudicium urgens, non probatio euidens, non syllogismus demonstrans, quin imò ubi nec ipsa hominis ratio dominatur. Sed nobilior quædam notitia ubi lumen mentis cadens super intellectum, mouet liberam credendi uoluntatem. Quæ enim sensu percipiuntur, infra scientiam sunt & ratione certiora, quæ autem mens influit, supra scientiam ponimus, perinde atq; rationali discursu solidiora. Constiti paulisper, & commoratus sum, ne res tam diuinas, fragilitatis humanę inuentionibus & regulis, ut aiunt, logicalibus subiectas putetis, ignoscite amici, nõ affero meditata, sed utut causæ intercidunt, alia ex alijs traho. Iam enim ad id quod uultis propero, quid illud sit, quod reuelatũ est, nemo à me impetrabit ut existimare queam de omni uos id reuelatione proposuisse cunctorum creditorum, quæ prope uidentur esse infinita, quin potius quid illud sit primarium uniuersale atq; præcipuum diuinitatis reuelatum, in quod singulæ reuelationes diuinorũ ferũtur & reducũtur. Certe id quidẽ ipsum, Philolaus inquit. Tum Simon, Recte uero, & est profecto aliud nihil, quã post ruinam primordialem generis humani uniuersalis restauratio, quæ à nobis ישועה & à Latinis salus nominatur. Eius ipsius extat omnium prima nostrę spe ciei facta reuelatio, si examussim uniuersa mundani exordij pondero, qua nulla fuit prior, non enim insomnio correptus quasi diuinaret Adam per afflatum propheticum de uxore post soporem locutus est, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, sed minus se costarum alterius lateris experrectus habere sentiens, postquam ad cuncta singulatim animantia terrę, maris ac aëris facto circuitu peruenisset, desubito intuitus Heuã, uir robustus & iuuenis adulescentulam succi plenam, facie uenusta, uultu blando, & humana energia præditam, mutua prurigine cœpit exardescere, ac geniali cupidine oppleri, quæ tum se non erga ullum animal aliud tetigisset. Sic enim Eliazar ait ille Magister noster, & Salomon commẽtator, sacrarum scripturarũ ordinarius. שכא ארם על בל בהמה ויחכ ולא נהסרח דעתו בהם עד שבא על האשה Id est, Quod uenit Adam ad omne iumentum & animal, & non commouebatur sensus eius in illis, usq; dum ueniisset ad uxorem. Quibus è uerbis proh hominum fidem obtortum scelus malignitate peruersorum hominum contigit, si modo sint homines, ac non magis diaboli incarnati & laruæ furiales existimãdi, qui se-

ditionem Christianitatis aduersum nos, quamuis secundum leges Imperatorum innocenter & pacifice uiuentes, tamen quolibet genere iniuriarum excitare parati, cum sæpe aliâs tum nuper in ista urbe dicta Magistrorum nostrorum falso interpretati, sic exposuerunt: Quod Adam tũc cum omnibus bestijs & animalibus fœde coiuerit, Deus bone, quãta turpissimorum nebulonum audacia, infantium sophistarũ assensu & fauore adiuta. Nunquam enim, בוא iuxta linguæ Hebraicę proprietatẽ luxuriæ coitum significat, tametsi quandoq; pro necessario materiæ subiectæ complexu per quandã illud metaphoram de coitu seminali exuerecundiæ modestia intelligatur, ut Genesis sextodecimo capite: Ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios, quo in loco, בא Id est, Ingredere ad ancillam, non autem dixit, coeas cum ancilla. Quod etiam hic par non est, usq; adeò, ut ab hominibus quantumcunq; nequam nequeat accipi consimiliter, propter negocij eius de quo sermo fit impossibilitatem. Nam certe qui fieri posset ut tantus uir & tam magnus Adam cum cimice, pulice, musca, & cicada seminaliter coiuisse intelligatur. Hæc eam ob causam recensui, ut his & huiuscemodi falsarijs, maledicis & maledictis ac leuissimis transfugis, neque in hac neq; alia ulla in parte fidem habentibus, nihil contra nos de sacra quam non nouerunt scriptura credatur. Redeo ad id unde digressus sum, Naturę itaq; instigatione soli cum uterq; in mundo essent, uir sentiebat uxorem ad se pertinere, nondum igitur Cabala hæc fuit. Cæterum & hoc ingenij erat uidelicet singularis & acerrimi, ut cuiq; rei protoplastus ipse iam orbis dominus spontaneo positu nomen adderet, quo cognoscamus uolũtatis id fuisse, non naturæ. Nec illud non rationis extiterit, post legis transgressionem, quod pœnam mortis in monitorio comminatam formidauerit, quam ductu rationis iudicabat fore nõ corporalẽ, eò quòd se mox atq; de ligno comederat, mori nõ sensit. Ergo iuxta Ramban, moriendũ in peccato intellexit, sicut & nos Cabalistæ intelligimus. Iam quid in omnibus his oro diuinæ reuelationis fuisse putandum est? certe nihil hucusq; comperimus, quod non totum aut cõsilio rationis, aut motui sensus paruisse dubitauerit omnium prorsus nemo, at illa tam pernicioſa legis trãsgressio, tanta in Deum Optimũ Maximum contumelia, tam infesta temeritas, tam cõtagiosa libido, tam tetra, tam uenenosa pestis toxica & fœda lues, generis humani corruptrix, in uenarũ cuniculis insidens, & cum ipso profluuio seminis in posteritatẽ continuo meatu serpens, an qua possit uia quo ue modo expiari & auerti, nulla ualuit humanæ fragilitatis cogitatio præsumpta cõcipere. Hic inquam, hic ad imminentis desperationis, quo morbo nihil perniciosius, efficax subsidium diuina reuelatione opus erat, ac ne tũc figmentum suum fictor Deus omnino deseruerat, sed spem quandã iniecit, fore non impossibile hoc ipsum quamuis immane crimẽ, & contra infinitã maiestatem admissum,

tamen

tamen tractu temporis finito, aboleri tolli & extingui. Dixit igitur ad angelos audiente Adam, Et nunc ne mittat manum suam, & sumat de ligno uitæ, & comedat, & uiuat in æternum, & emisit eum Dominus Deus de paradiso uoluptatis. Vox ultima hæc erat, quam ab ore Dei miser audiebat, cum iam ex horto pelleretur, qua tamen inter tot mœrores atq; luctus firmam erga creatorem suum recepit spem illam quod tam horribilis sententia successu temporũ fieret ex Dei misericordia reuocabilis, istudq; sibi uerba indicabant oraculi, ait enim, Nunc siue iam ne mittat manũ suam, & sumat de ligno uitæ. Nempe haud frustra dictionem nunc uel iam addidit Deus, quo præsens tempus designatur, insinuando sententiam non fore perpetuam, sed posse cõtra eam futuro post tempore abolitionẽ impetrari, si quando ueniret homo ad uescendum de ligno uitæ destinatus, quamuis tum semetipsum suspicaretur, dum spiritus suos regeret artus irreuocabiliter pendere pœnas, quia non fuisset secum perendie Deus, ut solebat facie ad faciẽ locutus, quod palam indignationis erat signũ, & alienati ab Adam animi, ut qui ante cum singulis quibusq; animantibus atq; bestijs loquebat omniũ creator Deus, iam cum homine peccatore loqui ore ad os dedignaret. Ne tamen illũ prorsus omni cõsolatione destitueret clementissimus pater, cõtinuo misit angelũ, quo plenius tantæ ruinæ futurã disceret reparationẽ. Sic em̃ Cabalistæ in cõmentarijs circa librũ Ietzira scribũt שהאבות רבותיהם חיו מלאכים ירועים רבי של ארם רזיאל id est, Quod patrũ præceptores fuerunt angeli noti, uidelicet præceptor ipsius Adã Raziel. Hic autẽ summi Dei nutu expiationis ei uiam ostendit, & diuinum sermonẽ per allegoriam recipiendũ, more Cabalistico exposuit, cuius non modo uerbũ ullum, sed ne litera quantumcunq; minuta & exilis, ac ne apex quidẽ frustra ponitur. Te autẽ appello Philolae, & te Marrane omniũ ex doctis doctissimi uiri accõmodate hanc ueniam, quod forte religio me prohibitura fuerit alienis à secta nostra & ritu Iudaico non initiatis tam recondita, & tam arcana prodere, quorũ cognitio, ita me Deus amet, discipulis etiam proprijs sæpe multumq; denegatur, ut uix raris in libris eadem liceat saltẽ tegumentis ac ænigmatis obuoluta inueniri. Sic enim in Thalmud legitur, אין מוסרים סתרי תורה אלא ליועץ וחכם חרשים ונבון לחש id est, Non traduntur abscondita legis, nisi consiliario & sapienti Magistro iuuenum, & intelligenti mago. Quare dicam ne amplius an taceam? non parum dubitare me faciunt, tum magistrorum interdicta, tum ad scrutandas res altissimas ardor ingens utriusq; uestrum, ut arbitror, diuino igne inflammatorum. At audacter tamen indulgentior mihi ipsi, temperabo asperitate præceptorum, qui uideo solis lumen absq; discrimine super omnes dispergi quotquot obicẽ remouerit, dicamq;, tametsi pro more gentis nostræ perquam ineleganter, tamen utut potero, quę homines doctissimos sapientissimosq; dixisse, & scripta diuinitus reli-

quisse acceperim. Et explicabo nihilominus orationē sane occultissimā à creatore mundi cū beatis angelis in suæ diuinitatis penetralibus habitā. Dixit nanq; Deus: Ecce Adam sicut unus ex nobis, non ex uobis inquit, sed unus ex nobis. Nam in uobis angelis, numerus est & alteritas. In nobis, id est Deo, unitas infinita, ęterna, simplicissima et absolutissima. Nec ipsum unum in angelis si quid sit, esse potest sicut in Deo. Non igitur connumerauit sibi angelos Deus, cum de unitate loqueretur, quoniam repugnat idem aliquid esse unum in natura cum Deo & angelis, tanta est creatoris & creaturæ distantia. Quid igitur est quod ait: Ecce Adam sicut unus ex nobis? Hinc sane conijcimus alterum quendam esse Adam cœlestem, angelis in cœlo demonstratum, unum ex Deo, quem uerbo fecerat, & alterum esse Adam terrenum, repulsum à Deo quem ex luto manibus suis finxerat & horto exegerat. Iste, unus est cum Deo, hic nō modo alter est, uerumetiam alius & aliud à Deo. Post miserabilem itaq; generis humani casum docuit angelos suos Deus de restitutione aliquando futura salutis, per quem nam uentura esset, & quidem docuit non quantum ipse docere, sed quantum capere angelica conditio poterat, in præsentia demonstrans, quis esset humanum genus redempturus, tunc enim prædestinata plane fuerat salus hominum, quapropter Ecce, inquit, hic est ille Adam, qui non tantum post orbis & uestri ortum essentialiter est, sed etiam ante omnem creationem in æternitate fuit unus ex nobis antequam tempus fieret. Quod Onkelus Chaldaicè sic interpreta. הא אדם חיהידי בעלמא מנירי Id est, Ecce Adā fuit unigenitus meus, siue unicus meus in æternitate ex me ipso, quo uocabulo utitur deus ad Abraham dicens: Tolle filium tuum unigenitum. Cunq; futuri personam redemptoris iam angelis indicasset, ne forte putarent eundem ipsum mox perfunctorie subita quadam interceßione hoc odium tam sceleroßi criminis auersurum, remouit illico dubitationem, & negocium in tempus distulit, subiungens, Et nūc præsenti hoc tempore ne iste meus in æternitate unicus, qui subßistit ex me ipso, manum suam mittat, & sumat etiam de ligno uitæ, innuendo, scilicet, ut quod solū nunc fieri prohiberet, id olim cōcessurus sit. Quo prudenter intellexerant, quod tametsi non nunc, attamen post, temporis successu per istum Adam cœlestē Deo coæternum ruina hæc ueniret de fructu ligni reparanda. Domino itaq; uniuersorum sedenti super thronum suum, omnes cœli exercitus assistētes ei, ut inquit Micha, à dextris & à sinistris, pro tanta erga mortalium imbecillitatem clementia gratias egerunt. Missus est igitur angelus Raziel ad Adam collapsum & mœrore plenum, ut consolaretur eum, cui sic dixit: Ne super modum conficiaris gemitu & molestia, quod te duce genus humanum in summam corruit perditionem. Quoniam originale peccatum hoc expiabitur: Nam ex tua propagatione nascetur homo iustus & pacificus, uir heros, cui nomen

continebit

continebit in miserationibus, etiam has quatuor literas i.h.u.h. & ille per rectam fidem & placidam oblationem mittet manum suam, & sumet de ligno uitæ, & eius ligni fructus erit omnium sperantium salus. Quo sermone finito, ille damnatus & ærumnosus Adam inter miserias omnes quas incidit, inter dolorem, inter luctum in quo tanta calamitate fuerat affectus, confidens in Deum mutandi delicti spem concepit, & iccirco incredibili erga factorem suum amore tactus, diuinę clementiæ gratiam habuit. Hęc fuit omnium prima Cabala, primordialis salutis nuncia. O rem gratam, ô causam desiderabilem. Quid commodius? quid acceptius? quid potuit magis opportunum perditæ conditioni mortalium à superis afferri? quid opis præstari conuenientius quàm ut salutem publicam captiuis nunciarent. Hæc est illa reuelatio sanctissima & summa, in quam omnes diuinæ reuelationes reducuntur, hæc optatissima traditio, hæc saluberrima receptio, in qua omnes Cabalisticæ receptiones recapitulantur, omnes diuinorum traditiones, omnes cœlestium eruditiones, & uatum uisiones & beatorum meditationes uniuntur & communicantur. Quam ob rem cum singula hæc Adam uxori suæ palam renunciasset, cœpit ea præsente ad posteritatis commemorationem & gratiarum actionem erecto altari Deo sacrificare. Ita enim Magistri nostri tradiderunt שגמם אדם הראשון הקריב שור פר Id est, quod tum Adam primus obtulit iuuencũ. At Heua iam futura uiuentium mater summota desperatione, tãdem à uiro suo cognita concepit, & peperit primogenitum. Vnde ingenti & incredibili gaudio perfusa, quod putaret ei mox saluatorem esse natum sic exclamauit קניתי את איש יהוה Id est, Acquisiui uirum illũ quatuor literarũ, quas literas ab angelo iam pridem receperant, & acquisitum nominauit Cain. Quem ubi parentes agnoscerent prȩter spem prauis moribus peruersum, alteram inchoarunt natiuitatem, & genuerunt Abel. Adulescentibusque tunc utrisque filijs, tradiderunt hanc Cabalam, id est, ab auditu de salute restituenda receptionem, tum ab Abel ardenter amatam, tum à Cain uiliter despectam. Opinione uero ductus Abel, quod ipse foret idem ille, de quo reuelatam expectarent restaurationem, cum se Deo gratum, fide recta & oblatione accepta sentiret, eò quòd ad ipsum respexerat dominus & ad munera, eius, ad Cain autem & ad munera illius non respexit, toto cœpit pectore mentisq; affectu ligni fructum desiderare, quem in oblatione uitæ constitutum esse iudicabat, eaq; ratione lignum uitæ dictum, & ita cognominatum, quod esset per lignum uita creatori offerenda, qui dedit illam, quare manum suam eo conatus est mittere, quod de ligno acciperet, absumeret ac aboleret, hoc enim הבל designat. Vnde fratris contra se odium patienter tulit, & quærenti occasionem rixæ, uehemẽter etiam irato, non se blandis uerbis expostulauit, ut mitigaret illum, sed prorsus tacuit. Cunq; uideret sibi mortẽ rapto de arbore ramo uel lignea claua Cain

minantem, quam maxime lætatus est, sperans ligno interfici, non enim tum erat ferri usus ante ortum Thubalcain, qui primus fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Claua itaq; lignea & prægrandi munitus, dixit Cain ad Abel fratrẽ suum. Et fuit cum essent in campo & insurgebat Cain in Abel fratrem suum, & occidit eum. Romani addunt legẽdo, dixit Cain: Egrediamur foras, quod non est in sacræ scripturæ contextu. Abel autem inermis armato non restitit, sed uolens & libens se morti obtulit. Cum non tantum satisdare pro nobis creditori Deo, uerum etiam & originale debitum omnino soluere si fieri posset, & acceptabilis deuota constituta q; hostia in solutum præstari paratus esset. Post uero quam iste decesserat sine liberis, sustinuit Adam multo tempore, si forte quod in filijs non inuenisset, id cõtingeret in nepotibus. Sed quid iam speraret in reproba Cain generatione, de qua pridẽ omnis fiducia euanuit, uidebat eam omnem sellularijs artibus & opificijs imcumbere, studio seruili nauare operam, tenuiora cõmoda & officia corpori necessaria sequi, nihil diuinum cogitare, nihil liberale, nihil heroico uiro dignũ, quare aliam prolem, & aliud semen à Deo petijt & impetrauit, quo plane supra quã dici queat exhilaratus est pientissimus pater sic dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Ideoq; uocauit nomen eius Seth, quem genuit ad imaginem & similitudinem suam, non quod cæteri eius liberi non habuissent formam & imaginem humanam, qui & homines quoq; erãt. Sed quia reliquorum hactenus præter Abel, potius dæmoniorũ generatio quam hominum dicenda fuerat, propter illorũ execrabilẽ malitiam & uitia detestanda. Non igitur quod dæmones & diabolos substantiuos genuisset, id ita nunc additur, quod impij & prophani quidã mentiunt, sed quod uoluntate malos. Nihil autẽ est malum nisi uitium & dæmonium. Pergam itaq; si uultis, ut qua ianua sim ingressus, ultra proficiscar. Et illi pergediligenter obsecramus inquiunt. Denuo Simon ait, pater noster Adam, rursus ex Seth nepotem suscepit, memor eius Cabalæ, quam sibi Raziel tradiderat quod ex sua propagatione nasceretur homo futurus saluator. Quare uocatus est Enos, id est, homo, tunc putabatur & quidẽ ualde speratum fuit eum appellandum fore iuxta Cabalam angelicã per nomen quatuor literarum i. h. u. h uel saltem magis Cabalistice in miserationibus per Sin literam de medio quatuor literarum i. h. u. h. Sic enim in sacra historia scribitur, או חרחל לקרא בשם יהוה quod Latini non admodum docte legunt. Iste cœpit inuocare nomen Domini, sed rari quidam & contemplantissimi Cabalistarum, rectius quo ad linguæ proprietatem interpretantur ita de גימטריא tunc expectatus est uocari per Sin literam, quæ in arte Cabalistica idem quod בחמורים id est, in miserationibus, & Mem litera per Notariacõ designat מיתור id est, de medio scilicet quatuor istarum literarũ i. h. u. h. Perinde atq; hoc modo intelligi de-

beret

beret אז חוחל לקרא בשין מהוד יהוה Id est, tunc expectatus est uocari per Sin de medio i.h v.h. quasi ꝑ angeli enunciato Enos sumeret de ligno uitæ, mundumq; redimeret, heros ipse nominatus i.h. in miserationibus v.h. notate arcanum & animaduertite mysterium. Cum uero iam nullius angeli destinatiõe hoc modo appellaretur, tum isto relicto in alium spem suam locarunt. Angelorum nanq;, id est, Dei nunciorum monitu nomina patribus indita sunt pro quibuslibet euẽtis, siue præteritis, ut quia possedi uocatus est Cain Seu præsentibus, ut quia uir, uocatus est Enos, aut futuris, ut quia parentibus luctum præbiturus, uocabatur Abel. Expectatio hæc in quartam trahitur Enos progeniem, & de Iared natus est Henoch, qui ambulauit cum Deo, sed disparuit, quoniam abstulit eum Deus. Tertio abhinc tractu uenit Noë in consolationem omnium publicã illam auditu receptam salutem recta fide sperantium, quorum ex uniuersa plebe tantũ octo inuẽti sunt q placerẽt Deo. Fuit etẽm Noë uir iustus & perfect9 in generatiõibus suis, & ambulauit cũ Deo, q recepit in mãdatis, ut faceret arcam de lignis, in qua saluaret mundum. Cabalice igitur sperauit in lignum, sic enim Iob ait בי יש לעץ תקוה id est, quia est ad lignum spes, de hoc fato certior factus, quod in ligno uita homini fuisset ꝑmissa, sed post ebrietatem secuta est confusio. Vnde & Babel cognominatur, quæ nunc Babylon à Babel, id est, Chaldaicè confusio. Hæc sub familia & liberis Noë fuit orta. Erant autem filij eius Sem, Ham, & Iapheth. Futuro itaq; Dei seruo Sem, in quo salutem præ cæteris sperabat, ita benedixit ברוך יהוה אלהי שם quod Cabalistice traducitur, Benedictus quatuor literis Dei Sem, per hoc inquiunt Cabalistæ חודיע בי יהוה שם עובר האלהים id est, Notũ fecit quod futurus erat Sem seruus Dei, ut scribit Rabi Moyses Gerundensis. Quo intelligimus desideriũ pij patris fuisse, quod Sem benediceretur adpellatione quatuor literarũ i,h.u.h. ut fieret originalis peccati redemptor. At ne tunc quidem illud uenisse tempus à Deo statutum, quo tanti casus reparatio contingeret angelus Iophiel ipsi Sem adnunciauit. Ita enim scribunt Cabalistæ רבי של שם יופיאל id est, præceptor ipsius Sem fuit Iophiël. Suspendebant igitur ea secula super eiuscemodi recogitationes suas, usque in annos Abrahæ filij Tharbæ, qui primo nominatus fuit Abram. Ei uiro erat angelus quidam familiaris Zadkiel, sic enim scribunt Cabalistæ רבי של אברהם צדקיאל id est, Præceptor Abrahæ fuit Zadkiel, qui eandem ei Cabalam tradidit recipienti, quam Adæ protoplasmati Raziel. Denique, ut arbitror, reliqua sunt haud ignota, quod quanto ille tempore uocatus fuerat Abram, & uxor eius Sarai tam diu nunquam sibi hæredem genuerant. Post uero quam nomen uiri mutabatur Abraham, & uxoris nomẽ Sara, mox Ishac susceperunt filium, de quo cum ei iussisset Deus, ut unigenitum tolleret quem diligebat Ishac, & eum in excelso Moriæ quodã monte super ligno immolaret,

immolaret, incredibile uidetur, quo gaudio & quanta lętitia exultauerit, diuinæ promissionis memor, qua pollicebaꝫ ei Deus his uerbis: Statuam, inquit, pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus unus & seminis tui post te, atq; in te benedicentur uniuersæ cognationes terræ. Quapropter quam diximus humanæ uniuersitatis salutem in filio se confidebat allaturum, quem subito ad uocem Dei assumpsit, & oblationis omne lignum suis ipse manibus excidit. Nępe lapsum originalē p̄ lignū reparari posse, oraculum docuit. Vnde scriptura dicit, q̄d tulit Abrahā ligna oblationis, imposuitq; super Ishac filium suum, & posuit eum in altare superstruem lignorū, extenditq; manū & arripuit gladiū, ut immolaret filiū suum. Nisi enim recepisset Ishac à patre suo traditā humanæ salutis Cabalam per lignum uitæ atq; hominis cuiusdā iusti oblationem futuræ, ut est cunctis uiuentibus horribile mori, non utiq; fuisset tanta beneuolētia & tam alacri uultu, animiq; hilaritate uisam impendere præ oculis mortem sponte amplexus, sed uelut est mortalium conditio, aut strictum mucronem declinasset, aut uerbis saltem quibusdam lenioribus patris ſquitiam, uel mitigasset tamen, uel fugisset. Atqui suspicatus sese fore illum, quo futura esset primordialis ruinæ restauratio, nihil sibi ea immolatione duxit iucundius, nihil dulcius ea morte, cuius gratia totum opinione sua redimeretur genus humanum. Præbuit sane illi hanc ipsam spem eo firmiorē quod eundē locum Deus ab orbe condito sacrificijs destinauerat. Terra nanq; Moria est digito Dei Abrahæ demonstrata, in qua primus Adam struxit altare, obtulitq; Deo munera, ubi & Cain & Abel, ubi & Nohe, filijq; sui sacrificarunt. Sicut magistri nostri disputant in capitulis Rabi Eliæzer, astipulante Ramban & Rabi Ioseph filio Carnitolis in libro Portarum iusticiæ, & in loco eodem urbs sancta Hierusalē constructa est, Salomone Gallo teste. Re autem infecta, cum è Moria discederēt pater atq; filius, audita est uox Zadkielis ad Abraham prolata, Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Quo salus uniuersa in futurā generationē cognoscebatur esse protelata. Et uox ipsa Dei per angelū Raphaëlem super Ishac quoq; cœlitus delapsa, Benedicentur in semine tuo omnes gētes terræ, ne forte seipsum fore saluatorē illum crederet. Nam hoc quoq; Cabalistarum est, qui scribunt sic, רבי של יצחק רפאל id est, præceptor ipsius Ishac fuit Raphaël. Ei uiro de filiorum altera spes non erat, qui iam benedictionem paternā exercitatione uenandi amiserat, Esau nomen fuit, de altero magna sibi pollicitus pater prædixit his uerbis rei uenturæ uaticinium prætendentibus, Seruient tibi populi, & adorabunt te gentes. Non acciderat igitur sine causa de Iacob, sic enim adpellabatur iste filius, tam ingēs maioribus nostris uniuersæ salutis expectatio, sed quia omnium mortaliū primus ipse uidit portam cœli apertā, & scalam à terra in cœlum porrectam,

rectam, & in ea consistentes quatuor literas i. h. u. h. quas apprehendere gerebat in uotis. Consonātem quoq; Sin per Notariacon שמן Id est, unctionem designantem, operi adiecit, quo delibutum lapidem in templum quoddam nomine Bethel exædificauit. Augebat suspitionē, quod angelus Peliel Iacob erat familiaris, qui multa constanti & opinione & sermone præmonuit, tum quod Iacob elegit sibi Deus, tum quod beatus erit ille cui Deus Iacob in adiutorio eius. Scribunt autem Cabalistæ sic, רבו של יעקב פליאל id est, Præceptor Iacob fuit Peliel, Sed edoctus ab angelo suo Iacob, se non illum fore saluatorem, quem hactenus cœlestis Cabala prætulerit, negocium in aliud seculū diuina reuelatione reiecit, sic dicens: Congregamini & adnūciabo uobis, quod continget in postremo dierū: Non auferetur sceptrū de Iuda, & legislator de fœmore eius, donec ueniat Silo, & eidem congregatio gentium. Quo uaticinio innotuit aliquem quandoq; fore saluatorem humani generis, qui & ex Iuda, & in postremis dierum nasceretur, & esset Silo, & sceptrum regni gereret, & ad ipsum gentes confluerēt. Quare post hos patriarchas magnus ille Moyses non sua spōte morti se obtulit, sicut quondam Abel, sicut olim Ishac, sed renuit, & à cura populi subtrahere se uoluit, quanquam loquebatur cum Deo, ut amicus cum amico, facie ad faciem, & baculo utebatur pro sceptro, & tota Iudæorum gens ad se cōfluebat. Nouerat tamen se non de familia Iudę, sed de domo Leui ortum esse, nec natū in postremis dierum, nec esse Silo, q̄d secundum Syriacam translationem Onkeli Chaldæi significat unctum, quem nos adpellamus Messiha. De omni tamen ratione atq; modo restaurandi originalis casus satis superq; institutus fuit ab angelo suo Metatron. Ita enim Cabalistæ scribunt, רבו של משה מטטרון qui est nuncius Sadai. Hanc itaq; sanctissimi Iacob reuelationem uniuersitas prophetarū recepit, quod in postremis dierum nascatur is ex semine Iuda, qui peccatum originale sit aboliturus, Messiha rex pacificus, desinēte tum sceptro, ac præfectura Iudæ, conuocatisq; simul undiquaq; gentibus. Hæc usque huc receptio à patribus ad collegium prophetarū per successionē transmigrauit, qui singulatim cuncti tractatione quotidiana inter se conferebant de aureo Messihæ seculo, in illa beata spiritus sancti schola exultantes præ summa lætitia, & imo de pectore gaudia sua promentes, uno quodam societatis uinculo in ipso Messiha saluatore connexi, quanquā diuersis à se tēporibus de illo eodē uenturo rege multipharíam multisq; modis differentes, singuli tamen quiq; parem & plane haud absimilē sententiam absoluerunt. Hic quidē his uerbis: Obsecro Domine, mitte quē missurus es, alter in persona Messihę inquit: Mitte me, hoc est, שלחני quod in Arithmetica progressione per artificiosum Cabalæ modū, tum quatriliteram excellentiæ dignitatem, tum ipsum quoque iuxta Razielis traditionem superius cōmemoratam rectum nomen illius Messihæ per æqualitatem numeri

numeri trecentorum nonaginta octo significat. Et iterum: Vtinam dirumpes cœlos, & descenderes. Alius sic: Excita potentiam tuam & ueni ad saluandum nos, Deus reuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. Alius: Expectabo Deum saluatorem meum. Alius: Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet. Alius: Deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Alius: Veniens ueniet, & non tardabit, egressus es in salutē populi tui, in salutē cum Messiha tuo. Alius qui consolabatur gentem nostram dicens: Abstulit Dominus iudicium tuum. Rex Israël quatuor literis in medio tui erit, non timebis malum ultra. Dominus Deus tuus in medio tui erit fortis, ipse saluabit. Alius qui in persona Messihæ pollicebatur: Et erit sicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda & domus Israël, sic saluabo uos & eritis benedictio, & erunt sicut fuerunt, quando non proieceram eos. Et alius ita: Orietur uobis timentibus nomen meum sol iusticię. Quid multis moror? omnes uno corde gaudere, uno ore omnes omnia bona dicere & laudare huius saluatoris illum diem, & optare illud tēpus, De quo Dauid coram Deo exclamauit: Mitte lucem tuam & ueritatem tuam, illa quietabūt me, & reducent me in montem sanctum tuum & in habitacula tua. Super isto autem lucis uocabulo dixit Rabi Salomon Gallus, Lucem tuam, id est, regem Messiham, secundum quod scriptum est: Paraui candelabrū Messihę meo. Vnde certiores facti sumus nulla de se ductū esse opiniōe Dauid, quod ipse idem ille foret rex Messiha, qui genus humanum Deo conciliaret, tametsi diuinum emanauerit oraculum, Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo unxi eum, quia unctus dicitur Messiha, & ego primogenitum dabo illum, superiorem regibus terræ. In æternum custodiam illi misericordiam meam, & pactum meum fidele illi, & ponam in seculum seculi semen eius, & sedem eius sicut dies cœlorum. Contulit ergo Dauid spem omnem in semen suum, ob idq; filium ex Bathsaba natum adpellauit Salomonem, quod auditu receperat, credideratq; Messiham, quo salus mundo ueniret utiq; principem pacis fore, iuxta Cabalam sibi reuelatam, In diebus eius, erit abundantia pacis, donec auferatur luna. De alio igitur semine suo intelligendum fuit, quam de filio Bathsabæ, is enim Salomon adamauit mulieres, per quas cor eius deprauatum est, ut sequeretur deos alienos, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo sicut cor Dauid patris eius. Quapropter suscitauit Deus Satan contra Salomonem, ut ei non esset pax integra, qui pacis solū nomen haberet. Quotquot igitur Cabalistarum sunt, qui uniuersam salutem in Salomonem retorserunt, alium quendam Salomonem intendunt quam filium Bathsabæ, & aliud quoq; templum quam eius Salomonis, qui templum à se constructū diruptionis iuri subiecit, cui prædixit Deus: Templum quod sanctificaui nomine meo, proiiciam à conspectu meo. Qua de re peccatum originale

non ualuerunt abolere, neq; Salomon hic, neq; templum hoc, quãtumuis in Porta lucis à Cabalista sic scriptum extat. בתחלת בריאתו של עולם שכינה הית׳ שרויה בתחתונים ובחיות השכינה למטה נמצאו שמים וארץ אחדים והיו המקורות והצינורות בשלימות ונמשכים מלמעלה למטה ונמצא השם ית׳ ממלא מעלה ומטה בא אדם הראשון וחטא ונתקלקלו השורות ונשתברו הצינורות ופסקה הבריבה ונסתלקה השכינה ונתפרדה ה החבירה אח״כ בא שלמה ובנה את הביתואן חזרו הצינורית וההמשכות id est, Initio creationis mundi diuina cohabitatio erat descendens in inferiora, & cum esset diuina cohabitatio inferius, reperti sunt cœli, & terra uniti, & erant fontes & cannales actiui in perfectione, & trahebantur à superiore ad inferius, & inueniebatur Deus complens superne & inferne. Venit Adam primus & peccauit, & diruti sunt descensus, & confractæ cãnales, & desijt aquæductus, & cessauit diuina cohabitatio, & diuisa est societas. Postea uenit Salomon, & exędificauit domũ, & tũc reuersæ sunt cãnales, ac deriuatiões, seu ductus, atq; reliqua. Vbi de Salomone loquentes Cabalistæ rei potius uidentur quã uocabulo alludere, cum illud intelligant de uenturo quodã rege pacifico, iuxta Isaiæ uerba, quẽ nominabit ipse miraculorũ operator, cõsiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi שר שלום id est, principẽ pacis. Sane putauerunt aliqui Ezechiã regẽ hic fuisse designatũ, sed alij legentes uerba sequentia: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis super solium Dauid & super regnũ eius, intelligũt de rege Messiha, qui ablaturus sit uniuersorũ peccata, in animis hominũ quotidiana bella & pugnas mouentia, quæ parentes nostri peccauerunt, ut scripsit Ieremias in libro Threnorũ: Patres nostri peccauerũt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus. Ita uideri quidem poterat Ionathæ Chaldæo, qui pro Sar Salom, id est, principe pacis traduxit superiore in loco. משיחא רשלמא id est, Messiha pacis. De quo iterum Isaias, Disciplina pacis nostrę super eum, & in cicatrice ac liuore eius sanati sumus. Hic erit ille Salomon qui tẽplum multo sublimius eriget plane sempiternum & indissolubile. Sic enim Cabalistæ scribunt. בי בית ה המקדש של מטה מכוון בנגד בית המקדש של מעלה id est, quod domus sanctuarij quæ est inferius, disponitur iuxta domũ sanctuarij, quæ est superius. A Salomone igitur illius terrestris templi conditore, usq; ad regem Iehoachin eundem qui & Iechoniah, habẽt namq; ambo nomina easdem literas, tametsi transmutatas, expectatio salutis uniuersę apud omnem cœtum prophetarum in uenturo Messiha collocata fuit, ab Isaia usq; ad Malachiã qui aiebat: Statim ueniet ad templum suum dominator quem uos quæritis. Super quo Rabi Dauid Kimhi scribit, quod dominator hic sit Messiha, qui & ipse nuncius erit testamẽti, quem Ionathan Chaldæus Rabona interpretatur. Post Prophetas autem, expectatio salutiferi aduentus Messihæ, totaq; Cabalistica exercitatio qualiscunque extat, quam recte

in eiusdem Messihæ sempiternam liberationem inglomerãt, implicant atque reducunt, omnis ea plane ad scribas legis & seniores quos appellarunt capita patrum, qui præ multitudine haud numerantur, & ad magni concilij uiros descendit successiue recepta scholasticorum morę, ab Ezra qui Cabalam tradidit Simeoni iusti sacerdoti magno synagogæ præfecto, rursus ab illo recepit eius auditor Antigonus cum socijs suis, de quibus fuerunt Zadok & Bethus, radix hæreticorum, unde dicti sunt Zadokai & Bethusai, ut scribit Iudas Leuita in libri Alcosder sermone tertio. Deinde Ioseph filius Ioetzer, & Ioseph filius Iohanan Hierosolymitanus, ab ijs Iosua filius Parahiah, cuius fuit discipulus quidam Iesus Nazarenus Machabæorum ætate, non ille Christianorum. Et Nithai Arbelensis, à quibus & Iuda filius Tabai, & Simeon filius Sota, de quibus Semeia & Abtalion, ab his Hillel & Samai, qui habuerunt multa millia discipulorum, ab istis Rabban Iohanan Ben Sdachai, & ille discipulos quinque fouit, qui fuerunt Eliæsder quem scribunt Eliæzer filius Hircani, Iosue filius Hananiæ, Ioseph Cohen, Simeon filius Nathanaël, & Eleasdar filius Arach. De Rabban Iohanan, qui centum & uiginti uixit annos, sortitus est Cabalam suam Rabban Gamaliël, à quo Simeon filius, à quo ex liberis eius Iuda Nagid, qui Magister noster sanctus dicitur, eum filius Gamaliël recipiendo imitatus est. Hucusq; Cabalæi quorum dicta & reliquas sacræ scripturæ allegoricas expositiones sequuti sunt Cabalistarum cœtus, Hanania filius Acasiæ. Abba Saul, Rabi Tarphon. Acabia filius Mahalalleëlis. Hanania princeps sacerdotum, Hanina filius Thradionis, Hanania filius Hachinæi, Nehonia filius Hacona, Halaphtha, Duschai filius Iannai, Hanina filius Dusa, Dosa filius Harchinas, Rabi Akiba, Elæazar filius Azariæ, Eleazar Hasma. Rabi Leuitam, Rabi Iohanan filius Baroca, post eum Simeon ex liberis. Deinde Tzadok, tum Iosi, hunc sequitur Ismaël, & de alio genere Rabi Meir, à quo recepit Eleazar filius Iacob, & Iohanan Sãdlar, & Eleazar filius Samua. Deinde Neorai, post quem Ianai & Mathathia & Samuel minor, & Elisa filius Abuiah, & Eleazar de Kaphar, & Iuda filius Thema, & Iosua filius Leui, & præter illos alij multi, qui aliquando propter disputationes Thalmudicas appellantur Thanaim ceu dictatores, & propter summarum rerum meditationes ab inferioribus singulis ad excelsiora quæq; reductas, à maioribusq; receptas, & posteris traditas, quibus toto studio innitũtur Mekablim Hebraicè, ac nostra ætate à Latinis, authore Ioanne Pico Mirandulano Comite, ante quem nomen eorum Romanæ linguæ incognitum erat, Cabalistæ aut Cabalici dicuntur. Tum Marranus, Nosti ne inquit eum uirum peritissime Simon, qui primus Latinis Cabalæ uocabulum prodidit. Et Simon, Noui nempe, ut opinor, ipsum ait olim domo exulantem apud Gallos & Allobrogas, pulsumq; patria & fugatum acerrimè ab

mè ab inuidis quadam detestabili persecutione propter eximia philoso-
phiæ studia sua & nobile ingenium. Est adeò genus hominum, ut ait Te-
rentius, qui esse primos se omnium rerum uolunt, nec tamen sunt, ex cor-
uo forte nati, quæ auis usque ad Coronei annos, ut est in fabulis, uestita
prius albis plumis, posterius nigris, colorem indumẽti eis præbet candi-
di & atri, unde fratres Atrati dicuntur, quippe uolucris ea ob impiam de-
lationem semper odiosa Phœbo. Sed utriq; uestrum nota est hæc poësis,
hi tunc fuerunt œstrum, hi mastiges, hi canes tam generosi & tam eruditi
Christiani, nostro seculo multa Hebræorum arcana dogmata Romanis
auribus perquam docte impertiti. Ad hęc Philolaus: Relictis ait rebus ge-
stis, ad artem Cabalisticam si mihi creditis, reuertendum nobis esse consu
lo, quoniã aliquãto post adueseraſcet, & uota nostra uix dici queat quã
alio tendant. Percucurri equidem singula, inquit Simon, nihil salsius de
me ultra expectabitis. Et Marranus, Si sic inquit, ego certe fregerim ser-
monem tuum ualde incommode. Nam orationis filum texebas tum ma-
xime aptũ ei rei quam desideramus, & nihil erat quod magis placuit, quã
post rectam Cabalæ definitionem nosse quid illud sit, quod præter cæte-
ra mortalium generi egregius reuelatum fuerit, tum quis quid reuelaue-
rit, & quis receperit, quo in puncto mea interpellatione abductus es, id q̃d
subdoleo. Quare mi tu oramus ut redeas. Ego uero hilare quidem obse-
quar, Simon, inquit, & tandem ad modũ artis, quem optare uos animad-
uerti properabo, nisi iam uespera imminet, quando & uos audiendo for-
te cum fastidio, & ego ipse loquendo defessi sumus. Satis enim multa no-
bis tam breuibus horis exciderunt, & quæ mea fuit uel temeritas si uultis,
uel quod uerius est singularis erga uos dilectio, quod in tanta re fieri non
debuit, omnia imperatus dixi ex tẽpore. Tum Philolaus: At obsecramus
uterque, compleas abacum calculo authorum, qui Cabalam & tenuerunt
& tradiderunt, ne hoc sermonis membro nondum perfecto ad diuerso-
rium nostrum, ut oportet, cœnaturi abeamus. Quo dicto rursus Simon:
Extant sane, inquit, meo arbitratu Cabalistæ innumerabiles, nec enim nu
mero comprehendere refert, eorum partim, qui audire tantum, alij uero
qui & auditores & scriptores fuere, tamen quando ita urgetis, recensebo
perfunctorie nonnullos, quorum libri de Cabalisticis cõtemplationibus
quotidiano ueniunt usu, quantum mihi suppetit memoria, quanquã non
in omni parte omnes integri, aliquorum enim sola fragmenta enatarunt,
reliqui proh dolor ita extincti sunt, ut uix nominũ recordatione doctis-
simorum hominum monumentis innotescant. Nam ut prisca patres uo-
lumina iniquitate temporum & longo tractu annorum perdiderunt, cum
haud mediocri posteritatis damno, quorum nostri tamen meminerunt,
ita nos iam in ipso mundi sexto millenario uiuentes, maiorum nostrorum
libros uel uetustate, quæ omnia consumit, uel bellorum malignitate, uel

inundatione ac uastitate, uel improuiso ignis casu, uel quandoque odio & inuidia turpi & detestanda, quæ incendiarios librorum inertes & stultos etiam æuo nostro solicitauit, amisimus. Citantur ab hominibs fide dignis Hænoch libri & Abrahæ patris nostri, quin & Moyses allegat libros bel lorum Domini. Iosue librum iustorum, & uniuersitatē librorum Kiriath sepharim, quam Athniel duce Caleb expugnauit. Asuerus libros memorabilium. Ionathas in Machabæis libros sanctos de Spartiatis. Paralipomena commemorant libros lamentationum. Libros, Samuel uidētis, & Nathan prophetæ, & Gad uidentis, & Semeiæ prophetæ, & Haddo uidentis, & Ahiæ Silonitis, & libros Iehu filij Hannani, qui omnes nusquā sunt. Querimur & Bibliothecam Darij, ut est in Ezra, fuit ea in Ecbatanis precioſa. Pari exēplo innumeri nostro seculo authores periere, tametsi nō dubitamus supereſſe plurima, quæ ipsi necdum uidimus, nec istam de me gloriam cum Mirandulo iactare possum, quod quæ ille quondam Ezra, de Cabalisticis secretis septuaginta conscribere uolumina iussit, ea mihi summa impēsa conquisierim, cui ne tantidē prope auri & argenti sit, quo eos libros, si superarent, ac offerrentur licitari queam. Vtimur autem non adeo libros si attamen pro nostra uirili Abrahæ libro patris nostri, cui est inscriptio יצירה de creatione, quem non parum literati quidam assignant Magistro Akiba profecto nobilibus scholijs ornatum, ut qui alioquin existat reconditus & obscurus. Et libro הזהר de splendore, quem composuit Simeon filius Iohai cum in quodam uasto & tenebricoso specu quatuor & uiginti annos delituit. Et libro זוהיר de Candore, qui à ueſtris Lucidarius dicitur. Sunt & quos edidit in Cabala ille Abraham Alaphia, & insignes commentarij Ramban, nam ita collectiue nominatur Rabi Moyses filius Nehmani super Arcana legis, quem appellatis Gerundensem, & Cōmentarij omnium doctissimi receptoris Rabi Mnahem Racanat super Arcana Ramban. Et liber Perplexorum Rambam, in fine per Mem, id est, Rabi Moysi filij Maimoni, quem uocant Moysen Ægyptium. Et liber שערי צדק id est, portæ iusticiæ, quem conscripsit Rabi Iosepb filius Carnitolis. Et liber שער אורה id est, porta lucis Magistri Ioseph, ut ferunt, Castilienſis in Hiſpania. Et liber האמר גורה id est, de credulitatibus, cuius author fuit in Asia Rabi Saadia. Et liber סוד התורה de mysterio legis, quem sapiens ille Abraham Aben Ezra confecit. Et liber Rabi Hamai filij Hanina, qui dicitur eloquentissimorum caput in Cabala, & eiusdem authoris liber העיון id est, speculationis. Alius deniq; liber פירוש קדושה id est, cōmentarium sanctitatis, quem scripsit Rabi Azariel. Et liber שמות id est, de nominibus. Et lib. explanationum alphabeti, cuius est inscriptio סדר פירוש האל מאביתא ex Rabi Akiba. Et liber Rabi Ama שער חדושים de reconditis Psalmi 19. Et liber היחיר id est, singularis de uniōe seu collectione, cuius meminit Rabi Abraham

braham Aben Ezra de mysterio legis capite primo. Et liber סודות id est, mysteriorum. Et liber quæstionum abstrusarum. Et libellus Cabalæ quem edidit Azariel, alijs Oriel Garonensis. Et liber qui prænotatur דרך המונה ודרך הכפירה de fide & expiatione. Et liber radicum Rabi Ioseph Albo, cui pariter Cabalæ titulum præfixerunt, quamuis ille magis ethica commentetur quam anagogica. Extat demum liber elegantissimus in Cabala aduersum philosophastros, nomine Alkozer more Arabico, quem composuit Rabi Iuda Leui, cuius hæc sunt uerba, בי אין קבלה טובה אלא עם לב הטוב, id est, Quod non sit Cabala bona nisi cum corde bono. Vbi plurimum mihi uisus est sapienter à tam sancta contemplatione malignos Sophistas repulisse, qui tanquam muscæ morientes, omnis ungenti quantumuis precioſi suauitatem perdunt. Vtimur deniq; commentarijs in librum יצירה Magistri Iacob Cohen & in eundem librum compositionem Rabi Ishac, quem inscripsit Explanationem nominis sancti. Est liber etiam quem edidit Rabi Tedacus Leui de decem numerationibus Cabalisticis. Nolo addere librum, Salomoni sub nomine Razielis inscriptum, quia est fictio magica, hactenus quidem rei meæ familiaris penuriam chartaceam quam cæteris non solebam certe uobis peregrinis plane nisi me aperui, at mea tamen sententia nemo unquam de ista scripsit arte usque dudum artificiosius, nemo distinctius, nemo lucidius, quam Rabi Ioseph Bar Abraham Castilienſis ciuis Salemitanus, tria huius facultatis uolumina studiose molitus, quibus omnem Cabalistarum institutionem fecit clariorem, primum de dictionibus, secundum de literis, & tertium uolumen de punctis. Eius libri titulus extat גנת אגוז id est, Hortus nucis, iuxta Salomonis cantica, In hortum nucis descendi, ut uiderem amœna uirgulta. Apparet nucem hanc esse ut pomum aureum argenteo retiaculo inclusum, ut legitur in prouerbijs, Mala aurea in lecticis argenteis uerbum prolatum iuxta modos suos. Ita est Cabala pomum illud aureum atq; diuinum argenteis filis, uidelicet ingenioſis institutionibus & humanis artibus circumligatum, quale fieri consueuit aurificum opificio, qui subtilibus cælaturis aureũ boni odoris pomum non omnino tegunt aut operiũt argento, ut nihil eius uideri queat, sed cauatis quibusdam foraminibus & argenteis cancellis tum pomi colorem eminere tum ambræ odorem efflare sinunt. Aspicientibus tamen longinque totum id quod reticulatum est, uidetur argentum esse integrum, propius autẽ intuentes, si studioſe rimentur, simul aurum quoq; reperient, & quo magis aurum ab argento distat, eo longe plus ab arte Cabalistica probatur differre Cabala, quamuis ambas species unum genus spiritualis instinctus cõplectatur. Sed altera præcedit alteram ut oraculum Hierophantas, utq; unius generis aurum id quidem bonum est, illud autem optimum, ad quem modum in Pentateucho de Heuila narratur, quod aurum terræ illius bonum est, non enim ilic scri-

lic ſcribitur optimum, ut quidam legunt, ſed bonū. Et in Iſaia de Ophir, Dignabor hominē plus quàm aurū optimum & aurū de Ophir. Ita quicquid de ſacra ſcriptura homines optimarum artium amatores ſcientia naturali addiſcunt, auro bono par eſt, & appellatur opus de Breſith. Quod uero ſcientia ſpirituali recipimus, opus de Mercaua dicitur, & auro æquatur optimo atq; puriſsimo. Scribunt enim Cabaliſtæ ita שמעמה בראשית חכמת הטבע ומעשה מרכבה חרא חכמת האלהות id eſt. Quod opus de Breſith eſt ſapientia naturæ, & opus de Mercaua eſt ſapientia diuinitatis. Et quoniam utraque ſapientia utcunq; circa mundum & ea quæ conſiſtunt in mundo uerſatur. Eſtq; Thalmudiſtarum & Cabaliſtarum ea in re unanimis arbitratus, quod duo ſint mundi, Primus intellectualis, qui uocatur עולם הבא id eſt, mundus ille uenturus ſcilicet quo ad nos. Et ſecūdus ſenſibilis, qui dicit עולם הזה id eſt, mūdus iſte præſens, quod ex uerbis ſapientum noſtrorū recepimus, de nominis diuini quadraginta duarū literarū ſtudioſo cultore ſic dicentiū quod talis dubio procul exiſtat אהוב למעלה ונחמר למטה ונחל שני ערל מים חעולם הזה והעולם הבא id eſt, Dilectus ſurſum & deorſum & hæreditās duos mundos, mundum præſentem & mundum futurum. Iccirco diuiduntur Thalmudici & Cabaliſtæ ſecedentes in duas facultates, tametſi ex creditis receptionib. ambę ſimiliter oriantur & emanent. Nam utriq; maiorum ſuorū traditionibus fidem habent, etiā nulla ratione reddita. Sed hac diſtinguūtur deputationis ordinatione, quod omne ſtudiū, omnem operā, omne conſilium, laborem & diligentiā, uniuerſam quoq; mentis ſuæ intentionē Cabaliſta felix ille atq; beatus à mundo ſenſibili finaliter ad mundū intellectualem tranſfert & traducit. Thalmudiſta uero in mūdo ſenſibili permanet, ac animam uniuerſi huius mundi nō tranſcendit, quod ſi quādoq; licenter ad Deū & beatos ſpiritus pergat, non tamen Deū ipſum immanentem & abſolutum accedit, ſed ut opificem cauſamq; rerū & circa ſua creata occupatū. Angelos aūt ad miniſteria quotidiana, diuinęq; uoluntatis effectus exequendos mancipat, altiſsimarū rerum contemplationem ad hunc inferiorem mundum ſemper referens. Earum tamen facultatū altera ſæpe alterius ſenſa mutuatur, & ad ſuum deſideriū trahit. Enimuero quādoq; ſtudia ultro citro inter ſe cōmunicant Thalmudici & Cabalæi, ut actiua uita & contemplatiua, licet unum eundemq; ſacræ ſcripturæ contextum plærunq; alter ad timorem ſeruilem alter ad amorem filialem ſuo more lepida ſuaſione inuitet. Apparebit enim acri ſtudio Thalmudiſta ille circa legis præcepta & mandata reſidere, illa exponere, illa dirigere, illa uenerari & exoſculari, ut nihil aliud recte definiamus Thalmud eſſe quàm legis explanationē ad intentionē authoris. Vnde Thalmudici מפורשים dicti ſunt, & פרשי, id eſt, expoſitores & phareſai, qui de ſuggeſtu & cathedra Moyſi ſemper inſtant operi, prædicant, & plebem hortantur cum Propheta regio dicentes, Ser-

uite

uite Domino in timore, ac cum Iosue: Timete Dominũ & seruite ei. Quin & hoc ita facite, ac illud sic obmittite cũ tali & tali moderamine, unde sexcenta & tredecim præcepta uno uerbo הריג comprehensa in duo capita redegerunt עשה לא תעשה, id est, fac, ne facias, quæ uos affirmatiua & negatiua consueuistis appellare, multum scitu commoda & usu perquam necessaria. Cabalistæ autem quamuis teste ueritate uiri sint legem pie obseruantes, tamen contemplationi plus incumbunt, Ideoque appellantur אנשי העיון מבעלי התורה, id est, uiri speculationis ex magistris legis. Hi curam reipublicæ ac priuatorum domi belliq; ritus & cõsuetudines in iudicialibus & moralibus cũ sua historia penes Thalmudistas relinquentes ea sibi tantum, quæ ad animi quietem & tranquillitatẽ pertinent, & ad amorem Dei reseruarunt. Sic enim aiũt כוונת כלל התורה שני דברים רחם תקון הנפש ותקון הגוף, id est, Intentio uniuersæ legis duæ sunt res, bona dispositio animæ, & bona dispositio corporis. Tota nanq; lex præcipue ad perfectionem hominis tendit, & secundum eam duas cõsequimur perfectiones, mentis alteram, & alteram corporis, longe uero dignior ea est, & præeminentiæ altioris, quæ animam iuuat, & uitam perpetuat, quanquã idonea corporis habitudo, & debita compositio, est tempore naturaq; prior. Igitur altiore loco & digniore gradu habendi sunt. Cabalistæ illam legis expositionem sequentes, quæ per quædam symbola mentis eleuationem ad superos & ad rem diuinam quammaxime propellit, hanc appellant Græci uestri anagogicam institutionem, quæ non modo philosophia, sed & sophia ipsa, hoc est, sapientia. Vnde merito sapientes denominantur, להלוך נגיד החיים ut concionator inquit Salomon, quoniam pergunt illuc ubi est uita, & pro mortalium captu adhuc in corpusculis habitantes à tempore ad æternitatem, & ab infimis ascendunt ad summa. Facite periculum si uultis honorandi aduenæ. In principio creauit Deus cœlũ & terram, Sane cœlum Thalmudicis uocantur omnia uisibilis mundi, quæ supra lunã sunt, & quæ subter eam appellant terram. Deinde cœlum quoq; interpretantur formam, & terram esse uolunt materiã, quare in principio, aiunt, creauit Deus formam & materiam, quare denuo compositionem in singulis quibusq; opifice oraculo fabrefecit, & omnia non tam manu tornauit quam nouies uerbo dolauit. Legitur enim ויאמר אלהים, id est, & dixit Deus: Fiat lux, & dixit Deus: Fiat firmamentum, & dixit Deus: Congregentur aquæ, & dixit Deus: Germinet terra, & dixit Deus: Fiant luminaria, & dixit Deus: Producant aquæ reptile, & dixit Deus: Producat terra, & dixit Deus: Faciamus hominem, & dixit Deus: Ecce, dedi uobis omnem herbam. Igitur perfecti sunt cœli & terra cum omni attinentia & tota suppellectili eorum, ut sunt quatuor elementa, quæ dicũtur tenebræ primo nominatæ, spiritus Domini, aquæ sub firmamento, & arida. Sequuntur pariter & cætera mista, quæ uulgo elementa uocãt, ut aues & uolatilia,

bestiæ ac reptilia, pisces & cete grandia, & eorum omnium dominator homo, cui ex uniuersis corporeis uni concessum est Liberum arbitrium, quo ne male uteretur figuntur ei leges, promulgantur constitutiones, comminãtur transgressionis pœnæ. Cum item ignis influens nuncupet cœlum, id est, שמים quasi אש ומים, id est, ignis & aqua, & nihil ex se producat, sed producta solũ cœlesti, hoc est, humido calore foueat, tum recto quidem ordine recitantur in illo constituta fortissime influentia Sol & Luna, quibus ducib. omnes reliqui notantur exercitus, luminaria & stellæ, nox & dies, splendor & tenebræ, signa & tempora, dies & anni. Hæc itaq; de globo corporeo & reclusis in eo mistis. Duo uero mũdi à Cabalistis sunt recepti, corporeus & incorporeus, uisibilis & inuisibilis, sensibilis & mentalis, materialis & idealis. Inferior mundus & superior, cum legũt: In principio creauit Deus cœlum & terram, & ita symbolice cœlum summa, terrã infima designare putant hoc modo interpretãtes בחתחלת ברא חשם העליונים והתחתונים id est, Initio creauit Deus summa & infima, quo nimirum arbitrantur simplicem & immaterialem mundũ summa cõtinere, compactũ uero & cementariũ hunc, infima, unde & legem diuinã Bresith de creatione promulgatã cœpisse ab ipsa litera beth, quæ in arte arithmetica inter numeros duo significat, perinde atq; sic notatorie insinuaret, duo principaliter creauit Deus, totũ mundũ supremũ cũ omnib. in eo degentibus, & totum mundũ infimum, omniaq; ad illum pertinentia. Nã Sin aliter, fuisset utiq; satis Moysen ita scripsisse ראשית ברא אלהים שמים וארץ quod haud secus ac eodem illo more à Latinis legeretur, Initio creauit Deus cœlum & terram. Potuit enim summarium illud creationis non incipere à beth litera. Sicut Salomon in Prouerbijs: Dominus possedit me principio uiarum suarum, ubi sine beth & absq; ulla alia præpositione ponitur principij dictio. Cæterum præter consuetudinem duobus istis creatis adiũxit bis binos articulos את & ה. Vnum excellentis demonstrationis qui dicitur ha, & alterum omnimodæ comprehensionis, qui constituitur ex aleph primo alphabeti elemento & ultimo thau, & est id quod Græci aiunt alpha & ω, & Romani prora & puppis, ubi uisus est per cœlum, omnia excellenter simplicia spiritualia complecti, ab aleph ad thau, id est, à primo ad ultimum, & per terram similiter à capite ad calcem omnia excellenter corporalia & ijs contenta, nihilo tamen minus singula in ipso uno principio tanquam unicum creatum. Sicut Ezechiẽlis rota in rota, cum suis quibuscunq; inuolutis uisa est una esse similitudo gloriæ Domini, & ut ipsius Rabi Saadiæ in libro Amunoth, id est, credulitatum proprijs uerbis utar בחלמון בתוך ביצה id est, Sicut uitellus in medio oui, seu ut ego ipse dicere soleo, instar boris oui unius, testaceo firmamento contenti, uitellum ipsum inglomerantis, ita primus mundus ille intelligibilis secundum implicat, ut tota uirtus eius inde gubernet, quo fit, ut constringãtur utriq; uincu-

lis con-

lis concordiæ, adeò ut sæpe tam suas quàm comprehensorum naturas & appellationes mutua sibi liberalitate cõdonent. In secundo nanq;, hoc est, sensibili mundo, sphæræ nouẽ mouentur ab empyreo immobili, cui Metattron assiduo præest, at in primo nouem angelorum chori mouẽtur ab immobili Deo. Sicut in immobili silentio cũctorum creator primo simul omnia creauit, postea nouenario sermone ad proprias singula quæq; distinctiones loquendo commouit. Nominantur & uicissim ignis seraph, aër cherub, aqua tharsis, ariel terra, & quæ in mundo sunt inferiori, ea non parum multo meliore nota sunt in superioribus, quapropter hæc inferiora congruenter appellari queant uerorum exemplaria, & adumbratæ supernorum imagines, signa, notæ ac symbola quibus mouemur ad cogitandum de supercœlestibus & angelicis substantijs, uirtutibus & operationibus quodam tramite abstractionis, uel assimilationis uia uel alia quadam ratione ac modo nobis carne indutis possibili. Vnde statuunt duos quoq; paradisos, alterum cœlestem & alterum terrestrem, in quibus præmia uirtutum consequantur utriq;, tam homo terrenus quam homo cœlestis, ut in huius orbis terra quamdiu in corpore fuerit hospitatus, tanquam in aliquo corruptibili horto uoluptatis, gloriam & honorem, gaudium & lætitiã, omneq; desideriũ delectationis suæ ob alicuius heroicæ ac præeminentis & à filijs huius seculi laudatę uirtutis causam lucretur, quæ tamen umbræ sunt & res caducæ fumo similes. In cœlesti uero terra & uerius uiuentium supercœlesti, ubi extat amœnitatis æternæ immarcessibilis paradisus, animæ hominis in uita mortali olim secundum uirtutẽ recte operati, nũc exutæ clemẽtissimus ille Maximus & Optimus Deus, ostendit omne bonũ, quod ne uidere quidẽ antea potuisset tam graui & tã denso cadauere obscuri corporis onerata, illud nominatur & in Cabala & in Thalmud איספקלריא המאירה id est, Speculatio illuminans, hoc est, uiuificans, quam uos cognitionem intuitiuam Dei appellatis, ut quæ contingat animæ separatæ per lumen gloriæ, ac à maturissimè pensittantibus sola esse beatifica probetur. Nam alia fit per species cõnaturales, quæ non est beatifica & איספקל ריא שאינה המאירה Id est, Contemplatio quę non sit illuminãs uocat̃. Nunc uero quãdo clara Dei uisio, & perpetua summę diuinitatis fruitio, pro suprema hominis parte, intellectu & uolũtate beatis donãtur, iccirco iure optimo ea nisi in supremo mũdo contingũt nemini. Sic aiunt Cabalistæ בי טרם שישיג לראיה תפרד' נפשו מעליו Id est, quod antequam apprehendit hanc intuitionem separatur anima eius ab eo. Quare mortali homini, si quando Deus uideri dicitur, id per angelum fieri putat̃, במראות המלאכים ut scribit Ramban Gerundensis in Exodo. Quamobrem pro duplici hominis cõditione spirituali & corporali, ac pro duplicis mercedis retributione, duplicem, ut audiuistis, paradisum asserunt, ita dicentes בי גן ערן וגהרותיו עם העניינים שתראה במעשה ברהשית

בראשות בלן בנגר צורית חשבליות ועליונורית חן מכורגים Id est, Quod paradisus & flumina cum singulis rebus, quas cernis in opere Bresith, omnia iuxta formas intellectuales & supernas sunt disposita, id ita sentio etiã cum auro de Heuila bdellio ac onychino, cæterisq; infiniti precij gemmis. Eodẽ modo & eadẽ forma duplicem gehenam, scilicet duos tartaros esse deputatos, ijdem Cabalistæ asseuerant, superioris & inferioris mũdi, ad torquendũ nociua corpora in tẽpore, ac animas prauas in æternitate. Nomẽ eis cõmune inditũ est ארקא Id est, Arka, hic est tartareæ pœnæ locus, qui præter cętera, septẽ immaniora durissimarũ pœnarum receptacula, criminum reis iusto Dei iudicio destinata cõprehendit. Sicut Cabalista ille in Horto nucis uolumine secundo de septem habitaculis inferorũ tractat his uerbis שני מיני גיהנם חן עלין ותחתון אחר לגוף בעולם הזה אחר לנפש בעולם חבא אחר זה והמקום הכולל בלאילו הוא הנקרא ארקא בי בתם גיהנם ושערי מות וצלמות ובאר שחת וטיט היון ואבדון ושאול id est, Duæ species Gehenam sunt, superior & inferior, una ad corpus in mundo isto, una ad animã in mundo uenturo post istum, & locus cõprehendens omnia hæc, est uocatus Arka, quoniam in eo sunt, Gehenam, & portæ mortis, & puteus interitus, & lutũ fęcis, & perditio, & fouea, hucusq; Ioseph Castilienſis. Iam hæc uincula, hic carcer, hæ compedes, hęc seruitus, hæc captiuitas peccata noxiorum manent, tam corporum in mundo præsenti quàm animarum in mundo futuro, ut iustos æqua comitentur uirtutũ præmia, & iniquos debita sequantur uitiorum tormẽta. Quid nam aliud debetur rectis quã uita & honor? quid aliud prauis quã mors & horror? Nec id usq; adeò temporaliter intelligendum est, sed ut Cabalistæ uolunt etiam intellectualiter, sic enim scribunt, צדיקים אפילו במיתתן קרואים חיים ורשעים אפילו בחייהם קרואים מתים Id est, Iusti etiam in morte sua dicuntur uiuentes, & maligni etiam in uita sua dicũtur mortui. Quo peritis in Cabala nõ erit obscura Dei sentẽtia, In die qua comederis ex eo, morte morieris, uidelicet non corporali sed spirituali. Nã uixit Adã post esum uetitũ ultra nongẽtos annos, in momẽto tamen ipso mox atq; legem transgressus erat, morte moriebatur. In peccato, inquam, suo, toti humano generi & prolis futuræ propagationi æternis inferorum habitaculis destinatæ sontico nimis & contagioso. Quousque Dei placito ueniret Messiha ille redemptor, qui hominẽ in paradisum reduceret non terrestrem sed cœlestem, & uitam liberis redderet quam parens amiserat, æternam non temporalem, animæ non corporis, illam ipsam Dei familiaritatem & iucundissimum diuinitatis aspectum, omni uoluptate plenissimum. In hunc omnes ueri Cabalistæ non sophistici totam suam fiduciam figunt atq; locãt, in hũc omnia sanctarum scripturarũ salutaria uaticinia retorquent. De terra promissionis, de Ierusalẽ ciuitate cuius participatio est in idipsũ, de mõte Dei & loco sancto eius & uia sancta, & sanctuario, et

atrijs

atrijs Domini, & tẽplo Domini, & domo Dñi, & porta Domini, & cęteris similib. multis, quæ Rabi Moyses Ægyptius in suo Misne, id est, Deuteronomio, sic etiam intelligi de cœlesti beatitudine uoluit. Qua de causa multum & sæpe cum Thalmudistis certamus, & plurimũ utriq; in duas imus sententias. Illi omnem liberationẽ regis Messihæ de corporali captiuitate seu uerius dispersione nostra conantur ad tumultum, ad strepitus armorum, ad expeditiones bellicas, ad expugnationes regionum & deuastationes terrarum, & Israhelitici exercitus uictoriam referre, ut quõdam saluatore Moyse legimus aduersum Chananæos & Palæstinos nostris maioribus cõtigisse, aut saltem ad exquisitum euasionis ingeniũ quo sunt in alijs liberationibus ut multi uafre ut ego puto sancte usi, quando tot seculis sub tot regnis dispersi exularũt, ut sub Babylonico annos septuaginta, sub Persico quinquaginta quatuor, sub Græco cẽtum & triginta, nunc sub Romano mille quadringentos, nec dũ finis. Nos contra, meo arbitratu, rectius Cabalistæ Messihã esse uenturũ putamus ad liberandum miseros humani generis mortales, de uinculis iniusticię originalis, ad dimittendum peccata, & ad saluandum pie Deo seruientiũ animas in Adam patre nostro à uita ęterna excluſas, usq; ad satisfactionẽ Messihę, q ut cõsummetur iusticia misericordis & clementis Dei manũ suã mittat, & sumat de ligno uitæ & comedat de eo, ut per illum uiuamus in æternũ. Ea satisfactio non in fastu regio, nec iactantia honoris ac glorię fieri debuit, eò q̃d originale peccatũ à Messiha expiandũ, de supbia & elatione pullulauit. Quin potius in humilitate ac tollerãtia, nõ in curribus & in equis, sed in nomine Dñi Dei nostri, & non in uictoria, nec humano triũpho, sed in labore, ieiunio, uigilijs, fortitudine animi, contẽptu cenodoxiæ, misericordia cõpassibili, amore Dei prȩcipuo, dilectione hominũ recta, & in ipsa tandem heroica liberali ac spontanea morte, quoniam contra uitium sola uirtute pugnatur, & imperia, principatus, stemmata, coronas, huius seculi nemo sapiens unquam magni duxit. Quin hoc est sapere, gloriam huius mundi cõtemnere, quoniam cum interierit glorioſus diues, non sumet omnia, ut inquit Psaltes, neq; descendet cum eo gloria eius. Quicquid igitur de trophæis, & de subiectione populorum scribit in literis consecratis, id omne post creditam nihilominus historiam si quæ facta enarrantur, de mundo tamen intellectuali & supernis potestatibus à Cabalistis intelligitur, ita ut Messiha rex futurus optimo iure leuia & abiecta hæc istius seculi deliramenta, magistratus, honores & regna tanquam uana & stulta non modo neglecturus sit, uerumetiam contempturus, qui ad abolendum humanæ speciei reatum, & ad aperiendum uirtuti uiam adueniat. Vnde uerus ipse Messiha, si recta ducimur ratione, de solo Isaiæ nobili capite clarius cognoscetur, quod sic incipit הנה ישכיל עבדי Id est, Ecce intelliget seruus meus, & sic desinit ול פושעים יפגיע & pro transgressoribus orabit, quo

bit, quo supra quã dici queat miror non absq; singulari apud cæteros exterarum nationum homines uerecundia, uobis ego solis confidenter loquor, Rabi Salomonẽ & Dauidẽ Kimhi, aliosq; de nostra secta nõ parum doctos uiros nescio qua pusillanimitate, uel si forte coram gẽtibus pudore, totum illic contextum Isaiæ de solo populo Israël nunc passim dispersо torue interpretari, cum planissime sit de illo ipso Messiha prophetatũ, quod Chaldaica Ionathæ traductio nominatim exprimit dicens הא יצלח עברי משיחא Id est, Ecce prosperabitur seruus meus Messiha. Hic est ille ab Isaia in spiritu prophetico uere uisus eo loci, homo dolorum & infirmitatis expertus, uultu abscondito, nullius honestæ reputationis uir, diuina percussione tactus, despectus & uitatus, tonsus ut agnus, occisus ut ouis, à terra uiuentium abscisus, & cum sçeleratis reputatus, & iuter filios hominum inglorius. At uero quid inter filios Dei? plane multum exaltatus & eleuatus & sublimis ualde. Nam generationẽ eius quis enarrabit, & Domini Dei uoluntas per manum eius dirigitur, & dominus aboleuit in eo iniquitatem omnium nostrorum, quia de scelere populi percussit eum. Ipse enim uulneratus est propter crimina nostra, & attritus est propter iniquitates nostras, qui certe iniquitatẽ non fecit unquam, & non fuit dolus in ore eius, sed dominus uoluit cõtusionem eiusdem uulnerati. Quapropter cũ sit ipse iustus Dei seruus, multos iustificabit per agnitionem sui, & iniquitatem illorum ipse portabit, & peccata multorum tollit, & pro peccatoribus intercedet. De uero Messiha hæc omnia uidit Isaias, & ꝓfecto non est mẽtitus. Ista firmiter est illa cõgregatio Israël, iuxta Cabalistarum opinionẽ, & illud salutare Dei nostri tam sæpe promissum, ut iustificemur ברעתו id est, in cognitione eius, nõ ut saluemur in tumultu, nec in fuga, sed sub uno rege, ac in uno fidei cõsistentes exercitu, liberemur in morte atque cognitione Messihæ, qua finitur peccatum, & remouetur obstaculũ claræ uisionis Dei, hoc est, humani generis originalis ac contagiosus reatus. De quo sic in lib. Cabalæ, de fide & expiatione legit̃. דרך מורה כח הנאצל שהוא כח הנברא המתנהג בשבע תמורות שהם יג סדרי ס סליחה שהעולם מתנהג בהם עד שיכלה החטא ויבא המשיח שהוא כח אלהי ובכח האצילות שהוא כח המלאכות ובכח הנאצל ממנה שהוא כח הנביא הנוה עליו רוח השם רוח הכמה ובינה רוח עצה וגבורה רוח דעת ויראת יהוה הרי שבע תמורות שהמשיח מתנהג בהן להטיב לטובים ולהרוב את הרשעים כרכת ברוה שפתיו ימית רשע id est, uia demonstrans uirtutem gratificatã seu infusam, quæ est uirtus creata ducit̃ septem uariationibus, quæ sunt 13. ordines expiationis, quibus mundus dirigit̃, quousq; finitũ fuerit peccatũ, & uenerit Messiha, qui est uirtus Dei. Et in uirtute gratiæ, quæ est uirtus angelica, & in uirtute gratificata, & infusa ab ea, quæ est uirtus ꝓphetæ, requiescet super eum spiritus Dñi Tetragrãmati, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cõsilij & fortitudinis, spiritus scientiæ &

timoris

timoris Dñi. Ecce septem uarietates quib. Messiha utit̃ ad benefaciendum bonis, & ad destruendũ malignos, secũdum qꝺ scriptũ est: Et spiritu labiorum suorũ interficiet impiũ. Hæc sunt cõmemorati uoluminis Cabalistici uerba, quib. monemur regẽ Messiham nõ manu, sed ore: nõ armis, sed spiritu, uincere populi Dei aduersarios, donare aũt Dei gratia septẽplici pios, interficereq̃ impios, & hæc omnia spiritu oris, id est, doctrina sua spirituali, quam per uiros iustos & electos iusti discipulos, sparget ac seminabit in omnes gentes, per quod Isaiæ illud tẽpus Messihæ relatũ oraculum: Hauretis aquas de fontib. Saluatoris, Ionathan filius Vzielis Chaldaice interpretatus est ijs uerbis ותשבלון אולפן חדת בחדוה מבחירי צידקא id est. Et recipietis doctrinã nouam in gaudio ab electis iusti. Ea uero est doctrina illa noua, qꝺ uerũ lumen luceat, & qui odit, in tenebris est, & qui diligit, uersatur in luce. Finis igitur præceptorũ, hic est, ut diligamus inuicem in doctrina Messihæ, שיורה העמים ללכת בדרכי יהוה, id est, Qui docebit populos ambulare in uijs Tetragrãmati, ut scribit Rabi Dauid Kimhi super eundem prophetã capite quinquagesimo primo, in uersu, quia lex à me exibit, quã scilicet, qui fecerit saluabit̃, qui contempserit, peribit. Vetera enim timoris sunt, noua charitatis של אהבה ישרה מלב שלם quæ est dilectionis rectæ ex corde integro secundum Magistros Nostros. Erit igitur Messiha exemplum uitæ omnium liberandorũ, à quo uniuersa dependet mundi salus, quę dicitur salus æterna, & exponitur à nostris per omnes dies seculorum, ubi legitur Israël saluatus est in Ihuh salute æterna. De quo nonnihil scribit̃ in lib. Cabalę Hacadma והוא סוד מלך המשיח שיבא במהרה בימינו שכל פעולתו החלה על וה וגם יה שהוא סוד יום השביעי והוא חשם שמו שלש והשלם כל המלאכה על ידו id est, Et hoc est arcanũ regis Messihę, qui ueniet cito in diebus nostris, cuius omnis operatio incipiet in u, h, & etiam i, h, quod est mysterium diei septimæ, & hoc nomen, est nomen suum integrale, perficieturq̃ omne opus in manu eius. Ecce definitũ est à sapientib. Cabalistis omnia per Messihã fore perficienda, & totam eius operationem fieri sacratissimis quatuor literis i, h, u, h, in mysterio diei septimę, non a numero uidelicet dierũ sic appellatæ, sed à transitu de uita actiua ad uitam contemplatiuam, id est, in ipsa quietudine animi & pacata tranquillitate, secedendo ab huius mundi nimia solicitudine, & à cementarijs operibus patratis. Scriptum est enim: Et requieuit die septimo ab uniuerso opere quod patrarat. Quamuis aũt Thalmudistæ multa regi huic attribuant nomina, ut intelligere licet ex plurimorũ doctorum allegationibus in libro Sanhedrin uolumine Heleck, citatis à capite, ubi scribit̃, Et Rabi Iohanan dixit, Messihæ quod est nomẽ: usq̃ ad locũ: Susceptiq̃ Rabi Eliæzer dicẽs: Dies Messihæ. Et post in multis eorũ scripturis sicut cõmentarijs in canticum synagogæ הוא נקרא ראש וראשון Exponuntur nomina Messihæ Silo, ijnon, Dauid, Hanina, germen, iustus, cõsolator, ea tamen singula putãtur

agnomina uelut imaginaria instar septem exemplorum illic recensitorum, quæ sunt, arca, propiciatorium, tabulæ, uirga Aaron, urna mannæ, & spiritus Dei. Sed iuxta Cabalistas unum hoc nomen ineffabile יהוה audistis quam sit proprium Messihæ, quod integrabit & perficiet nomẽ eius substãtiuum, docent enim credi oportere hoc esse nomen suũ integrale, quod pie sancteq; integrat in miserationibus, cui nemo Thalmudista inficiator subrepit, cum dixerit magnus ille Magister in Thalmud cõmemorato in loco, quod nomen Messihę ueniet appellandum consimiliter Hannina, id est, misericordia, citando uersum Hieremiæ 16. quem tamen licẽter ac impropríe Romani sic legunt, qui non dabunt uobis requiem. Sed ea non est etymologica interpretatio. Ita enim rectius me iudice legatur, quod nõ dabo ad uos misericordiam. Hoc Ionathan Chaldęus traduxit רחמין id est, miserationes, ut qui secundũ Thalmudistas dicere uellet, quod uobis ambulantibus in prauitate cordis, ut Deum nõ audiatis non erit Messiha qui nominatur miserationes; quo clare innnotescit ברחמים Id est, in miserationibus de medio i, h, u, h, nomen fore proprium saluatoris Messihæ, cuius & dignitas & officium tametsi rigore ac seueritate constet, iuxta regis Dauid uaticinium absq; ullius controuersia de ipso Messiha expressum, Iudicabit populum tuum, inquit, in iustitia, & pauperes tuos in iudicio, tamen quoniam iudicium, id est, מִשְׁפָּט secundum omnes Cabalistas cum iustitia etiam admittit clementiam. Sic enim legitur in Portæ lucis capite 4. כי המשפט חציו רין וחציו רחמים Id est, Quod iudicium est partim rigor, & partim clementia, quibus modis primi lapsus reconciliatio per iteratam unionem, & nouam quandam populi cum Deo desponsationem futura est, ut Hosea prædixit, Sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, in misericordia & in miserationibus, ubi ponitur ברחמים Nequis igitur putet illum ipsum Messihæ aduentum ex aliqua iuris necessitate ac non potius de gratia mera & dono Dei liberalissimo esse destinatum, recte imponetur huic saluatori nomen clementiæ inclytum, quod ex omnibus literis tam uocalibus quam consonante solam misericordiam & præterea nihil aliud significantibus erit compositum. Idq; fore conijcimus per sanctas quatuor literas, quibus tanquam notis & symbolis ineffabile depingitur, & per Sin consonantem quo nomen ineffabile nominatur. Tritũ enim in Cababa est q; hæc nota Sin exponit שין per Notariacon שם יהוה נסרא Id est, Nomen tetragrãmaton uocatum, hoc est, prolatum. Nullæ aũt sunt literæ aliæ quibus sola nude misericordia designatur, nisi hæ quinq; i, h, u, h, & consona Sin, i, s. De uocalibus quatuor in libro Portarũ iusticiæ sic legitur רוחו סור שאמ רול בי יהיה יוצא ממקומו יוצא ממרה רחמים Id est, Et hoc est mysterium quod dixeruut Magistri Nostri quorum memoria sit in pace, quod ecce quatriliterũ, inquit Micha, i, h, u, h, egredietur de loco suo, egredietur per proprietatem miserationum. De consonãte autem

Sin

Sin, uniuersi Cabalistæ qui non sunt nescij in Cabalistica גימטריא Sin literã totius in se cõplexus quatriliteri ex Arithmetica proportione rationem continere, haud inficias ibũt, eandem quoq; ab ea possideri proprietatem clementiæ ac misericordiæ. Omnium igitur hominum salus de sola Dei misericordia expectanda est, quod palam expressit Habacuk Deum sic alloquẽs, Cũ iratus fueris misericordiæ recordaberis. Vbi Dauid Camhi quam nostri appellant Kimhi, sicut alij pronunciant Rabi, & Alemania dicit Ribi per facilem uocis a in i conuersionem, ut & de Græcis ac Latinis extat par iudicium, illi enim grammatiki & logiki, nos grammatica & logica: illi mitir, nos mater, ita Samson Simson, & Camhi Kimhi, & alia plura. Ille inquam Dauid Iudæus Hispaniensis per nomen רחם, id est, misericordiæ illic positum secũdum arithmeticã proportionem Cabalistice, hoc est, symbolice intelligendum esse docet Abraham, quasi Habacuk sic diceret: O Deus, cũ tu ira peccati nostri tangeris, memẽto seminis Abrahę, cui promisisti, quod in eo benedicent uniuersæ cognationes terræ. Et rursum: O Deus, tu illum affatus es, benedicentur in semine tuo omnes gẽtes terræ. Vt autem indicaret Habacuk ipse, quod nam futurum esset illud semen, subiunxit: Egressus es in salutem populi tui, in salutem cũ Messiha tuo, ubi idem Dauid Kimhi sic scribit חרא משיח בן דור, id est, hic est Messiha filius Dauid. Aio igitur cum sapientibus Cabalistis omniũ nostri ueram salutem in Messiha pendere, quotquot attingimus illum. Quo fit, ut ab omnibus nos rebus creatis quoad possumus absoluẽtes per omnes gradus ascendere, ac migrare in eum conemur, ut ipsum si minus consequamur, at uel assequamur certe, pro singulorum quorumqúe uirili. Nam hic est noster ipse, in cuius aduentũ omnis lex à nobis etiã intellectualiter refertur, & non Moysi tantũ scriptura, sed & prophetarũ & quicquid in Hagiographis cõtinetur. Totũ nanq; in contextũ quod Esrim Varba, id est, uiginti quatuor nos dicimus, & uos Biblia nominatis, totũ inquã התורה, id est, legis appellatione nuncupamus. Vt in Danielis cap. 9. Ambulando in lege Domini Dei nostri, quã tradidit corã nobis per manũ seruorũ suorum prophetarũ. Hanc solam scripturã decreuimus tã stabilem & adeò esse firmã, ut super eam cogitatus omnes nostros tuto fundare queamus, & sublimes speculantium hominũ contemplationes haud perplexim locare, tum, quia summa Dei uoce promulgata sit, tum quia tãtis energiæ uiribus in hominũ contemplantissimorũ mentibus solet operari, ut per eã de quibuscunq; libet mistis ad simplicia, de simplicibus ad simplicissima, de causatis ad causas, & à mũdo deniq; inferiori ad superiorẽ, à superiore ad Messiham, qui mentis nostræ obiectum supremum, & in ultimo gradu conceptibile sit tanquã ad regem seculorũ ascendere ualeamus, per quẽ plane tandem in Deũ transeamus incõprehensibilem, tum etiam quoniã per has Sacras literas, quasi per scalam Iacob, cacumine tangentem cœlos, cui Deus

ipse innitatur nostri ascendũt angeli, & descendunt, uectores hinc precum inde donorũ, qui ultro citroq; portãt hinc petitiones, inde suppetias, ut ex uestris quidam ait. Et profecto nihil sentio aliud etiã, quod uel fingi posset animũ nostrũ arctius Deo perinde atq; aliquod stamen introtexere q̃; illam ipsam, cuius mentio fit sacram scripturã, quæ nos primo in diuinorũ admirationem ducit, tum in eorũ pro humano captu agnitionem, deinde in illum ardentissimũ qualitercunq; cognitæ diuinitatis amorem, præ se ferentẽ certissimũ spei effectum. Per hãc cũ Ezechielis animalibus & rotis de terra eleuamus, ut cum euntib. eamus, & cũ stantibus stemus. Hic est solus ueræ contemplationis campus, cuius singula uerba, singula sunt sacramenta, & singuli sermones, syllabæ, apices, pũctaq; eius plena sunt arcanis sensibus, non tantũ nobis authoribus, uerumetiã Christianis attestãtibus. Hæc est Cabala, quæ nos humi degere non sinit, sed mentem nostrã extollit ad altissimã comprehensionis metam, quæ tamen nequeat animã Messihæ rationabiliter transcendere, nisi quodam incomprehensibili intuitu, quasi uia momentanei raptus, quo putamus haud impossibile Cabalistis nobis in spiritu prope tertiũ mundum corripi, ubi est Messiha omnib. inferioribus influens. Mundi enim generalissimi numero tres sunt. Primus materialis, secundus formalis, & tertius informis. Scu quãdo sic uultis primus inquã infimus, qui & sensibilis, secũdus supremus & mentalis, qui & intelligibilis, & tertius ὑπερτάτος, id est, supersupremus, uel si dicere liceret, supremissimus, incomparabilis & diuinus. Mundum autẽ censeri primum, quo ad nos uolui hunc corporeum, cęteris subsistentem, ordine forte peruerso, qui iusta ratione in genere causarum fuisse debebat ultimus, quasi receptaculum omnium superiorum. Iste constituitur primo ex cœlis & cœlestibus, secundo ex elementis & elementatis, tertio ex natura humana & singularijs hominibus, qui dicuntur Hebraicè עולם חקטן Græcè μικρόκοσμος, & Latinè paruus mundus. Vniuersum hoc corpus, ut Aristoteli uestro placet in libro de mundo, est globus ex cœlo & terra, & ijs contentis naturis constitutus, quippe cum septem habitaculis cœlestibus, & septẽ habitaculis terrestribus, quæ quidẽ enumerat Rabi Mnahem Racanat in cap. 25. Leuitici nominib. istis primo ad cœlum pertinentibus. שמים רקיע שחקים זבול מעון מכון עבות גבשת חרבה תבל חלר. Secundo ad terram. ארץ ארקא. Septẽ quoque habitacula inferorum Ioseph Salemitanus in Horto nucis, ut paulo superius audiuistis, nominatim recitauit. De Microcosmo aũt id quoq; haud clam est omnibus nobis, ad hominis conditionẽ, quamlibet in partẽ respexeritis septem attinere, quæ sunt, corpus, anima, & ex ijs compositũ quod נפש appellamus, ut est illud regis Sodomoũ תן לי נפש, id est, Da mihi hominem, ex quatuor scilicet potentijs animæ compositũ, & quatuor qualitatibus mundi maioris, qui sane mundus cum sit animatus illustrat mente propria, quæ dicitur Metatron.

tron. Secundus est mundus supremus intelligentiarum separatarum, quę à Cabalistis appellantur שבלים נפרדים, à Philosophis autē Hebræorum רעות נפרדות. Eum quidem mundum & speciebus plenum, & formis, & mentibus solutis, & angelis, complectitur, ambit & regit ipsa Messihę anima, quæ apud Cabalistas est ideata Idea omnium uitarum, ad quam refertur omnis uitalitas indiuidualis, specifica, & generifica. Inde quasi ex uiuario depromitur uita omnis, & nominatur à Cabalistis terra uiuentium. לפיכך דרשו בפסוק תוצא הארץ נפש חיה למינה זו נפש של משיח id est, Ideoq́ commentantur in uersiculo: Producat terra animam uiuentem ad speciem suā, hæc est anima Messihæ. Quæ uerba leguntur ita in Portæ Lucis capite secundo. Et sicut in mundo humano qui dicitur Microcosmus, animæ hominis dominatur mens, ita mundo cœlesti dominatur Metattron, & mundo angelico dominatur anima Messihæ, & mundo incomparabili dominatur Adonai. Quin etiā sicut lux mentis est intellectus agens, ita lux Metattron est Sadai, & lux animę Messihæ est Elhai, id est, Deus uiuus, & lux Adonai est Ensoph. Cumq́ consultissimis rerum naturalium scrutatoribus facile uideatur superioris naturæ infimum, cū inferioris naturæ supremo cōmunicare, in tantū quidē, ut sæpius de proxime cōnexis dubitari possit, contigua sint an continua, & cuius nā existat naturæ illud, quo cōtinua uniuntur, haud secus atq́ id quo equi pes & eius ungula conueniunt, corneum ne sit an carneū, propter immediatam existentinm connexionem. Idcirco etiam nūc magis sine iniuria dici arbitror, quod homo Microcosmus & mundus sensibilis ille magnus, communicant in mente. Mundus item corporeus, & mundus intellectualis, cōmunicant in Metattron, qui est intellectus agēs primi mobilis, unus cū natura cœlesti tanquā inferiori, & cum natura angelica tanquā superiori: mundus aūt supremus, cū mundo tertio incomparabili, ac supersupremo communicāt in anima Messihæ, quasi essentia quadā utrinq́, & angelico & diuino mundo continua, nec enim interstitio ullo anima Messihæ, & Elhai distāt. Sed est Elhai fons aquarum uiuentiū & anima Messihæ riuus uitæ. Tertius mundus est Deitatis, qui constituitur ex eo, quod Seraphim uocauerūt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus tetragrammatus. Diciturq́ in Deuteronomio, Magnus, potens & terribilis, seu potius reuerēdus. Magnus ante creationem, potēs in creatione, & reuerēdus post creationē. Et hic est אחד id est, unus, imo magis proprie, principium unitatis, quia Aleph designat principiū, & had, unum, quasi principium unius, omnia in sua simplicitate unitatis complicans. Cuius talis est emanatio secundum Cabalistas רוח דבר קול, id est, Spiritus, uerbum, uox. Sic enim Rab Azariel in commentario sanctitatis, post etiam ea quæ nunc recitaui, scripsit his uerbis, מרוח יוצא הדבר והקול בלא פתוחת שפתים ובלא דבור לשון ולא נשמת אדם id est, Ex spiritu producitur uerbum atque uox, non per apertionem labiorum, & non

per sermonē linguæ, nec anhelitu hominis. Et hi tres unus est spiritus, quia unus est Deus, ut in libro Ietzira de creatione legimus his uerbis, אחת רוח אלהים חיים ברוך הוא ומבורך שמו של חי העולמים קול ורוח ודבר וזו היא רוח הקדש שהים רוח מרוח, id est, Vnus spiritus Deus uiuēs, benedictus ipse, & benedictum nomen eius, qui uiuit in secula, uox & spiritus et uerbū, & hoc est, Spiritus sanctus, duo spiritus ex spiritu. Hæc Abraham pater noster. Et iuxta id quod Rab hamai in libro העיון de speculatione scripsit. Hi tres qui sunt unum, inter se proportionem habent, ut אחד מיוחד יחוה id est, Vnus, uniens, unitum. Quin & paulo superius idem ait והם ראש ואמצא וסות, id est, Et sunt principium & medium & finis, & hæc sunt unus punctus, & est אדון הכל, id est, Dominus uniuersi. Sic in uolumine citato. Mundus itaq; ille tertius incomparabiliter summus ex istis tribus, quæ sunt unum constitutus, quasi ex summa essentia, potentia & operatione, in æternum & ultra extenditur, nec concauus, nec conuexus, nec carinatus, nec superficiem habens. Nam ut scribit Azariel in libro pridem allegato sanctitatis הוא ראשון בלי תחלה והוא אחרון בלי תכלה, id est, Hic est primus absque initio, & hic est ultimus absque termino, sane quo ne cogitatus quidem nostri pertingere possunt. & nominatur Ensoph, id est, infinitudo, quæ est summa quædam res secundum se incomprehensibilis & ineffabilis, in remotissimo suæ diuinitatis retrocessu, & in fontani luminis inaccessibili abysso se retrahens & contegens, ut sic nihil intelligatur ex ea procedere, quasi absolutissima Deitas per ocium omnimoda sui in se ipsa clausione immanens nuda sine ueste ac absq; ullo circumstantiarum amictu, nec sui profusa, nec splendoris sui dilatata indiscriminatim ens & non ens, & omnia quæ rationi nostræ uidentur inter se contraria & contradictoria, ut segregata & libera unitas simplicissime implicans, sic enim legitur in libro de fide & expiatione, כבי אמרתי לך כי המוציא יש מאין איני חסר רבי חיש הוא באין בענין אין והאין הוא ביש בענין יש ללמוד שהאין הוא היש והיש הוא האין id est, Iam dixi tibi quòd producens ens de non ente nullius eget, & quod ens est in non ente, quo ad rem non entis, & non ens est in ente, quo ad rem entis. Et infra. Quo discas, quod non ens est ens, & ens est nō ens, ita illic scriptum legitur. Istud autem omnem nostrum intellectum transcendit, qui nequit contradictoria in suo principio combinare uia rationis, quoniam per ea quæ nobis ab ipsa natura manifesta fiunt ambulamus, quæ longe ab hac infinita uirtute cadens, ipsa contradictoria per infinitū distantia connectere simul nequit, ut quidam Germanorū philosophissimus archiflamen dialis annos paulo ante quinquaginta & duos posteritati acceptū reliquit. Temporalium igitur curarū grauamine semoto, & aniliū disputationum sophismatibus contemptis, felix Cabalista per Cabalam, id est recepti & crediti semitiam tenebras erumpit, & prosilit in splendorem, quo attingit lumen, & sic à lu

mine

mine migrat in lucem, & per lucem quantum humana potest capere natura, illud uerum luminare comprehendit sub modo entis, non autem nõ entis, nisi fiat hoc per omnium abstractionem, quæcunque non sunt principium absolutè primũ. Cumq; frequenter hac uia per ineffabile gaudium & alacritatem spiritus ipsa mens Cabalistæ intra profundæ taciturnitatis secretum humilia deserens atque terrena, ad supercœlestia & inuisibilia transfertur, omnem transcendentia humanũ sensum, tunc & si adhuc mortali in cute hospitatus, tamen socius fit angelorum, perinde atq; domicilij supercœlestis quidã inquilinus, cuius tam crebra conuersatio in cœlis esse cognoscatur, & tum quandoq; cum illis tanquam uiarum suarum comitibus ad altiora spaciatur, animamq; Messihę uisitat: quandoq; aũt ad inferiores, tam cœlestes quã cęteras naturę uirtutes angelico ductu, nec tamen sine propria quoq; ratione descendit, & earũ dignitates operationesq; intelligere, ac singulari honore uenerari studet. Vnde oritur intima Cabalistæ cum angelis amicitia, per quam aliquando nomina diuina rite cognoscens, res admirandas conficit, quæ uulgus miracula nominat, ut Rabi Meir per nomen diuinum, uel ab Ethnico prolatum, ipsam uxoris suæ sororem à corruptione diuersorij lupanaris præseruauit, quam ui prostitutam nullus ganeorum uerbo dicto etiam quantumuis robustus uiolare ac stuprare ualuerat. Hæc in Portæ lucis exordio, & alia id genus plurima cum suis authoribus recitãtur. Tamq; facilis eiuscemodi erat patrum memoria Cabalistis miraculorum operatio, ut hi ab inuidis & prophanis sæpius ignominiosé uersu Magici cognominarentur, quasi nõ illa opera perfeciſſet Michaël, sed multo maxime Samael, uidelicet per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam, tametsi uirga Cabalistarum semper deuorat uirgas præstygiatorum, & salubris agit quodcunque diuinum quam ullum dæmoniacum. Semper enim ad hominum salutem tendit Cabalæ artificium, contra uero semper ad perditionem uergit magicæ uanitatis ueneficium, hoc per nomina tenebrarum & cacodæmonum, illud per nomina lucis & beatorum angelorum, de quibus nisi more nostro Sabbathi feriatus dies iam uesperi hac ipsa hora ingrueret, quoniam huc attinet, tanquam huius artis fructus, quem adeo desideratis, ego sane tum quicquid sentirem magis ample tractarem. At parum abest quin nox ruat optimi uiri, secedendumq́ue nobis est, non modo ne præcepti negligens mulcta uapulem, uerum ne etiam professioni Cabalicæ desiam, si hoc Sabbatho ultra Sabbathai, qui est Saturnus suprema arcana & recondita labore operoso effodiam, ac non potius silentio remorer, & ocio perfruar tantisper, dum sequens dies prætereat. Cætera hic perendie uel quotoquoq́ue loco, utut elegeritis de arte Cabalistica explanabimus. Tum Philolaus: Es inquit, difficillimas dicendi partes sortitus nostri causa, qui postmeridiem adortis nobis tot res tam admirandas & tanto nu-

mero perpetua oratione protulisti, quanquam nulla plane moueri uisus molestia. Et ille tũ: Amor, inquit, erga uos meus ut spero mutuus, omnem molestiam abstulit. Quod nisi adessent feriæ, non putarem mea interesse uos tales ac tantos discendi gratia huc profectos, ita Cabalæ doctrina ieiunos & inexpletos dimitterere, sed parendum est legi. Ad hæc Marranus: Ego uero Simon recte fateor, nunquam me à cuiusquam conspectu magis doctum abiisse, mihiq; uel si malis ambobus, ut pro hoc quoq; recipiam abs te quidem cumulate quantum id temporis pati creditum est satis esse factũ. Mox Philolaus, Tu solius inquit tui causam Marrane agas uelim, ego nondum istis quanquam maximis & ad doctrinam Pythagoricam familiarissime accedentibus, tamen auidiori mihi copiosius hauriendis, foresatisfactum putauero, si non comperendinata dies finem artis afferat. Quare post Sabbathum istud tuum Simon, quando singulari tua comitate nos ita fers, redibimus. Et ille, redite dum ait intrepide, ac interea ualete bona ualetudine.

IOANNIS REVCH lin Phorcensis, legum doctoris, Liber Secundus.

ABeuntib. inde utriscq; Philolao iuniore, Marranoq; domũ, uarius inter eundũ erat sermo, & non ineptus, quippe doctis supra modũ Philosophis de hoc ipso Hebræo, cuius cũ summa doctrina singularem etiã commendabant erga peregrinos humanitatẽ, & in omnibns atq; præ omnibus morũ dignitatem. Placuerunt cuncta eius hominis, præter unum istud Sabbathum futuro, ut iudicarunt, tędio plenum, quo à tanti magistri gratissimo colloquio diuellerentur, & in diem reiicerẽtur usq; adeo tertium, nõ absq; temporis molesto dispendio, cũ quid acturi essent luce crastina, ignorarent. Tum ambulando ita ruminati acceptæ succum doctrinæ, breues dictorum epilogos mutuo percensebãt. Ardentibus autem illis discendi feruore uenit in mentem & rediit subito in memoriã admirabilis uiri Iudæi oratio, disputandi acrimonia, institutio grauis & erudita quæ sine satietate delectet, non fucata, non colorata, sed quę ubi maxime careat floribus, ibi plurimum pariat fructus. Cumq; seiam ab itinere in diuersorium corripuissent, mox in ipso consessu antequã respirassent cœpit ita MARRANVS. Omnium sapientum quos equidem à teneris audiuerim annis, haud scio an ullus fuerit unquam qui argutior in dicendo, & sublimior in sentiendo uisus mihi sit hoc uno Simone, quẽ uel reminiscens

iam

iam memoria teneam, ita sermone suo tametsi plano, simplici, non affecta-
to, non domi quæsito, minimeq; Demosthenis oleum olente, sed magis
extemporali & quotidiano meum animũ ad ardua contemplanda excita-
uit, ut nihil conceperim gratius. Dij boni, homo Iudæus ex Iudæis ortus,
alitus, educatus, & edoctus, quæ natio ubiq; gentium barbara, superstitio-
sa, uilis, abiecta, & à splendore omnium bonarũ artiũ aliena est habita, per-
petuã crede mihi hãc noctẽ procliui desiderio meo uiri huius uidissem uul
tus, audissem uerba loquentis, si nõ miserũ hoc uesperi Sabbathũ interue
nisset. Tum Philolaus. Ne Græci quidẽ omnes, inquit, quib. omnium con
sensu tribuit multarũ artium disciplina, ingeniorũ acumen, dicendi copia,
tam ascendere potuissent in alta rerũ arcanarũ fastigia, nisi forte unus Py-
thagoras ille meus, philosophiæ pater, tamẽ qui nõ à Græcis eam doctri-
næ præstantiã quin potius ab illis ipsis Iudæis receperit. Itaq; receptor op-
timo iure ipse quoq;, id est Cabalista nominandus erat, quãuis ut post diu-
turnã peregrinationẽ è longinquo aliquid admiratione dignũ referet in pa
triam, quod facilius uulgo crederẽt, ipse nomẽ illud Cabalæ suis incogni-
tum, primus in nomẽ philosophiæ Græcũ mutauerit. Quod eo argumen
to recte coniicimus, quia nullam discipulis suis reliquit aliqua ratione per-
quirendi facultatẽ, quin id primũ sui dogmatis principium esse uoluit, ut
quærentibus causam, responderent αὐτὸς ἔφα, id est, Ipse dixit, more Caba-
listarum, qui ferme haud aliter rerum cognoscendarũ rationes citãt, quàm
quod aiunt אמרו חכמים id est, Dixerunt sapientes. Sic noster ille αὐτὸς ἔφα,
id est, Ipse dixit. Ipse autem idem est Pythagoras, qui hoc modo philoso-
phiæ nomen indidisse perhibetur, quoniã summi Hebræorum authores
Hachamim, & Græcorũ ante se olim Sophi cognominarẽtur, ita ueterem
disciplinã noui conatus est nominis ornamento uestire. Nõ aũt eo tibi de-
bent minori præconio digna uideri quę Simon Iudæus protulit quod sint
ab ignobili Hebręæ gentis doctore tanquã ex barbaris authorib. desum-
pta, & ab homine barbaro allata, quando idem omnium maximus noster
Pythagoras simul cũ barbaro quodam nominis Zora scientiarum prima
studia iniit, adeoq; id extra Græciã, quo tempore apud Ægyptios secum
philosophati sunt, qui tum dicebantur prophetæ & Assyriorum Chaldęi
& Gallorum Druidæ, & ex Bactris Samanæi, & Celtarum non pauci, &
apud Persas Magi, & apud Indos Gymnosophistæ, & ille Anacharsis
apud Scythas, & in Thracia Zamolxis ante ipsius Pythagoræ seruus, q̃d
omne Alexander ille cognomento Polyhistor in libro περὶ πυθαγορικῶν συμ-
βόλων, id est, de Pythagoricis notis scriptum reliquit, & apud Indos denic̃
Iudæi quos appellarunt Brachmanas, ut Aristobulus peripateticus memi
nit. Sane licet uera dicere, non est certe usquam repertus Pythagoras quic-
quam rerum aut diuinarum aut humanarum uel à Græcis didicisse uel à
Romanis. Sed ut Antiphon edidit in libro περὶ τοῦ πρώτου εὑρετοῦ, id est,

id est, de uita eorũ qui uirtute præstiterunt. Accessit discẽdi gratia Pythagoras ad Ægyptios & Arabas, & ad Chaldæos postquã è Syria quæ & est & nominat̃ Iudæa Phereciden sibi magistrum & præceptorẽ nactus fuisset. Vnde Syrius uulgo ipse quoq; tũ appellabatur, quẽ alij Tyriũ dixere, alij Tyrenũ ὥστε βάρβαρον ἀλλ' οὐχ' ἕλληνα γεγονέναι ἐῶσιν ὁμολογεῖν τὸν πρῶτον φιλοσόφων, id est, ut barbarũ & nõ Græcum fuisse prædicarent hunc omniũ philosophorũ primũ. Hæc Marrane conuiua mi doctissime penes Eusebiũ Pamphili scripta legisti certe scio, in uolumine, si rite recordor, de præparatione euangelica undecimo, qui & hoc edididit μόνον ὅτι παρὰ τῶν σοφῶν ἑλλήνων ἔσχεν οὐδὲν, πενίᾳ σοφίας καὶ ἀπορίᾳ συνοικούντων, id est, Tamẽ quod à sapientib. Græcis habuit nihil, penuria sapientiæ ac indigentia cohabitantiũ. De quibus, ut est in Timæo Platonis, barbarus quondam Ægyptius, isq; ualde senex, uere admodũ uisus est Soloni dixisse, O Solon Solon Græci semper pueri estis, nullam habentes antiquã opinionem, nullam disciplinã tempore canam. Nec illud non erit maxime laudandũ in Pythagora præstanti sapientia & nobilitate uiro, quod in alieno & longinquo solo, quæ à Barbaris hominibus labore ingenti algu & sudore multa commentatione atq; meditatione, nõ paucis etiam annis corrasit, ea non dicã meliora, sed tamen splendidiora in patriam, ac usq; adeo in Italiam quæ tunc magna Græcia dicebatur, ceu humeris ipse suis reportauit, cum incredibili cunctorũ de se atq; suis sectatoribus admiratione, ita ut omnis qui sapientia & doctrina excelleret, Pythagoræ auditor fuisse crederetur. Vnde philosophia Italica potissimum ab illo nomẽ accepit. Astipulatur huic laudi Numenius Pythagoricus in primo uolumine de bono, cum ait, quod Plato atq; Pythagoras quæcunq; Brachmanes Magi, Ægytij, Iudæiq; inuenerunt, ea Græcè ipsi exposuerunt. Quo uehementissime suspicamur, uerum esse quod asserunt uiri doctissimi, & uariarum linguarum periti, Iudæorum quæq; tam recepta quam inuenta exponi alienis furtis hinc Græcorum inde Latinorum, nihilq; nostrum esse in philosophia quod non ante Iudęorum fuerit, quantumuis hoc seculo adimatur eis merita gloria, & nunc uniuersa eorũ contemnantur, quoniam præsens ætas omnium studiorũ explicationem magis illustrem perpolitãq; desiderat. Tum uera optime Philolae refers, inquit Marranus, quo magis assentiar Euripidis Hecubæ λόγος γὰρ ἐκτ' ἀδοξούντων ἰὼν κ' ἀκτῶν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταυτὸν σθένει. Id est, Sermo nanq; ex inglorijs progrediens atq; gloriosis, idem nõ idem ualet. Nam si Aristoteles aliquis aut Theophrastus quispiam ea protulisset quæ nos Simon hodie docuit, nihil omniũ sententia esset dignius auditu, nihil grauius, nihil memorabilius, addidisset tantũmodo dicendi genus magis æquabile, & aliquem eloquentiæ fucum. Nũc quoniã Iudæus est, qui suo more aggrestius paulo et pressius rem omnem tractauit, haud dubiũ, quin sordida sint futura in auribus illorũ nostro æuo sophistarum, ut ipsi sibi uidentur, plane per subtilium,

lium, si qui audiant aut sint audituri, uel potius uniuersis nũc aut praue aut stulte philosophantibus, appareant implicata, obstrepera, hiulca, ieiuna, horrida, rusticã asperitatem & peregrinã insolentiã sonãtia: tametsi, etiam ut mos eorũ fert, prius non quantum oportet examinata quidem, quasi aurum, non sit aurũ quod in luto quærimus. Post uero quam ab hoc iam homine in diuersorium ecce nostrum recta uia nullo monstrante rediuimus, quando cœna forte nobis pręstinata nondũ est, consulo ut quisq; sua reciemus inter nos, præsertim digniora quæ audiuimus, & figamus memorię, ne labant dum recens omnia tenemus. Et Philolaus quã prudenter ait, illa præcogitasti Marrane, sic enim ad audiendum paratiores uirũ accedemus perendie post hoc Sabbathi monstrũ cultaq; ludæo, ut ait Ouidius, septima sacra uiro. Interea tu sellam hãc arripias ego alterã, & considentes dicamus celeriter de omnib. donec adparẽtur quæ ad cœnã congruãt, Cæterũ ne detur frustra contẽtioni locus cũ soli simus, id enim aliud nihil esset q; tempus perdere, tu prior quicquid in buccã uenerit uel præteritorũ aut præsentiũ recordandi uel commentãdi gratia quocũq; accidat modo, eloquere. Sic igitur Marranus exorsa texuit. Et quanquã negocium omne, inquit, circa quod postmeridiano hoc tẽpore conuersati sumus, mihi singula examussim perpendenti, uideat esse altius quàm ut id nos humi strati suspicere possimus, tamẽ sæpenumero quæ hominibus prima specie aparẽt ardua & impossibilia, tandẽ cõtinuis & indefessis exercitationibus, duroq; labore fiunt, & plana & facilia, iuxta Maronis illud: Labor omnia uincit. Idcirco libenter in mediũ conferam, quę ab isto me audiuisse memiuero, addamq; illis quid ipse sentiam. Hebræus sane præceptor noster de Cabala nobis petentib. tractaturus cõmodum ostẽdebat, eo nomine quid sit intelligendũ. Nã Cabala receptionẽ designat, simul & hoc attulit, quod ea nostris animis esset insita semper ad summa conditione naturali tendentibus, quapropter eius desideriũ nobis constaret ingenerari & quod summæ res ac diuinæ sublimiores haberẽtur, atq; digniores quam quod ratione humana cõprehendi ac discerni queant. Id aũt triuiale idoneis peripateticis est dogma, ut enim principio meos Arabas, cũ quibus mihi extat solita familiaritas citare liceat, Alpharabius in libro quẽ de Scientijs pręscripsit, hac utitur sentẽtia, quod res diuinæ ac pia fide credibiles, sunt altioris ordinis, cũ sint assumptæ ab inspiratione diuina, quoniã in eis sunt secreta diuina, à quorũ cõprehensione debilitãtur rationes humanæ, neq; consequuntur ea, hæc Arabs ille, quod & Simon noster affirmauit, qui eos ordines appellat regiones, & in animæ nostræ tertiã regionem constituit res incorporeas, ac subsẽtias ab omni materiæ pensione liberas & immunes: nõ quę Antisthenes cogitauit phãtastica illa & logica uniuersalia, sed ipsas inquã reales formas, species, ideas, essentias, q̃ sunt res altissimę, circa quas uersant Cabalistæ, ut audio, contemplationib. suis propemodum narrabilibus,

& ea

& ea singula, quę nos sentire aut scire arbitramur, huc conferũt, ac demum uniuersa in unum, quod est ipsum bonum atq; primũ per media reducunt tanquã ad nostræ mentis saluberrimum finẽ. Quod Aristoteles in 14. lib. eorũ quæ post naturalia scripsit, id quod est αὐταρκες καὶ ἡ σωτηρία, id est, Sibi sufficiens & salus esse dixit, & Simon Hebraicè ישועה nominauit. Sicut & regius Psaltes ait: Domini est salus, & super hanc generis humani salutem, omniũ Simon Cabalistarum fundamenta iecit, quæ nec sint à ratione inuestigãda, nec per rationẽ inuestigata, ut quib. nec sensus præbuit hypostasim, nec intellectus disciplinã, summa enim sunt, & quorum causa nequeat adæquata reperiri, à quorũ cognitione disertissimus sectæ peripateticę Theophrastus scientiæ abstulit facultatẽ, sic enim in suis supernaturalibus scripsit. μέχρι μὲν ἔν τινων δυνάμεθα δι' αἰτίας θεωρεῖν, ἀρχὰς ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων λαμβάνοντες, ὅταν δὲ ἐπ' αὐτὰ τὰ ἄκρα καὶ πρῶτα μεταβαίνωμεν, οὐκ ἔτι δυνάμεθα, εἴτε διὰ τὸ μὴ ἔχειν αἰτίαν, εἴτε διὰ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν, id est, Vsq; ad aliquid quidẽ possumus per causam speculari, principia à sensibus sumentes, quãdo aũt ad ipsa extrema & prima transierimus, nõ amplius possumus, siue propterea quod non habemus causam: seu propter nostrã infirmitatem. De supernis enim & diuinis, quibus nihil est prius, undenã quæso posset demonstrationis aliquod mediũ sumi? Quare Plato ait in Timæo, quod illa explicare plus est quã nostræ uires sufficiant, credi aũt ijs iubet, qui ante dixerunt, quanquam nulla demonstrationis necessitate loquant. Hęc ipsa Platonis uerba & ueri sapientis mãdata ego tanti existimo, ut ea oraculi mecũ loco duxerim habenda. Et si ulla Cabalæ rata & stata fundamenta sunt, hæc sunt. Quapropter acerrimum diuinæ cognitionis mera & nuda fide cõstantis, hostem & insidiatorem arbitror, logicũ esse syllogismum, qui Theosophistarum ausu atq; usu, Deũ & angelos, mentesq; beatas & simplicissimas ultra mũdani seculi uirtutes, & omne simul æternitatis agmen, & quicquid est usquã historiarum de rebus supernaturalibus, id totum humanæ mortalitati subijciat rationis discursu inueniendum, probandum, dirigendum. Perinde atque illas tam illustres substantias in Tullianum aliquod includere conetur. Hoc nimirum est Iouem uincire uelle, ac salice uiminea, aut resti nautica ligare. Quod ne Thetis quidem authore Homero permitteret, aut Centimanus Briareus ille ægęon. Quo magis contentiosos theologistas & nugiuendos sophistas iudicabo cœlitum & supercœlestium expugnatores non minus esse quam Aloidas geminos immania corpora, ut ait Virgilius: Qui manibus magnum rescindere cœlum aggressi. Haud secus atque Sinaaritas ac Babylonios olim filios Adam, hoc est, ex humana imbecillitate quam in se nõ agnouerunt prognatos, turrim altissimam exædificantes, cuius culmẽ pertingeret usq; ad cœlum, primores בל בל id est, confusionis authores. Vnde Babel, quã uos Babylona dicitis, nec alterum alterius linguã intelligentes. Per hos enim garrulos syllogistas

giſtas in rebus credēdis pietas erga diuinorum uniuerſitatem omnis amittitur, atq; uincēdi ſtudio fraternum odiū concitatur, uenaticos canes ad ſeditionem paratiſsimos, ſummæ contemplationis uenenū orbe toto expellendum. Triumphent hæc ſi phas eſt ſyllogiſmorum artificia, in natura & humanis inuentionibus atq; figmētis. Sed in ſacris oraculis locum ſibi ne ſperent ullum. Hoc enim Parmenides apud Platonem de ſubſtantijs ſeparatis Socrati dogma tradidit, ita dicens, ἀλλὰ ὁμοίως ἡμεῖς ἐκείνων οὐκ ἄρχομεν τῆ παρ' ἡμῖν ἀρχῆ, οὐδὲ γιγνώσκομεν τοῦ θείου οὐδέν, τῆ ἡμετέρα ἐπιστήμη, id eſt, At ſimiliter nos illis non imperamus noſtro imperio, neq; cognoſcimus diuini quicquam noſtra ſcientia. Ei ſermoni & peripatetici aſtipulantur, et Ariſtoteles ipſe tum artifex tum organum, ut aiunt, ſciendi, cum in reſolutiuorum poſteriorum uolumine primo, immediatorum ſcientiam eſſe indemonſtrabilem affirmat. Poſt paulò inquit, Et non ſolùm ſcientiam, ſed & principium ſcientiæ eſſe aliquod dicimus, quo terminos cognoſcimus. Principiū ſcientiæ Themiſtius ibi appellat noſtram mentem, terminos uerò ex quibus uidelicet componuntur dignitates maximę ſubiectū et prędicatum. Sed Philoponus qui uulgò nominatur Ioannes grāmaticus explanuit hęc non parum ſublimius & uerius, ita ſcribēs. ὁ μὲν φιλόσοφος τὴν ἐξήγησιν τοῦ προσκειμένου ῥήτου οὕτω ἀπέδωκεν. ἀρχὴν μὲν ἐπιστήμης τὸν νοῦν εἴλη φώς οὐ τὸν ἡμέτερον ἀλλὰ τὸν θεῖον καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς. ὅρους δὲ τὰ νοητὰ καὶ θεῖνα εἴδη. ὅρους δὲ αὐτὰ καλεῖσθαι διὰ τὸν πέρατα εἶναι ἁπάντων, Id eſt, Philoſophus hic quidem enarrationem præiacentis dicti ſic tradidit Principium quidem ſcientię, Mentem accipiēs, non noſtram, ſed diuinam & ſupra nos. Terminos autem ipſas intellectuales & diuinas formas. Terminos quippe illas uocari, propterea quod fines ſint omniū. Cognitio itaque ſupernaturalium creditorum à mente pendet, non à ratione, quæ ratiocinando poteſt errare. Sic enim idem ſcribit Ariſtoteles ἐπιδέχεται τὸ ψεῦδος οἷον δόξα, τῆς λιγισμός, Id eſt. Suſcipit falſum, ut opinio, ita etiam logiſmus, quod eſt ratiocinatio. Vnde ſyllogiſmus nuncupatur. Idem denique concludit poſteriora ſic. Scientia, inquit òmnis cum logo, id eſt, cum ratione eſt. Principiorum, ſcientia quidem non utiq; erit. Quoniam autem nihil uerius contingit eſſe ſcientia quam mentem, mens utique erit principiorum, Principia uerò dicuntur res primæ, & Heſiodus priſcique omnes Theologi Deos fecerunt eſſe principia, igitur hæc cognitio propriè nominatur diuina, Et ut in poſtnaturalium primo ille idem Stagirita ſcripſit, eius eſt poſſeſsio δικαίως ἂν οὐκ ἀνθρωπίνη Id eſt, Iuſtè utique non humana, quod uel ſolus uel omnium maxime illam Deus habeat, & indignus ſit homo quærere circa eum ullam ſcientiam. Deus enim ſolus hunc habet honorem iuxta Simonidem. Sed cum nobis nihil magis conducat ad beatitudinem quam ſummarum & diuinarum rerum cognitio, qua te rogo, uia Philolae alia homini ad eas pergendum eſt, ſi non ſcientia? quibuſue modis comprehendenda tanta ſum

mitas? Tum PHILOLAVS, Per ecastor ipse tu, iter ostendisti planum atq; patens. Cum enim quinque sint cognitionum opifices, Ammonio teste, post Aristotelem, qui eorum quatuor tantum in primo de anima libro meminit. Sunt autem νοῦς, διάνοια, δόξα, φαντασία, αἴσθησις. id est, Mens, discursus, opinio, imaginatio, sensus, Mens quidem & sensus non syllogissant, alterum longè superius, alterũ multò inferius ratione. Sed nec imaginatio quoque cum sit statio sensus & apparitionum inde migrãtium reseruatio. Sensibus aũt nequaquã ratiocinantibus ne putandũ quidẽ est apparentia sensum ratiocinari posse. Restabunt igitur opinio & dicursus, at opinio est ipsius discursus conclusio, quapropter ea ipsa non syllogissat, soli ergo discursui, quæ diancœa nominatur relicta est syllogissandi facultas, hucusque Ammonij sententia est in commentarijs, quę edidit ad Aristotelis prima resolutiua. Et quoniam attigi enumeratione comprehensiones & comprehensa breuiter, ne uagetur oratio mea longius, opinor diuina esse suprà syllogismum, nec ratione humana intelligi posse, quę nõ ducant originẽ cognoscendi à sensu, sed ex mera dependẽt fide, tantum ob amorem reuelantis recepta & hominum beatitudinem credita, sunt tamen plurima sanè, quæ sic diuinæ se speculationi sępe immiscent, ut unius familię solent quandoq; liberti et inquilini commune sibi nomen usurpare, atq; illa crebro, ita enim fateor, se à theologica facultate tractari patiuntur, quia uel aliqualem ordinem obtinuerunt ad Deum, aut per se aut per reductionem, uel alia fortè ratione ut creationis, cõseruationis, perfectionis, iustificationis, beatitudinis, salutis, & similiũ. De illis equidẽ non cogito in pręsentia, quod sciã ea naturaliter nobis cognita fieri, quorũ aut in postnaturalib. affertur ostẽsio, q̊d sint, aut in theologicis, propter quid sint. Permitto nimirum illis rationem quippe à sẽsu quondã ortis & discursui humano deditis, sed quorũ ueritas à sola pẽdet authoritate reuelantis, eorũ haud arbitror esse scientiã, nec illis dominari syllogismũ uelim. Sed id tantũ quod omnibus erit præstãtius fides, quã qui habet, is ab Aristot. in prioribus resolutiuis appellatur βέλτιον διακείμενος ἢ εἰ ἐτύγχανεν εἰδὼς, id est, melius dispositus q̃ si esset sciens. quod explanauit ita Philoponus, id esse, melius cognoscere, q̃ per demostrationem. Ad hæc Marranus, Assentior tibi Philolae, inquit, & tecum quoq; illa ipsa, quæ meræ sunt fidei, & pura credibilia ueto subiecta esse logicis tendiculis, quę planè magis sunt contemplantibus detrimento, quam lucro, id que nostri pariter asseuerant tam Gręci quam Latini. Heronymus ille Dalmata in Psalmum centesimum quartum scribens, syllogissandi artẽ theologiæ applicatam comparat plagis Aegyti, & sic ait, Cyniphes dialecticę artis stimulus intelligitur, quæ licet paruum uideatur re ipsa habere seductionis aculeum, grauissimè tamen sauciat mentes humanas. Quapropter doctissimus iste uir hanc technam quã & uanitatem sensus, & obscuritatẽ mẽtis agnominat, omnino ab Hebraicis dimouit studijs atq; reiecit, cũ sæpe

aliàs

aliàs tum apertiſſimè ad Damaſum de quæſtionibus ſibi propoſitis, quando in ſecunda ijs uerbis utitur, De Hebraicis diſputantem, non decet Ariſtotel. argumẽta cõquirere. Et in Pſalmo cẽteſimo quadrageſimo tertio de theoſophiſtis ita ſcribit, Qãdo tecũ cœperint diſputare, ſic uerba eorũ breuia ſunt, ſic artifici ſermone cõcluſa, ut euadere tibi difficile ſit, cũ enim te ligauerĩt ſyllogiſmis ſuis, et te clauſerint, et quaſi maceriã ſyllogiſmũ tibi texuerint ac ædificauerint, nõ poteſt corruere, nõ poteſt tranſire, teneris incluſus, non eſt ruina macerię, neq; trãſitus. Cunq; ibi tenuerint te quaſi quodã giro incluſum, tũc non eris in anguſta uia, quę ducit ad uitã, ſed in lata quę ducit ad mortem, ἐπεὶ καὶ ἡ τῆς ἁπλότητος πίστις, βελτίων ἐστὶ τῆς ἐκ περιεργασίας πιτανολογίας, id eſt. Qoniam & ſimplicitatis fides melior eſt quam curioſitatis perſuaſiua ratio, ut dixit Athanaſius in libro tertio aduerſus Arrianos, confirmat hoc idem in opere contrà Græcos, quod incipit, ἡ μὲν περὶ τῆς θεοσεβείας καὶ τῆς τῶν ὅλων ἀλιθείας γνώσις, οὐ τοσοῦτον τῆς παρὰ τῶν ἀνθρώτων διδασκαλίας δεῖται, ὅσον ἀφ' ἑαυτῆς ἔχει τὸ γνώριμον. id eſt, Ipſa quidem de cultu diuino & de uniuerſorum ueritate cognitio, non tam inſtituta ab hominibus doctrina eget, quàm ex ſeipſa habet notorium ſuum. Sic Athanaſius. Hoc nihil eſſe uerius quiſque ſibi conſtituat. Quo enim dicendi ſtudio, aut quo perſuadendi conatu opus erit eius, quod mea ſponte paratus ſum credere, quod que iam ſolo erga reuelantem amore meo, ac ſingulari ueneratione libenter recepi, ne minimæ quidẽ rationis ui coactus aut inductus, quam ſaltem tenebricoſa in hoc corpus demerſi ac uincti animi obtuſitas poſſet excogitare. Multo uberius hæc tractat Iuſtinus ille philoſophus Chriſtianus in libro de recta confeſsione iambum priſcum iſtuc citãs. οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποισι τῶν θειῶν σαφὲς, id eſt, Nihil enim hominibus diuinornm manifeſtũ, qui & Socratis fluxit ab ore. Fertur ita Xenophontis Socratici ad Aeſchinem epiſtola, ubi omnibus, inquit, patet diuinas res cognitione humana comprehendi non poſſe, quare ſufficit piè ipſos Deos ex animo colere, quales autem ſunt nec inuenire nobis poſsibile eſt, nec phas quęrere, nec enim ſeruis conducit, nec eis laudabile dixerim, ſi dominorum ſuorum conſilia, niſi quantum ad miniſterium ſuum pertinet, ſcrutari uoluerint. Et ut de Socrate, aliorumq; philoſophorum ſectatoribus ſcripſit idem in Memorabilibus, ἐθαύμαζε δ' εἰ μὴ φανερὸν αὐτοῖς ἐστὶν, ὅτι ταῦτα οὐδυνατὸν ἐστὶν ἀνθρώποις εὑρεῖν, id eſt, Mirabatur autem uidelicet Socrates, ſi nõ manifeſtũ ipſis ſit, quod ea non eſt poſsibilè hominibus inuenire. Talis ſemper fuit omnium ætatum, & omnium fermè religionum ſententia, ut humano intellectu non capiantur, quę prius in hominis ſenſu non fuerant, & quæ intellectus non capit, ea nec ratio diſcutit, quę autem ratio non diſcutit ea neq; ratiocinationis diſcurſus quam διάνοιαν uocant iudicabit, quod tum maximè diuinitus reuelatæ ueritati congruit, etiam ſi de earum aliqua imaginarios nobis animi cõceptus formemus, ut quicquid religiosè pieq; receperimus id argumen-

tationis uiolentiæ non ſubdamus, uel ullo nobis phantaſmate propoſito. Maiores itaq; imitatus ille Nazianzenus Gregorius, qui eminet inter omnes noſtrates in omni theologicæ facultatis genere, omni uerborum & ſententiarum uenuſtate, ſimul & grauitate, huic doctrinæ haud abſimilirer abſtipulatur in libro theologiæ ſecundo affirmans, τὸ, μὴ ληπτὸν εἶναι ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ τὸ θεῖον, μὴ δὲ ὅλον ὅσον ἔστι φαντάζεσθαι, id eſt, Non comprehenſibile fore humano diſcurſu diuinum neq; totum quicquid contingit imaginari. Ne mi tu Marrane Chriſtianorum me prorſus expertem, aut negligẽtem ſuſpiceris Philolaus reſpõdit, memini Athenagoram philoſophũ Atheniensem ad imperatores M. Aureliũ Antoninũ & L. Aur. Cõmodum pro Chriſtianis legatũ ſic dixiſſe, ἐπεὶ καὶ δι' αὐτῶν τῶν δογμάτων, οἷς προσέχομεν, οὐκ ἀνθρωπικοῖς οὖσιν, ἀλλὰ θεσφάτοις καὶ θεοδιδάκτοις πεῖσαι ὑμᾶς μὴ ὡς περὶ ἀθέων ἔχειν δυνάμεθα. i. Atqui & per ipſa dogmata, quibus innitimur non humanis certè, ſed diuinitus miſsis, & Deo doctis, perſuadere uos, non ſicut de prophanis tenẽtes, poſſumus. Vbi aliter de prophanis perſuaderi, aliter de diuinis inſinuat. Tametſi aliquãm ultos ex uobis nouerim, qui omnia logicis adinuentionibus confundũt, et ſuſq; deq; naturalia mathematicis principijs, ac rurſus theologica naturalibus ſtatuunt, confirmantq;. Sed haud quaquam cauſæ diuinæ ſunt naturalibus pares, nec ualent naturalia dirigere diuina, longeq; minus illa, quæ ſola fide conſtãt, ulla ratione poſſunt demonſtrare humanitus ſcibilia. Sicut nec ea quæ ſunt purè credita neceſſariò inferunt nuturaliter ſcita, præſtantiſsimus enim ille ueſter Dionyſius Areopagita, quem ego aut reliquias, aut imaginẽ Pythagoreorũ, ut arbitror, haud inſipiẽter exiſtimauerim, ſuper theologicis iſtis cognitionibus in libro ſuo de diuinis nominibus, ita loquitur, οὐδὲ γὰρ, inquit, ἀκριβὴς ἐμφέρεια τοῖς αἰτιατοῖς καὶ τοῖς αἰτίοις, ἀλλ' ἔχει μὲν τὰ αἰτιατὰ τὰς τῶν αἰτιῶν δεχομένας εἰκόνας: αὐτὰ δὲ αἴτια τῶν αἰτιατῶν ἐξήρηται καὶ ὑπερίδρυται κατὰ τὸν τῆς οἰκείας ἀρχῆς λόγον, id eſt, Neq; enim conſequens illatio cauſatis & cauſis, ſed habent quidem cauſata illas cauſarum receptas imagines. Ipſæ autem cauſæ cauſatis abſtractæ ſunt, & ſupernè reſident iuxta cuiuſque principatus rationem. Quo captioſius aliquorum ex ueſtris retiaculum & fallacius dogma eſt, in rebus ſola fide reuelata conſtantibus, ſyllogiſmorum proprietate nedum utendum, uerum etiam pari dignitate credendum eſſe quicquid ex ſacris oraculis per ſyllogiſticum artificium ſequitur, ac bona formali neceſſaria, logicaque conſequentia infertur. Nihil enim tam diſtat quàm eſſe diuinitus reuelatum & humanitus inuentum. Vnde in mera fide purè credibilium, credere & ſcire ſunt maximè diſparata, ubi nunquam concluſio ſyllogiſmi fore poteſt euidentior ex præmiſsis, etiam ſi præmiſsis euidentia certa miſceantur, tamen ſemper concluſio, partem ſequitur infirmiorem. Rectè igitur uel hoc affirmamus, quod in eodem ſubiecto & reſpectu eiuſdem ueritatis, non poteſt ſimul ſtare habitus fidei acquiſitæ, & habitus ſcientiæ

per

per demonſtrationem genitæ. Qui ergo contradicit ſacris oraculis, is execrabiliter contradicit fidei. At uerò, qui alicui cõcluſioni, humano ingenio, ſubtilibus inuentiunculis, Ariſtotelicis technis, Eleaticaq; diſciplina, cuius author fuit Zenõ τῆς ἐριστικῆς φιλοσοφίας ἀρχηγός, ut Galenus ait, ſiue Chryſippi tendiculis, aut Sophiſtarum ſyllogiſmis ex Sacrorum oraculorum reuelatis collectæ atq; illatę, contradicit, is iam non fidei contradicit, ſed ſcientiæ humanæ repugnat: non diuinam illuminationem, ſed mortalem induſtriam abnuens haud execrabiliter, ſed erranter fortè, aut quandoq; perſpicaciter, non autem turpiter. Quonam modo igitur affirmare quis auſit? diuinitus reuelato et humanitus inuento pari dignitate credendum eſſe, niſi qui totus paſcatur ſyllogiſmo, ſicut bos fœno. Sanè quæ, amabo te, intercedit dignitatis paritas iſtius & illius? Fidele illud, at iſtud ſcibile. Mens illius ſedes eſt, iſtius ratio, illud defluit à lumine ſuperno, iſtud ex ſenſu ducit originem. In mentis regione aliqua ſunt neceſſaria, quæ in ratione ſunt impoſſibilia. In mente datur coincidere contraria & contradictoria, quæ in ratione longiſſimè ſeparantur. Non eſt igitur omninò uerum, ſi præmiſſæ ſint de fide, concluſionem idcirco fore de fide. Nam execrabilis eſt propoſitio hæc. nullum adorandum eſt creator, Multo etiam execrabilior iſta, Omne ſcuptile eſt adorandum. In eis nanque ambabus blaſphematur fides, attamen & ſacra & fidelis non eſt hæc, inde conſequens, nullũ ſculptile eſt creator, quam naturali ratione demonſtrare poſſumus, ergo ueritas eius non pendet ab authoritatis reuelantis. Sed eius euidentia longè credita fide minor eſt. Pari ſuaſu fallimur aſſentiendo, quia concluſio ſit de fide, idcirco aliquam præmiſſarum neceſſario eſſe de fide. Quis enim ignorat Hebræis, Chriſtianis & Agarenis eſſe ſumma fide creditum, quod ſculptile non ſit adorandum, ad cuius tamen aſſertionem inferendam naturalibus utar præmiſſis, nullum lapidem eſſe adorandũ, ſculptile autem uidemus lapidem eſſe. Tum Marranus, Commodum mihi Philolae reducis, inquit, in memoriam noſtrorũ quorundã elenchos ſophiſticos, cum dicunt, cõcluſio eſt Hæretica, ergo aliqua præmiſſarum. Qua in cauſa miror ſupra quã dici poteſt, quod iſti aliquos uel homines quandoq; inueniant, qui eis talia credant. Sed quid ego Aethiopẽ lauare conor, qui nulla opera candeſcit. Sunt præterea quæ tametſi reuelantur tamen etiã ſequũtur de reuelatis, quæ ſi acceptentur a credente, fides potius erunt quod reuelata, quã ſcientia quod illata. Sicut quę præcipit eccleſia mea eſſe credenda, etiam quocunq; ingenio cõpoſita præſumuntur potius à Spiritu ſancto eſſe reuelata, cũq; humana ratione inuenta, quantũuis quadã ſyllogiſtica ſubtilitate inducãtur. Sic ille ad eccleſiã Alexandrinã ſcripſit Imperator Cõſtantinus de cõcilio Nicæno dicens, ὁ γὰρ τοῖς τριακοσίοις ὁμοῦ ἥρμοσεν ἐπισκόποις οὐδὲν ἐσμὲν ἕτερον ἢ τὸ θεὸν γνώμη, μᾶλλον δὲ ὅπερ τε τὸ ἅγιον πνεῦμα τοιούτων καὶ τηλικούτων ἀνδρῶν ταῖς διανοίαις ἐγκέκραγον, τὴν θείαν βούλησιν ἐξεφώτισε, id eſt, Quod enim trecentis

centis simul placuit episcopis, nihil est aliud quam Dei sententia, maximè ubi Sanctus spiritus talium, tot, et tantorum uirorũ mentibus incumbens, diuinam uolũtatem declarauit. De episcopis loquitur hic, ecclesiam uniuersalem spiritu diuino agitatam repræsentãtibus, non de quorumlibet quãtumcunq; polyphemorum heteroclitis sine cerebro capitibus. Abeant igitur in officinam suam mistiones syllogismorum de esse, de necessario, & de cõtingenti, aut si qua sint alia logicę curiositatis possibilia seu impossibilia. Nulla enim est orationis fideliter creditæ ad necessariã propositionẽ æqua comparatio, cum necessaria possit esse dubitabilis, reuelata uerò nihil sit euidentius. Ne igitur occupent eiuscemodi mistiones adyta sacrorum, ne molestent hierophantas, quinimmo secedant, si aliquid posse uelint, ad artes sellularias, aut naturas cementarias, aut supputationes mathematicas, ne transeãt limites, ne attingant τὴν ἀδίδακτον καὶ κρυφίαν μυστηρίων συμβόλων πὰ ῥάδωσιν. Recta, inquit Philolaus, incedis amice ad Pythagoræ profecto uiri diuiniore doctrina imbuti obscuras latebras, nullis humani ingenij argutiolis peruestigandas, quæ nobis ambigendi formidinem magis incutiunt quàm generent adhærendi firmitatem. Non enim poterit diuinorum tantus splendor per tam tenues & aniles sophismatũ rimulas tam strictim à nostris noctuinis oculis cerni. Sed opus erit amplissimis cogitandi & credendi uiribus, maximeq;, ut ait Terentius, fide & taciturnitate. Quo motus Pythagoras, omnibus disciplinis toto orbe haustis primus philosophiæ creditor, nil prius, ut scripsit Apuleius, discipulos suos docuit quã tacere. Nam hoc erat primũ cõtemplatiuæ sapientiæ rudimentum, meditari cõdiscere, loquitare dediscere. Perinde atq; tã augustę maiestatis Pythagorica sublimitas multò esset dignior, quã quod pueriliter iactatis gerris loquitando & garriendo comprehendi posset. Satis ueró nobis patet ex ijs quę è Simone accepimus, etiam Pythagoram sicut cætera Cabalistarum, ita hoc quoq; genus doctrinæ in Græciã attulisse, scilicet, quod de quæstione altissima discipulus interrogaturus taceat. Interrogatus uerò solùm respõdeat αὐτὸς ἔφα, Ipse dixit: Sic Cabalistæ respondent אמרו חכמים, id est, Dixerunt sapientes. Et Christiani quoq; suis dicunt πίστευσον, id est, Crede, Tum Marranus. Fortasse nos taxas Philolae, quibus id & Imperator Iulianus improperauit, dicẽs, ὑμῶν ἡ ἀλογία καὶ ἡ ἀγροικία, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὸ, τῆς πίστευσον ὑμετέρας ἐστι σοφίας, id est, Vestrũ irrationalitas & rusticitas, & nihil ultra ipsum crede, uestræ est sapientiæ. Cui conuitio Nazianzenus in prima inuectiua prudenter occurtit, quod pariter hoc Pythagoreis sit primum & maximum disciplinæ fundamentum, tacere, deinde nullam dictis exhibere rationem nisi αὐτὸς ἔφα, quapropter is iniquè nos redarguat, quippe εἰς ταυτὸν εἴκοντος τοῦ, αὐτὸς ἔφα, τῷ, περὶ ἡμῖν πίστευσον, ἐν ἄλλαις συλλαβαῖς τε καὶ ῥήμασι id est, In idem cedente isto, ipse dixit, & apud nos crede, licet alijs syllabis & uerbis, ita Nazianzenus. Habemus nunc memoriter eorum

qui

qui præ quibuſq; cæteris ſacra diligentius tractauerunt unanimem diſcendi morem uidelicet Cabaliſtarum אמרו, Pythagoreorum ἔφα, Chriſtianorum πίστευσον. Cæterum quicquid aliorum eſt, diuinum non eſt. Equidem antè multò cogitaui tãtum, Philolaus ait, ea omnia ex Hebræorum fluxiſſe Cabala iam certo certius ſcio, clarè nanq; uideo, quęcunq; Simon nobis oſtenderit philoſophię Italicæ, hoc eſt, Pythagoricis adamuſsim quadrare, ut haud ab re iudicauero Cabaliſtarum & Pythagoriſtarum inter ſe cuncta eiuſdem eſſe farinæ. Omnia nanq; ſtudia noſtra utriq; reducunt ad humani generis ſalutem, & omnia entia quæ ſubſiſtunt, aut ſubſtãt continuo ad Ideas referunt quæ uerè ſunt, & idearum ideam. Vnde utriq; ternos eſſe mundos aſſeuerant, & tertium infinitum, uel potius non finitum, tribuſq; conſtare omnia καθάπερ γάρ φασιν οἱ πυθαγόρειοι τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται id eſt, Quemadmodum enim dicunt Pythagorei, omne & omnia tribus terminantur, ut in libris de cœlo ſcripſit Ariſtoteles. Nam alia quidem, inquit, ſunt corpora & magnitudines, alia uerò habitant & obſeruant corpora & magnitudines, alia deniq; habitantium & cuſtodum principatus ſunt & origines. Quod ita intelligo. Quoniam mundus inferior complectitur corpora & magnitudines ſingula cum ſuis uirtutibus & intelligentijs ſphærarũ motibus appropriatis, & generabiliũ corruptibiliumq; curatoribus ac cuſtodibus, qui obſeruare dicuntur corpora prouidè, ut eſt cuique tributa prouincia, quos antiquitas quãdoq; uirtutes quandoq; angelos, tũ aliquando & Deos, item & dæmonas, uel pro rerũ anxiarum ſolicitudine quibus allegãtur, crebro dæmonia quoq; nominauit. De quibus canit Hom. θεοὶ ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, id eſt, Dij olympica tecta inhabitantes, ſcilicet, qui rebus naturalibus præfecti ſæpe querula turbantur affectione, ac à ſummis ad ima relegati laborũ ſuorũ cauſas dicunt πολλοὶ γὰρ πλῆμεν ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, ἐξ ἀνδρῶν, χαλέπ' ἄλγ' ἐπ' ἀλλήλοισι τιθέντες Id eſt. Multi enim patimur olympica tecta inhabitãtes à uiris, graues dolores inter eos uiciſsim reponẽtes, ut eſt in Iliados quinto. Nã olympum intelligũt priſci quintã eſſentiã ſiue naturã, hoc eſt, cœlũ, quare tecta olympica ſunt ſphęræ cœleſtes ſeu cœli, dicti à celãdo ſicut tecta à tegẽdo. Deniq; uirtutes cœleſtes et uires elemẽtares. ac rerũ naturalium proprietates Heſiodus Deos ex cœlo & terra dicit genitos in ſua theogonia, & Orpheus græcorũ primus theologus ad Muſæum ſcribẽs, eoſdẽ appellat dæmonas his uerſibus δαίμονας οὐρανίους καὶ ἠερίους καὶ ἐνύδρους καὶ χθονίους καὶ ὑποχθονίους ἠδὲ πυριφοίτους Id eſt, Dæmones cœleſtes & aereos & aquaticos & terreſtres & ſubterraneos & igniſeq̃s ſeu igni aſsiſtentes. In operum quoq; ac dierum libro Heſiodus, Dæmones, inquit, boni ſunt terreſtres cuſtodes mortalium hominũ. Ipſe quidem Apollo ſe ſuiq; ſimiles dęmonas rogãti quondã Theophilo reſpondit angelos eſſe pro incumbẽte ſibi adminiſtrationis officio, ut eſt in oraculis. Sic em̃ cecinit ut ferme ſolet omnia heroicè. οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον ἐν πυρὶ ναίων,

ὄνομα θεὸς μικρὰ δὲ θεοῦ μοῖρ ἄγγελοι ἡμεῖς, id est, Nomen ne ratione capiendum in igne habitans, hoc Deus. Parua autem Dei portio angeli nos. Erigamus si libet ad altiora ingenium nostrum, quippe ad uniuersi huius globi uitales influxus. Nam mundus superior complectitur superos, essentias incorporeas, diuina exemplaria & orbis huius sigilla, quorum instar, omnium rerum inferiorum facies sunt factæ, | quæ Pythagoras appellauit ἀθανάτους πρώτα θεούς Id est, Immortales prima deos, uelut principia rerum ex mente diuina productas ideas, ut sint essentiales ἀρχὰς principatus & origines habitantium corpora, id est, specierum, compositas huius mundi res informantium. Quo planè intelligitur alios etiam illic esse immortales secunda Deos, prima enim secunda referunt, entia incorporea singularia et indiuidua, non materiali numero, sed formaliter formali inter se differentia, puto spiritus ab omni materia liberos, simplices & impermistos, suapte natura extra cœlum sensibile commorantes, & ut ait Aristoteles, nec tempori nec loco astrictos, unde nec senescant nec trãsmutentur, multomagis nulla uariatione nec alteratione, nulla deniq; passione affecti sufficientissimam sibi & optimam ducant uitam, habitentq; æternitatem, quod nuncupatur ęuum, & græce αἰὼν quasi ἀεὶ ὤν Id est, semper ens, quoniam idem illud seculum semper fuit, est, erit, intemporaliter, in mente diuina, ex energia tamẽ Dei foras creatum, & extra cœli nostri conuexa constitutum, pro domicilio splendidissimo spirituum beatorum, quos Pythagorei ueros Deos existimant, in sublimi ętheris uertice locatos cum prorsus obiectu, tũ retro partu ęternos scilicet æuo immortali & diuino prędditos. Ab ipso autẽ eodẽ æuo etiã alijs dispensatũ est & tributũ esse et uiuere, his quidẽ clarius, his uerò obscurius, ut idem dixit Aristot. Quid autem id sit per quod dispensetur & tribuatur, ab hoc ęuo diuino et immortali rebus alijs, hoc est, inferioribus esse ipsum, nõ fortuitum obiter, aut perfunctoriè illapsum, sed cuiuslibet speciei consimiliter substantiuum, certè primi omnium Pythagorei Socrates & Plato sequentes prędceptorem suũ, discipulos illius familię docuerunt, cum audiuissent Pythagoram semper de diuinis obscurè loquentem, dicere solitum quod Tetractys traderet animæ nostrę fontem perennis naturę, tunc planè intellexerunt Tetractyn esse Ideam in mẽte diuina tradentem, & fontem esse Ideam exemplarem traditam, & perennem naturam esse Ideam rerum essentialem receptam. Quare Alcinoo teste dixerunt hoc modo. ἔστιν ἡ ἰδέα ὡς μὲν πρὸς θεόν, νόησις αὐτοῦ, ὡς δὲ πρὸς τὸν ἀισθητὸν κόσμον, παράδειγμα· ὡς δὲ πρὸς αὐτὴν ὑφιστα[illegible]μένη, οὐσία, Id est, Est idea quo ad Deum quidẽ cognitio sua, quo ad sensibilem autem mundum exemplar, quo ad se ipsam uerò consyderata, essentia, ceu loquẽtis uox, uti est apud Areopagitam, una cum sit atq; eadem, à multis auribus ut una percipitur. Est emim uox primo in uociferatore, secundo in uocalitate, & tertio in quolibet auditore. Quomodo autem in mundo sensibili semper sphæra prior in omnes eam sequentes influit,

fluit, ita in mundo intellectuali non tamen ſingulos choros ſuperiores influere arbitramur in omnes choros inferiores, uerumetiam totum mundum ſuperiorem influere in totum mundum inferiorem, ut omnia pro ſuo captu quantum fieri poteſt momentanea ad æterna, & infima reducantur ad ſumma. Nihil tamen merè creaturarum ad tertium mundum reduci poteſt, nihil enim tantæ ſublimitatis ſuapte natura capax eſt, niſi Deus, atqui tertius inquam mundus ille ſuperſupremus omnes alios mundos continens ſolius Deitatis eſt, unaq́ diuina conſtat eſſentia, ut planè mihi uidetur rectè cognominata παντοκρατορικὴ ἕδρα, id eſt, omnipotens ſedes locata, immo exiſtens ſuper omne æuum & ſuper omne ſeculum, eſt enim ſeculũ ſeculorum, ὑπάρξεως, ὑποστάσεως, οὐσίας, φύσεως, ὀντότης καὶ ἑνότης προοῦσα. i. Exiſtentię, ſubſtantiæ, eſſentiæ, naturæ, entitas, & unitas præexiſtẽs. Quod Pythagoras noſter ἐν appellauit, & Parmenides Pythagoreus ὄν, uterq́ haud abſimili ratione ὅτι ὑπερούσιον, ἕν. καὶ τὸ ὄν. ἕν, id eſt, quod ſupereſſentiale unũ, & ens, unum. Sed nemo antiquitatis tam peroſus aut tantus contemptor maiorum eſſe optauerit, ut tantum & tam ſapientẽ Pythagoram exiſtimet tam anili amentia correptum fuiſſe, quod putaret abaci numeros aut pueriles talos quibus iactarent uultorios quatuor, aut mercatorum calculos, ceteraq́ id genus eſſe rerum omnium principia, quæ non ſolum rebus non pręſint uerumetiam ſecundum res accidant. Quin potius intelligi uoluit ipſum eſſentialiter & ſimpliciter unum, à quo, & ex quo, & per quod, & in quo, & ad quod omnia ſunt, & ordinantur, & permanẽt, & cõtinentur, & implẽtur, & cõuertuntur, idemq́ eſſe primũ unũ & primũ ens, quod in ſecundo poſtnaturalia teſtatur Ariſtoteles his uerbis πλάτων μὲν γὰρ καὶ πυθαγόρειον οὐχ ἕτερόντι τὸν ὄν, οὐδὲ τὸ ἕν, ἀλλὰ τοῦτο αὐτῶν τὴν φύσιν εἶναι, ὡς οὔσης τῆς οὐσίας ταυτὸ, τὸ ἕν εἶναι καὶ ὄντι, id eſt, Plato nanq́ & Pythagorei non aliud aliquid ipſum ens, neq́ ipſum unũ, ſed hoc eorum naturã eſſe, ceu exiſtentis eſſentiæ idẽ unũ eſſe, & ens aliquod. Sanè Xenophanes ille Parmenidis pręceptor, & idẽ Pythagoræ coæuus, quanquam omnia celare mos illorũ fuit, tamẽ uiſus eſt clariſſimè nobis explanare, quid ipſum unũ eſſe intellexerunt, de quo in rerum principijs uerba fecerint. Dixit autẽ illud unũ, eſſe Deũ, quo liquidius Pythagoræ arcana nobis patefiunt cum ſtatuit infinitum & unum & numerum eſſe prima rerum principia. Per infinitũ nihil aliud ſignificans quàm ipſum poſſe, nihil enim quis unquam ne cogitauerit quidẽ, prius ipſo poſſe, quod maxime infinitum in Deo eſt, immo ipſum, infinitus Deus eſt, in quo nõ ſeparantur eſſe & poſſe, quod omniũ producibiliũ & ſingulorum quorumq́ cõtinet eſſentias, uirtutes & operationes cum omnibus proprietatum & accidentium connexilibus differentijs & unionibus. Cæterum Pythagoræ aſſentitur etiam ea in re Anaxagoras, ante quos uiros nullam Gręcos omnes Dei habuiſſe cognitionem Euſebius Pamphili author eſt. Dixit enim Anaxagoras, quoniã erãt omnia ſimul. Et Democrit. erãt in

quit

quit, omnia simul potentia, uidelicet δωάμει. i. in ipso posse. Hęc est illa quo que mistura siue rerũ cõmistio Empedoclis & Anaximãdri, nequaq̃ tamẽ in aliquo Hesiodi aut Aristophanis chao nocte et erebo cõfusa, sed in dei tatis pleno lumine discreta, & ipso infiniti luminis intimo penetrali ordina ta, quãq̃ si haud iniquè intelligatur Hesiodus certe chaos noctẽ et tenebras nõ esse rerũ principia, sed ex principijs orta, statuit. Id enim in Theogonia ptulit, ἐξ ἀρχῆς καὶ εἰπὼδ ὅτι πρῶτον γένετ' ἀυτῶν. ἤτοι μὲν πρώτισα χάος γένετο. Deinde sequitur ἐκ χάεος δ' ἔρεβός τε μέλαινά τε νύξ ἐγένετο, id est, Ex principio & si quando aliquid primo factũ eorũ est, certè primũ chaos factũ est. De chao autẽ erebus nigraq̃ nox nata sunt. Aristophanes uerò aliter in auibus scrip sit χάος ἦν καὶ νὺξ ἔρεβος τε μέλαν πρῶτον, id est, Chaos erat & nox erebusq̃ nigrum primo. Sed ita fingit poëticè musarum more alludens suis auibus, ut ex ouo posset amorem excubare, ac simul Orphei supparasitatur in Argonauticis, nõ absimiliter sentienti, quapropter hoc idem repetendo rursus ite rumq̃ meminerim, omnia et singula in illo ipso posse, non confusè, non in chao, non in erebo, nec obscura nocte, sed discretè ac ordinatè in pleno lumine, scilicet in ipsa luminosa & omniũ fulgentissimorũ radiorum splendidissima claritate, ac illustris & illustrantis essentiæ diuinæ intuitu, notitia, cognitione uersari, quę optimo iure ab antiquissimis philosophorum Idea nominatur ἐκ τοῦ ἴδω, τὸ γι νώσκω, cuius quidem posse esse, cũ omnia cõplecta tur mentalia, rationalia, intelligibilia, sensibilia, uitalia, substantialia, adhæsibilia, & adhæsiua, non tantũ eorum quæ sunt, uerumetiã quę nõ sunt, tum uerè illud poterat infinitum appellare Pythagoras, quod & à sapiẽtissimis dictum erat ἀπειροδυνάσθαι, id est, infinitè posse, quoniã et ipsum est infinitũ & una eademq̃ infinita & essentiali Idea complectitur res infinitas. Nihil enim uel fuit, uel est, uel erit in supercœlestibus, cœlestibus, terrenis, corporeis & incorporeis, in angelis, in hominibus, in brutis, in plantis, in tota uniuersi natura, quod non potest, uel ut grammatice loquamur, potis est. Ex hoc omnia prodeunt, & hæc est, ἀπειροδύναμος καὶ παντοδυνάμος δυναμοποιὸς δύναμις, id est, Infinitè potens & omnipotens potentifica potentia, quæ nihil aliud est quam diuina essentia, intra quã ante omnia unũ producit duo Hic tenes Marrane totum meum Pythagoram. Duo primus numerus est, unum uero principium numeri. Quod si credis Xenophani, ut antè audisti, unum illud Deus est, & cum intra essentiam diuinam productio duorum manserit, numerus enim seipso cõstituitur, Boëtio peripatetico autho re, iuxtaq̃ unum solus binarius naturaliter est, cum necessario duo quoq̃ illa, Deus sunt, quoniam intra Deum, nihil nisi Deus est. Tres igitur hæres principium & primum cũ sint, & unã Dei essentiam non exeant, tũ Deus planè unus sunt, nõ enim essentia eò scinditur, quod ex uno duo producta numerantur, sicut in rebus quoq̃ corporeis sępe fit, ut unitas mota in duitatem, sit uenia comparationi, usque ad terna progrediatur manente rerum

substantia,

ſubſtantia, ut ſtipitis & ſurculorum, uel æquius ut hominis corpus, brachium & digitus. Ex uno itaq; in diuinis producente, duobuſq; productis trinitas oritur, quibus rebus, ſi addatur eſſentia ab eis formaliter diſtincta, erit formalis quaternitas, quæ eſt infinitū, unum, & numerus duorū. Omnis numeri ſubſtantia, perfectio, & finis. Nam unū, duo, tria, quatuor collectiuo progreſſu decem conficiunt, & extra decem nihil eſt. Quare hoc ipſo intellexit Pythagoras omnium quoddam rerum principium eſſe, quod Tetractyn nominauit. Nam tetras Græcè, quaternitas eſt, & actys, formale ſolis, ſiue radius, ex quali formalitate licet iam ſuperſubſtantiali, meus ipſe unum illuſtrè nomen conſtituit quaternitatis, ueluti quatuor inter ſe formaliter diſtinctorum. Vtq; ſacrum à prophano ſegregaret, optima ratione nomen ſanctum per ypſilon ſcripſit, cum ἁγνὸς, uulgo per iota ſcribi conſueuerit. Adhuc autem & ipſe quoque Tetractyn, ut Deum aliquem hoc loco excellenter in genere maſculino protulit, quo more Latini ueteres Cupidinem aut Venerem maſculinè pronunciarunt, cum aliàs inſtrumentalem quaternitudinis numerum ipſam Tetractyn genere fœminino eloquantur. Deum autem ſe illum oſtendere uoluit per quem ipſe iurauit, μὰ τὸν τετρακτύν, quo nihil haberi debeat ueneratione dignius. Nam ut Ariſtoteles ait ὅρκος τὸ τιμιώτατόν ἐστιν, id eſt, Iuramenrum eſt honorabiliſſimum. Ego ſanè hoc in loco Hierocli non aſtipulabor, qui aurea carmina Pythagoram ipſum conſcripſiſſe opinor. Atqui pariter optarem propter mirificę ſanctitatis reuerentiam, quod Tetractys Romana lingua non quaternarius nec quaternitas, ſed uoce mutata quaternario aut quaternitudo nominaretur, quale apud nos Chriſtianos obſeruatis, ſacrū à prophani uulgi uſu ſecernẽtes, cum enim à ter ternus & ternitas populariter legi debeat, uos ſacroſanctã hypoſtaſin alterato uocabulo trinitatẽ appellatis, quaſi trium unitatem, ſcilicet enim literam ab ipſo uno propter unitatem ſingulorum naturam mutuantes. Sed ut receptui canam, omnium rerum, inquam una quædam ſumma res eſt Tetractys, Pythagoricum principium. Tum Marranus, belliſſimum recordor ab hoc exemplo Philolae illud quatuor literarum charagma, in quo uniuerſa generis humani ſalus præſto ſit. Quod nobis Simon tãta ſcripturarum ubertate confirmauit, ubi profectò mihi Iudæorum Tetragrammaton, ac potius ipſas quatuor literas, ex quibus nomen Saluatoris componatur, non malè uiſus eſt Pythagoras in Tetractyn Græcum ſymbolum commutaſſe. Mox tum. Ego uero, inquit Philolaus, illo Tetragrammato & illa ſalute, ad quam totum pene genus humanum reduxit Simon, planè nondum ſatiatus diſceſſi, quare cum ad eum rediero, de iſtis rebus, ſi uolet, ampliora quæram, præſertim de illo homine, qui ſalutem ſingulis quibuſq; nobis allaturus ſit, tanquam uniuerſorū rex unctus, ideoq; Meſſiha dictus. At uide modo uelim num ſit Eſculapius denuo uel per tranſanimationem, ut aiunt, in hunc mundum uenturus=

turus, de quo Iulianus Imperator in libro secũdo, cõtra Galilęos ita scribit, ὁ γὰρ ζεὺς ἐν μὲν τοῖς νοητοῖς ἐξ ἑαυτοῦ τὸν ἀσκληπιὸν ἐγέννησεν, εἰς δὲ τὴν γῆν διὰ τῆς ἡλιακῆς γονίμου ζωῆς ἐξέφηνεν. ὅτῳ ὢν δὲ γῆς ἐξ οὐρανοῦ ποιησάμενος πρόοδον, ἐνοειδῶς μὲν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ περὶ τὴν ἐπίλαυρον ἐφάνη, πλησθυνόμενος δὲ ἐντεῦθεν τοῖς προόδοις ὢν δὲ πᾶσαν ὥρεξε τὴν γῆν τὴν σωτήριον ἑαυτοῦ δεξιὰν ὅπως πανορθῶται τὰς ψυχὰς πλημμελῶς διακειμένας καὶ τὰ σώματα ἀδυνάτως ἔχοντα, id est, Iupiter enim in suis intelligibilibus ex se ipso Escũlapiũ genuit, & in terrã per solis genitalis uitam destinauit, hic in terra ex cœlo faciens progressum uniformiter quidẽ in hominis specie circa Epidaurũ apparuit, auctus itaq; illic successib. super uniuersam porrexit terrã, salutarẽ eius dextrã, ut restauraret animas malè dispositas & corpora inualidè habẽtia. Qui si cõpositum ex illis quatuor literis quouis etiã alio legendi charactere addito nomẽ habuisset, prosus Saluator ipse putãdus esset. Aut certe quãtusquãtus ille fuerat Hercules Alchmenæ filius à Ioue prognatus diunũ semẽ, quẽ Thassij Saluatorẽ nominarũt, et monetę publicę inscripserunt sic, ἡρακλέους σωτῆρος θασσίων, id est, Herculis saluatoris Thassiorũ. Eiusce modi nummũ argenteũ priscè percussum ego nuper, ut soleo, erga res antiquissimas incredibili uoluptate his meis digitis uerti legens & reuerti. Quo nõ ab re coniectabã, omniũ uoce ac cõsensu Herculẽ inter Deos relatũ & saluatorẽ esse promulgatũ. Præter eos fuisse alioquin aliquãmultos qui mortalibus opẽ tulerint saluatores, haud dubiũ quidem est, quorum è numero meminimus Ptolemæum regem ægypti cui nomen Soter. i. Saluator extitit. Romanis quoq; Curtius ipse sua morte terram reddidit saluã, & sua capita duo Decij pro patria seruanda fortiter deuouere, comunis saluti mirifici authores. Tum Marranus, Libenter, inquit, te interpellando monerem, ut quæ nobis à Simone tradita sunt perspicacius animaduerteres, & paulò æquius intelligeres. Post enim quã multa de Cabala ille uir omnifariã sectæ suæ peritus disseruisset, quid modo esset, & ad quid utilis, ostendisset q;, & quod esset recepta reuelatio, & quod facilè nobis iter aperiret ad beatitudinis fastigium & summã felicitatem, tũ rogatus à nobis quidnam illud esset quod præcipuum diuinitatis reuelatum fuisse putaret, ad quod generatim omues diuinorum reuelationes reducerentur, aiebat id esse quod dicitur, post ruinam primordialem generis humani uniuersalis restauratio quæ salus nominatur, & quam daturus foret homo iustus & pacificus, uir heros, cuius nomen quatuor contineret in miserationibus literas ad quem nos ipsos cũctis negocijs secularibus absoluentes libere conari debeamus per omnes gradus idoneos ascendere ac migrare in ipsum, pro sua quisq; uirili, quodq; sint huc omnes actus nostri formãdi, huc omnis contemplatio dirigenda, huc tendat omnis sacra Iudæorum scriptura quæ nobis quasi scala Iacob fore queat super terram sita & cacumine tangens cœlos, per eam transcendere nos mundum hunc posse corporeũ usq; in alterum mundum angelicum, etiam ad ipsam Messihæ illius Saluatoris

animam

animam, quæ ſit omnium animarum ſaluandarum requies & ſatietas, ex tremusq; finis, ultrà quem progredi nuſquã ualeamus, quoniam terminet ſummũ habitaculũ mũdi ſupremi, et cõmunicet cũ mũdo ſuperſupremo ſiue, dũ per grãmaticos dicere liceat, ſupremiſſimo, quin potius incõparabili, ad ſummum, hanc eſſe omniũ hominum perpetuã ſalutem cunctorum bonorũ aggregatione cõpletam. Quæ ſi memineris à Simone ſic eſſe propoſita, quanquã per ambages, mea quidem ſententia non dubitabis, nec illos tuos ſaluatores, nec etiã Iudæorũ quoſdã, de quibus uiginti quatuor Biblia ſæpe honorificã fecere mentionem, in tanta unquã fuiſſe dignitate conſtitutos, ut generi humano ſalutẽ uniuerſalẽ afferre potuiſſent, per quã homines in omni orbis terrarũ ſpacio quot quot eſſent, ſempiterno æuo lætè frui, & cum Deo poſt lapſum redire ualerẽt in gratiã. Quid enim de tuo Eſculapio cõplures ſenſerint alij, tu uideris, qui aſſerunt illũ meretricio inceſtu natũ ex Coronide uenuſta muliercula, de qua canitur: Pulchrior in tota quam Lariſſæa Coronis non fuit æmonia, & eã ſæpe in templo Appollinis ſubegerint atq; cõpreſſerint ſacerdotes, qui adulterinis cõplexibus à ſe genitũ Euſculapiũ, finxerũt Dei filium eſſe iſto loco culti. Apis autẽ Aegyptius, qui artem medicinæ primus Græciæ intulit tam inſignis eo ſeculo templarius, ut etiã mortuus in templis pro Deo colere tur, ſingulari erga ſacerdotes Apollinis fauore ductus, infantẽ ſuſcepit alẽdũ & inſtituendũ, quẽ diſcipulo quondam ſuo Chironi Centauro deinde cõmendauit medico peritiſsimo, ut artem curandi tuẽdiq; corporis in Euſculapiũ transfunderet. Quo facto, in uirũ euaſit Euſculapius & fama & opibus magnũ. Auaritia uero tũ inſtigatus, et cupiditate honoris diuerſas mũdi regiones ad pecunias arte medica corradẽdas peragrauit. Iamq; diuitijs plurimũ abũdãs, et fama ingẽti præditus, ſtultè ſe Deũ nominauit, promittẽs nõ ſolũ ægrotis ſanitatẽ, uerumetiã mortuis denuo uitã, ſuper quo Ioui ſuperbiæ ſuæ pœnas dedit, nam fulmine ictus perijt. Sic enim Pythagoreus Pindarus Pythionicarum tertio ſuper Euſculapio cecinit, χερσὶ δ' ἄρα προνίων ῥίψας ἀμφοῖν, ἀμπνοὰν στέρνων καθεῖλεν ὠκέως, αἶθων δὲ κεραυνὸς ἐνὶ σκίψε μόρον, id eſt, Manibus ergo Iupiter proijciens ambabus, reſpirationẽ præcordiorum deſumpſit ſubito, ardens autem fulmen inflixit mortem. In hãc ſententiã Apollo querulus ſuper Euſculapij filij morte Euripidi fingitur. Ζεὺς γὰρ κατακτὰς παῖδα τὸν ἐμὸν αἴτιος ἀσκληπιὸν στέρνοισιν ἐμβάλλων φλόγα. Quare niſi planè in diuinis plumbei ſumus hominem tam alienum a dignitate, ſaluatorem eſſe humani generis non putabimus, & ne in uniuerſo quidẽ ſanatorem, qui opem non alibi, quàm in Pergamũ, & Ioniã, & Taranta, & Romã, & Con, & ægas, ac in eas circa regiones cõtulit. Nimio tu uictus amore tuorum Marrane, Philolaus inquit, pluſquam ueritate, omnes homines minoris æſtimas, immo quãminimi cenſes, qui non Galilæi ſunt. Peruerſus hic mos eſt mea ſentẽtia, ſit uenia uerbo, nõ modo laudem

alienis non admittere, sed & uituperare, nec tibi. ut uideo, satis fuerit tuisq; similibus, optimos uiros suo seculo uirture claros, quos antiquitas ob egregia facta in deos retulit, non esse deos contendere, nisi et se diabolos tartareos feceris. Ita Lactantium tuum hoc in loco imitatus, qui decimo capite libri primi ad Constantinum Imperatorem, sic scripsit. Esculapius & ipse non sine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum, nisi quod sanauit Hippolitū, mortem sane habuit clariorem, quod à Deo meruit fulminari, hæc ille. At lingua omnis, quæ felle inficitur, uero gustu caret, fatetur is tamen rem esse diuinis honoribus dignam, largiri sanitatem, quod & secum omnes fatētur ægroti. Sed quid aliud fecerit Esculapius, si nesciat Lactantius, Socratem sapientissimum inrerroget, qui gallum ei offerendum uouit, ut est in Platonis Phædone, non ut sibi corpus sanaret, qui iam morti adiudicatus, uenenum biberat, sed ut parenti Apollini hoc est, primo & incorporeo Soli æthernæ uitę dispensatori, animū tranquillè morientis cum lætitiæ iubilo & pæane redderet. Nam gallus Apollini Phœbo, qui Sol nominatur, sacer est, horarum & diei lætus nuncius. Esculapius autem dictus est a ueteribus Iubilatio Apollinis uictoria & triumphus, qui pæan appellatur, quod paruam cessationem & quietem post liberationem nominarint. Ea enim ætate consueuerunt inituri pugnam prius Marti, & post pugnam uictores Apollini pæana referre. Quam aptè igitur Socrates in Esculapio, qui est pæan solem uitæ datorem ueneratus sit iam iamque moriturus, doctissimorum hominum recta iudicia uiderint, dignum sanè ratus & optimo cuique officiosum, huius mundi Pythone maximo serpente uicto, & pedibus calcato, quando per mortem celeriter ad ueram uitam iter capessitur, Esculapio quidem, id est, pæana celebrare. Sic Orpheus uetustissimus uatum & coætaneus istorum deorum, nam cum Tyndaridis & Hercule nauigasse perhibetur, in hymnis cecinit, ἰατὴρ πάντων ἀσκληπιὲ σέο πότα παιὰν, ἐλθὲ μάλα σωτὴρ ἐς ὅτας τέλος ἐσθλὸν ὀπάζων, id est, Sanator omnium Esculapie domine Pæan, ueni beate saluator, uitæ finem bonum præbens. Multos se Iulianus Imperator nouisse asserit, in maximis periculis Esculapio adiutos, & seipsum ægrè laborantem, sæpe medelis eius saluum euasisse fatetur, ad hoc testem citans Iouem. Sed quid hæc ad uniuersum mundum, respondit Marranus, cuius Messiha prædicatur Saluator, nec corporum modo, sed animorum? Et Philolaus ad id. Tu uero Marrane, quid de Hercule? nonne morum formator & omnis ingenuæ disciplinæ in cunctis orbis terrarum locis præceptor fuit? Inde illa imago Herculis apud Celtas peruetusta quidem & uero similis, ubi senex ipse homines innumerabiles singulos catenulis aureis colla reuinctos lingua pēdētibus trahit quo uult cūq;. Celtę uernaculo sermone Ogmion nomināt. A Luciano fit eius memoria in alloquio de Hercule Celtico, super quo illi dicūt, ἡμεῖς τὸν ἡρακλέα λόγῳ τὰ πάντα ἡγούμε-

τὰ ἡγοῦμεθα ἐξεργάζεσθαι, σοφὸν γενόμενον, id eſt, Nos Herculẽ uerbo et ratione omnia opinamur effeciſſe cum ſapiens fuerit. Nam uirtute domare uitia, & ignorantiam auferre doctrina, nihil aliud eſt, quã calcare monſtra, & angues necare, leonem Nemeæum claua percutere, hydram lernæam interimere, aprum erymantium occidere, ceruam in Menalio nemore aurea cornua gerentem capere, ſtymphalidas aues in nube ſagittis confodere, Antæum intra ulnas ſtrangulare, columnas in Oceano figere, Geryonem tricipitem uincere, boues abigere, taurum perimere, Acheloum Monomachia ſuperare, omitto & Diomedis equos, & cerberum & aurea heſperidum mala, idq; genus facinorum cætera quàmplurima, totum uirtutis fuit, totũ rectæ inſtitutionis officiũ & bene uiuẽdi exemplũ. Tũ Marranus, Dicerẽ, inquit, aliorũ de illo exiſtimationem, niſi tu prius eiuſcemodi tuliſſes ęgrè, breuiq; oſtenderẽ fuiſſe hominẽ, ut nos ſumus, uel paulò indigniorem, licet Prœti Agenoriſq; proſapia nobilem. Siquidem ex Agenore Prœtus erat, Agenoris autem Belus frater, quo natus eſt Aegyptus, quo Lynceus, quo Abas, quo Danae, cuius fuit Perſeus, cuius Alcæus, cuius Amphytrio, cuius ut putabatur Hercules, quem tamen reuera Iouis aiunt, id eſt, adulteri cuiuſdam fuiſſe filium. Nam ex Alchmena Iphidus Amphytroni & Hercules Ioui uno partu, ſi famæ creditur, editi ſunt in lucem. Hercules uero incenſus igni ſacro perijt, quoniam Deianiræ uxoris attentatam pudicitiam in N[illegible]um Centaurum iaculo uindicauit, quã ipſe in Iole captiua puella non exhibuit, per quã iniquè ſuſpitionẽ adulterij ſolam ultus, qui ex adulterio cõceptus, adulterium pariter ipſe cõmiſit, in cæteros neſcio quàm iuſtus, in ſeipſum certè iniuſtiſsimus. Tu ne talem mundi ſaluatorẽ fore credas Philolae, qualis fuit Hercules, aut qualis Eſculapius, ſi non aliam ob rem, uel ob id ſaltem, quod uterq; turpi nota deceſſerit, nam ut de ambobus apud Lucianum in eccleſia deorum Momus ait ἔτι τὰ σημεῖα ἔχουσι τοῦ πυρός, id eſt, adhuc ſigna tenent ignis, quod exuſti ambo ſunt. Curtiũ & Decios magnanimitatis laudant alij, ego imprudentiæ accuſo. Quid quod aliqui blanditijs et adulationibus ducti, aut ui à tyrãnis coacti eum ſaluatoris nomine ornarunt, qui non modo illos nõ ſanauit, nec ſeruauit, ſed prorſus deuaſtauit ac perdidit, ut Siculi Verrem publica ſtatua in Syracuſis inſcripſerunt σωτῆρα, id eſt, qui ſalutẽ dedit, Ciceronis teſtimonio in accuſatione quarta Verrinarum. Sed nihil ad hunc locum, ubi de uera hominum ſalute agitur, quam illi non præſtiterunt, uera nanque ſalus eſt, ſempiterna permanentia, quæ in Deo eſt, & à Deo tribuitur: ut in libro de mundo ad Alexandrum ſcripſit Ariſtoteles, Ex Deo, inquit & per Deum nobis omnia conſiſtunt, nullaq; natura per ſe ſufficiens eſt, carens illa, quæ ex eo eſt ſalute. Deinde adiungit τῆ δὲ οὐσία, σωτὴρ μὲν γὰρ ὄντως ἁπάντων ἐστίν, id eſt, Ipſa quidẽ eſſentia, ſaluator etenim enter ſeu eſſentialiter uniuerſorũ eſt Deus. Vnde in libro xiiij. poſtnaturalia rurſum ſic ait

Aristoteles, θαυμαστὸν δ' εἰ τῷ πρώτῳ καὶ ἀϊδίῳ καὶ αὐτερκεστάτῳ τοῦτ' αὐτὸ τὸ πρῶτον οὐχ ὡς ἀγαθὸν ὑπάρχει τὸ αὔταρκες καὶ ἡ σωτηρία. id est, Mirum, si primo & sempiterno, & sibi sufficientissimo hoc idem primum nõ ut bonum inest, ipsum sufficiens et ipsa salus. Per quod monemur, ueram nobis salutem in primo sempiterno, & sufficientissimo bono, qui est Deus Optimus Maximus constare, nec aliunde quærendam. Solus enim ille summus mundi opifex & rector de supereminẽtis liberalitatis clemẽtissima uoluntate corruptibilibus dare potest incorruptionem, & tempore subiectis æternitatem, & insolubilem transitorijs permanentiam, quorum tamen propria natura est, ut orta occidant, & aucta senescant. Sic enim in Timæo Platonis loquitur Deus, quæ à me facta, indissolubilia sunt, me uolente, alioqui ligatum quidem omne, dissolubile est. Ecce non tantum peripateticis, sed etiam Platone ipso & Platonicis testatum recipimus, sola Dei uoluntate permanentiam concedi rebus quibuslibet pro captu suo, & hęc est uera salus. Nam saluari dicimus, à læsione seruari, ut res tranquillè permaneant. Quod unanimi consensu Græcorum quondam magnifici & ornatissimi legati, anno à natiuitate IESV, M. CCCC. XXXVIII. uniuersali Concilio Basiliensi illustri quadam & dissertissima oratione exposuerunt, his uerbis dicentes. Τὸ γὰρ σωθῆναι καὶ σώζεσθαι καὶ ἡ σωτηρία ἁπλῶς οὐδὲν ἄλλο παρὰ τοῖς ἕλλησι καὶ τῇ ἡμετέρᾳ βούλεται γλώττῃ, ἢ τὸ διαμένειν καὶ εἶναι, id est, Ipsum autẽ saluare & saluari & ipsa salus simpliciter nihil aliud apud Græcos & in nostra uult lingua, quã permanere & esse. Homines igitur, qui de sui natura morti sunt obnoxij, ut cessent esse, cũ ita se Dei cõformãt uolũtati, ut futuri sint immortales, & beato æuo fruantur, rectè dicuntur salutem consequuti, & qui eis illam largitur immortalitatis beatitudinem, is rectè dicitur saluator, quòd uocabulum usu cepit Ciceronis posteritas antea inauditum, ut nunc Saluator latinè dici queat. Sanè omnis alia impropriè ac imaginariè nominatur salus. quid enim? quod animanti bruto medicus hodie confert sanitatem, & illud perendie relabitur in pestem, moriturque nũquam rediturum, num ea uocabitur salus? Quid illud quòd flori marcescenti hortulãs opitulatur, qui flos postridie casurus sit, & in puluerem conterendus, num hæc tridua conseruatio rei prorsus inconstantis salus nominanda est? Sic Hercules Thassios semel adiuuit, quo salutem illis dedisse dicitur, qui pòst sæpe interierunt, & hodie nihil eorum nisi nomen extat. Ptolemæus Aegyptum seruauit, tot postea bellis & incursionibus hostium deuastatam. Sic Decij Romam liberauerunt, attamen sequenti subuersione, atque incendio dirutam. Imperfecta, crede mihi, salus est omnis, quæ tempore frangitur: perfecta est, quæ caducum ęternat, ut de Helena morte sublata in Euripidis Oreste Apollo docuit, cum sic ait, ἡ δ' ἔστιν, ἣν ὁρᾷτ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς σεσωμένη τε, κ' οὐ θανοῦσα πρὸς σέθεν. ἐγώνιν ἐξέσωσα, id est, Ista est quàm cernitis in ætheris conuexitatibus, saluata quidem, & non mortua iuxta te, ego eã saluaui. Vtque

non

non ſimus ignari ſalutem illam non ab Apolline, nec à Dijs alijs, niſi tanquàm mediatoribus prodijſſe, quin uerius à ſummo Deo, cui popriam ipſa ſe inſigni uirtute dicauit, tum ita ſubiungit, Ζηνὸς γὰρ οὖσαν, ζῆν νιν ἄφθιτον χρεὼν, id eſt, Iouis enim exiſtẽtem, uiuere eam incorruptibilẽ decebat. Per Caſtorem Helenæ fratrem, Marrane uera prædicas, inquit Philolaus, & ſapienter uideris de uera ſalute locutus, aſſentiorq; Saluatorẽ, de quo tam magnificè ac tam perpetuò ſacra uaticinantur eloquia, eum fore oportere, qui non tam huius grandis mundi, non regionum & urbium, non infimorum elementorum & ſyderum, non lignorum & lapidum, nõ plantarum & arborum, non piſcium, non uolucrum, non pecorum, quæ onmia naturam ducem & ſuæ conditionis inſtinctum inerranter & probè ſequuntur, & ad conſtitutum ſibi finem manent, quod ſunt, quàm iſtius minoris mundi ſeruator et reſtaurator ſit, hoc eſt, hominis, qui ab æquitatis ſibi tradita norma & rectæ rationis ſententia ſæpe decidens, generoſitatem ſuam coaceruatione uitiorum in ſtagna profunda maiorum & ſempiternæ corruptionis barathrum uoluntariè præcipitat, unde reuocare gradum proprijs uiribus & ſua ope nequeat. Hic Marrane, hic inquã ſalute nobis hic ſaluatore opus eſt. Hoc genus creaturarum appellat Pythagoras ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας, id eſt, Homines ſpontanea electione detrimenta habentes. De quibus ita ſcripſit in aureis carminibus. πλήμονες οὔτ' ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὐκ ἐσορρῶσιν, οὔτε κλύουσι: λύσιν δὲ κακῶν παῦροι συνίσασιν τοίη μοῖρα βροτῶν βλάπτει φρένας, οἱ δὲ κυλίνδροις ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλα φέρονται ἀπείρονα πήματ' ἔχοντες. id eſt, Miſeri, Hi quidem bona propè exiſtentia non aſpiciunt neque audiunt, ſolutionemq; malorum, pauci intelligunt, talis ſors mortalium lædit mentes, hi autem rotis ex alijs in alia feruntur infinita damna habentes. Sanè noſter ipſe philoſophorum princeps hoc nimirum à Cabaliſtis Hebreæis ſumptum, ut è Simone accipere poſſumus, ſenſit rationnalem eſſe hominem rebus alijs nobiliorem, utputa diuiniorem, non tantum una operatione, nec uniformi effectu contentum, ut cætera quæ ſola natura trahuntur ſemper eodem modo agente, ſed uarijs dotibus inſtar Pandoræ præditum, quibus ſponte utatur in omnem euentum pro libera uoluntate, ob quam libertatem ait, θεῖον γένος ἐστι βροτοῖσιν οἷς ἱερὰ προφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα, id eſt, Diuinum genus eſt hominibus, quibus ſacra promouens natura oſtendit ſingula, quippe illa ſacra natura eſt anima intellectiua, ſecundum igitur intellectum Deo accedit homo, ut mero ſyncerum, atq; ſecundum ſenſus inferiores à Deo recedit tanquam impurum à puro, quo fit ut ratio, quę nobis, ut inquit ipſe, oſtẽdit ſingula, dũ ſe ad mẽtis fruitionẽ conuertit beatos nos faciat, contrà uerò dum ad ſenſuum diſcurrit libidinem, miſeros, ut inter uirtutem & uitium medius homo poſitus uideatur, uelut ſubſtitutus apex in litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni, ad quem Hercules ille Prodicius tenera tum ætate cogitabundus reſedit.

Quemadmodum uerò, ut Solon apud Herodotum Crœso affirmauit, ante obitum nemo supremaq; funera debet dici beatus, ita nemo certè miser putandus est, dum hanc uitam uiuit. Sed scilicet ultima semper expectandies homini est, qui si abiecto corpore, tunc uitijs permanserit oneratus, incipiat esse uerè miser, & eam miseriã, ut superiore oratione accepisti Pythagoras in duo genera diuidebat. Nam post mortem miseri, aut bona prope habent, quæ sunt beatitudinis dona quamuis ea nec aspiciant nec audiant, quia Dei uisione nõdum fruantur, hi de saluandorum numero sunt, non extrema miseria grauati, ut tandem aliquando pœnas euadant constitutas aut denicq; ab eis bona longissimè distant, ut mala nunquam ullum habitura sint finem, & ñ appellantur infinita damna habentes, Duo igitur inferorum habitacula hic describuntur, Elysius campus, id est, transitorius, illorum quibus bona prope sunt, supera ut conuexa reuisant. Et tartarus ab horribili sono, tartar, quasi tortor: teter, terror uocatus, illorum quibus sua damna sunt infinita, qui kylindris radiisq; rotarum districti pendent, ubi sedet æthernumq; sedebit infelix Theseus & ei similes, ὅθεν ἂ ποτε ἐκβαίνουσιν, ut est à Platone Pythagoram imitante scriptum. i. Vnde nunquam egredi untur. Hic mihi accedant obiurgatores, qui blacterare in eundem Pythagoram non desinunt, tantum & tam præcipuum uirum, cuius dictamini ceu oraculo deorum creditum est. Quare dictator ueritatis uelut alter Apollo illi seculo nominabatur, quòd ipsum uocabulum Pythagoras designat. Rumorem autem de illo passim diuulgant, hanc eius fuisse opinionem quod anima humana quorundam post mortem corpora brutorum informet, quod uiris ratione utentibus incredibile uideri debet, de tam excellenti philosophiæ authore & abundantissimo scientiarum fonte, unde ad nos emanauit diuinarum et humanarum rerum cognitio. Quin potius ea suspitio trãsanimationis ex hominibus Pythagoricorum mysteriorum partim ignaris partim ob inuidiam perosis orta est. Non enim caruit æmulorum liuore præstantissima eius uiri uirtus, innocentissima uita, egregia doctrina, celebris fama, utque fit, nihil non pollutum reliquerunt inuidi carptores, Timon, Xenophanes, Cratinus, Aristophon, Hermippus & alij quorum non exigua multitudo est, qui de Pythagora suis in libris mendacia plurima scripserunt, ac ea prodiderunt quæ nusquã ab illo uel dicta uel scripta fuere, aut eiuscemodi si qua dixisset, tamen ita in peiorem ea sensum peruerterunt ut facile crederetur talis ac tantus uir inconsyderatè docendo aberrasse, de rerum principijs, de numeris, de faba non gustanda, de abstinendo ab animatorum esu, de inferis, deq; metempsychosi & transitu animarum de quo nunc tractamus. Qui enim exemplaria & species rerum ita distinxit, ut mutuo transmutari confundi ue nequeant, quo nam modo humanam essentiam quæ sua est forma cõmunicaret bruto? cum & authore seipso ne unitas quidem substantiua certi numeri secundum

naturam

naturam eſt unitas alterius numeri. Quare ait αἱ δὲ μονάδες ἐν τῇ δυάδι αὐτῇ, πρὸς τὰς ἐν τριάδι αὐτῇ ἀσύμβλητοι, id eſt, Vnitates in duitate ipſa, ad eas quæ ſunt in ternitate ipſa, ſunt incõnectiles, Ita in phyſicis conſtant quanquam longè ſecus agitur in Mathematicis, de quibus nihil in præſentia nobis eſt negocij, Vnum autem cuiusq; rei eſt eſſentia participata, quæ alterius rei eſſentiam non occupabit, ἑκάστη μὲν οὐσία ἑνὸς εἴδους μετέχει, id eſt, quælibet enim ſubſtantia una ſpecie participat. Ideo in diſparis animantis uitam tranſire non poteſt, uel ulla qualiſcunq; beſtia. Quin potius manet in ſuæ lege naturę ſuũ tenẽs munus, ὥς τε τὸ εἶδος εἴδη οὐ συνέρχεται, id eſt, Itaque ſpecies ſpeciei non coincedit. Tametſi namq; unum ſigillum multis impreſſum plures ceras effigiat, non tamen plurium ſigillorum formas diuerſas eadem cera ferre poterit. Haud igitur ſigillũ formæ humanæ quæ eſt imago Dei, naturam inferiorem ſigillare permittitur, quod ut omnia ſua Pythagoras ænigmatice propoſuit, ſic & huius opinionis certam ſententiam nota propria deſignauit, cum inter alia ſymbola iſtud ſibi gratiſſimum celebraret ἐν δακτυλίῳ θεοῦ εἰκόνα μὴ περιφέρειν, id eſt, Inſigillo, Dei imaginem non circumferre, quod meo arbitratu rectè intelligitur ad hunc ferme modum. Imaginem Dei quæ eſt anima hominis, naturas alias circum circa non ſigillare neq; formare poſſe. Sic enim Hermes Theſmegiſtus ægyptiorum doctor, in libro ad Aſclepium, Hominis inquit, una pars ſimplex eſt quam uocamus diuinæ ſimilitudinis formam: & paulò inferius ita, duæ ſunt imagines Dei, mũdus ſcilicet et homo. Quod iniquè igitur explanauerint eũ uel in uidi uel ignari, de trãſitu animarũ poſt mortẽ, ſimul etiã de illarũ deſcenſu ante hominis generationẽ, profecto nullus modò extat, qui nõ id mecũ ſentiat uel ulla mẽte præditus. Quando nanq; multi animã hominis de potentia materię putabãt educi, ſtatuit noſter ipſe magis credendũ eſſe, infundi eam corpori ab ipſo Deo, et ob id eam aſſeruit ante corpus eſſe, quod nõ tempore intelligendum eſt, ſed puritate & naturæ dignitate. Hanc itaq; infuſionem appellauit animæ deſcenſum, quẽ poſtea multis ambagibus uariè ſectatores tractauerunt ſua quiſq; uia, non ſemper pro authoris uoluntate, qui deſcenſum animæ humanæ in corpus nõ ſecundũ ſitũ accipi præcepit, nec iuxta motũ à mũdo intellectuali per ſingulas ſphæras ad mundũ elementarem, ut Proclus & aſtipulatores alij, ſed pro naturaliũ formarum ſerie in qua corporis humani ultima perfectio eſt anima rationalis, quæ ita totum perficit ut homo animal diuinũ optimo iure appelletur. Voluit igitur Pythagoras animantia ſola quorum ſacra natura, id eſt, ratio demonſtrat ſingula, diuinum eſſe genus, ſcilicet à Deo propagatum ut aureis edidit carminibus, cuius ſpecies nec mutetur nec cõuertatur, ſic generũ ſingulorũ formas eſſe permanẽtes, licet in eadẽ ſua forma diſſimiles. Poſt hominis uerò mortẽ ſi iuſtus deceſſerit animã eius trãſcendere purũ æhtera, & æuũ degere cũ beatis, tãquam Deum cũ dijs. Ita enim ait, ἡνίοχον γνώμην στήσας

καὶ ὕπερθεν ἀρίσσῃ, ἄνδ' ἀπομείψας ζῶμα, εἰς αὖθις ἐλεύθερον ἔλθῃς, ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητὸς id est, Aurigam iudicium statueris supernè optimum, cum relinquens corpus in ætherem liberum ueniès, eris immortalis Deus, incorruptibilis, nec ultrà mortalis. Sin autem iniustus & sceleros us in peccatis insanabilibus & mortalibus decesserit homo, tunc animam eius omnem suum reatum uarijs diluere pœnis docuit, easq; pœnas pro magnitudine criminum magis atq; minus fore duras & durabiles, quibus delegata sint loca hæc naturæ inferiora, & corpora tum imaginaria seu figuralia, tum quandoque uera, non quæ informet ut essentialis portio, sed quæ inquilini more, pœnarum sustinendarum causa inhabitet, aut per indistantiam localem assistat, uelut motrix intrinseca mobili, uel circa quæ cruciatibus subiecto torqueatur, ut Tityus circa uultures, & Ixion ad serpentum rotas, & Tantalus in flumine, & Sisyphus apud saxum, & Prometheus cũ aquilis. Quandoquidem dæmõ tartareus potest corripere ac obsidere corpus, cur non anima turpis ad inferorum pœnas damnata, uel uerũ cuiuscunq; speciei corpus ingrederetur Dei dispensatione, uel aerem induta, ostentaret quamlibet aspectibus nostris formam, ut Dido moritura Aeneam alloquitur, Sequar atris ignibus ardens. Et Plinius iunior rem scribit creditam, de domo quam Athenodorus Tarsensis philosopus coemerat, eam fuisse importuno strepitu infamẽ, quòd ibi simulachrũ horridi senis aspiciebatur. Et quotidie nostra quoq; ætate similia occurrũt terriculamenta, modo tenuioribus, modo crassioribus exuuijs. Tum uariæ illudũt species atq; ora ferarũ, fiet enim subitò sus horridus atraq; tigris, squamosusq; draco & fulua ceruice leæna, aut acrem flammæ sonitũ dabit, omnia transformat sese in miracula rerum, ignemq; horribilemq; ferã, fluuiũq; liquentẽ. Hæc sanè corpora uocamus phantastica, hoc est, apparatiua, quę assumere possint tã animæ hominũ solutæ quã dæmones, ut de Lamia nouimus Menippi Licij procace proca in pulchrã mulierẽ apud Corinthum cõuersa, quam Apollonius Tyaneus publicè deprehendit lemurem esse, ut denique senex ille pannosus & mẽdicus Ephesijs quondam causa pestilitatis, hoc genere metamorphoseos notatur, quem lapidibus obrutum aiunt uisum esse canem quasi Molossum. De utrisq; scripsit Philostratus secundus in libro de uita Apollonij quarto. Eius autem quod Pythagoras dixisse fertur, se quondam Euphorbum fuisse alia ratio est, non enim talem dicendi morem ipse primus instituit, sed longè prius in populari consuetudine apud uetustissimos usupatum fuit, qua esset quisque uirtute aut uitio præditus, alteri assimilaretur, qui eminenter eadem conditione olim fuisset, uirum enim quem libuisset robore præstantissimum dixerunt esse Herculem. Ita Varro Rusticellus, inquit Hercules appellatus mulum sucũ tollebat. Et Numenius Pythagoricus apertè scribit, nihil aliud esse Platonẽ quã Moysen Attica lingua loquentẽ. Sæpe quoq; Cicero dictus est latinus

nus Demoſthenes eſſe, omnes à uirtutum & operum paritate ac ſimilitudine morum, non autem ob unius ſubſtantiæ communionem, ita Litanus Plauti ſeruus Argyrippum dixit eſſe Solonem qui pariter leges cõſcribat, de illo in Aſinaria ſic ait, Nunc etenim eſt negocioſus interdius, uideli cet Solon eſt, leges ut conſcribat. Iſta Plauti uerba inolitam priſcorum loquendi conſuetudinem indicant, ut hunc hominẽ, dixerint illum eſſe quendam, qui fuerit natura, ingenio, moribus, affectione & opere ſimilior. Vnde Romani ſolebant hui cadagio particulam, alter, adiungere, ut tu es alter ego, & ego ſum alter tu, licet ſcientes & uidentes quod reuera nec ego ſum tu, nec tu es ego. Sed in utriſq; nobis ſentientes eſſe idem ingenium, par ſtudium, eandem uoluntatem, eundem conatum, ſpiritum, animum ἐκ τῆς ὁσίας αὐτῶν μεταβαλλομένης. Nam animos antiqui dixerunt motus hominum & uoluntates, quare uniuſ moris curæ ac diligentiæ conſimilis propoſiti, æquales motiui ac paris motus & ſenſus eiuſdem homines uſitatè appellantur unanimes. Eſt autẽ priſcis philoſophis haud quaquã alienum, ut dicatur anima eſſe motiuũ & ſenſitiuũ in homine τὸ ἔμψυχον γὰρ τοῦ ἀψύχου, inquit Ariſtot. λυσιτελῶς μάλιστα διαφέρειν δοκεῖ κινήσει τε καὶ τῷ αἰσθάνεσθαι, id eſt, Animatum enim ab inanimato duobus maximè differre uidetur, motu & ſenſu. Quicũq; igitur erga rẽ eandẽ afficiuntur & mouẽtur, idemq; ſapere ac ſentire uidentur, unius eſſe ψυχῆς, id eſt, animæ uulgò dicuntur. Vnde illa famoſa μετεμψύχωσις id eſt, tranſanimatio nihil aliud reuera eſt uiris rectè doctis, quã æqualis cura, ſimilis motus, & par ſtudium alicuius hominis mortui, pòſt aliquo tẽpore, in altero uel eodẽ repertũ homine uiuo. Tali æmulatione triti & uſitati ſermonis, Pythagoras quondã rediens à Perſarum Magis, ita enim ſapientes illi ſuos nominant, fortè inter amicos exhilarandi cõuiuij gratia more Magorũ uti poterat, & dicere ſe Euphorbi olim militis Troiani, Calliclis, Hermotimi, Pyrrhi, Pyrãdri, Calidonæ, Alces, & demũ ſuã Pythagoræ animã in ſeipſo continere, quod inclinatam ad quædã præclara in ſingulis illorũ præcipuè ſita gereret affectionẽ, ſtudiũ & uoluntatẽ, ad quæ illi ipſi propẽſius in uita eorũ fuerũt moti. Omniũ aũt maximè cũ in Euphorbo Troiano claruiſſet bellica uirtus, ipſe Euphorbi animã nactus eſſet quaſi iã cor Euphorbi haberet. De quo nimirũ ſe iactare potuit, cũ laudarent eũ pugiles ſtudij bellici, cernentes laterũ & brachiorũ totiusq; corporis ſui robur & incredibilem erga fortiſſimos Athletas amorẽ penſantes, quem illis tũ & precioſo apparatu & magnifico ſumptu oſtendebat, ante enim caricis ſiccis & molli caſeo triticoq; nutriebantur athlethæ, ipſe uero noſter eos carnibus, tunc primus nutrijſſe compertus eſt. Admirantibus igitur illis, quod in philoſopho literarum ſtudioſo eſſe poſſet tantus amor pugnæ, quid mirum ſi reſponderit Euphorbi animam in ſe uigere, hoc eſt, ingenium, ſtudium, motum, et uoluntatem Euphorbi apud ſe reſidere, qui tametſi eſſet pacis præceptor & quietę contemplationis author,

tamen

tamen in seipso sentiret belli tanquam Troiani desyderium. Quo audito, mox rumor inter temerè credulos ortus erat, & fama percrebruit, uel ignorantia mysteriorum Pythagoricorum, uel malignitate inuidorũ, qui semper optima quæq; peruertunt, & recitant audita secus multò quàm sint dicta, quod Euphorbi anima in bello Troiano perempti trãsmigrauerit in Pythagoram. Quæ opinio postea fuit adiuta scriptoribus atq; poetis. Inde Ouidius in Trãsfigurationis libr. XV. hæc inter alias nugas à Græcis Cretizin asuetis more suo mutuatus, sic de Pythagora cecinit: Morte carent animæ semperq; priore relicta sede, nouis domibus uiuunt, habitant que receptæ. Ipse ego, nam memini, Troiani tempore belli Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam hæsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ. Cognoui clypeũ læuq; gestamina nostræ nuper Abanteis tẽplo Iunonis in Argis. At noli obstupescere præstans Marrane, nihil horũ in Pythagoræ libris scriptum inuenies. Nam tria ipse solum edidit uolumina, primum παιδευτικόν, secundum πολιτικόν, tertium φυσικόν, quem Lysidi quidam ascribunt, sit igitur tertium nobis aurea carmina. Percurre singula quæque & nusquam reperies in eo uiro de transanimatione quicquam, quò credas facilius rumore falso seminatum esse per inuidos quicquid de illa μετεμψυχώσει fingitur, quod diuersitas narrationis planè indicat, cũ alij clypeum hunc esse in templum Iunonis relatum apud Argos, alij dicatum Palladi Athenis affirment, & quod eius clypei hæc ipsa fuerat inscriptio, παλλάδι ἐθηναίᾳ μενέλεως ἀπὸ εὐφόρβου, id est, Palladi Mirernæ Menelaus ab Euphorbo, author est Tyrius Maximus, disputatione XVI. Quantam nunc eiuscemodi testimonio habere fidem oporteat, Iurisconsulti uiderint. Equidem adduci non possum, ut credam Ouidij de transitu animarum fabulam, tam excellentem in omni scientia et grauem uirum docuisse, atq; eò minus credendum putauerim, quò magis præstantes authores aliter tradidere. Nam quod asserunt multi, apud Græcos Pythagoram inuenisse primum animas esse immortales, manifestè falsum dicunt. Homerus enim Græcorum ferè antiquissimus longè prior hoc dogma prodidit, cui apud inferos animæ defunctorũ de multis rebus differunt, & uaticinantur multa, ecquid aliud, oro te, uiri eius tam admirabile carmen insinuat ἀλλ' ὅλως τῆς νεκύιας, quã animas nostras post mortẽ permanere? Deinde in socijs Vlyssis palàm ostendit, imprudẽtes hominum animas à corpore separatas, nõ quidem bestiarum naturas, sed tantum habitus brutorum induere, atque eum tali horrore pœnas luere, quas Circe iusserit. Quicunque autem radicem & florem tenent Moly, eorum animas, authore Mercurio, fore securas, ut est in Odysseæ decimo libro. Sed ad illam de Euphorbo ironiam reuertamus, de quo idonei quotiens scribunt omnia Pythagoræ diuina dogmata fatentur αἰνίττεσθαι, hoc est, allegoria obscuriore tradi. Quod Apollonius Tyanensis ille Pythagoreus tractatu cum Thespesione archiphilo-

sopho

ſopho gymnoſophiſtarum habitu in Philoſtrati uolumine vi. cõfirmat, ita loquens, εἰσὶ ἀἰνιγμάτων ἅπτομαι, σοφία πυθαγόρᾳ ξυγχωρεῖ ταῦτα, παρέδωκε γὰρ τῆς τὸ αἰνίττεσθαι, id eſt, Si ænigmata tango, ſapientia Pythagoræ concedit hæc, tradidit enim & ænigmatizare. Quando autem cum Indorum Brachmanibus in libro eiuſdem tertio diſputabat, quærens de anima quomodo ſentirẽt. Iarchas, inquit, ſicut Pythagoras quidem uobis, nos autem ægyptijs tradidimus. Suſcepit Apollonius. Num igitur te aliquem Troianorum fuiſſe dices? ut ſe Pythagoras Euphorbum. Adi iam Marrane quam Theſpeſion catè reſponderit prius interrogans, quem nam ex græcorum ducto Troiam exercitu admiratione digniorem exiſtimaret. Cui Apollonius, quod Achilles primas Homero nactus eſſet. Tum Iarchas: πρὸς τοῦτον ἔφη ἀπολλώνιε καὶ τὸν προγονον θεώρει τὸν ἐμὸν, μᾶλλον δὲ, τὸ προγονον σῶμα. τοῦτο γὰρ καὶ πυθαγόρας εὔφορβον ἡγήσατο id eſt, Ad iſtum, inquit, Apolloni etiam progenitorem æſtima meum, magis autem progignens corpus, hoc enim & Pythagoras Euphorbum putauit. Deinde ricitat Gangen Indorum olim regem Gangis fluuij filium multis uirtutibus Achillem ſuperaſſe, illumq; ipſum fuiſſe illud progignens corpus, quod ipſe iam eſſet. Verba hæc non animarum traſmigrationem, ſed corporum tranſmutationem indicat, inſtar cuiuſlibet materiæ quæ ſit apta iſtius uel illius formã recipere. Perinde atq; comœdia diceret ego prius tragœdia fui, quia ex eiſdem tragœdia naſcitur & comœdia literis ac elementis, ut Ariſtoteles ait in libro de generatione primo. Aut canis quidam ſi diceret, ego ante diu equus fui, propter cuiuſdam equi corpus quod depaſtus eſt canis, quod alimento in ſubſtantiam rei alitæ conuerſo, equus ille plebeio ſermone dicatur ipſius canis πρόγονον σῶμα Id eſt, progignẽs corpus fuiſſe, uidelicet unde prognatus ſit. Non autem equi animã in canẽ tranſijſſe, quiſpiã ex hoc ſermone arbitrabitur. Qua igitur re Pythagorã docuiſſe credere animas trãſire in alia corpora, eò ſolũ, quod ſe Euphorbũ prius fuiſſe dixerit, cũ hic manifeſtè cõſtet atq; cõueniat non quidẽ animã, ſed ipſum corpus iudicatũ fuiſſe Euphorbum, & nihilominus hoc ipſius dictũ non fuiſſe planũ ſed merũ ænigma, quo arcanũ quoddã illi ſeculo incognitũ uoluerit innuere, ſcilicet materiã primam omniũ formarum non ſolum capacẽ, ſed auarã etiã eſſe ac ſemper deſyderio motã nulla forma ſatiari. Quod M. Antonio Imperatori philoſophiſſimo æquè uiſum fuit, cum in libro ad ſeipſum tertio ſcripſit. ὅτι ἐθέλει ὅλως φύσις ὅλων φύσις ὡς τὰ πάντα μεταβάλλειν καὶ ποιεῖν νέα ὅμοια. σπέρμα γὰρ τρόπου τινὰ πᾶν τὸ ὂν τὸ ἐξ αὐτοῦ ἐσόμενον Id eſt, quod nihil ita cupit uniuerſi natura ut entia trãſmutare & facere noua ſimilia. Semen enim modo quodam omne, ipſum eſt ens ex ſe futuri. Et idem in libro ſeptimo. ἅπαν ὅλων φύσις, ἐκ τῆς ὅλης οὐσίας ὡς κηρὸν νῦν μὲν ἵππάριον ἔπλασε, συνέχεασε δὲ τοῦτο εἰς δένδρου φύσιν, συνεχρήσατο τῇ ὕλῃ αὐτοῦ. εἶτα εἰς ἄνθρωπάριον εἶτα εἰς ἄλλό τι Id eſt, Vniuerſi natura ex uniuerſa eſſentia tanquam ceræ, nunc quidem equuleum finxit. Confundens

dens autem id in arboris naturã, simul usa est materia eius. Deinde in homunculũ, tum in aliud quippiã. Vnde nominatur ab Orpheo natura istis epithetis πολυμήχανος μήτηρ, id est, multum machinatrix mater. Et ἀλλοτριομορφολίαιτους, id est, alienarum figurarum decretrix. Quicquid fuerit, equidem longè potius opinabor Pythagoram si Euphorbum, aut alium quempiam se fuisse dixerit, exempli causa id ænigma introduxisse. Sin antẽ credatur historiam texuisse, profecto nõ aliã ob rem feciſſe putandus est, quã ut ostenderet posse animã separatã à corpore rursus eandem ipsam, authore Deo, in idẽ ipsum corpus redire, quod penitus iã reliquit & deseruit, atq; nõ in aliud ullũ, unũ namq; & idẽ fuisse corpus quantũcunq; diuersis nominibus appellatum, in quo totiẽs reuixerit Pythagoras ab Iarcha Indorum sapientissimo iam pridem discere potuimus, non in magnitudine & quantitate, sed in substantia & entitate, ut mare quanquã est homogenes atq; unum, tamen hoc esse dicimus ægæum, Illud Ioniũ, istud Myrtoũ, aliud Crisæũ. Ita & unũ hominem sæpius renatũ primo nominarunt æthaliden, deinde Euphorbum, post Hermotimum, tum Pyrrhum, demũ Pythagoram illum nostrum, qui tot regenerationes tanquam philosophus maximè speculatiuus & diuinus nõ attribuit naturę uiribus, sed soli Deo, quem, ut refert Heraclides Ponticus in hac Palingenesia, Mercurium nuncupauit, ut ostenderet neminem reuiuiscere, nisi uirtute diuina. Nam ut Iustinus recitat, ille philosophus & martyr Christianus in paræneticoad Græcos, hoc Deus cognomento a Pythagora est honoratus præcipuè, ut dicatur ψύχωσις τῶν ὅλων, id est, Animatio uniuersorum, eo quod animã infundat hominibus uniuersis, & infusam auferat, & ablatã restituat quotiẽs & quando uoluerit, quale sæpius etiã in alijs hominibus uisum & experientia certa cõpertum est, referentibus nobilissimis scriptoribus. Nam Aristeas quondã Proconesſi mortuus fuit in officina cuiusdã fullonis. Deinde septimo postanno, eius urbis ciuibus idem uiuus apparuit, & ipse tunc carmina de hyperboreis Arimaspis cõposuit, cuius in quarto historiarum Herodotus egregiè meminit. Cæterũ uixit & in Armenia Er, genere Pamphylus, qui cũ occubuisset in prælio, sublatis alijs decimo die cadauerib. iã corruptis, integer quidẽ incorrupto corpore repertus fuit, domũq; delatus pro officio sepulturæ, ubi duodecimo a morte die dũ pyræ esset impositus, resurrexit, & quæ interim uiderat, retulit. Hæc Plato scripsit de Rep. uolumine decimo. Huc etiam illud occurrit, quòd legimus puellam Romę mortuam, cum sepulchro afferretur a Tyanẽsi Apollonio uitæ restitutam. in quarto Philostrati libro, & Alcestis quoq; narratur ab Hercule resuscitata rursum diu uixisse. Tum Marranus inquit, Quam prope accedis ad nostra Philolae, nam si coram astaret Simon, recenseret nobis de libris Hebraicis, quod Deus olim abstulit de spiritu, qui erat in Moyse, & dedit septuaginta uiris. Post aliqua denuo tempora sublato ex hominibus

Elia

Elia ſpiritus eius inclinauit ſuper Eliſæum, & item filium Sunamitidis ipſe mortuū reuiuiſcere fecit. Addo nūc Samuelem mortuum quem ſuſcitauit quædam mulier in Endor, qui poſt reſurrectionem ſuam cum Saule rege locutus eſt. Audi uerò quid Ezechiel uiderit ille propheta, campum, ſcilicet plenum aridis oſſibus mortuorum, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodq; ad iuncturam ſuam, & ecce, ſuper ea nerui & carnes creuerunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper, & ingreſſus eſt in ea ſpiritus & reuixerunt, ſteteruntq; ſuper pedes ſuos. Hæc in ſacris literis continentur Hebræorum, multò plura uerò in hiſtorijs Chriſtianorum deſcripta legūtur. Equidem pro me tibi hoc affirmare auſim, abſq; parabola, ſine ænigmate, et omni ironia, quod uerè & planè Iæſus Nazarenus fratrem Marthæ ſuſcitauit, Lazarum nomine quatriduo antè mortuum. Adhuc cuiuſdam etiam uiduæ filium extinctum, uitæ reddidit. Et Iairi ſynagogæ principis filiam, alioſq; in ſancta ſcriptura commemoratos. Hunc ipſum quoque Ieſum reſuſcitauit Deus, & in eius morte corpora multa eorum qui defuncti erant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis, uenerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Paulus denique Tarſenſis Eutychum, qui caſu è uita migrauerat, luci reſtituit uiuum. Martinus nondum epiſcopus, immo nondum baptizatus, tres mortuos ſuſcitauit. Poſſem catalogum poferre hominum ab interitu ad uitam priſtinam reuocatorum, niſi tu non ignorares Chriſtianis nobis eſſe creditu facilè, animos hominum redire in corpora, qui generalem omnium corporum humanorum reſurrectionem rurſus ad uiuendum futuram planè confitemur. De qua pulchrè diſertiſſimus Athenagoras Athenienſis philoſophus pro Chriſtianis librum integrum περὶ ἀναστάσεως, certè doctis auribus dignum compoſuit. Et Turcis, Mauris, Agarenis, Mahometh in Alcoran ſic loquitur. Illis dicentibus cum eritis oſſa, uel ad nihilum redacti qualiter efficiemini homines noui? Reſponde. licet lapidei uel ferrei uel ſi quid eſt durius eſſetis, qui uos prima uice creauit, ad uitam denuo uos reſuſcitandos reuocabit, huc uſque in Azoara xxvi. Et rurſus in xlv. ſic ait, Qui nos primo plaſmauit, ſecundo uiuificabit. Vnde Pythagoram tantò maiore uelim proſequamur ueneratione, quantò is propius quàm cæteri Græcorum philoſophi ferme in omnibus alijs, non ſolum in hac cauſa, noſtræ acceſſit fidei. Ariſtoteles enim uidemus quàm nihil eorum credidit, quæ non uel manu tetigit, uel oculis cernere potuit, uel apprehendere ſyllogiſmo. Propterea in fine tractatus de generatione & corruptione, reditum mortui hominis nullatenus admiſit, debili admodum argumento uſus, & Alcmæoni magis, quam ſuis præceptoribus aſſenſus, contrà tritum ſuo tempore prouerbium κύκλος εἶναι τὰ ἀνθρώπινα. Quem ſequuti ſunt alij quippe cohors philoſophantium, in hoc reprehendendi, quod ſe omnia ſcire, alios omnia ignorare præſumentes, Pythagoram poſt reliquos irrident, & illud Luciani exclamant τίς ἀνήσεται, τίς ἀνὴρ

τὶς ὑπὲρ ἄνθρωπον εἶναι βόλεται. τὶς εἰδέναι τὴν τοῦ παντὸς ἁρμονίαν καὶ ἀναβιῶναι πάλιν

id est, Quis emet Pythagoram, quis super hominem esse uult, quis scire uniuersi harmoniam & reuiuiscere denuo? Ita eum ridiculè sub hasta licitantur quasi contemnendam iumentorum mercem, aut uile mancipium. Illis ego multa nosse libenter permittam, dmmodo patiantur & alios nonnihil didicisse. Id adeò nunc stomachum ego commotus aduersum eos qui solent antiquissimis præceptoribus & philosophiæ principibus facilè detrahere prolixius quam oportuit excãdui, ut pernoscat, me Pythagoram quoque tuũ non secus amare quàm par est, & calumniatores suos uehementer odisse, non homines, sed monstra hominum. Tum Philolaus. Quidam, inquit, sunt, quibus ignoscendum est quod tam recondita et arcana mysteria nesciant, non enim omnia possumus omnes. Ideoque redeundum cum illis in gratiam erit, si qua imprudentes infamauerint. Qui autem in eo quandoq; silentio exercitati, Pythagoricorum togam candidam abiecerint, & contumelia cœperint eius doctrinæ maiestatem lædere, ac tanti philosophi caput minuere, eos ego non solum arrogantes, uerumetiam homines impurissimos iudicauero, quorum è numero Xenophanes est, qui de illo in Elegia sua lusisse ita perhiberur, ut cum uidisset aliquãdo Pythagoras canẽ cẽdi, miseratus dixerit: Sine hũc, est enim chari sodalis anima quã eius ex uerbis agnoui. Sed ea quidem manifesta Diogeni Laertio extat suggillatio, quodque itẽ Plutoni apud inferos Pythagoræ discipuli conuiuantur, qui & ipse uiderit animam Hesiodi æneę columnæ alligatam, gementẽ & stridentẽ. Tum Homeri quoq; animam de ligno pendentem, & serpentibus circundatam. Hæc & istis similia sycophantiarũ crimina diffamationis & calumnię sunt leuissimorũ sophistarum, qui contactu omnia fædant immũdo, & pollũnt ore dapes, & uestigia fœda relinquunt. Quod autẽ de carnium & animatorum omniũ esu diuulgant, quem asserunt prohibuisse Pythagoram, ferè nil me perturbat, quoniã sunt clarissimi authores, qui ea mendacia refellant, ait enim Aristoxenus ille insignis scriptor Pythagoram nõ abstinuisse ab animatis, sed carnes comedisse, quod Porphyrius in libro primo περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, probat, eo quòd Athletas ab alijs caseo, ab alijs ficubus nutritos, ipse prior omnibus cibo carniũ aluerit, dixeritq; carnes habere uirtutem ad acquirendum robur incredibilem, ita Porphyrius. Et Apollodorus arithmethicus testatur illum boues centum immolasse cum reperisset ὅτι τριγώνου ὀρθογωνίου τὴν ὀρθὴν γωνίαν ἰσοτείνουσα λύουσι τὰς περιεχούσας. id est, quod triãguli orthogonij subiectum latus tantundem ualeret quantum quæ continerent. Fuit tamen modestissimæ uitæ, mediocris nutrimenti, paucissimi potus, ut scribit Lycõ Iasęus de Pythagora. Vnde rarus fortasse carniũ sibi usus erat, sępe enim solo tenui melle pascebatur, hæc omnia Athenęus de cœnis doctorum hominũ libro decimo. Atq; ob id si studiosos literarũ ea quæ grauis

cibi

cibi forent diligẽter uitare cõmonuiſſet, ne cerebrum ab incauto ſtomachi onere læderetur, quo ualerent contemplationi uehementius incumbere, quis hoc non laudi daret tã fido præceptori? ut quę didiciſſet apud Hebręos duri alimenti eſſe in eorum lege prohibita, quæ item apud Indos fugienda cognouiſſet ueluti piſces marinos, ne ſtomacho quidem utiles nec deorum oblationibus acceptos, nemo enim unquam in ſacrificijs immolatum eſſe piſcem audiuit, quæ deniq; apud Aegyptios accepiſſet de faba, quod non ſit mundum legumen, ut in Euterpe ſua notauit Herodotus, ea planè in pabulum non ſumerent, tranquillitatem mentis perpetuò literarum ſtudio quærentes, quanquam eiuſcemodi pia monita noluit tam exactè, & ad unguem ueluti legem xij. tabularum obſeruari. Nam & ipſe porculis minuſculis et hedis teneriorib. uictitaſſe à Xenophilo et Ariſtoxeno, quibuſdamq; alijs natu maioribus, ſuis propè coętaneis proditus eſt, quam & nullo eſſe legumento ſæpius uſum quam faba, ut aluũ ſenſim leuigaret, in quarto noctium atticarum Aul. Gellij comperies. At de fabis pòſt inter cætera ſymbola explanabitur, nunc de numeris ueniant tibi priora in mentem quæ dixi, & poſteriora quæ dicturus ſum, ut agnoſcas quam impiè turpes quidam philoſophię Sanniones primatem philoſophorum Pythagoram poſtica ſanna ſubſannant, quod numerum docuerit eſſe omnibus rebus principium, qui cum ſit quantitas diſcreta uerius, ſequatur res quam antecedat, quaſi proiectiles fuiſſe calculos intellexerit ipſe, à quibus omnia ſint orta. Quos miror pariter non ſine riſu, quod cum audierint crebro teſtantibus ſapientiſſimis hominibus, omnem ferme philoſophiam Pythagoricam, & eam maximè, quę de rebus diuinioribus extet myſticam eſſe, ac per ænigmata propoſitam, nihilominus tamen hanc ſapientiæ diuiniſſimam partem de numeris, imitando Tyrrhenorum ſtultitiam, planè ac citra omnem metaphoram accipi iubeant. Fuit autem priſcis & uetuſtiſſimi æui ſapientibus in more, per arcanarum literarum allegorias, & ſenſuum myſteria, ſapientiæ profundam inquiſitionem tradere. Sic omnia ſunt antiquiſſimorum tam philoſophorum quam poetarum ænigmatibus pleniſſima, & propter rerum obſcuritatem, & propter leuem uulgi contemptum, πραγμάτων γὰρ ὑπ' ἀνθρωπίνης ἀσθενίας οὐκαθορωμένων σαφῶς, εὐσχημονέστερος ἑρμηνεὺς ὁ μῦθος, inquit Max. Tyrius in diſputatione decima. id eſt, Rerum enim ab humana infirmitate non perſpectarum manifeſtè, aptior interpres eſt fabula, ea uerò philoſophos recte decet, quæ ſub pio figmentorum uelamine honeſtis & tecta rebus & ueſtita nominibus enunciatur, Macrobio authore, quam ego curioſiſſimè ſcholaſticorum ingenia in rerum admirandarum notionem excitare, ac introducere arbitror, minori enim diligentia quæritur, quod ante fores præſto eſt, quam quod longè ſitum in abyſſo profundi recõditur, ita facilitas apprehendendi, experto crede, diſcipulis ſtudiorum neglientiam parit, & frigidè petitur quod facillimè obtinetur. Euenit

& quandoq; nos ulla uerborum proprietatè res abstrusas effari non posse, quas longis ambagibus & uariè composito sermone cogeremur enunciare, nisi fuisset commodè repertum breui ænigmate uti. Necnon illud in rem est, nam assolent aduersis castris belli duces quædam syntagmata edicere. quæ tessaras nominãt, ut suos quisq; dux internoscere milites, & se quoq; inter se queãt, quemadmodũ in bello Cæsaris Venus genitrix, et Syllæ Apollo Delphicus, et Marij Lardeus, et Iephthæ Siboleth. Ita nõ fuerit utiq; inde corũ symbola doctrinæ peculiaria & arcana familiaribus tradere, ut quicunq; discipulorum ea magis usurpassent, dilectiores fierent magistro, interque se plus cæteris diligerent. Vnde Pythagorei symbolis quibusdam arcanis sibi quandam indissolubilis amoris & amicitiæ cathenam fabrefecerunt. Erat enim Pythagoras conciliandæ amicitiæ in primis studiosissimus, ac si quem didicisset symbolis suis communicasse, eum continuò socium amicumq; conscissebat, subscriptore Laertio. Eoq; factum est, ut ardentius cuperent omnes Pythagoricis symbolis, hoc est, mysteriorum notis uti, tum quod futuri essent præceptori gratiores, tum ut cunctis apparerent nobiles esse Pythagorei. Quo motus apud Plutarchum in octauo conuiualium Philinus, ex omnibus conuiuis Syllæ Carthaginensis ipse solus inter epulas animatis abstinuit, ut agnosceretur esse Pythagoreus. Quare is à Leucio patria Tyrrheno Moderati Pythagorici discipulo reprehensus fuit plus illius dogmatis sequi scriptum, quam sententiam, quod & in alijs Pythagoristis fuerat reprehensione dignum. qui immodestè affecti moribus separatis & singularibus, uel in sociorum & amicorum cœnis panem non frangebant ut cæteri, uel cerebella non edebant, uel surgentes ab epulis stragula conuoluebant, uel nudis pedibus sacrificabant, uel locuturi, à sole se auertebant, uel relicta populari uia, per diuerticula discedebant, uel cum ridentibus nunquam aut parum ridebant, uel à fabarum esu prorsus abstinebant, similiaq; egregiè usurpabant magis superstitione quàm recta ratione ducti. Sola imitantes ad corticem symbola, negligentes uoluntatem, ut talibus notis innotescerent, & uulgò Pythagorici eiusdem ordinis uiderentur. Sunt igitur eiuscemodi symbola unius collegij signa. Cæterum addamus etiam quod diuinarum & humanarum rerum amplissima spacia dimetientibus nobis & innumera tractantibus memoriæ plurimum conferant ænigmatica symbola, hoc est, notæ quæ figuntur animo, ut quotiens recordari libuerit, cito nostris obtutibus offerantur. Symbolum ergo de rerum principijs commodissimum erit, Vnum & duo. quid enim citius occurrit res singulas intuentibus quam unum & duo, cum causas & originem uniuersorum scrutari uolumus? Nam primo aspectu cernitur oculis id quod est idem ipsum, & non est alterum. Ex quo ante omnia mente concipimus, quod idem & alterum sunt unum & duo. Alcmæon autem Crotoniates, qui Pythagoræ uixit ætate, duo appellauit

multa

multa, quæ dixit eſſe contrarietates tanquam litem forte Empedoclis, uaga tamen poſuit illa, & ſine fine diuerſa, ut album & nigrum, dulce & amarum, bonum & malum, paruum & magnum, Ariſtotele in primo poſtnaturalia teſte. Pythagorici autem diuerſa illa rerum inter ſe ultro citroq; contrariorum, quas Alcmæonij contrarietates appellarunt propter arithmeticæ artis amorem in numerum coartarunt denarium, celebrem illum & omnia continentem, ut finitum & infinitum, impar & par, unum & multa, dextrum & ſiniſtrum, maſculinum & fœmininum, quieſcens & motum, rectum & curuum, lucem & tenebras, bonum & malum, quadrum & oblongū. At hæc ita ſunt utralibet, quod duo ſunt, idcirco diuerſa ſunt quonia m duo ſunt. Nam ſi unum eſſent, contraria non eſſent. In decem uero uniuerſa redegerunt, quod iſte numerus eſt perfectiſſimus, quo cunctæ nationes & omnes populi præter Thracas cū Græci tum Barbari ſingulas res numerant non ſiſtentes citra, nec progredientes ultra, tanquam naturalibus calculis decem digitorum. Sanè illius perfectionem oſtendit iſte ornatiſſimus mundus, quem cernimus decem tantum ſphæris, iuxta Pythagoreos moueri, tantù etiam reliquis eſt perfectior, quantò plura numerandi genera continet, par, impar, quadratum, cubum, longum, planū, primum, incompoſitum, & primum compoſitum, quo nihil abſolutius quod in decē proportionibus quatuor cubici numeri conſummantur, quibus dicunt Pythagorici uniuerſa conſtare. Archytas quoq; nobilis Pythagoreus ille Tarantinus omne quod eſt, denario numero cōplectitur, quem Stagirita imitatur Ariſtoteles peripateticorum gymnaſiarcha, decem genera entis nominat decem categorias, quo nomine ſibi uolumen inſcribere placuit oſtendenti philoſophice, ut Euſtathius uoluit decem πράγματα, id eſt, entia realia, ut Alexander Aphrodiſæus decem φωνάς, id eſt, uoces, ut Porphyrius decem νοήματα, id eſt, intellectus ſiue conceptus. Vel ut Iamblichus forte rectius decem uoces ſimplices, non ut uoces, ſed ut ſignificantes res ipſas ſimplices medio decem conceptuū ſimplicium. Aſſentiuntur huic Alexander ægeus, Ammonius Hermiæ, & Simplicius, inſignes ſapientiæ amatores, qui etiam gnauiter arbitrati ſunt in iſtis decem generaliſſimis entibus duo quædam præcipua reperiri poſſe in quæ diuiduntur, tametſi ab una eſſentia ortis, ueluti ſubſtantiā & accidens ſiue corporeū & incorporeū, ſeu materiale & immateriale, ut ſimplex et ut cōpoſitū. Ita nāq; duo amat denarius ut ab uno progreſſus naſcatur per duo, & per duo redeat in unū. Primus enim incōpoſitus ternarius eſt ex uno & duobus non quidē compoſitus & conſtans, quia unum non habet poſitionem ſecundum Iamblichum, non facit ergo compoſitionem, quando uerborum ſequi uolumus proprietatē. ὅτι γὰρ ἡ μονὰς μόνσα ἔτι μονὰς θέσιν προσλαμβάνει ὅτι ἡ στιγμὴ μόνσα στιγμὴ τὴν θέσιν ἀποβάλλει. ut inquit Simplicius in cōmentarijs ſuper prædicamentū quanti. i. Neq; enim unitas manēs ad huc unitas poſitionē aſſumit

neq; punctus manens punctus positionẽ abijcit. Ex quo differentiã noscere possumus qua distat unitas à puncto, Cunq; nihil sit ante unum, rectè dicimus unum esse primum. Binarius autẽ non est compositus ex numeris, eò quod ex sola unitate una & una coordinetur, & ideo primus numerus est qui prima multitudo est, à nulloq; potest numero metiri, præterquam à sola unitate omnium numerorum mensura communi, semel enim duo, nihil aliud quam duo est, quamobrem ea multitudo quæ appellatur ternarius, ueriſſimè ab arithmeticis numerus primus incõpositus nuncupatur, binarius enim hunc præcedens non est incompositus numerus, sed magis propriè non compositus. Cupiens itaq; ternarius non esse ociosus, quin potius bonitatem suam in omnes creaturas absq; inuidia multiplicari, de uirtute progrediendo ad operationem, illud fœcundum quod est in eo multum multitudinis productiuum tanquam numeri de numero, & illud essentiale quod est in eo unũ omnis productionis fons & origo simul & omnis processionis initium, & omnis substantiæ immutabilis permanentia perpetua mente intuetur ac respicit, & ita sese in seipsum retorquet, per modũ unitatis & duitatis semetipsum multiplicans atq; dicens, semel bis duo sunt quatuor. Ecce tetractys illa quaternitudo de qua mihi tecũ antè sermo fuit, hæc est omniũ quæ creata sunt Idea, quoniã, ut aiunt arithmetici, quaternario omnis progressio perficitur. Vnde oritur decas illa quam appellamus decem omnium rerũ genera generalissima. Nam unũ, duo, tria, quatuor, de omnipotente potẽtia ad energiæ actum exeuntia producunt decẽ, quorũ dimidium est quinq;: pone igitur in mediũ quinque tanquã aliquẽ signiferũ in medio exercitus, et in eius latere dextro numerũ proximè superiorẽ qui est sex, & in latere siniſtro numerũ proximè inferiorẽ qui est quatuor, hęc duo iuncta etiã cõstituũt decẽ: pone iterũ in latere eius dextro numerũ proximè superiorẽ, qui est septẽ, et in latere siniſtro numerũ proximè inferiorẽ qui est tria. hæc duo iuncta similiter cõstituunt decem: pone rursus in latere dextro numerũ proximè superiorẽ qui est octo & in latere siniſtro numerũ proximè inferiorẽ qui est duo, hæc duo iuncta cõstituunt quoq; decem. Pone demũ in latere dextro reliqua nouẽ & in latere siniſtro unum. Iamq; reduc illa nouem ad unum & resurgunt decẽ, quæ rursus ad uiginti relata incipiunt denuo esse unitas, & deinceps ad omnes numeros cardinales usq; ad centum, sicut enim bis unũ faciunt duo, & ter unũ tria, & quater unũ quatuor & similiter ultra, ita bis decem faciũt uiginti, & ter decẽ triginta & quater decẽ quadragimta, & similiter ultra, non aliter de centum, non secus de mille ac ultra. Hæc quidem ratio erit cur decem per iota, quæ uirgula est erecta, grȩcè scribimus, aut per solum punctum hebraicè notamus, quæ tamen signa tam barbaris quam latinis alioquí simplicem repræsentant unitatem, quippe à qua numerus denarius oritur, & in quam desinit, cuius Pythagoricũ extat symbolum uidelicet unũ duo, quæ

Zaratas

Zaratas Pythagoræ præceptor nomina propagationis pronunciare conſueuit, unum appellãdo patrem, et duo matrem, teſtimonio Plutarchi Cheronenſis in Timęi Pſychogonia. Nam ut antè accepiſti unum & duo cum eſſentia diuina producunt quaternitudinem illam Tetractyn Ideam omnium rerũ denario numero conſummatarum. Eam Pythagoras affirmat eſſe παγὰν ἀεννάου φύσεως. id eſt, fontem perpetuæ naturæ, quæ nihil aliud eſt quàm cognitio rerum in mente diuina rationabiliter operante. Mentem uerò ipſam Dei Pythagoras numerum allegoricè nuncupauit, cũ diceret numerum eſſe uniuerſorum principium. Ita enim Plutarchus in libro de placitis philoſophorum quarto ſcribit, τὸν δ' ἀριθμὸν πυθαγόρας ἀντὶ τοῦ νοῦ προσλαμβάνει, id eſt, Numerum autem Pythagoras pro mente accipit. Signum planè haud iniquũ, quia in incorporeis nihil diuinius mẽte, in ſeparatis nihil ſimplicius numero. Nec præterea cogitari aliquid poteſt menti ſimilius, & ab hoc perpetuæ naturæ fonte per riuos & cãnales defluit numerus Pythagoricus unũ & duo, id quod ab æterno in ipſo fonte immẽſi Oceani, fuit, erit, immo ſemper eſt, ubertim ſcatẽs, quod homines priſco ſeculo nominarint Zena ipſum illud unũ, ut Ariſtoteles uoluit hoc Homeri citãs, εἷς κοίρανος ἔστω. i. unus princeps ſit, dicẽtes Zena ꝓ Zeua uidelicet à uiuẽdo, quem Romani Iouẽ quaſi Zeua nuncuparũt, & Cornutus in libro de gręca theologia illũ aſſerit totius mũdi eſſe animã. Duo aũt, nominata eſt Hera, illius Zenos hoc eſt Iouis & ſoror & cõiũx, de quo ſic Homerus in decimoquarto Iliados, ἥρη δ' εἰσεῖδε χρυσόθρονος ὀφθαλμοῖσιν αὐτοκασίγνητον καὶ δαέρα ζῆνα δ' ἐπὶ ἀκροτάτης κορυφῆς πολυπίδακος ἴδης ἥμενον, id eſt, Hera, hoc eſt, Iuno aſpicieba taur ithrona oculis eũdẽ fratrẽ et leuirũ Zena, hoc eſt, Iouẽ in ſummo cacumine plurifontanæ Idæ ſedentẽ. Quò facilius ſenſa poſſumus ſapiẽtiſſimorũ poetarũ de origine rerũ cognoſcere, quod in multifontana Ida, qui mõs ſic à proſpectu nominat̃ ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν à pręcognitione ἐκ τοῦ ἴδω τὸ γινώσκω Iupiter & Iuno reſidẽt, tãq̃ unũ et duo in quaternionis Idea illa riuoſa. Vnde fluũt omniũ rerũ principia quę philoſophi ętate poſteriori formã et materiã nominarũt. Idemq́ apud nos eſt forma & materia prima q̃d apud uetuſtiſſimos philoſophos unũ et duo, apud idoneos illuſtresq́ poetas Iouis & Iuno, q coeũt in Gargari mõtis Ida & cõueniũt in diuinę mẽtis Idea, binis ãbo bigis et quatuor ãbo equis ducũtur, ſed deſcẽdẽdo Iupiter in olympo manet, Iuno ad inferiora tẽdit, Homero teſte ſic dicẽs, εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης. νῦν δὲ σεῦ εἵνεκα δεῦρο κατ' οὐλύμπου τόδ' ἱκάνω. i. Vado uiſura pabuloſæ extrema terræ, nunc autẽ tui cauſa huc per olympi iſtud uenio Neuter tamẽ alterũ omnino deſerit. Hoc igitur modo exit à mente diuina uniuerſi exordiũ. Reſpiciẽs. n. Tetractys ad ſui eſſentiã quæ eſt prima unitas, omniũ ꝓductrix, et ſimul originẽ ſuã à primo ꝓducto reminiſcẽs quoniã binarius eſt, ſic ait, ſemel unũ bis duo, mox cõſtat quaternarius habens in cacumine uerticis ſui ſummam unitatẽ, fitq́ ſubito pyramis, cuius baſis

est quaternarius planus apud arithmeticos superficiem significans. Super quam diuinæ unitatis iam memoratæ lux radians formam & speciem facit ignis incorporei. Propter Iunonis hoc est materiæ discessum ad inferiora, unde confestim oritur natura luminis essentialis, non ustiui, sed illuminantis. Et hæc est creatio mundi medij, quem Simon Iudæus appellauit supremum, quia Deitatis mundus comperationem non patitur, ideoq; se iudice supersupremus & incomparabilis ille nominatur. Rectò uerò medius hic dicitur olympus, quia totus lucidus & separatarum formarum plenissimus est ἵν' ἀθανάτων ἕδος ἐστί. Iliados octauo, id est, ubi immortalium area superficies siue pauimentum extat, cognominatur enim habitaculum deorum, seu ut rectius Maro Aeneidos decimo, Deum domus alta, cuius quidem culmen est unitas, parietes trinitas, & superficies quaternitas. Idq; clarius cernitur, cum iam numerus à diuinitate sua emanando paululum declinauerit, & diuerterit ad creaturarum figuram, tunc etenim ponamus simul & pro Tetracty tetragonũ, & in quolibet eiusãgulo punctũ instar unitatũ, et pro unitate fastigij, quę nũc cœpit habere positionẽ eleuemus quãtum fieri potest summũ apicem. Eo peracto, quatuor latera in altũ erecta, quatuor erunt trianguli super latitudine sua quadrangula constructi, & in unum punctum excelsum ducti, ecce pyramis ipsa, quę est forma ignis, testimonio Timæi Locri Pythagorei in libro de anima mũdi, doricè sic scribentis ἐξ ὧν ἁ πυραμὶς τέσσαρας βάσιας καὶ τὰς ἴσας γωνίας ἔχοισα συνιδεῖται, ἕδος πυρὸς δυνατότατον καὶ λεπτομερέστατον, id est, ex quo pyramis quatuor bases & æquales angulos habẽs cõponitur, forma ignis perquàm mobilissima & tenuissima. Est ea sanè absq; materia, lux essentialis, separata, proxima Deo et uita sempiterna, ut in duodecimo libro, qui postnaturalia inscriptus est, & in secundo de cœlo legitur sic, Mentis opificium est uita, Dei autem operatio est immortalitas, istud autem est uita æterna. Hęc à Pythagoreis mutuatus est Aristoteles. Atqui Deus ipse nõ est lux creata, sed lucibilis author omnis lucis, quare pyramidẽ absolutissimam & tetractissimam à triangula basi in altitudinem sese erigentem, quæ similiter igneum uigorem significat Deus Optimus Maximus, in diuina secum trinitate incomparabilis mundi continet. Vnde & Chaldæi & Hebræi Deum esse ignem perhibent. Quam uero pyramidem quaternio producit, ignea lux est incorporei & immaterialis separatarum intelligentiarum mundi, extra cœlum uisibile, qui à Græcis uocatur, αἰὼν, à nobis seculum æternitas & æther. Vnde & æthera fulgur æternitatis dicitur, ubi non est corpus, neque locus, neque uacuum, neque tempus, neque senectus, neque transmutatio, sed ibi sunt entia inalterabilia & impassibilia, optimam habentia uitam, quo toto æone, id est, æternitate, seu æuo fruuntur. Hæc ferme sunt ipsa uerba Stagiritæ Aristotelis, quę tam ipsi quam Platonici & Socratici ex Pythagora fuxerunt, qui sic in

aureis

aureis carminibus ſcripſit, Si relicto corpore in ætherẽ liberum perueneris eris immortalis deus, & his ſcilicet in hac uita ſuperatis cognoſces immortalium deorum & mortalium hominum cohabitationem, quam eleganter ipſe appellat, σύστασιν, à ſimul ſtando, per quod tres nobis proprietates medij oſtendit mundi, quem liberum æthera nominat, ut qui à materiæ potentia ſegregatus & præſeruatus in libertate caleſcat Dei ardore, ac inſenſibili motu inferiore calefaciat, dicitur enim ęther, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θέρειν ἤτοι θερμαίνειν hoc eſt, ſemper calefaciendo. Proprietates autẽ illius ſunt hæ, cõditio, chorus, & ordo. Mundi eius conditio eſt, quod totus quicquid eſt puriſſima forma eſt, cuius aſſerunt Iouialem eſſe naturam, quæ immortalia & mortalia informet, et fotu ſpecifico cũcta utriusq́ mũdi in ſuo eſſe conſeruet, de quo extat illud Maronis: O pater, o hominum, diuumq́ æterna poteſtas, propterea ob fomentarium calorem ſpiritalis Sol ueteribus Iupiter dictus eſt. Vnde ſalij Martis gradiui ſacerdotes eum appellarunt Lucecium, & Cretenſes Phoſphorum, ab eoque denominatus eſt olympus, quod totus fulgeat, in quo Iouis totus præſidet & præeſt: immo, totum quod eſt, ipſe eſt. Hinc illud quoq́ in nono Aeneid. Annuit & totum nutu tremefecit olympum. Eius, inquam, conditio eſt receptare formas ſimplices, immateriales, ſeparatas, per ſe exiſtentes, tam uniuerſales quàm indiuiduas. Continet enim omnes Ideas Ideatas generum & ſpecierũ ceu exempla ipſa cõtractioribus exemplarijs imitando, quorum exemplar ſignatoriũ cõſiſtit in mente diuina. Sic enim nominare uolumus quod eſt in mundo deitatis exemplar abſolutum. In mundo intelligibili exemplum abſtractum, & in mundo ſenſibili non exẽplũ, ſed exemplariũ illud contractũ, quõ ſigillũ, figura, & cera ſigillata. Huc accedit ſecundò chorus altera proprietas, ἀπὸ τῆς χαρᾶς i. à gaudio beatorũ ſpirituũ infinito et uoluptate immutabili deorũ dictus, qui uernæ illius habitaculi & ciues olympionicæ myrtea corona ouantes ambroſia, & nectare diuini cõuiuij perpetuó ſruũtur, ridentes riſum inextinguibilem. De quo ſapientiſſimus poetarum Homerus ἄσβεστος δὲ ἐῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν, id eſt, Inextinguibilis certè excitabatur riſus beatis dijs, quod omnino lætitiã illorum ſempiternã oſtendit, quam iugi concentu citharis, et cæteris muſarũ inſtrumẽtis, tripudio, choreis, ſympoſijs, quietis cubilibus, & interdũ dulci ſomno, præclarus ibidẽ Meleſigenes eleganter in Iliados primo libro expreſſit. Quid ni Marrane? Quænã poteſt maior cogitari uoluptas, quam Deum uolentẽ, & poſt eum rerũ omniũ Ideas atq́ formas aſpicere purius & tranſparentius quàm ſecundarum creaturarum ulla, deinde uiſiones quoq́ ſuas inferioribus pãdere, quod omne deorum eſt proprium atq́ ſuum. Ideoq́ Dei quandoq́ uocantur Latinè, qui & Græce thei ἀπὸ τῆς θέας, id eſt, à ſpeculatione ac uiſione, unde θεᾶσθαι ſignificat aſpicere uidereq́, nominantur & quandoq́ angeli dũ uiſa cæteris enunciãt, ut Orpheus Mercuriũ inuocãs ait, κλῦθι μοῦ ἑρμεία δεὸς ἄγγελε μαιάδος υἱέ.

ἑρμηνεῦ

ἑρμηνεῦ πάντων, id est, Audi me Mecuri Iouis angele Męadis fili, explanator omniū. Nā ἀγγέλλειν, nūciare ac explanare dicimus. Crebro aūt alterū pro altero usurpamus, nō cōsyderatis officijs, ita promiscuè dijs et angelis in cō muni sermone utamur. Cū enim Porphyrius in Isagoge scripsisset quod & nos simus rationales & angeli, Boethius latine uertēs, sumus, inquit, & nos rationales & dij, hoc modo reperitur in libris aliorum quāplurimis. Quare nemo putet cū deos nominamus, ipsos æquari summo & ineffabili deo qui nomē non habet, supremā nāq; maiestatē eò appellamus Deum, quòd entia cūcta infinitè penetrat & singula percurrit ἀπὸ τοῦ θεῖν, i. currere. Vnicuiq; nēpe rei multo interior est Deus et magis intimus quam ipsa sibi metipsi, ut qui cū nullibi est, ubiq; sit. At nō sic Deos appellamus, qui termi natam sibi tantū exequuntur prouinciā, & ad destinatū mittūtur opus: Dęmones autē quātumcunq; boni, tamen à Pythagora sectatoribusq; suis, in hūc medij mūdi chorū nō admittūtur. Sic enim Plotinus qui, testan tibus Porphyrio & Lōgino, mysteria Pythagoreorū perfectissimè sectari uisus est, in libro de amore Deorū, inquit, genus esse passionis expers dicimus & putamus. Dæmonibus autē passiones adiungimus, dicentes etiā sempiter nos esse, sequēti post Deos gradu. Pręstat sanè, nullū in mundo intelligibili dæmonem appellare, quinetiam si ibi ponatur ipse dęmon, esse Deum ex istimare. Hactenus ita Plotinus certè in omni doctrina sua breuis, at animo attento ponderandus, præsertim hoc in loco tā difficili quo poetarum ueterum arcana de dijs loquentium poterunt absq; molestia & sine plurimorum exacerbatione legi. Tertia intelligibilis mūdi proprietas ab eodem Pythagora demonstrata est, cum ipse dixit, Si recta ratione uixeris, male acta dolendo, & bene acta gaudendo, Deosq; oraueris, ut opus tuum perficiant, tū exuto corpore profectus in ætherem, eris immortalis Deus. Ordo nobis hic consyderandus est, quem in consequenda hominis beatitudine Pythagoras obseruat. Istud nanq; medij mundi cœlum incorporeum ac iste beatorum inuisibilis olympus nihil impurum admittit, fugienda ergo uitia sunt, & amplexandæ uirtutes. Deinde salus hominum, misericordia Dei est, quare diuinitas colenda, & superi sunt exorandi, ut opus nostrum perficiant, tum demum nihil istuc materiæ, nihil corporis, nihil permixti recipitur, ante igitur moriēdum est, & sanctè corpus exuendū quam in Deos referaris. Hic est ordo seculorum ut uita functis hominibus puris & electis, Deorum indigenarum supercœlestis quoq; aula cōcedatur, & cō munis sit pariter humanę naturæ cum sacrosanctis angelicis spiritibus perpetuæ uitæ conuersatio in inuisibili, & tamen omniformi supercœlesti cœlo & orbe requieto extra sensibilem mundū, ubi uerus est olympus, non imaginarius neq; poeticus, nō qui uoluatur, que rotetur nūquā ui quiescat. Tū Maranus, quā proximè inquit, sectis nostrorū temporū accedit unus

maxime

maximè omnium Pythagoras. In lege namq; Chriſtianorum ſimiliter legi tur quod homines mortui de numero reſurgentium, ſunt ſicut angeli Dei in cœlis, ubi tabernaculum Dei cum hominibus. Non intrabit aliquid co inquinatum, aut abhominationem faciens & mendacium. Erit iſtic uox ci tharœdorum citharizantium citharis ſuis, cantuſq; nouus, & mortui qui ſunt ſcripti in libro uitæ, uident cœlum nouũ & terram nouã. Prius enim cœlum ac prior terra eis abierunt. Ibi etiã ciuitas beatorũ habens claritatem Dei, & illius muri ex iaſpide cõſtructi, fundamentaq; eius omni lapide pre cioſo ornata. Et Dominus omnipotens templũ iſtius ciuitatis eſt, & de ſe de eius producitur fluuius aquæ uitæ ceu ſplendidus cryſtallus. Ciuitatis uerò eius fundamentũ & ſuperficies eſt tetragonus, uerba em̃ Apocalypſis unde illa ſumũt, ſunt hæc, Καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται, i. & ciuitas tetragonus iacet, quod explanauit Hippolytus papa ſic eſſe διὰ τὸ ἐδραῖον καὶ πάγιον. id eſt, propter ſolidũ & firmũ. Id tu mihi reducere uideris ad Pythagoræ tui numerũ, & figurã pyramidis, a tetragona baſi erectã, quã mathematici ſo lent inter ſolida reputare, planè quem uirũ iure optimo non modo tuũ, ſed uerius noſtrũ Pythagorã appellarẽ, & appellabo quidẽ noſtrũ, dũ uiuam quòd ipſe ſolus ex omni ueterum philoſophorũ turba magis aptè magis cõcinnè propriéq; noſtra ſapuit, neque ualde & à Perſis quoq; & à Paleſti nis ac noſtra ætate Arabibus in doctrinæ ſuæ fundamẽto diſtat, idẽ ipſe I talicæ philoſophiæ author. Sic enim in lege Mahometh Azoara prima legi mus, Deũ paradiſo bonos inducturum, ubi dulciſſimas aquas, pomaq; multimoda, fructus uarios, & decentiſſimas ac mũdiſſimas mulieres, om neq; bonũ in æternũ poſſidebunt. Et in Azoara quinquageſima prima, Credentes autẽ, inquit, & benefacientes pulcherrima loca paradiſi poſſeſ ſuri, omne ſuũ uelle perficient, hocq; lucrũ et maximũ, huiuſmodi quidem pollicitũ illis ſummã lætitiã denunciat. Deinde in doctrina Mahometh ita ſcribitur: Si ullũ oblectamenti genus iſtic deeſſet, beatitudo minimè plena eſſet. Fruſtra ergo delitiæ adeſſent, ſi uoluptas deeſſet. Et paulò ſuperius, incolis quidẽ eius, ait, quicquid deſyderari poteſt ſtatim aderit, qui & per fecti erunt omnes in ſtatura quidẽ Adæ, in forma uero Ieſu Chriſti, nunq; incrementũ aut detrimentũ aliquod patientes. Et in Alkorã capite ſexage ſimo quarto, Illic quidẽ credentes accubabũt tapetis ſericis ſtramẽtisq; pur pureis, omnibusq; ſibi dilectis perpetuò potientur, ducentq; puellas for moſiſſimas, ut ſunt hyacinthus & margaritæ, ab hominibus atqeu diabo lis nunquam deuirginatas, nec menſtruatas. Erunt & illic arbores colore in ter uiridem croceumq; nitentes, fonteſq; fortiter emanantes & palmæ po maq; punica. Nonne hic ſentis Philolae, quod pars maxima horum ſym bolica eſt, & inſtar Pythagoricorum allegoricè narrantur quæ audiſti fer me omnia, & id quod palam fatetur Mahometh in libro doctrina cum ait, Seculum aliud poſt mundum iſtum, cuius nulla ſimilitudo exponi poteſt

nec

nec enim coloni eius mortales, nec dies eius sub numero. Quo seipsum declarat, quæ scripserit de diuinis allegoricè scripsisse non autem omnia planè ac apertè, numerauit dies beatitudinis, dies mille annorum & ãnos quadraginta millia annorum, & paradisum habere docuit pauimentum aureum smaragdis & hyacinthis crebro interpositis distinctum, omni fructifera consitum arbore, decurrentibus per amœna arua fluentis, quorum alia quidem lac, alia mel album, alia uinum purissimum fundunt. Hæc in libro de doctrina Mahometh, ubi per sensibilem paradisum designat illum, quem ratio non capit intelligibilis mundi hortum. Duos enim paradisos Mahometh in Alkoran nobis proposuit, cũ in Azoara sexagesima quarta, sic ait, Qui timuerit coram Deo stans, duos paradisos rerum multiplicium omnimodiq; boni fœcundos, hereditatem accipiet. Ita duas quoque ostendit ciuitates Hierusalem cum in libro de doctrina quærit Abdias. Quare Hierusalem dicatur domus benedicta. Respõdit Mahometh, quia in directo cœlestis Hierusalem sita sit. Hæc ad nostri Simonis Cabalistica, quæ audiuimus haud parũ alludũt, de duobus scilicet paradisis altero, cœlesti & altero terrestri geminos mũdos significãtibus uisibilẽ et inuisibilẽ, illum nobis præsentem, hunc nobis futurum, eum quidem de quo satis multa paucis exposuisti, quare oro Philolae, ut de nostro quem incolimus reliqua prosequaris. Faciam sedulò Philolaus ait, si prius te commonuero ne cum rudibus philosophastris erres, qui ea tantum sapiunt, quæ oculis cernunt, ut de Anthisthene scripsit Ammonius Hermiæ cum dixisset: Hominem quidem uideo, humanitatem autem non uideo. Vnde putabat humanitatem nihil rerum esse, nisi cogitationis figmentum, ταῦτα εἰδὼν ἔλεγε, τῇ ἀληθείᾳ μόνῃ ζῶν. καὶ μὴ δυνάμενον τῷ λόγῳ εἰς μείζονα ὄρεσιν ἐυρεσιν ἑαυτὸν ἀνεγεῖραι. Hæc ille dixit sensualitate sola uiuens & non potens ratione ad maiorem inuentionẽ seipsum extollere. Ita Hermiades in Isagogis. Haud aliter tam sunt quidam obtuso ingenio, qui acutius contemplari nequeant, nisi quantum pupilla comprehendat, aut manus palpent, & quæcunq; de uita cœlesti, de dijs superis, animabus in cœlo aut de cœlitibus audiũt, ea mox ad cœlum uisibile stellarumq; sphæras, firmamẽtum mobile, & quos sensu percipimus orbes referunt, ac si in tanta turbine motuum, et irrequieto mutationum tumultu, uita beata cõsistere posset, sequentes uerò spiritalem sensum & subtilem mentis illuminationem, ipsi quidem intelligunt maiorem esse ueritatem in ijs, quæ non uidentur quam ijs quæ uidentur. Ad hoc Pythagoreorum propensa est uoluntas, ut credant per hunc mundum, & quæcunque in eo locantur adumbratum esse imaginem eius, qui extra cœlum sit ueri mundi, comprehendentis solum intelligentias, formas, & animas à corporibus substantia, uirtute & operatione separatas. Vnde animas hominum ab omni sorde turpi defęcatas, abiecta corporali mole firmiter tenent, & nullatenus dubitant extra hoc uisibile cœlũ omne ac ultrà

qualem-

qualemcũnq; incommoditatis aleam in æternitatis olympo habitare, omni libertate donatas, & nulli neceſſitati obſtrictas. Sic enim Plotinus ille inſignis Pythagoriſta in libro de proprio cuiuſque dæmone quarto, Animas, inquit, extra ſenſibilem mundum profectas exiſtimandum eſt naturam dæmoniacam tranſcendiſſe, omneq; generationis fatum, omnemq; huius mundi neceſſitatem quãdiu in mundo intelligibili habitant, hucuſq; Plotinus. Quotiens igitur de ueris dijs, intelligentijs ſeparatis, formis purioribus, ſpiritibus diuinis, ſuperis, angelis, & beatorum animabus mentio fit, ſemper recordare, ac animo tecum uerſa mundum illum ſupremum, intelligibilem, immaterialem, ſimplicem, abſtractum, cœlum incorporeum, olympum inuiſibilem, paradiſum mentalem, ſupernaturalem æthera, nec ſenſu nec ratione perceptibilem. Eo nunc dimiſſo ad noſtrũ deſcendamus corporeum, & ſenſibilem mundum, cuius exemplar eſt in mũdo incomparabili Deitatis, & exemplum in mundo intelligibili formalitatis, & exemplarium ἀνθυπόσατον, in ſeipſo. Vtq; unum origo eſt mentalis mundi, ſic duo nobis exordiũ erit mundi corporalis, qui non eſſet corporalis, niſi quatuor iſtis cõſtaret, puncto, linea, ſuperficie, craſſitudine, ad exemplum cubicæ figuræ quam conſtituunt unum, duo, tria, quatuor, Vnũ enim poſitione fixum erat punctum. Linea de uno puncto ad alterum protracta è duobus fit. Superficies ex tribus oritur lineis. Craſſitudo quatuor naſcitur, ante, retro, ſurſum, deorſum. Ideoq; ſicut binarius per ſe multiplicatus numerando bis duo quaternionem producit. Ita binarius ſemet ipſum in ſeipſum replicans atq; retorquens dicendo, bis duo bis, primum cubũ facit. Ergo poſt quinariũ, quę tetragonica eſt pyramis, quippe principium intelligibilis mundi, accedit ſex laterum octonarij cubus, quẽ mundo ſenſibili architectum præficimus. Nam inter rerum principia, non habetur ſeptenarij ulla memoria, quoniã uirgo eſt nihil pariens, idcirco Pallas nominatur. Ad cubũ ergo primũ diuertimur, ſanè fœcundum numerum, multitudinis uarietatisq; principem, ut qui per duo ſit & per quatuor conſtitutus. Vnde ſicut Pythagoræ præceptor Zaratas duo nominauit matrẽ, ita nos cubum inde progrediẽtem appellamus materiam omnium rerum naturalium fundum, & fundamentum ſedemq; ſubſtantialium formarum. De quo Timæus Locrenſis ille Pythagoreus, in libro de anima mũdi ſcribit, ἐκ δὲ τῶ τετραγώνω γεννᾶσθαι τὸν κύβον ἑδραιότατον καὶ σταθερώτατον πάντη σῶμα. ἐξ μὲν πλευρὰς, ὀκτὼ δὲ γωνίας ἔχων, id eſt, Ex tetragono naſci cubum ſolidiſſimum & ſtabile omnino corpus, ſex quidem latera, octo autem angulos habens. Huic fundo ſi qua forma demerſa innitatur, huic ſolido receptaculo ſi fuerit illapſa, & in hanc ſedem materialem repoſita, non uagè nec cõmuniter recipitur, ſed ſtabiliter & ſingulariter fit indiuidua & incommunicabilis, tanquã aſcirptitia glebæ, tempori & loco ſubiecta, & quaſi de libertate in ſeruitutem materiæ proſcripta. Igitur gemina profluere ab uno

fonte rerum temporalium principia cernimus Pyramidem & cubum, id est, formam & materiam, quæ ex eodem tetragono deprehenduntur prodijsse, cuius Idea, ut ante ostendimus, est Tetractys, Pythagoræ diuinum exemplar. Symbola igitur primordialia quanto potui breuius explanaui, quæ reuera nihil designant aliud quàm materiam & formã. Cumq; oporteat tertium aliquid ponere quo uniantur, nec enim sponte confluunt, nec contingit fortuitus quarumlibet formarum concursus in materiam, neq; unius rei materia contingenter formam alterius recipit, non enim ex corpore humano, mox atq; decesserit anima generatur ęs aut ferrum, nec ex lapide fit lana: cum itaq; oporteat ponere tertium aliquod quo uniantur, erit ut opinor, necesse principium aliud quam priuationem Aristotelicam adducere, quo moueatur materia ad formæ desyderium, ita ut cessante hac & hac forma, introducatur uicissim ista quædam & ista. Nam priuatio & potentia nihil substantiuè agunt cum sint nullius actiuitatis realis, ob idque minimę entitatis, quantò magis certam formam alicui materiæ nequaquam iungere aut unire possunt. Vnde inuenti sunt qui dicerent loco priuationis motum esse tertium principium, qui cum sit accidens, quomodo erit principium substantiæ? aut quis eius motus erit motor? Quar sapientius contemplati Athenienses ambo, Socrates Sophronisci, & Plato Aristonis, pro motu seu priuatione agillimum actiuorum posuerunt Deum dicentes, tria esse rerum principia, Deum, Ideam et materiam, quod ante Pythagoras occulte symbolissauit arcanis his notis asserendo principia uniuersorum esse, Infinitum, unum & duo. Infinitudinis Deum, unitatis formam, alteritatis materiam designans authores. Infinitum in mundo supersupremo & incomparabili, nnum seu identitatem in mundo intellectuali, duo seu alteritatem in mundo sensibili, est enim materia quidem alterationis mater. Coniungit autem Deus materiam & formam per legem ipsi naturæ impositã. Idcirco ante Pythagoræ tempora uetustissimus ille Orpheus in libro hymnorum, post Iouem. i. formã, qui ab eo nominatur ἀρχὴ πάντων. i. principium uniuersorum. Et post Iunonem. i. materiam, quam uocant δεὸς σύλλεκτρον παντογένεθλον, id est, Iouis conthoralẽ omniparẽtẽ, Iunonio. n. cognomẽto materiã alloquitur his uerbis, χωρὶς γὰρ σέθεν οὐδὲν ὅλως ζωῆς φύσιν ἔγνω κοινωνεῖς γὰρ ἅπασιν μεκραμένη πέρι σεμνῶς, id est Absque enim te nihil omnino uitæ naturam agnouit, communicans quidem uniuersis permista supra quam pudice. Itaque post, inquam, Iouem formam, & Iunonem materiam, addidit idem Orpheus legem, id est distributionem, ut esset tertium naturæ principium, cognomina uitque id φύσεως τὸ βέβαιον, id est, naturæ confirmatiuum. Nam lex dicitur nomos Græce, ut nosti à nemo τὸ μερίζω, id est, partior & distribuo, perinde atque distribuens omnibus quod suum est, uel quod ad se pertinet. Hoc esse ait οὐράνιον νόμον σφραγίδα δεκαίαν, Sic in hymnis suis concinuit, id est, cœlestem legem

sigillum

ſigillum iuſtum, lex enim naturæ ſigillat una forma multas materias, ſicut tabellio una effigie annuli multas ceras. Iam uero quælibet ſigillatæ in materiam formæ non ultrà uocantur Ideæ, hoc eſt, ſpecies, ſed τὰ εἴδη, hoc eſt, Ide, ſcilicet formæ, ὡς τὰ ἐν τοῖς κηροῖς ἐκτυπώματα ἀχώριστα τῆς ὕλης, id eſt, Ceu illæ in ceris expreſſiones inſeparabiles à materia, ut ſcripſit Ammonius. Proinde aperta nobis iam extat ſenſibilis huius origo mundi, quem pyramidis & cubi coniugium lege naturæ celebratum peperit. Earum figurarum tetragonæ baſes continuo unitæ dodecaedron efficiunt pythagoricũ quippe ſymbolũ, quod deſignatur ipſum uniuerſum ex materia & forma compoſitum: illius recte meminit Alcinous de dogmate Platonis, ſic dicens, τῷ δὲ δωδεκαέδρῳ εἰς τὸ πᾶν ὁ θεὸς κατεχρήσατο, id eſt, Dodecaedro ad uniuerſum Deus utebatur, ſcilicet, cum hunc mundũ fabricaret, Octangulo nanq; cubo ſi pyramidem ex quatuor triãgulis æqui cruribus eleuatam ſuperpoſueris ædificium dodecaedri artificioſè conſtruxeris, ubi ſuccumbit cubus, ſeu talus uti mater, & incumbit pyramis uti pater. Sic enim Timæus Locrus ille nobilis Pythagoreus in libro de anima mundi, τὸ μὲν εἶδος λόγον ἔχει ἄῤῥενός τε καὶ πατρὸς, ἁ δ' ὕλα, θήλεός τε καὶ ματέρος. τρίτα δὲ εἶναι τὰ τουτέων ἔκγωνα. i. Forma quidem, inquit, rationem habet maris & patris. Materia uero fœminę atque matris, tertia autẽ eſſe horũ genimina. Ex his igitur omnia huius mundi quæ ſunt nõ perperam affirmamus certis ſeminibus & ſecreta facultate fieri, ſanè mira uarietate apparentia propter uariam formarum ad ſuas materias conmenſurationem, & infinitorum pene accidentiũ, quę συμπτώματα Epicurus uocat admiſtionem, per abundantiam & defectum, litem & amicitiam, motũ & quietem, impetum & tranquillitatẽ, rarũ & denſum. Vnde oriuntur orbes & ſtellæ, quatuor itẽ elementa, ex quibus euaporant calidum & humidum, & frigidũ & ſiccum, tũ quęlibet etiam ſenſuũ obiecta. Inde aliud alijs contingit, & efficit omnes res, ut conuertant formas, muteritq; colores, Lucretij teſtimonio. Sentis ne, quantum nos iam cum plebe philoſophorum ambulamus, & uulgariam terimus uiam, quando in hæc phyſica lapſi ſumus, quare cũ multi multa de natura ſcripſere, minus uiriũ nobis adhibẽdum eſt, ut quid de rebus naturalibus ſenſerit Pythagoras, oſtendamus, à nobilioribus & diuinioribus ſumẽtes initiũ. Naturales ſunt dij, ſupernaturales uero dij deorum, illos mundus inferior alit, hos mundus ſuperior fouet, unde & ſuperi dicuntur, de quibus antè haud parum multa diſſeruimus. Dij deorum ſimpliciſſimi & puriſſimi, quia nuſquam ſunt, ideo ſupercœleſtes ſunt, quia ubique ſunt, ideo nobiſcum ſunt, iſtic indigenæ, hic aduenæ. Nunquam enim in noſtro mundo ſunt, niſi miſſi, quare angelorum nomine gaudent, cum adhæc ima deuergunt, quoniam regis regum nuncij ſunt, habitu tamen & facie nobis apparent quali uolunt, iuxta libertatem arbitrij ſemper beneficiorum erga nos amantiſſimi. Sed inferiores dij ad ſupercœleſtia nunquam migrant, ad nos uero

& ad nostra quandoq; legationem assumunt, unde et pari modo est, quan do angeli nominantur. Deus autem Optimus Maximus, tam infima quã suprema & media singula penitissimè inhabitat, ita ut nihil sit entium sine Deo. Præterea díj orbis nostri præstantiores sunt. Inferiores autem in corpore humano animæ, quanquam illi apud corpora, hæ in corporibus. In medio autem horum sua loca tenent dæmones & heroes. Dæmones prope deos, heroes prope animas. Quorum Pythagoras in aureis carminibus meminit, & singulis quibusq; suum tribuit cultum. Nec illis tamen aras sanguine fœdari, nec animalia immolari permisit, nisi publicæ utilitatis causa, magis autẽ thure atq; hymnis quotidiana & priuata sacrificia fieriu olu it. Vnde illud extat, Thure Deũ placa, uitulum sine crescat aratro. Cumq; homo sit quædam mundi huius effigies, unde Microcosmus, hoc est, paruus mundus nuncupatur, in multis paria recepit mundana nomina μεταφορικῶς, & more translatitio. Mens enim in homine Deus appellatur instar mentis summæ ac primæ, aut per homonymiã, aut per participationẽ. Et anima rationalis quę per mentem ad uirtutes & optima quæque uoluntatem inclinat, dicitur dæmon bonus siue genius: quæ uero per fantasiam & prauas affectiones uoluntatem ad uitia & pessima quæque trahit, nominatur dæmon malus. Quamobrẽ Pythagoras Deum orat, ut homines à malo liberet, & omnibus ostendat quo dæmone utantur. Exuto demũ corpore si fœdata uitijs manserit, fiet dæmon malus, & uita eius δυσδαιμονία, id est, infelicitas uocatur. Sin uerò abiecerit uitia, nihiloque minus impressus ei duret solicitudinis character, nec penitus omnem erga humanos & mortales etiam quantumuis uirtutis mores affectionem reliquerit, aliquanto erit tempore bonus dæmon, & in huius mundi amenitate feliciter fortunatéq; deget singulari semper cum lætitia, tanquam quæ bene gesserit adhuc memori secum mente uolutans, ad eadem recte gerenda nondum extinctam retineat uoluntatem, cuius uita græcis εὐδαιμονίαν. id est, felicitas dicitur. Vnde illud Vergilij Maronis ortum est, Quę gratia curruũ amorumq; fuit uiuis, quæ cura nitentes pascere equos, eadem sequitur tellurę repostos. Illam animam priscos lemurem nuncupasse accepi, cuius generis si quis sit qui beneuolentia erga nos ita ducatur, ut nostri & nostrorum curam sortitus, pacato et quieto numine domum possideat, lar dicitur familiaris. Sin autem propter aduersa uitæ merita nullis bonis sedibus, interuagatione ceu quodam exilio punitur, terriculamentum bonis hominibus inane, at noxium malis, larua nominatur. Cum uerò incertum est qua sortitione fruatur, lar ne sit an larua, nomine Manendeum nuncupant, cui honoris gratia Dei uocabulum addidere, quoniam eos pronunciant etiam Deos, qui iustè ac prudenter uitæ curriculo gubernato mortem sanctã obierunt. Cæterum promiscuè Deos, angelos & dæmones etiam eos nominamus ingenuos spiritus, qui singulis quibusque hominibus custodes

ſtodes addicti, minimè conſpicui, ſemper abſint non modo actorum teſtes uerumetiam cogitatorum, qui nos quoq; poſt mortem ſequantur uſq; ad ſummi dęmonis poteſtatem, iudicium atq; tribunal. Omnia hæc ad nos ex Pythagora fluxerũt quæ ipſe partim ab Aegyptijs, partim ab Hebręis atq; Chaldæis, & apud Perſarum ſapientiſsimos Magos didicit, poſteriſq; tradidit, quorum meminere præſtantiſsimi authores, Mercurius Termaximus Aegyptiorum illuſtris legislator, & contemplantiſsimus ſcriptor in ſermone perfecto ad Aſclepium, Timæus Locrus in libro de anima mundi, Heſiodus in operibus & diebus, Plato per Diotimam in conuiuio, Per Socratem in Phædro, Itidemq; in Philebo, Per Athenienſem hoſpitem in legibus, & Epinomi, aliijſq; librorum ſuorum locis. Porphyrius de abſtinentia animatorum, Iamblichus de myſterijs, Proclus in Alcibiadem. Plotinus in libro de amore, & in libro de proprio cuiuſq; dæmone, Maximus Tyrius in binis diſputationibus de dęmonio Socratis, multiq; grecorum alij, quos è latinis Cicero in uoluminibus de natura Deorum, de diuinatione, & in ſexto de Repub. & ille quoq; Madaurenſis Apuleius in libro de Deo Socratis, & reliqui poſt illos imitati ſunt, Nec deſunt ex peripateticis qui de motoribus orbium ſyderum atq; ſtellarum, & præſidibus elemẽtorum tractauere, ſiue corporibus illis aſsiſtant, ſeu illorum cuique pro cuiuſque anima inſint, mitto dicere. Iam ſolùm quæ reſtant de mundo ſenſibili paucis enumerabimus. Mundum igitur hunc qui eſt æternitatis imitator dixit Pythagoras, continentiam eſſe omnium totorum ſecundum ordinationem quæ ſit in eo, qui tametſi eſt corporeus, tamen incorporea habuerit prima principia, cui Stoici non ſunt in hoc aſſenſi, putauerũt enim ea fuiſſe corporea quia ſpiritualia. Eundem ipſe & genitum & corruptibilem aſſeruit, ſed prouidentia & indulgentia Dei nuquam corrumpendum. Dixit quoq; corporea elementorum eſſe rotunda, præter ignem, qui coni figuram præferat, Colorem eſſe corporis apparentiam. Tempus, circulum, mundi extimum, motum, differentiam quandam ſeu alteritatem in materia, generationi & corruptioni paſsibilem materiam ſubijci. Neceſsitatem incumbere mundo, & quædam de neceſsitate fieri, quædam ex fato, quædam electione, quædam à fortuna, quædam caſu, horum cauſam eſſe humanæ rationi occultam, cui aſtipulatur et Anaxagoras. Mundum item cœpiſſe ab igne, arbitrabatur ipſe noſter. Dexterum eius in oriente, ſiniſtrum eſſe in occidente. Tum ſequutus Thaleta cœlum in quinque zonas diuiſit, deinde in æquinoctia & ſolſtitia utraq; bina & arctum. Haud aliter etiam terrarum orbem. Præterea omnium primus reperit obliquitatem zodiaci iuxta ſolis meatum. Lunam uideri aiebat ſolum terreſtre ignitum, in ſe habens campos, montes et ualles. De anima hoc modo pronunciauit, quod ſit numerus ſe mouẽs, quam per uires ita diſtribuit. Vitale circa cor, rationale & mẽtale circa caput. Totam interire non poſſe, nã rationalẽ eſſe

sempiterni Dei opus, irrationalem uerò corruptibilem. Eidem authori referenda uidetur diuinatio uerior ad sacrificia. Humanum semen utilissimi sanguinis spumam esse uoluit materię corporeę, sed incorporea uirtute prędita. Cæterum fœminam pariter semen emittere. Deinde non solum hominem sed alia quoq; animantia rationē habere, absq; tamē mente. Quod autem magna pars horum nō rationaliter agere uidentur certè corporum dyscrasia culpatur, quia debitis non sint dotata instrumentis, ideo uerba nō habent siue cicures seu feræ, sed symbola & notas certas pro uerbis tenent, quibus signis inter se cogitatus suos exprimant. Sic igitur bestiæ loquuntur, non dicunt, quod Græcè significantius aiunt λαλεῖσι μὲν, ἀφράζουσι δὲ, omnium illorum Plutarchi uolumina de placitis philosophorum testes cito ualde bonos. De reliquis mundi huius siue substantijs seu accidentibus scriptores extant pene innumerabiles in omni philosophorum secta, quorum alij generaliter sunt locuti de uniuersi natura, ut Aristoteles Theophrastus, & tui Arabes, Mauricq; prope omnes: alij particulariter de singulis quibusq; rebus, ueluti Iulius Pollux, Dioscorides, Plinius, & his similes. Capita cunctarum tamen disciplinarum quotuquisq; posteriorum à Pythagora philosophię thesauro tanquam hęres apprehendit, & eam hęreditatem literario studio excoluit, procq; peculiari quisq; bonitate ingenij quantum ualuit maximè adornauit & pro uirili extendit. Sed quid cuncta uel scire uel opinari iuuat? si nō in hac nobis uita omnē adimant mœrorē & cruciatū, in altera post uacuitatē malorū nō addant cumulatissimā omniū bonorū cōplexionem quætā studiosè didicimus? Quid iuuat deniq; quod bene sciendo malefacimus, & malefaciendo nō omnino metu uacare ac ita nullo animi tranquillo statu frui possumus? Quid rursum quod monitis probè obediētes instar iumentorum semper iussa exequimur, alioqui omnibus in rebus stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, nihil à bruto distātes? quare opportunū uidebatur Pythagoræ omnē philosophiā ad beatitudinis exoptatæ fastigiū & expeditā æterni gaudij securitatē destinare, quā in cōtemplatione summarū & diuinarū rerū collocauit. Eū fructū ceu felicis arboris indefessa philosophādi studia nostra, pculdubio sequuturū putauit, si nos prius anima purgata uehemēter declinemus à uitijs, & colamus uirtutes diligēter q̄ planè nullius mali nobis ipsis cōscij læta mēte hilariq; studio mathematicis speculationibus incūbamus, quę nobis medię obuersantur inter res naturales & diuinas, sunt enim à materia partim insęparatæ ut naturalia, partim seperatæ ut diuina, circulus nanq; seu harmonia quanq̄ absq; materia nō subsistit, tamē absq; materia esse intelligitur q̄nimmo nullius materiæ agitur cura cū quęlibet mathematica tractamus. Cū igitur difficile, ne dicā impossibile, fuerat intellectū nostrum subito à natura lib. ad supernaturalia et ab omnino materialib. ad penitus immaterialia trā silire, iccirco uoluit Pythagoras discipulis suis quasdā res in medium pone

re, quas

re quas et ſenſu aliquo modo poſſent et intellectu cõprehendere, demõſtra tioneſq; illarũ ob hanc cauſam mathemata ſeu matheſis hoc eſt, diſciplinas nominauit, quẽ uerò de iſs librum compoſuerat Eruditionum ſiue Inſtitu tionum inſcripſit, quaſi iuuenibus ac pueris aptum, propter quos & id no minis elegit παιδευτικῶν, in quo totum quicquid dici poterat de numeris, de figuris, & de harmonijs explanauit. Inde tanquã ex uno illuſtri fonte qua- tuor liberales artium facultates appellamus, Arithmetica, Geometria, Muſi ca, ſanè Aſtronomiã inter naturalia cõnumerans pro maxima parte librũ quẽ appellauit phyſicum coegit, quod in motu corporũ cõſiſteret. At quo niam de illis apud quamplurimos noſtra ætate literarũ peritiſſimos, tã lata eſt expeditio, ut quælibet earum rerũ ſingularẽ facultatẽ faciat, & quælibet facultas propriã claſſem ducat, unamquanq; ſuis præceptoribus cõmittam & propter multã modo nóctẽ cœnęq; noſtræ apparatus præſentes, finem loquendi faciam, qui tot uerbis hactenus tolerantiſſimas aureis tuas immo deſtè auſus ſum obtundere. Tum Marranus: Iuro ſuperos, inquit, tãta me dicendo uoluptate oppleuiſti, ut nulla mihi ſit muſa gratior, & nunc cœnę oblitus, omnẽ penè famem ad doctrinę tuę cupiditatem retuli, quanquam uideo cauponem circa magnificentiã & ſumptus epularum eſſe curioſum, tu uelim tamen cõtentius reliquam Pythagoræ philoſophiã explices eam, quę ad uirtutes, mores et Reipub. induſtriam pertineat, idq; utcunq; potes quambreuiſſimè, dum ſtructores cœnaturis nobis triclinium ſternant, & cætera parent. Igitur audi Marrane omnẽ, Philolaus inquit, hanc partem ſub nomine urbanitatis contineri Pythagoras uoluit, quo circa, unum inter reliqua uolumen compoſuit, quod πολιτικὸν nominauit, id eſt, ciuile, ſeu ut fortaſſe haud ſatis propriè uerterunt latini, de Repubublica. perinde atq; nõ ſolũ explanet quæ multitudinem concernant, uerumetiam ſingula cuiuſq; ſua, quę morum ſunt & uirtutis. Qui enim ciuitati præficitur niſi dignus ſit etiam qui domum ſuam regat & ſeipſum quoq;, is planè inau- ſpicato eligit, μέρος ἐστὶν ἄρα ὡς ἔοικεν ἡ ἀρχὴ ἡ περὶ τὰ ἤθη πραγματεία τῆς πολιτικῆς, id eſt, Portio eſt igitur, ut uidetur & principium circa mores tractatio, ip- ſius politicæ, ut in libro magnorum ethicorum ait Ariſtoteles. Quæ qui- dem ciuitas ex omni uirtutũ numero conſiſtit, cuius partes ſunt uirtute prę diti homines in unam conſuetudinem admiſſi. Nam malorũ conuerſatio nõ iã ciuitas reputanda eſt, ſed cõuenticula ubiuitia ſunt, ſicut inter bonos uirtus, ut Theognis ille Megarenſis in libro ad Cyrnum, Diſces recte qui- dem à rectis, at ſi ſociere prauis, tum perdes teq; animumq; tuum. Omiſ- itaque contemplatiua ſapientia, quam ad naturam retulit Pythagoras & in librum phyſicum reclusit de principijs & cauſarum modis, quod ex Monade indefinita dualitas, ex illis numeri, ex numeris puncta, ex punctis lineæ, ex lineis planæ figuræ, ex planis ſolidæ figuræ, & qui- bus ſolida corpora, & ſenſibilis ille mundi globus cum ſuis orbibus,

mistorumq; elementis, igni, aëre, aqua et terra fiant oriãturq;, singula pene, ut ipse solet, per allegoriam obuoluta, tum deniq; relictis pariter mathematicis, quæ per librum Pædeuticum, hoc est, de institutione, suis ostendit, recẽsendum arbitror strictim, quæ de moribus docuit, de quibus in politico diffusius scripsit, & in carminibus aureis instar summæ contractius. Quæ cum ætate nostra legantur publicè nunc sola prosequar eiuscemodi symbola sine scriptis tradita, ut discipuli memoriæ uiribus freti, consuescerent ad signa prolata bonis moribus uiuere, professumq; philosophiæ ordinẽ quotidie inter se arcanis tesseris affirmare. Quorum è numero haud quaquam pauca illustris ERASMVS patria ROTERODAMVS professione Theologus, eloquentissimorum nostro seculo facilè princeps & dulcis Siren cum ingenti sua laude quam de politiorum literarũ studiosissimis qui buscq; optimo iure meretur, in libris suis uel posteritati admirandis Adagiorum luculenter expressit. In consequendis sanè uirtutibus Pythagoras haud parum consuetudini tribuebat, adeò in teneris consuescere multum est. Vnde mores dicti sunt ἤθη quasi ἔθη, hoc est, consuetudines, quod Stagirita ille sæpe in Ethicis approbat, & noster ipse, iussit optimam uitæ rationem eligere, illam nanq; iucundam, inquit, reddet cõsuetudo. Vniuersam itaq; moralem philosophiam ordinabat in treis metas. Principio in Dei diuinorumq; cultum. Secundo in singulorum quorumq; hominum ad seipsos respectum. Postremo erga cęteros officium, nam quod ad diuina prę stantius attinet. In primis nihil esse gratum superis docuit, quod nõ sit sordibus uacuum & planè purgatum, quare id adagionis tradidit crebro habendum in ore μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων, id est, non esse libandum dijs de uitibus nõ putatis. De purissimo quoq; adore statuit sacrificia fieri. Vnde est suum illud: Ne sacrifices absq; farina. Sacrificium hoc Pythagori cum maximè uetustum est, quod uino & pane fit. Quæ autem Deo dicata sunt, ultrà non debẽt ad humanos usus transferri, admonebat igitur sæpe dicens: A gallo candido abstineas. Perseuerandum uerò esse in humilitate ueris adoratoribus hoc symbolo præcepit καθῆσθαι προσκυνήσοντας, id est, sedere adoraturos, nam quod in adoratione oporteat circunquaq; prospicere, de quo illud ortum est, Adora circumactus, prudentiam circa diuinas preces indicat, ne iure in nos ita retorqueri possit, nescitis quid petatis. Cæterum quoad nos ipsos rectè uiuendi norma consistit in hominis decoro, quod extremorum est medium, inter abundantiam & defectum, utrolibet enim uitiosus est & mancus & centimanus. Inde symbolum hoc, Stateram ne transilias, præcipit studijs & actis omnibus moderamen adhiberi: apertius autem quod ipse dixit, Salem apponito, id ad affectiones nostras quæ passiones appellantur, rectè pertinet. Est enim sal nota modestiæ, quoniã in cibatu hominis admittitur nec nimius nec minimus, utrunque sanè respuitur & quod insulsum est, & quod salsissimum. Igitur salẽne

transgrediaris

transgrediaris prouerbium quoque fuit. Proinde affectiones in nobis passionesq; uniuersæ quadam mouentur apparentia boni aut mali, bonis lætamur præsentibus, tristamur malis, rursum bona concupiscimus futura, mala timemus. Ergo gaudium & mœror elementa sunt passionum ex quibus omnes animorum nostrorum motus oriuntur, quorum rectitudo uirtus dicitur, obliquitas uitium. Apparent tamen sæpe nobis bona quæ mala sunt, econtrario quę bona sunt, uidentur non bona, multum enim, ut ait Seneca, uerum & ueriſimile inter se differunt, quare contingit error facilè in imperito uulgo cuius magna copia est. Eum Pythagoras suis discipulis auertere studuit symbolicè admonens, Per uiam publicam ne ambules. i. ne uulgi sequaris errores. Nam quod usurpari etiam hoc uolebat, Extra publicã uiam ne uadas, iã insinuauerat loquendũ esse ut multi, potiusq; quod apud omnes cõstat, tu ne impugnes. Vnde istud est, Aduersus solem ne loquaris, ne uidelicet incidas in pericula, quod rectè monet illud, Acutũ gladium declines. Id fit si honesta uerecundia utaris in publico, cuius hæc nota est, Aduersus solẽ ne meijto. Nunc igitur sublato circa bonum & malum errore, temperandum esse statuit uoluptati & mœrori, cupiditati & timori, quare dixit, Risui æquè atq; tristitiæ manus nõ dedendas. Nam gaudijs & uoluptate nos frui secundũ harmoniã iussit, hoc est. cũ honesta quadam temperãtia, quam appellauit lyrã. Vnde hoc symbolũ ὠιδῆς χρῆσθαι πρὸς λύραν. id est, cantibus utendũ ad lyram, nõ prorsus inane mysteriũ fuit, quo semper ante initiũ soporis utebantur, ne perturbatis molestarentur insomnijs, quæ dũ irruissent, surgentes iussit lecti stragula excutere ac cõuoluere, hoc est, insomnia glomerare in unũ et reijcere, ne rememorata grauarẽt. De mœrore sic loquebatur, Arctũ annulũ ne gestato, per quod exclusit cunctum animi dolorẽ, nisi super admisso peccato, quapropter in suis ita cecinit carminibus, Mala quidem si feceris, dole. In cæteris Pythagoras, Cor ne edendũ mandauit, id sic est, ne te excrucies: quin ubi efferbueris in irã, Ollę uestigiũ in cinere confundito, quod designat ab ira deferuescendũ, & præteritorum malorum tollendam esse memoriam. De cupiditate hoc modo, Quæ uncis sunt unguibus, ne nutrias, idq; contra manus rapaces constituitur: immo neq; de quotidiano uictu sis abundè solicitus, quare ait, Chœnici ne insideas, est autẽ chœnix cibus diurnus, quam uocant prębendã, alij sportulas appellant. Pariter uerò ne ullum auaritiæ in animo tuo reconditæ argumentum ostentes, ita commonuit, Quæ deciderint, inquiens, ne tollito, per quod uetuit etiam suarum quenque rerum non decere ardentio rem esse amatorem. De formidine ita, Ne reflectas ubi ad terminos peueneris, quo symbolo non tantum trepidare mortem prohibet, uerumetiam quicquid in fatis est quantumcunque tereat. Hi nanque sunt termini definiti et determinati quos transire non poteris. Frustra igitur times quod reflectere aut uitare nequeas, ab eiuscemodi quippe casu nusquam resilire, forti-

re, fortitudinis quidem laudatæ ac egregiæ magnanimitatis est. Enumerauimus perfunctorie notas Pythagoricas. Primũ quæ ad diuina pertinent, deinde quæ ad homines singulos quosq;. Nunc alter erga alterum, quibus utatur, auscultа paucis, cumq; nihil amicitia sit optabilius, incumbit summa post deos cura, uirtute amicos parare, ut est in carminibus aureis, tamen non transeunter quoslibet. Idcirco ipse dixit, Ne cuiq; inieceris dextram. Et dum penetralibus tuis dignum amicum inueneris, omnium tuorũ participem eum facias. Ob eam rem ipse Pythagoras hoc alios ante omneis usurpauit adagium, Amicorum omnia communia, Timæo & Cicerone attestantibus. Est enim amicus alter ipse, quo fit ut amicitia sit ἰσότης, id est, æqualitas & eadem anima. Minimè autem admittendi sunt in amicitiam homines alioquin interne albi, tamen nigram caudam foris gestantes, experto crede, quibus nihil fert terra pestilentius, picæ mendicæ Cyanoleucæ cauda inter scapulas nigricante, omnia simulantes & dissimulantes hypocritæ. Dixit itaque Pythagoras μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων, id est, Ne gustes ex ijs quibus est nigra cauda, ij sunt falsi frares, quos atratos uocãt, τὸ γὰρ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μέρεσι μελαίνεται, ut scripsit Tryphon grammaticus. i, Falsum enim in extremis nigrescit. Reliquos leuioris amicitiæ parum utiles siue cognatos siue amicos supra modum nec cõtemnas nec acceptes. Quod instituit allegoria hæc, unguium criniumq; præsegmina, nec commingito nec insistito. Neq; abest quin omnẽ ingratũ cõuictorem & singulos nobiscũ susurrones hominesq; garrulos cate uitare iubeamur, unde illud extat, Cohabitãtes nobiscũ hirundines ne habeamus, porrò amicus cõsulto recipiendus est, at receptus non facilè abijciendus. Frangere nempe amicitiã inhumanum est, quare dixit, Panẽ ne frangito. Tu uero uelis amicus esse, ut amici omnia perinde cures atq; tua, cui nõ blandis uerbis & sermonũ fuco placeas, sed studio ueri. Sedes enim amicitiæ ueritas est, non adulatio, propter quod ipse dixit: Oleo sedem ne abstergas. Vtq; conciliandus est bonorum amor, sic non est commouenda malorum iracundia, hoc ipsum admonet: Ignem gladio ne fodito. Est præterea uiri boni officium prodesse omnibus, nocere nemini. Nam si uel molestiæ author, uel oneri imponendo socius accesseris, nõ profuisse quidem, magis autem grauasse diceris, ut ita uitio locum dedisse uidearis. Tunc autem uirtuti potius tuæ gratiam mereberis, cum onus deponenti succurras ut leuetur pondere uelocius, hoc illud est quod dixit φορτίον συγκαθαίρειν μὴ δὲ συνεπιτιθέναι, id est, Onus simul deponere, non autem simul imponere, haud secus atq; si dicat, ad id coadiuuato ut homines molestia leuentur, non grauentur. Indignus uerò & peruersis uir moribus, sicut non est interimendus subitò, ita tibi ueniat minime fouendus. Quare interdixit: Cibum in matellam ne immittas. Eam denique ferocitatem deponamus oportet, ut prorsus nemo sæuiat in quemuis innocẽtem. Præcepit enim & illud Pythagoras, Mitem arborem non

uiolandam

uiolãdam nec lædendam. Vnde illud extat in ſymbolis: Piſces ne guſtato. Eſt profecto piſcis animal eiuſmodi, quod ipſa natura nullo pacto lædit hominẽ. Nunc quãtum ad Rempub. attinet, adhuc id reſtat citandũ quod ipſe dixit: Coronam ne carpſeris, ſignificans legem non uiolandam. Et illud item: In uia ne feces ligna. Quo monemur publica, & quæ ſunt uniuerſitatis non eſſe turbanda. Quam uerò ſapientem haud deceat faſtus & magiſtratus inflatio, publiciue honoris tumor, arcanum hoc ſymbolum nos exhortatur, À fabis abſtinendum. Magiſtratus enim fabis eliguntur priſcorũ more. Innumerabile autẽ deſyderat malũ quiſquis ãxiè occupatus eſt in capeſſenda Republica. Quo magis ne populum dehortando malè offenderet, maluit diſcipulos recõdito myſterio tanquam fidus magiſter ab omni ambitione auertere, ut memoria ſemper tenerent uidelicet ὅτι δεῖ ἀπολιτεύεσθαι. Plura horum non dubium eſt quin Hipparchus & Lyſis Pythagoræ auditores memoriter tenentes præcepta doctoris, quæ illi cum cæteris conſcholaſticis ingenio ſuo pro libris ſeruarunt, in auditorio Thebarum prodiderunt. Ea tamen & non omnia uidi, & ad finem properans non omnia perſtringere uolui. Hoc unum uolui, ne ſcius ne eſſes & obliuioni haud commiteres, omnem ferme Pythagoricam philoſophiam eſſe notis uerborum & tegumentis rerum plenam, eumq; tradendi morem, ut antè dixi, ab Hebræis creditur, & Aegyptijs ipſe ad Græcos primus tranſtuliſſe. Solebant enim Aegpytij quibuſdam fictis inter ſacerdotes literis ſacra communicare, ut eſſent plebi ſecreta quò & diutius admirationi forent, & attentius caperentur. Vnde illi Coloſſi ſtatuæ, aræ, arcus, & æra publicè inciſa literis Aegyptiorum ſacris, prominebant ſpectanda uniuerſis, ſed non niſi myſtis & initiatis hieroglyphis intellecta, ut de ijs Chæremon & Orus Aegyptiorumq; multi ſcripſere. Sic Pythagoras meus eſſe non putabat uiri ſapientis aſino lyram exponere, aut myſteria quæ ita reciperet, ut ſus tubam, & fides graculus, & ungenta Scarabæus. Quare ſilentium indixit diſcipulis, ue uulgo diuinorum arcana patefacerent, quæ meditando facilius quam loquendo apprehendantur. Tum Marranus, Ne, inquit, unus tibi poſſideas oro Pythagoram mi Philolae, ſed noſtrum eſſe patiaris, non ſolius tuum. Equidem ipſe mihi uideor de tuo ſermone haud admodum ſurdus neque immemor Pythagoriſta euaſiſſe, qui ut cuncta myſteria, metaphoras, ænigmata, ſententias, apophthegmata, allegorias, ſymbola, notas, ſigna, ſacramenta, tanti uiri & omnium primi philoſophi, quæ tu obiter & perfunctoriè, catalogi ſpecie recenſuiſti, commendarem memoriæ, locis Tullianis & arte rhetorum in te audiendo ſum uſus. Quin uis periculum faciam? Aſſeruiſti enim ſi recordor Pythagoram tribus uoluminibus omnes philoſophiæ partes complexum fuiſſe, phyſico, pædeutico & politico, id eſt, naturali, diſciplinari & morali, quæ moriens, ut aliàs audiui, filiæ teſtamento mandaſſe fertur, ne uel extra familiam ederet, immo

nullatenus

nullatenus publicaret. Ipse uero dignis tantū & numero paucis, dū uiueret omnia quæ illic continebantur, maximè autē mathematica, uiua uoce nullo utens inuolucro planè demonstrauit. Cæteris cætera in parabolis. Ergo aliter loquens, aliter sentiens, & si semper idem sapiens, per quædam symbola ceu memoracula doctrinam suam suis impertitus est, ita ut ad priscorum imitationem aliud dictum, aliud referret intellectum. Ab eo nanque, ut de primis exordiar, pro Deo ponitur infinitum & unum, pro rebus incorporeis numeri, pro corporeis figuræ, pro mistis harmonia, pro sordibus & peccatis, uites non putatæ, pro eo quod est in uita purissimum, farina, Gallus candidus nota est Deo dedicati, Sedere designat humilitatem, Circunactio prudentiam, & hæc quo ad diuina. Istud ad rem priuatam & uirtutes spectat, Statera symbolum iustitiæ, Sal notat modera men, Via publica errores uulgi, Sol ponitur loco manifesti & aperti, Acutus gladius significat pericula, Lotium inuerecundiam, Cantus uoluptatem, Lyra harmoniam, Stragula lecti, insomnia, Annulus strictus dolorem, Esca cordis cruciatum, Olla ebullionem iræ, Vngues recurui rapinam, Chœnix alimentum, Res decidentes fortunam, Termini fatum, ista sunt hominis quo ad seipsum, illud iam sequitur, quod uersatur erga alterum, Dextra notat amicitiam, nigra cauda falsos fratres, Vngues & crines symbola sunt propinquorum, Hirundines garrulorum, & eorum qui excedunt ingrati, Panis mysterium est ueræ amicitiæ, Oleum adulationis signum, Ignis iracundiæ, Gladius exacerbationis, Onus molestiam insinuat, Matella figurat indignum, Arbor mitis hominem utilem, Piscis hominem innocentem. Hactenus de re priuata. Nunc de Republica. Corona signum est legis & regiminis, Ligna uiæ res uniuersitatis, ambitionem Faba demonstrat, omnia symbolica, omnia figurata & allegorica. Quod nisi plura in discipulis Pythagoræ putares inueniri posse, profecto hæc omnia reducerem ad eius uiri mathematicas proportiones, quoniā unum & duo prima progressione fiunt tria, ecce Rempublicā: & ter tria sunt nouem, ecce rē diuiuā: & ter quatuor sunt duodecim, ecce rē priuatam quo ad se. Est igitur Respublica trigonus, & res priuata tetragonus, & sicut se habet sedecim ad duodecim, ita se habet duodecim ad nouē, singula in proportione hemiolia, hoc est sesquialtera. Vide quā docilis te præceptore sum & quam egregiè pythagorisso. Tu uero quē meipsum facis? Tum Philolaus, planè Pythagoreū, inquit, iā enim tibi permitto rūpere silentiū, satis disciplinarum habes, si omnia formalia intellectualiter intelligas. Ad hæc Marranus: Ego certè quid hoc sit ignoro. Dicā, ait ille, Si omnia quæ tibi apparēt, à sensu ad mentē tranferas, hoc est, si corporeas passiones omneis reiicias, & mentis contemplatione perfruaris. Iam uerbi causa in latissimo campi spacio longè distantē à te hominē uidere te uelim, tu uero ignorans

quid

quid rerum sit existimabis uel agri terminum, uel truncū esse, habet enim figuram rectam, & materiam tua opinione immotam, propius cum aspexeris, cogitabitur in arbusculam succreuisse. Reiecta igitur penes te cemētaria mole, uegetare id putas uita plantæ, tum si motu progressiuo iuxta uos ambo accedatis, continuo arboris forma euanescente succurrit tibi animalis cuiusdam imago, nescienti atq; dubitanti sit, ne gryphes an ciconia, uel aliqua quælibet ingens auis, bipes enim est. Iamq; factus propior cernis, quod caudam & alas non habet, & ambulat erecto capite, mox relinquis omnes formas priores, & formam cogitas humanam. Ergo una cum obuiam fueritis, salutem prior dicis, & respondet iste loquens rationaliter, tum neq; fauni neq; satyri aut alius tibi phantasmatis oritur suspitio. Sed plane hominem esse agnoscis, uel uicinum uel amicum, quem ubi de parentibus suis & propinquis, ut fieri solet interrogas, ipse omni quæstioni tuæ satisfaciens recedit. Eoq; discedēte, solus tecum meditaris hūc hominem, & ex parentibus esse natum, & parentes rursum ex parētibus, & illos ipsos pariter è semine humano, & semen illud ab homine quodam esse, tandemq; cum natura respuat infinitum, uidebitur forte aut admodū impossibile unum aliquem assignare hominem, qui fuerit ortus sine semine humano. Ita in 12. libro postnaturalia scripsit Aristoteles, & eum appellat ὁ τέλειον, id est, perfectū. Cunq; accepto feras dari à philosophis hominem talem perfectum, cuius corpus nō sit natum, ut cæterorū hominum, tunc discurres per rationem ad hominis animā, semper de perfecta ad perfectiorē & nobiliorē. Eademq; possibilitate arbitraberis concedi quoq; animam certam non ita cretam, ut cæteras animas, sed forte, quæ se ipsam concreauerit, & eam esse non solum perfectā, aut alijs perfectiorē, uerum etiam cunctarū quæ fuerunt, sunt, erunt, aut forte possunt, perfectissimā, hanc in hominis mortalis corpore sitā separabis à corpore, ac supra reliquas animas separatas, quādo ipsa est nobilissima, locabis in nobilissimū non locum sed habitaculū. Nobilissima uero māsio est proxima Deo, q̄d Stagirita late prosequitur in lib. ad Alexandrū de mundo. Illā autem nos in orizonte mundi supersupremi, qui dicitur incōparabilis habitare iudicamus, ubi est unio Dei & creaturæ. Sicut in orizonte æternitatis ponimus motorē primi mobilis immobilē, in quo mundus corporeus & incorporeus conueniunt. Hac iam uia humanam formam, intellectualiter uertisti in formam separatam, & eandem mentaliter ad æternitatis supremā duxisti mansionē. Vnde omnibus angelis & animabus gratiosis summa instillat beatitudo, & omnes animæ salutiferæ ad eandem animā, ceu ad regulam quandam regulantur. Quod utiq; de corpore illo perfectissimo, cuius ante meminimus, Pythagoricè non negarē. Nam ipse dixit hominē posse fieri Deū immortalē, per q̄d sententiā suam clare ostendit, q̄d una gloria partē hominis utranq; glorificare possit, & totum hominē fa-

cere beatũ, quando maximus ipse Deus, aut utrãq; insorbit, ac sua Deitate imbibit, aut animæ cõmittit, ut corpori sublimato claritudinẽ & glorificationem suam influat, ὡς ὁμοζύγῳ καὶ ὁμοπορεύτῳ, συναπογραφέν τί τε καὶ συναθλήσαντι, id est, Tanq̃ cõiugato & uiarũ comiti, simulq́ censito, & quod simul certauerit. Hoc Pythagoræ dogma repullulauit ab Orpheo, q̃d in exitu hymni ad Mercuriũ deprehendit. Iam tibi præ oculis pendentẽ cernis Homeri cathenã aureã in Iliados octauo, ab Ioue cœlitus fragilitati nostræ demissam in terras, per quã temetipsum ope diuina in sublime leues cum agẽdo tũ cõtemplando. Necesse nanq; fuerit prius secũdum mentem uiuere, post tandem mẽte cõtemplari & contemplantẽ ardenter ascendere, quoniã uita est cõtemplatione prior, quarũ cũ utrãq; deceat esse purã ad consequendum, id quo nihil est purius, certe purgãda prius uita est, deinde illuminãda cõtemplatio. Quod igit̃ in ea quam attulimus rerũ à rebus abstractione uidisti, tu id in te ipso experire, ut per rationẽ ad mentẽ redeas, & externis te omnibus explices, q̃d M. Antoninus Imperator imperat ἁπλωσον σεαυτὸν, id est, explicato teipsum. Oportet enim ex hac uita migrantẽ in alterã, omne indumentũ exuisse, ac nudum proficisci, nõ modo ab omni materia & corporeis appenditijs, uerũ etiã ab uniuersa perturbationũ affectionum & passionũ mole profugũ atq; liberũ, quod scite admodũ Lucianus Samosatensis in dialogo Charonis, & Mercurij omniũ philosophissimo docuit, quem nisi legisti, lege & imitare. Quid aliud est obsecro quod Pythagoras in tria diuisit, quę nos in diuinæ uirtutis uestigia ponãt, nisi purgatio, illuminatio & perfectio. Sic enim ait, ταῦτα πόνει ταῦτ' ἐπιμελέτα τούτων χρὴ ἐρᾶν σέ, ταῦτα σὲ τῆς θείης ἀρετῆς εἰς ἰχνία θήσει, id est, Hæc labora, hæc meditare, hæc oportet te amare, hæc te diuinæ uirtutis iu uestigia ponent, quod Hierocles de uirib. animæ nostræ rationalis æquè intelligi uoluit amori diuinorũ applicatis, & hæc nos, inquit, Deo similes facient. Verba Pythagorę consideremus. Tria nanq; posuit, quib. iunctis anagogicè possumus ad summã beatitudinẽ peruenire. Laborẽ uirtutis, quæ in actione cõsistit: Meditationẽ, quæ multis displinarũ studijs nutrit̃: & Amorem, qui nos ut necessariũ uinculum Deo cõnectit: primũ moralis, secundũ naturalis cũ mathematica, tertiũ studiosis theologia ubertim exhibet, nec unũ sine altero per se satis est, sed tria hæc cõuenire oportet. Id docte quidem, ut omnia Porphyrius maximus Pythagoricorũ explorator in libro primo de abstinentia animatorum, tractat his uerbis, quæ ob grauẽ testimonij authoritatẽ afferre libuit. οὐκ ἔστιν, inquit, ἡ εὐδαιμονικὴ ἡμῖν θεωρία, λόγων ἄθροισις, καὶ μαθημάτων πλῆθος, ὡς ἄντις οἰηθείη, οὐδὲ συνισταμένη κατὰ τοῦτο, οὐδ' ἐν τῷ ποσῷ τῶν λόγων λαμβάνει τὴν ἐπίδοσιν. οὕτω γὰρ οὐδὲν ἐκώλυεν, τοὺς μάθημα συνάγοντας, ὑπεὐδαίμονας, id est, Nõ est beata nobis cõtemplatio, uerborum accumulatio & disciplinarum multitudo, quemadmodum aliquis forte putauerit, neque constituta secundum hoc, neq; pro quantitate rationum, ac sermonum accipit incrementum. Sic enim nihil

prohi-

prohiberet illos, qui omnem congregarent diſciplinam fore beatos. Et aliquanto pòſt, ut omittam reliqua breuitatis gratia ſic ait, καὶ ἡμᾶς δεῖ ἐντεῦθεν εἴ πως πρὸς τὰ ὄντως οἰκεῖα μέλλοιμεν ἐπανιέναι ἃ μὲν ἐκ τῆς θνητῆς προσειλήφαμεν φύσεως ἀποθεῖναι πάντα, μετὰ τῆς πρὸς αὐτὰ προσπαθείας δι' ἧς ἡ κατάβασις γέγονεν ἀναμνηθῆναι δὲ τῆς μακαρίας καὶ ἀϊδίου οὐσίας καὶ πρὸς τὸ ἀσώματον καὶ ἄποιον σπεύδοντας ἐπανελθεῖν, δύο μελέτας ποιησαμένους, μίαν μέν. καθ' ἣν πᾶν τὸ ὑλικὸν καὶ θνητὸν ἀποθησόμεθα, ἑτέραν δὲ ὅπως ἐπανέλθωμεν καὶ περιγενώμεθα ἐναντίως ἐπ' αὐτὰ ἀναβαίνοντες ἢ ἐνταῦθα κατήλθομεν. id eſt, Et nos oportet hinc ſiquidem ad uerè propria uelimus redire, quę de mortali aſſumpſimus natura abiicere uniuerſa, cum ipſa erga illa affectione per quã deſcenſus nobis cõtigit, reminiſci autẽ beatę & æternę eſſentiæ, & ad incorporeũ ac impaſſibile ſtudentes aſcendere, duas meditationes facientes, unam quidẽ ſecundum quã omne materiale & mortale deponamus, alterã autem quatenus reuertamur et redeamus, aliter ad ea aſcendentes quam hic deſcendimus. Et iterum poſt ſermonem haud ualde multum iubet nos illic Porphyrius à ſenſu & imaginatione omniq; irrationali quæ ſequitur inde cõditione, paſſionibusq; eiuſmodi, animũ penitus ſegregare quatenus permittit naturę neceſſitas, ritè uerò diſponere articulatimq; componere quę ad mẽtem pertinent, tranquillitatẽ pacemq; ex bello quod aduerſum irrationalitatem geſſimus parantes, ut nõ ſolum de intellectu & intelligibilibus audiamus, uerumetiam pro uirili ſimus fruentes eius contemplatione, tum in naturam incorpoream translati, tum uiuentes cum ueritate per mentem, non ultra falſè cum corporum cognatis. Soluere itaque multa nobis indumẽta debemus, tum uiſibile hoc indumentum carneum, tũ ea quibus interius ſumus induti pelliceis proxima. Hucuſq; Porphyrius qui ea de re longè plura differendo proſequitur, omnia iſtuc tendentia ut per ſenſibilia ueniamus ad intelligibilis & mentalis boni fruitionem, honeſtè uiuendo, purè contemplando, & diuinè amando, quæ omnia de Pythagora noſtro tanquam è quodam ingenti cũctarum diſciplinarum flumine duxit. Ego uero, Marranus aiebat, ab ijs quæ mihi ordine recenſuiſti planè in eam moueor opinionem quod flumen illud ſuum Pythagoras ex infinito Cabaliſtarum pelago cuius felicem nobis Simon nauigatione pollicetur in agros Græcorum limitauit, unde noſtra tandem ſtudia irrigare queamus. Ita pares mihi uidentur eſſe inter ſe Simonis de Cabaliſtis & tui de Pythagoricis tam ſermones quàm ſententiæ. Nam quid aliud intendit uel Cabalæus uel Pythagoras, niſi animos hominum in Deos referre, hoc eſt, ad perfectam beatitudinem promouere. Quæ autem alia uia quam ſimilis utriuſq; tradendi modus & ambobus æqua exercitatio per ſymbola & notas, adagia & paræmias, per numeros & figuras, per literas ſyllabas & uerba. Sic hypſilon Pythagoræ iuuentutis ſymbolum extat. Sic prima ſyllaba Iliados ſignum eſt & nota omnium librorum Homeri quot ſint numero in utroq; opere. Sic uerbum candidi ſignificat bonum, atri malum.

Haud aliter & Simõ noſter primã Pentateuchi literã, & pentagrãmati me diam ad alias res tranſtulit, & Rahã, authore Dauid Kimhi, allegoricè pro Abrahã mutuatus eſt, & cætera quæ de ſermone ad nos habito ſatis memi-nimus. Sed audi quanto clamore nos caupo ipſe ad cœnaculũ uocat: heus ad epulas. Et Philolaus, Equidem, inquit, cupienter edã, quin Imus. Finis.

IOANNIS Reuchlin Phorcenſis, LL. Doct. De arte Cabaliſtica, Liber III.



oſt ubi digreſſi Lumenq́ obſcura uiciſſim Luna premit ſuadentq́ cadẽtia ſydera ſomnos, ambo ſol uuntur in ſoporem, præmiſſa adhortatione alteri-us erga alterum ne ultra primũ mane obdormiſce-rent, expergefaciendos igitur fore curarunt. Et po ſtero die dum de more induuntur, interea memine runt eius diuerſorij Cauponis uerba longa & ua-ria, quibus ad heſternas epulas hoſpitibus recenſue rit fuiſſe quaſdã ſuperiori die à Romana curia Francofordiam miſſas pro-poſitiones et concluſiones, contra inhibitionem Apoſtolicã ab Aſtaroto quodam fictas & cõcinnatas aduerſus Io. Reuchlin, propter libros nõ con burẽdos iã plus quiquennio crudeles perſecutiones innocẽter ac ſimul ani mo forti et infracto paſſum, præ foribus ſapiẽtię ac templorũ ueſtibulis Ro mę affixas, & mox in lutũ, ſtercus & cœnũ, ibi proiectas et cõculcatas iuſtis ex cauſis, tum quia præter Summi Pontificis uoluntatem, & abſq; reueren-diſſimorũ iudicũ notitia, coram quibus ea lis poſt Aſtaroti appellationem hactenus triennio in Curia penderet, tale facinus fuiſſet attentat, tũũ quod uniuerſis innoteſceret eã conſcriptionẽ apertiſſimis ſcatere mẽdatijs. Prin-cipio nanq́ polliceri Aſtarotũ in præſentia Papę cõcluſiones eas fore diſpu tandas, & Papam tamen negauiſſe ac certè prohibuiſſe, quoniam in multis æſtate proxima publicis Romæ ſeſſionibus habitis ea cauſa plenè fuiſſet di-ſputata & diſcuſſa coram doctiſs. mundi luminibus, eccleſiæ catholicæ prę latis, archiepiſcopis, epiſcopis, generalibus ordinũ, et eorũ procuratotibus, pœnitẽtiarijs, doctoribus, magno numero Theologię Iuriſq́ peritiſſimis ui ris, qui Capnionẽ eſſe abſoluendum decreuiſſent. Deinde quod ignomi nioſè appellauerit Oculare Speculũ ſcandala et erroneas continentias, cum tamen liber iſte ſit per Apoſtolicam ſententiam diffinitiuè admiſſus. Tum etiam quòd de eodem libro ita ſcripſerit, quòd ſit à quinq́ uniuerſitatibus dudũ igni addictus, quæ certè ſuẽnt meræ nugæ, clara & cãdida mendacia, quia nulla in omni terrarũ orbe ſit aut fuerit uniuerſitas, quę Oculare Spe-

culum

culum condemnauerit, ſed tantum ſingularia quædam capitoſa capita, uer tiginoſo cerebro heteroclita, & ſupino errore decepta, conuenticulariter & conſpiratiuè contra iuris & iuſticiæ formam in Oculare Speculum liuore tabuerint, & ſua, ut aiunt, ſentimenta conflauerint. Poſtremo eos aiunt qui luto & cœno corollaria illa inuoluerint & reuoluerint affirmare ſolitos, in eiſdem conſcriptionibus nihil contineri ab alpha ad O, quod uon antea in defenſione publica Io. Reuchlin contra calumniatores ſuos Colonienſes iuſtificatum, ſolutum & reſolutũ fuiſſet, quod lectori cuiq; lucidius ſtellis claruerit. Aſtarotum itaq; ſemper eãdem cantilenã pro turpi ſua lingua canere. Hos cauponi ſermones fuiſſe cum hoſpitibus et conuiuis ſuis dixerunt Philolaus iunior & Marranus, graue nimium putantes, in re tam parua & puerili, tot annis tam ferociter digladiari. Et ſimul atq; ueſtiti erant, tũ Simonis domũ uti conſtituerant, uelociter ſeſe corripuerunt. Cumq; inter ſe, ut ipſorum uſus ferebat, amiciſſimè conſalutaſſent, Marranus ſic incipit, Quam delectauerit pridiana diſputatio tua, uenerande Simon, incredibile admodũ eſt, et uix dici poteſt, ita ſumus te nobis abſente impatiẽtes moræ, qui præter ullã erubeſcentiã mox atq; prẽteriit ſabbatũ tuũ ãtelucani ad uenimus. Et ille, Veneritis proſperè, inquit, amici optimi, an nõ & uos hodie feriæ tenent, quem diem Soli nuncupatis. Tum Philolaus, Pythagorica ſumus turba, inquit, dies omneis feſtos agimus, quando hilari mente cõtemplamur, nec ſabbathum aliud quippiã cẽſemus quam relictis negociis ſecularibus dare operam ut adhæreatur diuinitati. Sic enim nobis Pythagoras iuſſit, authore Laertio, ξυνναι δ' ἀ τοῖς θεοῖς. i. cõuerſari oportet cũ diis. Niſi quod tu numerũ ueneraris ſeptimũ ocio aptiſſimum, qui etiam nobis Pythagoreis nihil rerum parit, & Minerua nominatur. Tum Simon, Legi auſcultandũ eſt quæ ſua cuiq; diſtribuit & naturæ ipſi pro anima eſt, uoluit enim ea & uiribus corporũ ſeruire, ſine quibus nec ratio ſana eſſe nec mentis lumẽ conſeruari ualidè poſſit, quapropter meditationẽ menſis lunæ, hoc eſt, ſeptimã uitæ partẽ quieſcere conſtituit, in qua nihil agere liceat, niſi quod obmiſſum irreparabiliter noceat. Eæ nominantur, ſi rectè memini, Romanis feriæ ſtatiuæ uniuerſi populi cõmunes & faciundis rebus diuinis cõſecratę, utq; non ſemper philoſophari Neoptolemus permittet ille apud Enniũ, ita nõ ſemper non omnibus, nõ omnia de Deo meditari uel ex ueſtris ſunt qui prẽcipiant, ſed eſt & quando et quibus & quantum. Nazi ãzeno ad Eunomianos authore, quẽ aliquando Græcè legi uirum & doctiſſimum & eloquentiſſimum, in Achaia cum degerem. Ita non uileſcet quod eſt optimũ & infinitum finitè pro noſtra menſura concipietur. Sex ergo diebus operamur, ac ſeptimo quoq; die & corporaliter ociamur quantũ permittet uiuẽdi neceſſitas, & mẽtaliter poſt uolũtatis purgationẽ diuinis intẽti ſumus, & feſtiuiter cũ omni trãquillitate res ſacras laudamus, ſoliq; tunc Deo ſeruimus. Huc uergit quod dicũt Cabalæi noſtri שבת חיא סור אל חי

סוד אל חי, id est, Sabbathum est mysterium Dei uiui, ut in Porta Lucis capite secundo. Extat nanque symbolum mundi superioris, hoc est, Iobelei æternitatis, ubi cessat omnis labor, quare gemino dicendi usu legibus indicitur quinto Deuteronomij: Obserua diem Sabbathi, quod uult intelligi actionibus exterioribus iuxta mundum inferiorem. Ex Exodi xx. Memora diem Sabbathi ad sanctificandum illum, uidelicet animæ uires coniungendo menti ad contemplationis profectum iuxta mundum superiorem, Agnoscitis iam ne? quod Sabbathum est nota diuini seruitij, quo sensus & ratio absoluuntur ab occupationibus materialibus quantum permittit humana imbecillitas, & energia mentis alligatur occupationibus formalibus ad consyderandum quæ sursum sunt. Istud lex uoluit per hæc duo uerba innuere שמור וזכור id est, obserua, memora, quibus intelligunt ex magistris nostris quidam præceptum Sabbathi esse affirmatiuum & negatiuum dicentes, obserua, id est, caue, quod semper eis uitare significat, quatenus nos arceat ab omni quod sanctitati contrarium est. Alij obserua explanant custodi, ut nocti custodiam attribuant, & recordationem diei, ac illud haud obliquè ad Cabalistarum quadrat fundamentum, qui hunc mundum esse noctem, & mundum uenturum, i. superiorem ac intellectualem esse diem putant, hic seruos degere, istic uiuere liberos, his dicendum caue, custodi, obserua, illis reminiscere, recordare, memento, quoniam hæc uox זכור, id est, reminiscere continens præceptum affirmatiuum procedit ex amore, uerbum uerò caue præceptum negatiuum impletur ex timore, liberorum autem est amor, seruorum timor, in omnium præceptorum reputamus alterum altero nobilius. Ferme in hanc sententiam longiore tractatu Moyses Gerundensis in Exodo scripsit, quibus duo esse Sabbatha recipimus, ducti scripturæ testimonio Ezechielis xx. Sabbatha mea dedi eis, Nam pluralis locutio duorũ numero contenta est, quippe non solùm ut generaliter uno uocabulo singulas feriarum species in lege numeratas Deus exprobare nobis uoluerit, quemadmodum Dauid Kimhi & Thalmudici opinantur, uerumetiam ut peculiari hoc nomine datum optimum & donũ perfectũ à Deo nobis concessum, quòd Iobeleũ superius appellamus, memori semper mente cõplectamur, De quo Porta lucis sic זרחיא שביעית עליונה שנקראת יובל id est hæc est hebdomata superna, quæ uocatur Iobeleus. Vnde omnis remissio propiciatio & infusio gratiæ descendit, quam satis nemo eloqui ualeat, cum nec oculus quidem uidit nunquam, o Deus præter te. Est enim שבת שבתון Sabbathum quietis & Sabbathum sabbathorum, quo animæ humanæ omnes purę reiecta labe tandem redibunt liberè ad hæreditatem patrum, & mittentur in possessionem uerè nostram atq; propriam, quam acquisiuimus & retinemus per animam Messihæ de tribu Iuda septimi ab Abraham patriarchę procuratorio nomine in orizonte mundi su-

persupremi

persupremi iuxta scripturam, Et supra Iubileum mittet radices suas. Hieremiæ xvij. Quæ interpretatur Cabalista ille præstantissimus Sopher Ama in lib הרזים, id est, recõditorũ, psalmi undeuigesimi super uersu: Dies diei. רל איש אל משפחתו ואל נחלת אבותיו ישוב בלומר שיתעלו בבחורת אל מקום אצילותו שהוא פלג אלחים מלא מים d est, Vult dicere unusquisq; ad familiam suã, et ad hæreditatem patrum suorum reuertetur, quasi diceret, quod ascendent per angelos ad locum destinationis suæ, quod est flumẽ Dei repletum aquis. Hæc Rabbi Ama, & sunt aquæ quæ suprà cœlos sunt in mũdo intelligibili שהורציא מרות חקרוש ubi obseruantes Sabbathum, fruuntur & cibantur hæreditate Iacob patris eorum, ut dixit Esaias Sanè illud ipsum quidem est Sabbathum Cabalistarum omni tempore sanctificandum, in quo non carnis, sed animæ sequimur uoluntatem, & meditamur diuina, nihil contra Deum intendentes, quod pro lege omnibus gentibus extat, quoniam ex ipsa natura pullulauit. Vos enim, quibus lex Moysi lata non est, Iudæorum cerimoniæ haud astringunt, ut numero seruiatis, quod & Iarchas quondam rectè Apollonio negauit, Nec à uobis numerum extorquebo, sed quietum & tranquillum animum posco, soli Deo diuinisque deditum, qui maximè in anagogica speculatione consistit, uti est ista inter nos disputatio à uobis tantopere desyderata. Tum Marranus: Omnino perficiendum est, inquit, nam cœpisti Cabalam uenustè admodum tractare, qui iam nobis plusquam clarè ostenderis, non tantum posse nobis hodie, uerumetiam debere de altissimis rebus dissertare, Id tu nonne mecum postulas Philolaes? Ac ille. Certè quidem, Enimuero nunc eius disciplinæ intrauimus nauim, & mox in ipsa prora sentimus Cabalam aliud nihil esse nisi, ut Pythagoricè loquar, symbolicam theologiam, in qua non modo literæ ac nomina sunt rerum signa, uerum res etiam rerum. Quo animaduertimus Pythagoræ philosophiam ferè omnem esse à Cabalæis ortam, qui pari modo symbolicum tradendi morem ad Græcos transtulit, quin ego ipse quoq; cum sodali hoc meo te uehementer oro, ut dicendo ac potius docẽdo pergas. Tum Simon, Non mihi tantum iactantiæ usurpauerim, ut docere uos audeam, nec bene tutum fuerit in re tam perplexa, nondum extraneis cognita, præsertim romanè doctis, præter admodum pauca quæ annis superioribus Ioannes Picus Mirandulæ Comes, & Paulus Ricius quondã noster ediderunt, etiam usq; ad hodiernum latinis nõ satis intellecta. Vereor enim si docerẽ tam peregrina dogmata, ne mihi haud secus atq; multis ante bonis cõtigit uiris, in uidorum turba ignominiosè obstrepat, qui omne quod nesciunt improbant, & facilè malignandi studio uerba in alienum sensum detorquent contra loquentis uoluntatẽ, quos Cicero calumniatores uocat, ego si dici grammaticè liceat calumnienses appellauero, quoniã uos ipsi æquè meos Theologistas Pharisæenses nominare consueuistis, Sed palam testor utrunque

uestrum me nihil docere uelle, dicere autem magis et recensere, si quid apud Cabalistas legerim quod uobis haud displicere putem. Exequar igitur primum, quod illi ultimum intendunt, nam omne studium suum & uniuersam operam uni huic proposito impendere curant, ut in hac uita felicitatem & futuri æui pro captu quicq; suo perpetuam beatitudinem consequantur. Quod maximè omnium hoc medio fieri posse confidunt, Si tandem aliquando id quod sibi sentiunt pro utriusq; mundi statu esse optimum sedulo & gnauiter apprehendãt, cuius possessio adeptis iucunda & perfecta sit quies, nimirum cum etiam quæq; alioquin animalia quantumuis bruta felicitatem suã gestire tum uisa sint cũ quæ optima sibi existimant ijs fruantur, & ad ea pertingant quę cupiditati suæ afferunt satietatem. Cernitis bouem depascere floridũ aliquod et uiride pratum, non quidem totum sed deliberata electione nunc hanc inquirere herbam nunc illam. Subitoq; aliam quidem facilè relinquere, aliam autem prorsus obmittere, donec ad consentaneum & uescum sibi alimentum perueniat quo consistat & requiescat. Hoc modo Cabalistę post campos scientiarum latissimos, et prata contemplationum omni amœnitate ornata multas et uarias qualitercunq; olentes herbas degustant, ut demum toto gramine perlustrato illud diuinum Moly reperiant, cuius quanquam radix nigrescit, tamen flos Hom. opinione albus enitet lacti similis, quo inuento cunctas repulisse miserias uidẽtur, appetitus sui finem in hoc mundo consecuti felicem. Virtus uerò Moly est, opera difficilia radix, flos animorum trãquillitas, hoc omne nisi præsentis seculi uera felicitas esse aliud nihil ne credi quidem possit. Futuri autẽ beatitudo est apprehensio summi boni, supra quod nullum bonum, & à quo est omnis bonitas, quod à nulla mera creatura comprehenditur. Sed tũ apprehendi asseritur, cum pro cuiusq; captu proximè acceditur, ut si quis fimbriam uestimenti apprehendat, hominem indutũ apprehendisse dicatur. At illud bonum quod Deus nominatur, non planè à nobis poterit ob nostrę conditionis fragilitatem, nisi gradibus atq; scalis ascendi, quę quidem ut uos loqui consueuistis instar Homericæ cathenæ, ut uerò Iudæi nos secundum diuina eloquia dicimus certè ad speciem scalæ Iacob patris nostri de super cœlestibus porriguntur in terram, tanquam restis quędam aut funis aurea cœlitus ad nos directa, ueluti linea uisualis uarias penetrans naturas, aspicitis nanque solem, cuius radius ad uisum nostrum proficiscitur per orbem Veneris, per orbem Mercurij, per orbem Lunæ, per orbem ignis, per orbem aëris, & tangit corpus opacum speculi concaui, reflectitq; inde ad stupam aut lanam aridam, quam splendore suo incendit uehementer usq; in cineres, eiusdem uerò flammæ species ad oculos peruenit nostros, & à sensatione interiori suscipitur, suscepta iudicatur ab æstimatione, tandem discurritur à ratione redeundo uiam, qua præsens operatio omnis est progressa, tum hæc prudenter nobis ostendit, quo nam

modo

modo formæ interiores deferantur per ſpiritus animales ad imaginationem & æſtimationis iudicium, quo etiam modo externæ ab intraneis recipiantur, quo item à flamma ſpecies in perſpicuo uſq; ad pupillam intendantur, qua uia ex incẽdio ſpeculi concaui orta ſit flamma, & quomodo radius incendere potuerit, quo denicq; modo per multa media ſibi non connaturalia continuetur ſplendor, qua rurſus ſit proportione comparandus aër ad ignem, ignis ad ſphæram lunæ, & reliqui orbes ad reliquos. Singula hæc ratio noſtra diſputat per iter compoſitionis & reſolutionis ultrò citrò, ſuſq; decq; gradiens, et modò hæc modò illa cogitans, neq; ceſſat ratiocinari uſq; dum per phantaſma effigiem, intentiones, ſplendorem, lumen, lucem, luminare, ſcilicet ad ipſum, de quo loquimur ſolem, reuerterit. In primis imaginem lucidam agnoſcit, deinde iudicat ipſam eſſe propriam illius flammæ ſtupeæ, quam pridem oculi uiderant, tum quod intentio eius à re uiſa per diaphanõ ad oculum foris producta etiã intra fuerit recepta, quòd ita ſtupa ſit terreſtris, quòd ſplendor ſit aëreus, quòd flamma ignea, quòd candor accidens diaphono inhærens, quòd tranſeat per lucidum atq; perſpicuũ, ſiue aër illud ſit, ſeu ignis aut cœleſte aliquid, ſecundum formæ ſubſtantialis energiam et operationẽ peculiarem, deinde meditata ſua nobiliori cuicq; ſemper accommodans, relicta materia ſecum de forma diſputare incipit, non iam artificiali, ut cuius ſcrutinium huc non attineat, quæ rectius figura nominetur quã forma, ſed naturali tãtum aut ſuperiore. Pergit itaq; ratio & formarũ aliquas reperit eſſe particulares nunc & hic, reliquas uerò uniuerſales ſemper et ubicq;, tum & particularibus quaſdam corporibus inexiſtentes, quibus dent ut ſint, alias autẽ formas coaſsiſtentes, quibus præſtent ut ſic ſint, alias omnino ſeparatas à corporeis eſſentia uirtute ac operatione, quæ tamen idcirco nomen quandoq; formæ amittunt, atq; uel dij, uel angeli, uel intelligentiæ, uel animi beati, uel mentes, aut alio quolibet uocantur nomine. Quæcunque autem ſunt uniuerſales, eæ non ultrà formæ, ſed Ideæ ſiue ſpecies dicuntur à multis, qui perquam propriè loqui didicerunt. Sic ratio ſanè tantiſper aſcendet dũ poterit, cũ autem ita fuerit diſcurrẽdo extenuata, ut formas quæ corporibus nec inſunt nec aſſunt tanquam naturæ non ſubiectas comprehendere nequeat, mox ſubſidiarium accerſit intellectum, qui planè ut hanc materiam abſtrahit ab hac forma ceu aſini cuiuſdam in agro ſepulti, quam natura induit graminis forma ex cadauere illo flore ſcente, ita rurſus formam quoque ſimpliciter à materia conatur abſtrahere, id uerò experitur arduum eſſe ac laboris plenum, facile enim eſt abſtrahere materiam à forma, ſed formã abſtrahere à materia difficile, quapropter intellectus ille purgatiorem ſe eleuat, ut menti occaſionem in ſe fluendi præbeat, cuius claritate fretus formas agnoſcit nonnullas eſſe penitus à corporeis eſſentia uirtute ac operatione abſolutas, & ob id neq; loco neq; tempore concluſas, quo uerè oporteat eas arbitrari ſuprà

cœlos

cœlos esse, ubi cessat motus & tempus. Hinc uoluntatem nostram instruit ut esse quædam credat extra cœlos entia optimam uitam ducentia, quæ toto æuo fruantur, ibiq; nullum secundum inchoare mundum, luminibus uiuis & mentibus purissimis offertissimum, quem possit intrare animus humanus fortiter contemplando, certè multo potius quam oculus corporeus transcendere orbem solis acutè uidendo. Vtque solem non respicimus nisi sol nos respiciat, ita mundum superiorem uidere nequimus, nisi & ille nos uideat, est enim totus oculus ipse quoque sole clarior. Solem autẽ comprehendimus per lumen solare, ita diuina comprehendimus per lumen diuinum, & qui uisu corporeo possumus non solum orbem solis, uerumetiam superiores stellas, & summum cœli capere. cur non posset mens nostra quæ uirtutem corpoream modo quodam infinitè præcellit altius suspicere ac mundi archetypi contenta uidere, cum tanta propinquitate concauum & conuexum supremi cœli uniantur, à quo conuexu æternitatis orizon nihil distare uideatur. Intuemur itaq;, mihi credite, alterius mundi diuina mutuo, & illa nos uicissim intuentur, ueluti duo directè oppositi oculi per unicam lineam uisualem reciprocè circumacti. Tum Philolaus: Omnia, inquit quæ doces Simon, Pythagorica sunt, & Italicę philosophię propria, quam inter nos heri discussimus parumper ego & Marranus mecum. Ad hæc ille: Vos equidem quid appellare duxeritis Pythagoricum ignoro, at hoc scio hæc esse Cabalistica, quæ hactenus proposui, à priscis Cabalæis tradita, & omnia lege diuina Hebræorum complexa. Hinc nascitur illa enumeratio quinquaginta portarum intelligentiæ, circa quas tantopere Cabalistarum studia desudant, diuinitus à Moyse Dei seruo receptarum, quarum cognitionem ipse quoque posteris nobis tradidit uniuersitatis conditionem explicantium ובבר אמרו רבותי נר חמשים בינות נבראו בעולם ונלו נמסרו למשה חוץ מאחד שנא ותחסרהו מעט מאלהים id est, Iamque dixerunt Magistri nostri quinquaginta portæ intelligentiæ productæ sunt in mundo, & omnes illæ traditæ sunt Moysi præterquam una, quia dictum est: Minuisti eum paulominus à diis. Super isto Cabalistarum sermone dixit Ramban in Geneseos exordio, quod eiusce modi omne Moysi traditum per portas intelligentiæ, contentum est in lege diuina Iudæorum, uel sensu literali uel allegorico, per dictiones, uel arithmeticas supputationes, uel geometricas literarum figuras siue descriptas seu transmutatas, uel harmoniæ consonantias ex formis characterum, coniunctionibus, separationibus, tortuositate, directione, defectu, superabundantia, minoritate, maioritate, coronatione, clausura, apertura & ordine resultantes. Et per illam quoque legem à diuino spiritu adeptus est Salomon rex sapientissimus omne quod nouerat, de quo scriptum est in libro Regum, quod Deus ei dederit sapientiam & prudentiam multam nimis quasi arenam in littore maris, & creuerat sapientia Salomonis

monis super sapientiã omnium Orientaliũ & Ægyptiorũ, & erat sapientior cñctis hominibus, & disputauit super lignis à cedro, quę est in libaon usq; ad hyssopũ, quæ egredit de pariete, & disseruit de iumentis & uolucribus, & reptilibus, & piscibus: ultra hæc confirmat nostram sentẽtiam Gerundensis, & concludit ita ובל זה ירע בהורח והכל מצא בח בפירושיח ברקרוסיח באותיותיה ובקוציה id est, Omnia hæc cognouit per legem, & omnia inuenit in ea per expositiones suas, per grammaticas subtilitates & per literas eius, & per calamistrationes illius. Contigit autem ei hoc, postquam ad plenum fuisset duodequinquaginta portarum intelligẽtiæ rationem consecutus, quæ aperiunt omnium creaturarum cognitionem. Sunt enim cunctæ res uniuersaliter in quinas cõditiones distributæ. Nam aut elementa sunt, aut elementata, aut animæ, aut cœlestia corpora, aut supercœlestia incorporea. Horũ fortasse quodlibet decem recipit considerationes, quarum capitula sunt quæ sequuntur, Genera generalissima, genera specialia, species generales, species specialissimæ, res indiuiduæ, quæ ulterius constant materia & forma, uel quibusdam utrique proportionalibus, contrahunturq; singulariter differentijs, proprietatibus & accidentijs. Decem hi tam essentiarum quam intelligentiarum modi per quinque multiplicati quinquaginta ianuas aperiunt, per quas intramus in creaturarum penetralia illa eminentibus notis in operibus sex dierum designata, & à Cabalistis studiose deprehensa receptaq;. Iam isto artificio ænigmaticus scrupus à Comite Mirandulano inter noningentas conclusiones suas propositus, facile in eodem scirpum explanabitur. Aiebat enim sic: Qui sciuerit quid sit denarius in Arithmetica formali, & cognouerit naturam primi numeri sphærici, sciet secretum quinquaginta portarum intelligentiæ, & magni Iobelei, & millesimæ generationis, & regnum omnium seculorum, hæc Mirandulanus. Ducatur itaque uelim sphæra plana siue circulus decem figurarum numeraliũ super centrũ quod sit quinq;, est enim medium denarij & in eius circunferentia particulariter, denariæ supputationis numeri singuli describantur, transeatq́ue diameter à minimo ad maximum, hoc est, ab uno ad nouem, cuius diuisio duos semicirculos efficiet, à parte siquidem dextra sphærę, post unum & ante nouẽ superius cõmemorata ponantur duo tria, quatuor quinq;, à parte autẽ sinistra post unum & ante nouem reponantur, quinq; sex septem octo, & trahant lineę per centrũ à duobus ad octo, à tribus ad septem, à quatuor ad sex, à quinq; ad quinq;. Tum si maximo cuiq; tantum subtraxeris quantũ abundat supra quinq;, quod est sphæræ denariæ centrum, atq; idem suo minimo addideris, qui à quinq; defecit, semper ex utrisque oppositis numeris quinq; & quinq; adæquata surgent, quare comparatis inuicem linearum punctis, quælibet lineæ descriptio numeralis, quinque & quinque obtinet. Quinarius igitur numerus in circulo denarię reuolutionis dicit sphę-

ricus,

ricus, quia, ut uidistis, omnes numeri sphærę ad quinq; rediguntur, id autem fit per quinq; lineas in sphæra ductas, quarum singulæ decē continēt. Eo itaq; sphærico numero per decem multiplicato, nascētur quinquaginta siue portæ intelligētiæ, seu anni Iobelei, cuius proportio dupla, quæ est Arithmetica formalitas, in se multiplicata, millesimam generationē procreabit, quod si perpetuo sic facies, apparebit infinitudo, quæ est regnum omnium seculorum, à Cabalistis Ensoph nominatū, & est deitas ipsa sine indumento. Reliqua enim Deus produxit amictus lumine sicut uestimento, ut esset lumen de lumine, ac inde cum uestimēti sui lumine creauit mundum intelligibilē spirituum separatorum & inuisibiliū, quod Cabalistæ uocant cœlum, ut ex me sæpius accepistis. Ad hunc modum intelligo uerba sapientissimi & maximi Rabi Eliæzer, qui cum istā proposuisset quæstionem, unde creatum sit cœlum, respondit, מאור לבושו לקח id est, de lumine uestimenti sui sumpsit. Recitant hæc à Moyse Maimoni ostensore perplexorū in 26. cap. libri secundi, & à Rabi Ioseph iuniore Castilienśi, siue Salemitano in Horti nucis uolumine secundo, Vsq; huc ascēdit Moyses Dei seruus, ut cognosceret lumen uestimenti eius, & sabbathum sabbathorum, & Iobeleum superius, & millesimam generationē, quod totum nil aliud est quā mundus superior Idearum, angelorum, felicium animorum. Igitur cum indumentum Dei transcendere ac faciem eius uidere nequiuerit, recte dicetur ex quinquaginta portis intelligētiæ una caruisse, quam aliqui nostrum fuisse opinātur חחיית id est, uiuificationem, tamen ijs haud assentior, magis uero esse puto Dei essentiam, quam symbolum indicat Tetragrāmaton, & est mundus incōparabilis nulla comprehensibilis proportione. Dixit nanq; Moysi Deus, Faciem meam uidere non poteris. Seu uerius sic, Et facies meæ non uidebuntur, sed uocabo nomen Tetragrāmaton coram te, 33. Exodi, quod explanant Cabalistę שאקרא לפניך חשם חגדול שלא תובל לראותו id est, Vocabo coram te nomen illud magnum quod non poteris uidere, ita enim Ramban Nehmani scribit. Quo plane apparet Deum iuxta ipsum esse suum Tetragrammaton, à Moyse non fuisse uisum. Hoc sane portarum est omnium principium supra omnem creaturam ante creationis exordium, de quo legitur: Creauit Deus cœlum & terram. Et Chaldaica Onkeli trāslatio sonat ita: Creauit Tetragrāmatus cœlum & terram. Deus ergo Tetragrāmatus creauit omnia, quem uos Tetractyn nominare audiui. Dixit autem Rabi Eliẹzer, ut in capitulis eius extat, עד שלא נברא העולם היה חסבה ושמן בלבד id est, usquequo non fuit creatus mundus, fuit Deus & nomen eius solū modo. Alij quoque Cabalistæ asserunt testimonio Moysi Ægyptij capite 29. libri secundi perplexorum sic תחלה שלא היה שום דבר נמצא זולתי אלא חשם וחכמתו dest, Ab initio cum non esset ulla res, erat penitus nisi nomen Dei & sapientia eius, Ergo antequam esset creaturarū quicq;

iuxta

iuxta Cabalæ doctrinam, nihil erat nisi Deus, & nomen eius Tetragrammaton, & sapientia eius. Sola certe tria hæc receptio nostra continet, quæ prima creationis porta magistro nostro Moysi nequaquam fuit aperta. Quare dicitur legem diuinã peruestigasse tantũmodo per nouẽ & quadraginta portas. Iosue autẽ denuo una minus, scilicet per octo & quadraginta portas. Sic enim in libro explanationũ alphabeti à Rabi Akiba recepimus אחר מותו של משה נתעלם מיהושע שער אחד ונשתארו מ"ח שערים ושלמה נתקשה על אותו שער להחזירו ולא היה יכול, id est, Et post mortem Moysi abscõdita fuit de Iosue portauna, & relictę fuerũt quadraginta octo portæ, & Salomon laborauit super illa porta ad reducendum eam, sed non erat potens. Hoc ita receperunt Cabalistæ, quoniã de Moyse scriptum est 34. Deuteronomij: Non surrexit propheta ultra in Israël sicut Moyses. Non igitur Iosue ualuit tantum ascendere quantũ Moyses ascenderat, idcirco haud ab re affirmat uno fuisse gradu inferior. De Salomone autem, Ecclesiastis 12. legitur, quod quæsiuerit ut inueniret res beneplaciti, sed addunt Cabalistæ Deum ei præcepisse sic: Scribas recte uerba ueritatis, ea esse dicimus tradita & recepta per uiã Cabalæ, quatenus aliud conscribere non auderet, nisi quod recepisset, idq; fuit duobus gradibus inferius quàm Moysi receptio. Post Deum porta secunda est mundus archetypus, & dicitur Cœlum à Deo Tetragrammato in sapientia creatum, iuxta Thargum Hierosolymitanum quod loco בראשית, id est, in principio posuit בחכמתא, id est, in sapientia, quippe confirmãs quæ diximus, quod in sapientia creauit Deus Tetragrammatus cœlum, conclaue angelorum, de quo plane nihil à Moyse fuit expositum, ne rudi & aggresti populo, uel non intellecta uilescerent, uel idololatriæ præberent occasionem. At uisibilis iste mundus terra intelligitur, quem inter portas tertiam affirmamus. Per inane autem symbolice notari materiam putabimus, portam intelligentiæ quartam. Per uacuũ, hoc est priuationem, quintam. Est & sexta horum appetitus naturalis abyssus. Deinceps pro quibusuis sex dierum operibus reliquæ portæ sequuntur. Iam enim quatuor elementorũ signacula portas quatuor indicant, purum nanq; elementum ignis secundum Moysen Aegyptium libri perplexorum secundi capite 26. tenebræ nuncupatur, spiritus aër, aqua humor elementaris, lux forma substãtialis, dies, accidentia, quæ maxime nobis conferunt ad cognoscendum quod quid est. Nox sunt proprietates occultæ, Vesper corruptionis uia, Mane generationis, Dies unus, qui certa ratione non dies primus nominatur, sed dies unus, significat compositum in lucem editum. Die secũdo, aquæ supra firmamentum sunt species rerum uniuersales. Firmamentum orizon æternitatis & temporis. Aquæ sub firmamento influentiæ cœlestium corporum naturales. Die tertio sequitur aliud cœlum uisibile ac materiale, porta scilicet undeuigesima, inde terra quam terimus, deinde maria quæ nauigamus,

gamus, sic herbæ, semina, ligna, fructus. Quarto autem luminaria, signa, tempora, dies, anni, splendor, sol, luna, quibus planetis cæteri communicatione caloris & frigoris, siccitatis & humoris comprehenduntur. Calet & siccat Saturnus, Mars, ac Iupiter cum suo Sole, humectat & infrigidat Mercurius, ac Venus cum sua Luna, etiam si septem hę sphęræ distinguantur specifice. Designant præterea portam reliquæ stellæ nonam & trigesimam, tum die quinto prodeunt animę uiuentes, quę est uita mortaliũ, et in aqs reptibilia & cete et pisces, & generatim uolatilia, & particulariter aues. Sexto animal progressiuum in terra, & reptile terrestre, & iumenta, & bestiæ. Tandem porta quinquagesima quæ est homo. Hi sunt quadraginta nouem creaturarum cognoscendarum modi שער בינה & suprema porta unus creator omnium à nullo homine nisi à Messiha plane cognitus, quoniam ipse est lux Dei & lux gentium, ideoque & cognoscit Deum, & Deus cognoscitur per eum. Regius enim propheta Dauid ad Deum sic exclamat, Mitte lucem tuam, quod interpretatur Rabi Salomon Gallus המשיח שנרמז באור ש"ג ערבתי נר למשיחי Id est, Messiham qui comparatur luci, quia scriptum est, Paraui lucernam Christo meo. Et Isaias ait: Dedi te in fœdus populi in lucem gentium. Et rursus, Ambulabunt gentes in lumine tuo. Scripsit autem Aristoteles id quod esse uerum arbitror, uisionem fieri non posse, nisi cum lumine, ut legitur in libro de anima οὐχ ὁρᾶται ἄνευ φωτὸς Id est, nil uisibile sine luce. Quapropter ambulantibus nobis ad rerum omnium inspectionem, conducit admodum itineri adhiberelumen, ut uiam qua possimus absque pedum læsione proficisci matura cum prouidentia eligamus. Ad quod receperunt Cabalistæ tramites quosdam luminosos, & illustria experimenta, quæ nominarunt ל"ב נתיבות החכמה Id est, triginta duas semitas sapientiæ, quarũ meminit Abraham in libro de creatione quem sic incipit, בשלשים ושתים נתיבות פלאות חכמה חקק יה יהוה צבאות שמו Id est, Triginta & duabus semitis mirabilibus sapientię excusit seu exculpsit Deus Tetragrammaton Zabaoth nomen suũ. Super quo scripsit Rabi Iacob Cohen, quod dicit mirabilibus, eo significat has semitas esse arcanas recõditas & occultas, hanc suã interpretationem confirmando per Thargum, & cõmentator Rab Ishac in eundem librũ יצירה testatur, quod prisci sapientes uiri cordati mites & recti per fundamenta legis in Cabala plurimum exercitati docuerunt nos, quod maiores nostri & patres ambulauerũt per uias multas, ut tandem starent in semitis istis quæ dicũtur admiranda sapientiæ, tradita per Zadkiel Abrahę patri nostro in traditione fœderis, hæc ille. Recensebo itaq; uobis auditores optimi si modo dignũ aliquid existimatione uestra iudicabitis. Et Philolaus. Perge obsecro: & Maranus imo confestim exorsa pertexe obtestor ambo inquiunt. Tum ille triginta duæ ait semitæ à summo culmine ad ima basis tendũt, hoc modo no

tandæ,

tandæ, quarum prima est שכל מופלא Id est, intelligentia miraculosa, sic à quibusdam dicta, sed rectius multo nominabitur Intelligentia occulta. Nam Rabi Salomon Gallus in libro Deuteronomij cap. 30. probat hoc uerbum מופלא significare מבוסה in uersu, quoniam mandatū hoc quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, ubi docet legendum esse, non occultatum à te est, idq; per Chaldaicas translationes illic citatas. Est autē lumen dans intelligere præcedentia sine principio, nominaturq; gloria prima, quoniam nulla creaturarum mera essentiæ ac ueritati eius ualet appropinquare. Secunda שכל מקורש Id est, Intelligentia sanctificans, est fundamentum sapientiæ æternæ, quæ uocatur fides, & nominatur parens fidei, eo quod de eius uirtute fides infunditur. Tertia שכל שלם Id est, Intelligentia absoluta, est intentio principiorum quæ nō radicauit ad reducendum sibi aliqua in penetralia maiestatis suę quæ infundantur ab anteriore. Quarta שכל טהור Id est, Intelligentia munda purificat numerationes Cabalisticas, & figurationē earū emendat disponitq; terminos & extremitates suas, ut sint absq; detruncatione aut dispersione. Quinta שכל מזהיר Id est, Intelligētia fulgida dicit à Cabalistis gloria secūda. Sexta שכל מתנוצץ Id est, Intelligentia resplendens, sedet super throno splendoris, & illustrat fulgorem luminariū, & infundit influxum suum præfecto superficierum & eminentiarū. Septima שכל מנהיג Id est, Intelligentia inductiua, est ipse thronus gloriæ, perficitq; ueritatem communicationum spiritualium. Octaua שכל נשרש Id est, Intelligentia radicata, quæ conueniens uni dicitur & est propriū ipsius prudentiæ quæ infunditur à sapientia superiore, Nona שכל נצחי Id est, Intelligentia triūphalis uel æterna, uocat paradisus uoluptatis paratus sanctis. Decima שכל חחרגש Id est, Intelligentia dispositiua, aptat sanctis in fide apparatū ut induantur spiritu sancto, & est illud quod uocat Thiphereth in statu supernorum. Vndecima שכל בהיר Id est, Intelligentia claritatis, est species ipsa magnificentiæ, dicta חוחזית quoniam ex ea oritur uisio uatibus uisionem uidentibus. Duodecima שכל קבוע Id est, Intelligentia notata, insignis raptus, à qua defluunt uirtutes spirituales instar infusionis unius ab altera secundum primi influentis energiam. Tredecima שכל נסתר Id est. Intelligentia recondita, illustrat solum potentias talium intellectuum qui per cogitationem fidei creditæ uident. Quartadecima שכל מאיר Id est, Intelligentia illuminans, quæ est ipse Halsmal angelus Ezechiēlis, quasi species electri, institutor arcanorum animalium sanctuarij, & intentionum eorum. Quintadecima שכל מצחצח id est, Intelligentia subtiliata, disponit ordinem quo conceditur accessus per gradus ascensionis. Sextadecima שכל נאמן Id est, Intelligentia fidelis, qua augentur uirtutes gratificatæ iuxta uitas eorum in quibus habitant. Septimadecima שכל נסיון Id est, Intelligentia probatoria, est tentatio & probatio antecedens in qua consistit donum Dei benedi

cti erga omnes sanctos eius. Octauadecima שבל סיום Id est, Intelligentia confirmãs, est uirtus restaurans in numerationibus Cabalisticis, si quid illis desit, uestiendo eas de spiritu sanctitatis suæ. Nonadecima שבל חרצון id est, Intelligentia uoluntatis prouidet omnib. creatis, & per eam cognoscunt Cabalistæ ueritatem sapientiæ superioris. Vigesima שבל מעמיד id est, Intelligentia constituens, facit stare ipsam creationẽ in caligine munda. Et magistri Cabalæ dicunt quod sit caligo, iuxta illud, caligo in circuitu eius. Vigesima prima שבל מחורש id est, Intelligentia innouans, per quam reparantur & innouantur omnia creata in hoc mũdo. Vigesima secunda שבל בית חשפע id est, Intelligentia domus largitatis, de medio infusionis illius trahuntur arcanum & absconditum, quę habitant in umbra eius, & adhærent eductionis studio atq; diligentiæ promouentis ad alta. Vigesima tertia שבל חפעולות id est, Intelligentia actiuitatum, est collectio & uniuersitas operationum spiritualiũ, sic dicta propter influxũ qui congregatur in ea de fonte pelagi superioris & gloriæ excelsę. Vigesima quarta שבל גבול id est, Intelligentia medians, qua colligitur influentia gratiarum, & ipsa infundit largitatem in omnia stagna seu piscinas benedictionum à se appropriatarum. Vigesima quinta שבל בללי id est, Intelligentia collectiua, qua colligunt astrologi iudicio stellarum fatales euentus, & notitiam eorũ perficiũt sphæris & orbibus suis. Vigesima sexta שבל נעבר id est, Intelligentia adminicularis, concurrit in subsidium ad omnes operationes planetarum, & alios influxus cœlestes. Vigesima septima שבל תמידי id est, intelligentia perpetua, quotidie continuatur per meatum solis & lunæ secundum conditiones eorum. Vigesima octaua שבל מוגשם id est, intelligentia corporalis informat omne corpus quod corporatur sub orbibus, itemq; magnitudinem illorum. Vigesima nona שבל התפץ חמבוקש id est, intelligentia complacentiæ quæsiti, recipit diuinam infusionẽ ut participet de irrigatione eius super omnia creata. Trigesima שבל מורגש id est, intelligentia concitatiua sensuum, qua fiũt entia sub orbe su premo, & omnia genera mistorum. Trigesima prima שבל רמיוני id est, intelligentia imaginaria qua uariantur & alterantur omnes figuræ ac imagines creatæ iuxta superficies rerum & naturas earum. Trigesima secunda שבל מוטבע id est, Intelligentia naturalis. qua cõsummatur natura rerum materialium sub sphæra lunæ ad perfectionẽ suam. Complexus sum breui catalogo uiri externorum dogmatum cupidissimi, quæ nostri maiores & de quinquaginta prudentiæ portis & de duabus atque triginta aitineribus sapientiæ multis in libris difficiliore studio tractant, & est res profecto meliore digna magistro, ac multi sudoris sane quæ maximã uim habeat ad cohortandum nos, ut ferme semper cũ angelis uersemur in contemplatione summarum & diuinarum rerum, quibus si familiares esse cœperimus, nihil nobis erit aut dictu aut factu difficile. Familiaritatem eam

literæ

literæ conciliāt, quæ illorum munus sunt. Eas si adhibuerimus decem numerationibus Cabalisticis, statim consurgit duorum & triginta numerus. Quod scriptum in libro letzira legit עשר ספירות בלימה ושתים ועשרים אותיות, id est, Decem numerationes Belima, & uiginti duæ literæ. Quapropter nō pauci scriptores, & decem istis proprietatibus silentio dignis, & uiginti duabus literis hanc semitarum conflant summam pro meo quidem more in eum ordinem digestarum, quem tamen alij haud pariter obseruant. At uero illud literarum collegium si quinquaginta portis diligenter applicuerimus, inde septuaginta duorum angelorum felicem seriem comperiemus, quibus Semhamaphores, id est, nomen expositorium illud magnum summi Dei constare perhibetur. Nam ad quinquaginta uiginti duo addita 72. procreabunt. Hi sunt angeli fortes uniuersæ terræ, per quos putatur Moyses ille miraculorum operator manu sua mare usque ad siccum diuisisse, quoniam ipsi sunt angeli diuisionis. Et diuisit Deus terram iuxta numerum angelorum eius. Sic enim in libro Portarum iustitiæ, quem Rabi Ioseph Ben Carnitol celebris in Cabala magister conscripsit inter alia legimus ונשארו בל אומות מסורות ביד ע' שרים, id est, Et relictæ sunt omnes gentes traditæ in potestatem septuaginta præfectorum, hoc est, principum angelorum, quib. Racanat peritissimus Cabalista Genesis 48. septuaginta palmas adplicat illas circa duodecim fontes, quos nostis. Quinetiam certum est, duas ibidem fuisse columnas nubis & ignis, quibus duo præpositi erant angeli. Quare non inaniter existimabimus in eiuscemodi sectione maris & liberatione filiorum Israël accessisse Moysi septuaginta orbis terrarum angelos & duos illos columnares in ministerium salutis, quæ nobis plane contingit ex nomine Tetragrammato ineffabili, per septuaginta duo nomina, quæ de sacra scriptura colligūtur explanato Exod. 14. à uersu. Tollensq́ se angelus usq́ in finem, ubi legitur diuisaq́ est aqua. Sunt nimirū ea nobis sacrata signacula hodierna ætate memori mente reposita, quib. symbolis angeli uocati fuerunt opem hominibus, ad laudem & gloriam ineffabilis Dei, de quo scripsit Rabi Salomon in expositione Thalmud testimonio Gerundensis in Geneseos exordio. Symbolorum itaq́ characteres hi sunt, quos digito uobis pingo, והו ילי סיט עלם מהש ללה אבא בהת הוי אלך לאו ההע יול מבה הרי הקם לאו בלי לוו פחל נלך ויי מלה ההו נתה חאא ירת שאה ריי אום לבב ושר יהיהו לחח בוק מנר אני העם רחע ייז ההח מיך וול ילה סאל ערי עשל מיה והו רני ההש עמם ננא נית מבה פוי נמם ייל הרח מצר ומב וההה ענו מהי רמב מנק איע חבו ראה יבם היי מום Omnia hæc nomina manant de proprietate clementiæ, ut asserunt Cabalistæ, illa uero una extat ex decem numerationibus, quarum uobis arborem demonstrabo, si adnuerint superi, & uos si me audire parati eritis. Quin paratissimi, ambo inquiunt, qui ob id tanta itinerum pericula obiuimus, tot & tātis sum-

ptibus erogatis. Sed perge aiunt, ut de istis angelis aliquid discamus, quorum nomina Marrano mihi nunquã audita fuere, credo & tibi quoq; Philolao pariter, Certe, ait ille, ut ne uisi sunt unquam isti mihi angeli quidem, ita ne ipsorum cognita mihi sunt nomina, sed amabimus te uir optime, indesinenter perge. Tum Simon, Fuisse angelos, inquit, multos qui ad tantum & tam admirandum Mosi opus concurrerent cum aquas maris ita diuideret, ut Israelitæ siccis pedibus transirent, id ex ipsa possumus sacra scriptura deprehendere, ne quis me ueteratorem putet. Verba nanq; diuina in eo loci hæc sunt ויסע מלאך האלהים, id est, & migrauit angelus angelorum. Non ut uos pronunciatis Latine, Tollens sq; se angelus Domini. Non enim Adonai positum est hic quod interpretamur Dominum, Sed Elohim, quod uos pariter angeli trãslatum quotidie legitis: Minuisti eum paulominus ab angelis. Et in conspectu angelorum psallam tibi. At nequaquã hic scribitur, ut aliâs crebro angelus Elohim. Sed memorabiliter sic angelus ha elohim intercedente articulo demonstrante, perinde atq; dicere sacra historia uellet. Per hunc nubis angelum castra præcedentem, cognoscite hic plurimos quoque alios adesse angelos orbis terrarum principes. Astipulatur nobis Thalmud in Mechilta, ubi Rabi Nathan à Magistro nostro Simeone Ben Iochai cognato meo huius quæstionis petit solutionem. Quæso, inquit, quare ubiq; scribitur angelus Adonai, hic aũt angelus ha elohim, cui respondet אין אלהים בכל מקום אלא ריין, id est, Non Deus in omni loco, scilicet significatur, nisi præses siue præfectus. Igitur angelus ille simul cum septuaginta præsidibus prouinciarum intelligitur affuisse, ob idq; ita dictus Mallach ha elohim, angelus illorum præsidum seu præfectorum, & alter item angelus ignis eorundem præsidum socius, ut iure optimo septuaginta duo numerentur, quorum signa uidistis iampridem à me descripta, quæ si uultis uel potius, quia uultis, noui enim uos uelle, docebo qua nam uia è sacris literis educantur. Iam hos ipsos assumite treis uersus ויסע ויבא ויר ac in modum erectæ columnæ singulos more Cabalistico à dextra ad sinistram ita conscribite, ut uniuscuiusq; uersus literæ à summo ad imum continuo altera sequatur alteram, tunc primi uersus characterem primum ponite, qui uau nominatur. Deinde secundi uersus characterem ultimum usu retrogrado accipite, qui est he: tum postremo recurrite ad tertij uersus initium, quod rursus inuenietis uau esse. Cũq; treis characteras ordine isto coniũxeritis, nascetur primi angeli memoriale uau he uau. Et secũdi Iod lamed iod. Et tertij Samech iod teth. Sic quoq; de reliquis semper ternis atq; ternis, præsenti aũt modo tribus colũnis rite ut fieri debet erectis, quodlibet signaculum Tetragrammati expositoriũ conflabitur. Eia uidete cõsiderate, contemplamini bene, num hoc ipsum summa lætitia est, omne huius seculi gaudium excellens, recordari sanctos nutus Dei & diuinos uultus quos Hebræi Mallahim, Græci angelos, Latini deos

ni deos nominant, tractare animo & manibus tam puras, tam pias, tam consecratas res conuersari studiose cum illis candissimis speciebus, quarum splendor non nisi perspicacibus generosarum mentium oculis illucescit. Interesse conuiuijs atque colloquijs spirituum beatorum qui nos supra quàm omnium mortalium mos est fraterne diligunt, nec diligunt modo sed amant. Gestire mihi parietes uidentur, & hominibus nobis gratulari, quod Dei bonitate factum sit, ut per quædam humanæ imbecillitatis sigilla & artificiosa charagmata in hilares cœtus admittamur angelorum, pro uirium nostrarum capacitate, cum quibus tranquillo corde gaudeamus & lætemur, quos colamus & ueneremur, quibus honorem tali & tam sublimi naturæ debitum impendamus, à quibus uicissim & amemur & instituamur & custodiamur. Tum Marranus, characteres quidem uideo, inquit, sed nominum sonos non audio, qua igitur pronunciatione inuocentur angeli nescio. Ad hæc Simon, ut oculis uidentur, sic auribus audiuntur, & ut nos uident, ita uocantes audiunt. Id qui modo fieri possit duobus uerbis dicam. In spiritu & ueritate, ut quales habent linguas nostræ mentes, tales habeant aures angeli. Et sicut spiritus diuini linguis angelorum loquuntur, ita spiritus humani auribus mentium auscultent. Non igitur ea necessitate sibi nomina imponunt, quod uelint palam nominari & clamari, sed signacula memoratiua tradunt quod cupiant à nobis recordari, ne omnem putetis uim diuinam in uoce latere. Symbola igitur hæc frequentem angelorum memoriam poscunt, quorum sedula reminiscentia nos in amorem Dei mutuo traducit, & uicissim amor in rememorationem. Quem enim fortiter amamus, eius frequenter meminimus, ut est in prouerbio, Meminerunt omnia amantes. Idcirco nomen Tetragrammaton nobis Deus condonauit, non ut illo se uocemus, quod est ineffabile, rectéq; à uobis Anekphoniton adpellatur, id est, non uocabile. Quid enim respõdit creator quærenti Moysi, quod est nomen tuũ, certe hoc aiebat i,h,u,h, hoc est, nomen meum in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem. Est igitur Tetragrammaton, æternitati nomen, generationi autem memoriale tantum, quia nequit ulla uoce humana componi nomen, quod diuinitatis naturam æquare possit. Ab operibus angelos cognoscimus, quare pro eisdem uirtutum operibus nomina pariter pronunciamus, ut à medicina Raphael, à uirilitate Gabriel, à stupore ac admiratione Michael, quod interpretamur, quis tam fortis, propria uero nomina quoniam essentiam ignoramus, nostræ mortalitatis infirmitas inuenire non uaalet, nec inuenta imponere, nisi quantum nobis diuina est reuelatione concessum. Ex numeris itaque ac figuris diuinitus traditis contemplantissimi quique secundum uoluntates angelorum nomina sibi formare instituuntur, sicut pueri ex literis uoces componere docentur, uel Hebraicis

uel Græcis, uel Romanis, uel Arabicis, uel Aegyptijs, non quod uox enuncianda egeat literis eiuſcemodi, ſed propter noſtrę imbecillitatis memoriã, ut ſint nomina quaſi notamina, quæ ſenſus noſtros incitent uel figura uel uoce, rurſumq; ſenſus moueat phantaſiam, phantaſia memoriã, memoria rationem, ratio intellectũ, intellectus mentẽ, mens angelum. Scripſit huius generis aliquid perquam eleganter ex ueſtris quidam inſigni nomine philoſophus Tyrius Maximus, in libro τῶν ἐν ῥώμῃ διαλέξεων τῆς πρώτης ἐπιδημίας diſputatione octaua. Vnde id uobis coniectura innoteſcit, ſatis eſſe, ſi tres uerſus, per me ante reſolutos in angelorum ſeptuaginta duorum reuerentiam & uenerationem legeritis ea ſerie qua Spiritus ſanctus dictauit, prorſusq; per eorum dilectionem in nominis Dei ſummi ardentiſsimum amorem, & extaticã adorationem incubueritis, penſiculatim commemorando, quod ſicut ex numero Tetragrãmati arithmetica proportione progreditur nnmerus ſeptuaginta duorum, ita ſeptuaginta duo angeli ex ſignaculo creatoris quodam effluxu diuino producuntur. Cum enim quælibet litera Hebraica numerum peculiarem deſignet oriuntur ex iod, he, uau, he, duo & ſeptuaginta, hoc modo: Iod notat decem, he quinq;, uau ſex, he iterum quinque. Totum hoc ex arte arithmetica ſic colligatur: Iod decem, Iod he quindecim, Iod he uau unum & uiginti. Iod he uau he uiginti ſex. Comprehendite nunc ſingula, Decem, quindecim, uiginti unum & uiginti ſex, & oriuntur ſeptuaginta duo. Hæc reputantes uobiſcum aperte intelligetis ad inuocandos ſpiritus uoce ſpirituali opus eſſe, non autem clamore, ceu Sacerdotum Baal, quibus ab Helia propheta dicitur tertio Regum 18. Clamate uoce maiore forſitan Deus in diuerſorio eſt aut in itinere aut certe dormit ut excitetur. At ſi qua oratione in ſupplicationibus utimur, non ideo fit ut Deum uel angelos ſyllabis aut dictionibus tanquam erga mortales uſi commoueamus, ſed ut uires noſtras in ardorem illorum incitemus, & fiduciam in eos quaſi ancoram figamus, ueluti appellando nauim in portum ſolent nautæ reſti eiecta uel funę prolato terram attrahere, quanquam immobilem, quo conatu ad terram ſeipſos trahunt. Pari ratione per ſenſibilia nos ſigna quocunq; inſtituto compoſita uidemur inuiſibilem diuinitatem attrahere, cum tamẽ reuera noſipſos mobiles ad immobilem diuinitatem attrahamus. Hoc arcano fundamento ſacramenta uniuerſa & cerimoniarũ ritus perſtant. Hinc ſignis, characterihus, & uoce utimur, hinc hymnis & cãticis, hinc tympano & choro, hinc chordis, cymbalis & organo, alijſq; id genus muſicis, non ut Deũ quaſi fœminã emolliamus, nec ut noſtris blandimentis adulationibus angeli capiant̃, Sed ut Deum ac diuina exaltando, noſtræ cõditionis exiguitatem agnoſcamus, ſubiectionem & obedientiã humillime profiteamur, & omnẽ uoluptatem humanam in res diuinas conferamus. Ad ſummum autem, hoc pacto amorem intenſum & ardentem erga diuinitatem concipiamus, qui unus præter cęa

ter cætera id efficit magis, ut omnium gratiarum capaces simus, propterea palmas tendimus, brachia expandimus, genua flectimus, stantes oramus, iussi quoque uaccam triennem, capram trimam, turturem, columbam, per medium diuidimus, arietem in uepribus hærentem cornibus gladio occidentes, igne cremamus, Thau super postes ædium sanguine notamus, Serpentem Æneum aspicimus, Cherubim & alias imagines figuramus. Verba composita loquimur atque uouemus, Sanctuarium struimus, Pontificem tam uario & admirando indutum ornatu attoniti respicimus. Vniuersa hæc & similia propter nos ipsos fiunt, ut nos moueant, nos incitent, nos auertant, nos conuertant, à uisibilibus scilicet ad inuisibilia, fidem augeant, spem confirment, & ueram inter nos charitatem Deo gratissimam diligenti Anacephalæosi in diuinorum amorem transferant. Dogmata hæc omnia Cabalistarum sunt, qui ut liber tertius perplexorum Moysi Aegyptij attestatur, sic dicunt שב שבונת העבודות ההם זכרון השם תמיד ויראתו ואהבתו ושמירת המצות בולן ושיאמין בשם ית מה שהוא הברחי לכל, id est, quod intentio cęrimoniarum eiusmodi est, memoria Dei frequens & timor eius, & amor eius, et obseruantia mandatorum omnium, & quod credatur in Deũ altissimum, id quod necessarium est unicuiq;. Nimirum graui nos mole corporis oppressi ualde quidem egemus ad somnolenti animi excitationem commouentibus rebus, ut generosus equus itinere iam longo fatigatus cum classicum personuit in robur erigit̃, stare loco nescit, micat auribus, & elephantus segnicie torpescens, igne ostenso resurgit in audaciam, ita rebus secularibus eneruata uirtus nostra, externis & corporalibus incitabulis siue uocum seu figurarũ indiget, ut animi nostri uigor spirituali operi robustius instet, & contemplatio nostra tanto acrius in sublime prouehatur, quanto magis attoniti antea obstupuerimus. In hanc utilitatem clementes angeli sæpe figuras characteras formas & uoces inuenerunt, proposueruntq; nobis mortalibus & ignotas & stupendas, nullius rei iuxta consuetum linguæ usum significatiuas, sed per rationis nostræ summam admirationẽ in assiduam intelligibilium peruestigiationẽ, deinde in illorum ipsorũ uenerationem & amorem inductiuas, nõ enim secundum institutum aut placitum hominis significant, sed ad placitum Dei. Vnde ad uos illud à nobis transtulit doctissimus uestra ætate atq; secta Mirandulanus Comes quod in nongentis cõclusionib. ait, Non significatiuæ uoces plus possunt in magia quàm significatiuæ, quælibet enim uox uirtutẽ habet in magia in quantum Dei uoce formatur, quia illud in quo primum magicam exercet natura, uox est Dei, hæc Picus. Tum Philolaus. Soporatos & stertentes, inquit, nos homines maiori mouerent excitatione huiuscemodi nomina, si plures sensus & non unum solum mouerent, ut non modo nostris obtutibus per figuras & characteras apparerent, uerumetiam articulata uoce aures simul

nostras

noſtras pulſarent. Quare plurimum opto, ſi fieri poſsit, iſta non ſolum pi-
cta uidere, ſed dicta quoq; audire. Tũ Simon. Valde ſegnes, inquit, putan
di ſunt mea ſentẽtia, ac ſi cũ tua uenia dici liceat, ualde quidem hebetes qui
extraneo motu egẽt, quanquã ita ſumus nati, ut ſemper aliud magis alium
afficiat, & non idem omnes pariter. Adhæc aſſentior tibi Simon doctiſsi-
me uera dicenti, Marranus ait, hoc enim & noſtri affirmãt, angelos homi
nib. apparere aliter atq; aliter, p cõditione ac natura uidentis. De quo Chry
ſoſtomus ſuper Matthæũ late, ut omnia tandẽ his uerbis de Ioſeph ſcribit,
κατ' ὄναρ φάνεται ὁ ἄγγελος· καὶ διὰ τί μὴ φανερῶς καθὼς τοῖς ποιμέσι καὶ τῷ Ζαχαρίᾳ καὶ τῇ
παρθένῳ, σφόδρα πιστὸς ἦν ὁ ἀνήρ. καὶ οὐκ ἐδεῖτο δὲ ὄψεως ταύτης, id eſt, Per ſomnium ap-
paret angelus, & quare non manifeſte? quemadmodum paſtoribus & Za
chariæ & uirgini. Vehementer credulus erat ille uir, & non egebat uiſione
iſta. Cui Simon rurſus: Et id tu recte quidem, ac haud aliter Cabaliſtæ ſen-
tiunt, dicẽtes, quod uirtus uiſiua in Abraham fortior erat quàm in Loth,
idcirco Abrahæ apparuerunt uiri, & Loth angeli. Sed de his alio forte lo
co. Nunc quod ad noſtram attinet cauſam, magna, ut pernoſtis, eſt homi-
num diuerſitas. Quidam ſatis grati, & ea ſorte contenti ſunt angelos in for
ma humana uidiſſe, alij in forma ignis, alij in forma uenti, ac aëris, alij in
forma fluuij & aquæ, alij in forma uolucrum, alij in forma gemmarum
aut mineræ, aut precioſorum lapidum, alij in energia prophetiæ, alij in
ſpiritu quodam habitante intra ſe, alij in literarum & characterum figura,
alij in ſonitu uocis, & ſic de pluribus uiſionum ſpeciebus, in ſacra ſcriptu-
ra deprehenſis, uobis autem dum hi characteres ſeptuaginta nominum
nequaquam ſatisfacere uidebuntur, demonſtrabo recta uia, non tan-
tum in characteribus commemoratis, uerumetiam poſtea commemoran-
dis, quonam modo ex effigie literarum dictio fiat, quæ poſsit articulate
pronunciari. Eius artis Deum ipſum habemus authorem. Legimus nan-
que in 23. Exodi: Ecce ego mitto angelum meum ante te, ad cuſtodiẽdum
te in uia, & ad ducendum te in locum quem deſtinaui, Sis cautus à conſpe
ctu eius, & audi uocem eius ne exacerbaueris eum, quia non ignoſcet ſcele
ribus ueſtris, quoniam nomen meũ eſt in illo. Per quod cognoſcimus no-
men angeli optimo ritu comprehendere nomen Dei quandoque debere.
Ideoq; Cabalæi cum angeli cuiuſuis nomen ſignificatiuè pronunciare ne-
quiuerint, ſubſidio alicuius nominis Dei, quod illi adiungunt, totum ſi-
mul proferre conſueuerunt. Sicut enim tris hos characteres מיך aut גבריאל
uel רפא ad ſignificandum angeli nomen improprie uident uſurpari niſi
addatur nomen Dei El, ut Michael, Gabriel, Raphael. Ita ipſi quoque in
alijs angelicis nominibus ſacram ſcripturam conantes imitari dicunt Ra-
ziel, Iophiel, Zadkiel, Peliel, Malthiel, Vriel, & ſimili more cætera. Quin
uero ut Romani Deum ſuum Capitolium nominant Optimũ Maximum
propter beneficia optimum, propter uim maximum, Ciceronis teſti-

monio

monio in oratione ad Pontifices pro domo sua. Sic Iudæorum natio Deum suum propter beneficia uocat Iah, & propter uim ac uirtutem appellat El. Ita enim Cabalistæ super Dauid regis sermone, cum ait: Si iniquitates obseruaueris Iah, Domine quis sustinebit, dicunt יה שהוא עולם הרחמים ארג ישהוא עולם הריר, id est, Iah, quod sit seculum clementiæ, Adonai quod sit seculum seueritatis, ut in Portæ lucis cap. 8. De El autem ita legitis Numeri 16. Fortissime El Deus spirituum omnis carnis, num uno peccante contra omnes ira tua desæuiet? Optimus igitur nobis Deus est, quia clementissimus, & maximus, quia fortissimus, quod duo hæc nomina diuina repræsentant Iah & El, quorum alterum si quoto cuiq; septuaginta duorum nominum coniũxeritis, nimirum insigne uocabulum oxytonon efficietis. Hoc certe modo semper pronunciando, ut dictiones fiant trissyllabicæ ac aspirationes per singularẽ hãc notam scriptæ h, flatu forti tanquam duplici spiritu Latinæ literæ h, ex imo pectore prodeant, & ubique Iah unice per i consonantem pronuncietur. Similiter & El, nam utraque harum dictio etiam in compositione nominũ monosyllabice proferẽ, & in eandem accentus cadit. Sũt itaq; 72. nomina sacra, quod unum Semhamaphores, id est, sanctissimi Tetragrammati nomen expositorium dicitur, per inuocationes angelorum ab hominibus Deo deditis, deuotisq; cũ timore ac tremore sic enuncianda. Vehuiah, Ieliel, Sitael, Elemiah, Mahasiah, Ielahel, Achaiah, Cahethel, Haziel, Aladiah, Lauiah, Hahaiah, Iezalel, Mebahel, Hariel, Hakamiah, Louiah, Caliel, Leuuiah, Pahaliah, Nelchael, Ieiaiel, Melahel, Haiuiah, Nithhaiah, Haaiah, Ierathel, Sæehiah, Reiaiel, Omael, Lecabel, Vasariah, Iehuiah, Lehabiah, Chauakiah, Manadel, Aniel, Haamiah, Rehael, Ieiazel, Hahahel, Michael, Veualiah, Ielahiah, Sealiah, Ariel, Asaliah, Mihael, Vehuel, Daniel, Hahasiah, Imamiah, Nanael, Nithael, Mebahiah, Poiel, Nemamiah, Ieialel, Harahel, Mizrael, Vmabel, Iahhael, Anauel, Mehiel, Damabiah, Mauakel, Eiael, habuiah, Roehel, Iabamiah, Haiaiel, Mumiah. Præsto iam sunt ad manũ uiri optimi, cũ quib. non modo ab imi pectoris penetralibus clandestina colloquia mussare, uerumetiã expressas quoq; uoces miscere, & quemlibet symbolico suo nomine inuocare queatis, quãquam singularum regionũ præsides tamen nihil non communicatũ habentes. Tametsi enim in mundo supercœlesti habitant, at ista nihilominus inferiora curãt. Si enim hoc influentijs naturalibus contingit, ut in cœlis cõmorentur, & simul terrena gubernẽt, multo magis uirtutibus nobilioribus & simplicioribus mũdi superioris eiusce modi magistratus pariter sunt concessi, ut penetrent nostra, & à nostris uicissim penetrentur. Ad id utar Plotini uestri assertione in libro de Intellectu & Ideis & ente, qui ait, Mũdus iste sensibilis uno tantũ loco determinatur, Mundus aũt intelligibilis est ubiq;, perinde ac si dicat, q; ille hũc nostrum & ambiat & ordinet & conseruet & penetret. Aanimaduertite aũt

quid

quid admiratione dignũ Cabalistarũ sapientes huc afferant, inquientes ita אין לך כל עשב ועשב מלמטה שאין לו מזל ברקיע שמכה אותו ואומר לו גדל id est, Nõ est tibi ulla herba aut plãta inferius, cui nõ sit stella in firmamento, quæ percutiat eam & dicat ei: Cresce. In eam iuerunt ipsi sentẽtiam sacris literis muniti, ut legitur in Iob cap. 38. Num nosti leges cœlorum si posueris præfectum, seu præsidem, uel executorem eius in terra. Non itaque uos retrahant orbis terrarum tantæ solicitudines ac rerum inferiorum curæ, quibus supra nominati angeli dispensatione creatoris sunt destinati, quo minus illos etiam in nouem choros supercœlestiũ hierarchiarum referatis. Cum enim angelus sit alteritas, sicut Deus identitas, prima uero alteritas sit binarius, recte opinabimur, quod ex binarij multiplicatione numerus angelorum oriatur. Multiplicatio autem binarij cubica sic fit, bis bini bis, & erunt octo primus cubus. Octonus uero quosq; angelos in nouem choros si distribueritis, erunt septuaginta duo, tot enim sunt nouies octo. Redite nunc si uultis per choros ad cubum, per cubũ ad Tetractyn uestrã, quam nos tetragrammaton, Romani quaternitudinem appellant, ab ea ad binarium angelicam naturam significantem, & inde ad unitatem Deum Optimum Maximum, & experiemini certe, si nostrum studium ad angelos applicuerimus, quod etiam per angelos Deo iungamur Tetragrammato ineffabili Iod. he. uau. he. in quo primum resplendet angelorũ istorum nobilissima natura. Nã si ex quatuor istis literis יהוה quater Iod posueritis, sicq; descendẽdo ter he, bis uau, semel he, mox uobis surget septuaginta duorum summa, expositoria nominis Dei inenarrabilis & incomprehensibilis, ad quod omnia sacra nomina referuntur, quorũ ingens copia est, singula tamen appellatiua sunt, hoc solum Dei proprium est & adpropriatum, quare מיוחד cognominatur. Hæc autem septuaginta duo dicuntur unum nomen symbolicum, eo quod intentio illorum sit unum Deum Optimum Maximum significare, licet per multas & uarias rationes angelorum, quomodo notamus principem per aulicos, & imperatorem per exercitum. Et ea sane uenerantur atq; colunt Magistri Cabalæ plurimum, quibus deuoti homines miranda operantur & mirabiliora q̃ eloqui mihi phas sit, ego tamẽ uirum doctissimum in hac causa testem citabo Racanat in cõmẽtarijs Exodi 14. qui hos characteras & has literas affirmat esse אותיות למעלה בעיקר המרכבה והם ממונים לעשות כל דבר בהם ופעול ותיהם ידועים למקובלים id est, Characteres uolantes superne in fundamento sapientiæ spiritualis, & sunt administratorij spiritus seu prefecti ad faciendum omnem rem per eos, & operationes eorum sunt notæ Cabalistis, hucusq; Rabi Mnahem Racanat. Et secũdum Rabi Akiba procedunt de throno gloriæ Dei. Sed ne quis uana superstitione ductus putet ab angelis omnia humanæ mortalitati cœlitus conferri, ac non potius per angelos ab ipsa Dei maiestate omnia fieri etiam in angelis, ut in Daniele

Nabucha-

Nabuchadnezer Chaldaicè testatᵉ וכמצביה עבר בחיל שמיא וראר ארעא Id est, Et secundum uoluntatem suam facit in exercitu cœli & habitatoribus terræ. Ideo receperunt Cabalæi de libro Psalmorum pias orationes ad Deum septuaginta duobus uersibus habendas, quorum unusquisque nomen Tetragrammaton cum nomine angeli ex 72. continet, uno haud ab re excepto, qui principium Geneseos indicat, eleuant autem quantum fieri potest animos suos istis uersibus ad Deum, fortiter ascendendo de angelo ad angelum. Et semper inter laudes Dei tot & tantas ab altera ad alteram in sublime tendendo. Ad illud eos iuuant angeli, ut relicta seculari solicitudine pro captu suo uehantur in Deum ceu leuissima pluma tenuissimi spiritus adiumento ad sublimia cœlestiaq; sustollitur. Videte & audite orationem uersuum cum Tetragrammato & angelis, utrunque enim uobis tam digito quàm uoce monstrabo, sic.

וְאַתָּה יְהוָה מָגֵן בַּעֲדִי כְּבוֹדִי וּמֵרִים רֹאשִׁי
וְאַתָּה יְהוָה אַל תִּרְחַק אֱיָלוּתִי לְעֶזְרָתִי חוּשָׁה
אֹמֵר לַיהוָה מַחְסִי וּמְצוּדָתִי אֱלֹהַי אֶבְטַח בּוֹ
שׁוּבָה יְהוָה חַלְּצָה נַפְשִׁי הוֹשִׁיעֵנִי לְמַעַן חַסְדֶּךָ
דָּרַשְׁתִּי אֶת יְהוָה וְעָנָנִי מִכֹּל מְגוּרוֹתַי הִצִּילָנִי
זַמְּרוּ לַיהוָה יוֹשֵׁב צִיּוֹן הַגִּידוּ בָעַמִּים עֲלִילוֹתָיו
רַחוּם וְחַנּוּן יְהוָה אֶרֶךְ אַפַּיִם וְרַב חֶסֶד
בֹּאוּ נִשְׁתַּחֲוֶה וְנִכְרְעָה נִבְרְכָה לִפְנֵי יְהוָה עֹשֵׂנוּ
זְכוֹר רַחֲמֶיךָ יְהוָה וַחֲסָדֶיךָ כִּי מֵעוֹלָם הֵמָּה
יְהִי חַסְדְּךָ יְהוָה עָלֵינוּ כַּאֲשֶׁר יִחַלְנוּ לָךְ
חַי יְהוָה צוּרִי וְיָרוּם אֱלֹהֵי יִשְׁעִי
לְמַעַן יְהוָה תַּעֲמוֹד בְּרַחוּק הַעֲלִים לְעִתּוֹת בְּצָרָה
הָרִיעוּ לַיהוָה כָּל הָאָרֶץ פִּצְחוּ וְרַנְּנוּ וְזַמֵּרוּ
וַיְהִי יְהוָה מִשְׂגָּב לָדָךְ מִשְׂגָּב לְעִתּוֹת בְּצָרָה
וַיְהִי יְהוָה לִי לְמִשְׂגָּב וֵאלֹהַי לְצוּר מַחְסִי
יַחֲיֵנִי אֱלֹהֵי יְשׁוּעָתִי בְּיוֹם צָעַקְתִּי בַלַּיְלָה נֶגְדֶּךָ
יְהוָה אֲדֹנֵינוּ מַה אַדִּיר שִׁמְךָ בְּכָל הָאָרֶץ
שַׂבְּעֵנוּ בַבֹּקֶר חַסְדֶּךָ יְהוָה אֱלֹהֵי וְאַל יִשְׁמַחוּ לִי
קוֹל שׁוֹעָתִי יְהוָה וַיֹּאמֶר אֵלַי וַיִּשְׁמַע שַׁוְעָתִי
וְכֹשֶׁם יְהוָה אֶסְרָא אֲנָא יְהוָה מַלְטָה נַפְשִׁי
וַאֲנִי עָלֶיךָ בָטַחְתִּי יְהוָה אָמַרְתִּי אֱלֹהַי אָתָּה
יְהוָה שָׁמְרְךָ יְהוָה צִלְּךָ עַל יַד יְמִינֶךָ
יְהוָה יִשְׁמֹר צֵאתְךָ וּבוֹאֶךָ לְעַתָּה וְעַד עוֹלָם
רְצֵה יְהוָה אֶת יְרֵאָיו וְאֶת הַמְיַחֲלִים לְחַסְדּוֹ
אוֹרֶה יְהוָה בְּכָל לִבִּי אֲסַפְּרָה כָּל נִפְלְאוֹתֶיךָ
שַׁרְאֵתִי בְכָל לֵב עַנְנִי יְהוָה חֲסִיד אֶצֹּרֶת
חַלְּצֵנִי יְהוָה מֵאָדָם רָע מֵאִישׁ חֲמָסִים תִּנְצְרֵנִי
אֱלֹהִים אַל תִּרְחַק מִמֶּנִּי אֱלֹהַי לְעֶזְרָתִי חוּשָׁה

חנה אלהים עזר לי יהוה בסמכי נפשי
כי אתה חסותי יהוה ארגי מבטחי מנעורי
אבא בגבורות יהוה אלהים אזכיר צדקתך לבדו
כי ישר דבריהוה וכל מעשיהו באמונה
יהוה יורע מחשבות אדם כי המה הבל
יחל ישראל אל יהוה מעתה ועד עולם
אהבתי כי ישמע יהוה את קולי תחנוני
יחלץ אהבתי מערן ביתיר ומקום משכן כבודך
יהוה אלהים צבאות חשיבנו והאר פניך ונושעה
כי אתה יהוה מחסי עליון שמת מעונך
שמע יהוה וחנני יהוה היה עזר לי
למה יהוה תזנח נפשי תסתיר פניך ממני
יהוה הצילה נפשי משפת שקר מלשון רמיה
יהוה ישמרך מכל רע וישמר את נפשך
ואני אליך יהוה שועתי ובבקר תפלתי תקדמך
גדלות פי רצה נא יהוה משפטיך למדני
אם אמרתי מטה רגלי חסדך יהוה יסעדני
טוב יהוה לכל ורחמיו על כל מעשיו
מה גדלו מעשיך יהוה מאד עמקו מחשבותיך
הודיע יהוה ישועתו לעיני הגוים גלה צדקתו
גדול יהוה ומהלל מאד ולגדלתו אין חקר
חנון ורחום יהוה ארך אפים וגדול חסד
יהי כבוד יהוה לעולם ישמח יהוה במעשיו
ארוממך יהוה כי דליתני ולא שמחת אויבי לי
יהוה בשמים הכין כסאו ומלכותו בכל משלה
ואתה יהוה לעולם תשב כסאך לדור ודור
סומך יהוה לכל הנופלים וזוקף לכל הכפופים
יראי יהוה בטחו ביהוה עזרם ומגנם הוא
ונפשי נכהלה מאד ואתה יהוה עד מתי
ממזרח שמש עד מבואו מהולל שם יהוה
צדיק יהוה בכל דרכיו וחסיד בכל מעשיו
יהי שם יהוה מבורך מעתה ועד עולם
ידעתי כי פקודיך אהבתי יהוה בחסדך חייני
עברו את יהוה בשמחה בואו לפניו ברננה
הנה עין יהוה אל יראיו למיחלים לחסדו
שובה יהוה עד מתי והנחם על עבדיך
אל העזבני יהוה אלהי אל תרחק ממני
והתעגג על יהוה ויתן לך משאלות לבך
הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו
יהוה מגן חלקי ומושי אתה תומך גורלי

בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ
אורה יהרה מאר בפי ובתוך רבים אהללנו
שרבי נפשי למנוחיי בי כי יהוה גמל עליי

Ostendi iam uobis optimi uiri qualibet in linea nomen esse Tetragrammaton, tres literas angeli uel recto uel trāsuerso ut fieri solet positas ordine de tribus uersibus Exodi 14. ויסע ויבא ויט quos tamē Romani hactenus non sunt integre interpretati. Psalmodian autē Latini sic legūt, ut ante forsitan uel in Capnione de uerbo Mirifico uidere potuistis.

Et tu Domine susceptor meus es gloria mea & exaltans caput meum.

Et tu Dñe ne elōgaueris auxiliū tuum à me ad defensionē meam conspice.

Dicam Domino, susceptor meus es tu, & refugiū meum Deus meus sperabo in eum.

Conuertere Domine & eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam.

Exquisiui Dominum & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationib. meis eripuit me.

Psallite Domino qui habitat in Sion, adnunciate inter gentes studia eius.

Miserator & misericors Dominus longanimis & multum misericors.

Venite adoremns, & procidamus, & benedicamus ante Dñm q̄ fecit nos.

Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ à seculo sunt.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodū sperauimus in te.

Viuit Dominus & benedictus Deus meus, & exaltet̄ Deus salutis meæ.

Vt quid Dñe recessisti longe, despicis in opportunitatib. in tribulatione.

Iubilate Domino omnis terra, cantate & exultate & Psallite.

Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

Et factus est mihi Dñs in refugiū, & Deus meus in adiutorium spei meæ.

Domine Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te.

Domine Dominus noster, q̄p admirabile est nomen tuū in uniuersa terra.

Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.

Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.

Et nomen Domini inuocabo, ô Domine libera animam meam.

Ego autem in te speraui, dixi Deus meus es tu.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexterā tuā.

Dominus custodiet introitum tuum & exitum tuum ex nunc & usque in seculum.

Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.

Cōfitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Clamaui in toto corde, exaudi me Domine, iustificationes tuas requiram.
Eripe me Domine ab homine malo, à uiro iniquo eripe me.
Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice.
Ecce Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ.
Quoniã tu es patientia mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea.
Introibo in potentias Domini, Deus memorabor iustitiæ tuæ solius.
Quia rectum est Verbum Domini, & omnia opera in fide.
Dominus scit cogitationes hominum, quoniam uanæ sunt.
Speret Israel in Domino, ex hoc nunc & usq; in seculum.
Dilexi quoniam exaudiet Dominus uocem orationis meæ.
Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis tuæ.
Domine Deus uirtutum conuerte nos, & ostende faciẽ tuã & salui erimus.
Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.
Audiuit Dominus & misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus.
Vt quid Domine repellis animam meam, auertis faciem tuam à me.
Domine libera animam meam à labrijs iniquis & à lingua dolosa.
Dominus custodiet te ab omni malo, & custodiet animam tuam.
Et ego ad te Domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te.
Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, & iudicia tua doce me.
Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabit me.
Suauis Dominus uniuersis & miserationes eius super omnia opera eius.
Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ sunt cogitationes tuæ.
Notum fecit Dominus salutare tuum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.
Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non est finis.
Miserator & misericors Dominus patiens & multum misericors.
Sit gloria Domini in seculum, lætabitur Dominus in operibus suis.
Confitebor Domino secundũ iustitiã eius, & psallã nomini Dñi altissimi.
Cognoui Dñe quia æquitas iudicia tua, & in ueritate tua humiliasti me.
Dominus in cœlo parauit sedem suã, & regnũ suũ omnib. dominabitur.
Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem.
Alleuat Dominus omnes qui coruunt, & erigit omnes elisos.
Qui timent Dñm sperauerunt in Dño, adiutor eorũ & protector eorũ est;
Et anima mea turbata est ualde, sed tu Domine usq; quo.
Ab ortu solis usq; ad occasum, laudabile nomen Domini.
Iustus Dominus in omnibus uijs suis, & sanctus in omnib. operibus suis.
Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usq; in seculum.
Vide, quoniam mandata tua dilexi Domine, secundum misericordiam tuam uiuifica me.

Seruite

Seruite Domino in lætitia, introite in conspectu eius in exultatione.
Ecce, oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.
Conuertere Domine usqquo, & deprecabilis esto super seruos tuos.
Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.
Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.
Confitemini Domino quoniã bonus, quoniã in æternũ misericordia eius.
Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.
In principio creauit Deus cœlum & terram.
Confitebor Dño nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.
Conuertere anima mea in requiem tuam, quoniã Dominus beneficit tibi.

Tum Marranus. Adeo ne inquit, te una in re tantopere laborantem patimur expatiari, qui ad artem ipsam si qua est Cabalę toto desiderio properamus. Et Philolaus. Non est arbitror una res, de qua Simon disseruit, sed terqꝫ quaterqꝫ plures ac multoplurimę. Sabbathũ enim sabbathorũ, quod est requies æterna, & finis Cabalæ: Post aũt quib. gradibus ad eam ascendamus tam portarũ prudentiæ cꝫ sapientię semitarũ, & de nominis Tetragrammati expositoribus angelis & Semhamaphores clara nos uoce instituit. Ad hæc Simon. Reliqua si bene recordamini, equidem nonnihil de illa digna religione decẽ numerationũ Cabalisticarum præmisi, & fortasse promisi dicturũ me, faciãqꝫ per catalogum, si me atente audiatis. Tũ audimus cupide ambo dixere, quapropter perge incunctãter. Mox Simon ait, Decem numerationes à Cabalæis עשר ספירות appellatas multi ex nobis multiphariã tractãt, quidã in arboris modum, alij ad formã hominis, ut sę pe mẽtio fiat de radice, trunco, ramis, & corticibus. Sępe uero etiã de capite, humeris, cruribus, pedibus, latere dextro & siniſtro. Eę sunt decẽ diuina nomina, quæ nos mortales de Deo cõcipimus, & essentialia, uel personalia, uel notionalia, uel cõmunia, & nominãtur sic כתר, id est, corona, חכמה, id est, sapientia, בינה, id est, prudẽtia siue intelligentia, חסד, id est, clementia seu bonitas, גבורה, id est, grauitas uel seueritas, תפארת, id est, ornatus, נצח, id est, triũphus, הוד, id est, cõfessio laudis, יסוד, id est, fundamẽtũ, מלכות, id est, regnũ. Supra coronã uero ponit אין סוף, id est, infinitudo, & est abyssus, Eloquar an sileã, Res est nimirũ profundæ speculationis & quoddã pelagus immensum, in quod omnis nostra contemplatio demergit, & demersa quodã hiatu absorbetur. An non memineritis quãtum nouicij iam ferme omniũ nationũ theodidascali dies atqꝫ noctes desudãt fere solum in cõceptibus attributalibus, quas eorũ alij perfectiones in diuinis nominãt, alij attributa, tum negatiua, tum affirmatiua, tum absoluta, tum relatiua seu connotatiua, quæ facile nunc ut arbitror de libro Cabalistico compendij Portæ lucis, quem Paulus Ricius uir egregie doctus quondam ex nostris

ſtris unus, nūc Chriſtianus ex Rabi quodam Caſtilienſi collegit, & de Iſagogis quas ſcripſit in Cabalam diſcere poteſtis. Ea pariter de re magnus ille Magiſter Cabalæ Rabi Ioſeph filius Carnitolis librū שערי פרץ Id eſt, Portarum iuſticiæ conſcripſit, & ſcripſere commentatores circa arborem decem numerationum multi multa, qui cauſam hanc inuolutam euoluūt, & totam fere ſacram ſcripturam ueterem in has decem numerationes, & per eas in decem ipſa Dei nomina, & per ea in unum Tetragrammati nomen, rediguntatq; reducūt, affirmantes quòd Enſoph ſit Alpha & O, qui dixit, Ego primus & ego nouiſsimus. Et q̄d כתר id eſt, Corona regni omnium ſeculorū ſit fons ſine fundo, & אב הרחמים, id eſt, miſericordiarum pater, cuius myſterium illud eſt quòd Ehieh ſigillat per Emeth, hoc eſt eſſentiā per ueritatē. Sicut nobilis ille dictator ait Eliæzer Haklir אמת חותמו id eſt, Emeth eſt ſigillū eius. Probat hoc ratio arithmetica quā imitantes ſi multiplicauerimus Ehieh per Ehieh ſurgent quadringēta quadraginta & unū, quæ ſimul ſunt אמת hoc eſt uerum ſeu ueritas, ſicut אר י שלום Id eſt, Domini pax. Plura huc reducunt, ut Alep magnum, timorē Domini, lucem inacceſsibilem, dies æternitatis, ut eſt illud, Egreſſus eius ab anterioribus à diebus ſeculi. Sic ſcribit inſignis Cabaliſta Tedacus Leui in lib. de decem numerationibus. Ad ſecundā aūt numerationem quæ eſt ſapientia referuntur hęc, ex attributis aut proprietatibus, primogenitura, Ies, id eſt, ens. Lex primitiua, Iod litera prima Tetragrammati, terra uiuentium, triginta duę ſemitę, ſeptuaginta legis ſpecies, bellum, iudicium, Amen, liber, ſanctum, uoluntas, principium, & alia id genus. Et forte mirum eſt quod ſecunda numeratio dicatur principiū, legit nanq; in Racanat excellenti Cabalæ Magiſtro circa Geneſeos initium hoc modo ראולי תשאל שהחבמה חיא ספירה השניה למה קראת ראשית Id eſt, Et forte quæres, cum ſapientia ſit numeratio ſecunda, quare dicat̄ principium. Scriptum eſt enim in libro Bahir אין ראשית אלא חבמה Id eſt, Nihil eſt principium niſi ſapientia. Cui equidem recte mihi uidear reſpondere, quod infinitudo ipſa trium ſummarum Cabaliſticæ arboris numerationum quas uos treis in diuinis perſonas appellare conſueuiſtis abſolutiſsima eſſentia, quum ſit in abyſſo tenebrarū retracta, & immanens ocioſaq;, uel, ut aiunt, ad nihil reſpiciens, idcirco dicit̄ אין, id eſt, nihil, ſiue non ens ac non finis, hoc eſt, אין סוף, quia nos tā tenui erga res diuinas ingenij paupertate mulctati de ijs, quæ nō apparent haud ſecus atq; de ijs quæ non ſunt iudicamus. At ubi ſe ita oſtenderit, ut ſit aliquid & reuera ſubſiſtat, tum Aleph tenebroſum in Aleph lucidum conuertitur, ſcriptum eſt enim: Sicut tenebræ eius, ita & lux eius, & appellatur tunc quidem Aleph magnum, quando exire cupit, & apparere omnium rerum cauſa per Beth proxime ſequentem literam. De qua ſicut ſcribit Mnahem Racanat עלבן תמיצא חאית חואת מרעלת חרבריים כלם, id eſt, Sic reperies literam hanc ſcilicet Beth facientem res omnes, quapropter

Aleph

Aleph eandem uti propinquissimam & fœcūdiorem literam sibi recipit, nominaturq; אב pater omnis generationis & productionis. Deinde assumptum Beth, rursus ablegat in uniuersitatem entium, ex infinito אין finem suum consequi desiderans, quare finalem literam Nun coniungendo Beth generat בן, id est, filium, quę prima est productio in deitate, ac principium alteritatis, unde cognominatur ראשית, id est principiū, tametsi est secunda emanatio ex infinitudine, hoc est, secunda Cabalistica numeratio, per quam omnia facta sunt. Scriptum est enim: Omnia in sapientia fecisti, hoc modo primus effluxus fit secunda numeratio, quia terminus generationis est filius. Restat tertio medium inter Aleph & Nun, quod est Iod, nota sancti nominis יה cuius ambos characteras si alternis uicibus nomini בן intertexueritis erit בינה intelligentia, seu prudentia, seu prouidentia, scilicet emanatio in diuinis tertia, cui attribuitur Adonai, spiritus, anima, uotum, mysterium fidei, mater filiorum, rex sedens in throno miserationum, Iobelęus magnus, Sabbathum magnum, fundamentum spirituum, lumen mirificum, dies suprema, quinquaginta portæ, dies propitiationis, uox interior, fluuius egrediens de paradiso. Litera secūda Tetragrammati, pœnitentia, aquæ profundæ, soror mea, filia patris mei, & alia. Hucusq; notauimus tres numerationes, quæ dicūtur à Cabalistis, teste Rabi Ishac in commētarijs libri Ietzira ספירות העליונות בסא אחד, id est, Tres numerationes summæ atq; supremæ sedes una, in qua sedet Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth. Bonitati siue clementiæ, quæ est quarta numeratio, cum diuino nomine El appropriantur etiam hæc, gratia, misericordia, brachium dexterū, innocēs, dies tertius, ignis candidus, facies leonis, pes primus, Abraham senex, Oriens, aquæ superiores, argentum Dei, Michael, sacerdos, angelus in specie electri Hasmal, uestes albæ, auster, & alia. In quinta numeratione seueritatis diuinū nomen est Elohim & applicant ei timor, proprietas rigoris seu grauitatis, præcepta legis negatiua, brachium sinistrum, ignis egrediēs ab aquis, ut in libro de creatione. Item dies quartus, occidens, Gabriel. Ishac senex, nox fortitudo, altare aureum, pes secundus, sanctificatio, caligo. Metattron, aquilo species fusca. Sextæ applicat Eloha, speculatio illuminans, lignum uitæ, uoluptas, linea media, lex scripta, sacerdos magnus, ortus solis, species purpurea. Et scribit Tedacus Leui, q; de hoc loco explanantur septuaginta nationes in terra, & sigillū eius est Emeth Adonai, & uocat pax, & forma eius figuratur in luna, & mysteriū eius est tertia litera Tetragrammati, & mysterium hoc Pater noster qui est in cœlis, homo supernus seu Adam cœlestis, iudicium, sententia. Michael. Israel senex. Deus Iacob. Ad septimum referuntur, Adonai Sabbaoth, crus, pes, columna dextera, rota magna, uisio prophetiæ, Moyses &c. Octauæ conueniunt Elohe Sabbaoth. Mysteriū columnæ, ac pedis sinistri & Booz, & inde trahitur serpens antiquus, disci-

plina Domini, ramus, Aharon Cherub, filij regis, molæ molentes, & alia. Nonæ appropriatur Sadai, fundamẽtum mundi, Sion, fons piſcinarum, iuſtus, Deus uiuus. Sabbathum integrum. Medium inter cuſtodi & memento. Dies quinquageſima de Leuiathan, Aries, Ioſeph iuſtus, Salomon, iuſtitia, robur, lignũ ſcientiæ boni & mali, Fœdus Domini, arcus teſtimonij, gloria Domini, fundamentũ prophetiæ Dauid, Redemptio, Seculum animarum. Reducuntur & ad decimã numerationem. Adonai, regnũ, uita, cherub ſecundus. Speculatio non illuminans. Poſteriora. Finis. Eccleſia Iſraëlis, Sponſa in Canticis canticorum. Regina cœli. Virgo Iſraël. Myſterium legis ab ore datæ. Aquila, Litera quarta Tetragrãmati. Regnum domus Dauid. Templum regis, Dei ianua, arca fœderis, & duæ tabulæ in ea. Dominus uniuerſæ terræ. Audiſtis breue rationarium decem proprietatum ſiue notionum aut attributorum in diuinis, quæ dicunt à Cabaliſtis רלימה quod intelligunt alij בלי, id eſt, abſq; uel præter, מה, id eſt, quid ut ſi diceretur decem præter quid, ſcilicet excepta Dei quidditate. Vnde interpretari ſolent Belimah hoc eſſe præter id quod eſt ineffabile, alij ab ipſo בלום פיך ולשונך מלרבר, id eſt, coartando ſeu conſtringendo linguam tuam ne loquaris, tanquam uerba ſacra, quæ non ſint uulgo prodenda. Dicendũ nunc eſſet de angelicis principibus, & dæmoniacis præfectis, quos ad latera clementiæ & ſeueritatis ponunt Cabaliſtæ, rem profecto indigentem multiloquio, ſi non meridiem trãſgreſsi ueheremur in ueſperũ. Quis enim paruo in tempore tam magna exponere? Quis triginta quinq; principes puritatis, ac ſeptuaginta principes Iſmaelis in latere numerationis quartæ tam cito abſoluere? Quis item in numeratione quinta grauitatis, atq; timoris pariter triginta quinque principes reatus, & ſeptuaginta principes Eſau tã obiter & tã perfunctorie poſſet ſatis explanare? quæ propria quidem uolumina poſcunt, & certe admodum lata, quare his in præſentia intermiſsis procedamus ad artem. Beatitudo inquã contemplantiſsimorum hominum pro electiore modo à meditatione legis hoc eſt uiginti quatuor librorum, quos Eſſrim Varba nominamus diurna & nocturna pendere ſacris ex literis deprehenditur. Scriptum eſt enim, Beatus uir, inter cætera, qui in lege eius meditabitur die ac nocte, non qui legat, nõ qui ſcribat, non qui loquatur. Sed qui meditetur, ne forte ſcriptio legis aut lectio, quandoq; terminata & deſinẽs, etiã beatitudinem ceſſare ac deſinere compellat. Sed is tandem, qui cogitationes in corde ſuo illuc cogit, ut dimiſsis carnalibus, ſpiritualia legis meditetur, is inquam, is beatus eſt, cum corde mundo Deum uidebit. Non enim tanta erat meo arbitratu diligentia opus ad ſacræ ſcripturæ hiſtorias, quæ tam patent Hebræis, quàm Titus Liuius Latinis. Item ad mandata & præcepta, quæ numerum habent, tum ad religiones & cerimonias, quæ rudi ac indocto etiam uulgo uel ſæpe non ſine uitio ac peccato peraguntur, unde non mereantur tantam beatitudinẽ, quæ

corporeis

corporeis sensibus constant, ut ad illa requiratur tam assidua, tam continua, & tam diligens meditatio diei atq; noctis. Sed longe maior beatitudo in theoriæ gradibus sublimioribus inueniri posse demonstratur, quæ ad legis Cabalisticam intelligentiam usq; adeo tendat, ut spiritali meditatione mentes nostras imbuat, & quasi in similitudinẽ sui formet. Hanc esse conijcimus legis meditationem, quæ Moysi post datam in igne legem, & fractis iam reparatisq; lapideis tabulis tandem ab ore Dei tradita est. Primo nanq;, ut asserunt Cabalæi, Deus legem suam in globum igneum conscripsit per ignem fuscum super ignem candidũ, ait enim Ramban Gerundensis שבא לנו בקבלה שהיתה כתובה באש שחורה על גבי אש לבנה, id est, Quod apparet nobis per Cabalam, quod fuerit scriptura in igne fusco super dorsum ignis candidi. Vnde illud extat Deuteronomij 33. De dextera eius ignea lex eis. Erantq; tum literæ, ut aiũt, confusæ ac inglomeratæ, quas studiosissimi quiq; speculatiuè intuentes, ac diligenter considerantes Spiritu sancto ducti, facile possẽt hinc & inde, susq;, deq;, ultro, citro, prorsus, rursus, eligere, legere, colligere, ac in uerba quęlibet formare sentẽtiã, in bonis bonam, in malis malam significãtia. Deo aũt Moyses edoctus in ordinem cunctas redigebat populo edendas, ut quæ legis essent uniuersi scirent & obseruarent, & inde lex in libros distincta, & in arcam reposita est, sicut ipse recepit à Domino. Artem tamen ordinandi & uariandi literas & sacram scripturã ad mentis eleuationem dulcissime interpretandi à diuina tũc maiestate receptam, ut rem diuinissimam à rudibus inperceptibilem, uulgo non patefecit. Sed electis tantum Iosue & septuaginta ore ad os tradidit, à quibus postea semper electiores quiq; receperunt, & ea receptio, ut ante audiuistis, nominata est Cabala. Nonnihil astipulant̃ etiã sapientissimi Christianorum doctores, quorũ plurimos ego quanquã Iudæus, tamen libenter in aliena castra tanquã explorator irrepens legi. De nostro enim Moyse Gregorius Nazianzenus ille Græcus cognomẽto, magnus theologus, in libro de statu Episcoporũ, sic ait, δέχεται νόμον, τοῖς μὲν πολλοῖς, τὸν τοῦ γράμματος. τοῖς ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς, τὸν τοῦ πνεύματος, id est, Accipit legem, ipsis quidem multis eam, quæ est literæ, ipsis aũt super multos, eam quæ est spiritus. Et in libro primo theologiæ βούλεται οὕτω πλαξὶ στερραῖς καὶ λιθίναις ἐγγράφεσθαι, καὶ ταύταις ἀμφοτέρωθεν διάτε τὸν φαινόμενον τοῦ νόμου καὶ τὸν κρυπτόμενον. τὸ μὲν τοῖς πολλοῖς σκάτω μένοις, τὸ δὲ τοῖς ὀλίγοις καὶ ἄνω φθαίνουσι, id est, Vult ita tabulis solidis & lapideis conscribi, & ijs altrinsecus propter manifestum legis & occultum, illud quidem multis & inferius manentibus, hoc autem paucis & sursum peruenientibus. Quibus è uerbis apparet quibusdam ualde doctis etiam uestris hominibus, quod Moyses legis textum plebi tradiderit, at mysteria, parabolas & symbola ipsi sibi ac præstantioribus reseruarit. Eam Cabalæ artem in tris uias diuisam fuisse accepimus, Salomonis testimonio, qui 22. Prouerbiorum ait: Certe scripsi tibi tripliciter consulto & è sententia, ut notifi-

notificarem tibi rectitudinem eloquiorum ueritatis. Sic enim gens nostra loqui consueuit cū habenda est Cabalæ mentio, ut appellent eā אמרי אמת id est, eloquia ueritatis scripta scilicet על דרך האמת, id est, Secundū uiam ueritatis quod est Cabalæ. Hic mos fuit Aegyptio & Gerundēsi cæterisq; creber. Alij uero quinq; Cabalæ partes exhibuerūt, ut Rab Hamai in libro Speculationis, quas ita nominat תיקון ויצירה ומאמר ומכלל והשבון, id est, Rectitudo, & combinatio, & oratio, & sentētia, & supputatio. Vester Mirandulanus in nongentis cōclusionibus scripsit his uerbis, Quicquid dicant cæteri Cabalistæ, ego prima diuisione scientiā Cabalæ in scientiam Sephiroth & Semoth, id est, numerorū & nominū tanquam in practicam & speculatiuam distinguerem. Sed Rabi Ioseph Bar Abraham Salemitanus & Cabalistarum multo maxima pars sequuntur Salomonem regem, in eo quòd tripliciter illam posse artem non tantum speculari, uerumetiam practicari plane credunt, iuxta triplicem rerum omnium conditionē, numerum, figurā & pondus, quippe illa quinq; in hæc tria reducentes. Cum enim totū negociū sit allegoricū, & aliud pro alio, per aliud intelligat, ut ipsa sententia sit alia pro alia. Dicemus palā, quod aut dictio pro dictione ponitur, aut litera pro dictione, aut litera pro litera. Principio nēpe dictio sumitur pro dictione, uel per transpositionem, quæ metathesis nuncupatur, uel per numerum æqualem dictionibus incluſum. Litera ponitur pro dictione, uel in capite, uel in fine, uel ubilibet per superpositam notā. Litera ponitur pro litera per alphabeticariam reuolutionem, plane totū, ut omnis tandem proportio compleatur, Arithmetica, Geometrica & Musica. Verbi causa, illud Psalmi 21. Domine in uirtute tua lætabitur rex, intelligimus Cabalistice de Messiha, dicentes: Domine Tetragrammate in uirtute tua Messiha rex, subaudiatis uenit uel operatur. Est enim Messiha uirtus Dei, & operatur in uirtute Tetragrammati, ad id me ducit hæc dictio ישמח, cuius si literæ transponantur erit משיח id est, Messiha. Alio item in loco, Dominus dixit ad Moysen: Quoniam præcedet te angelus meus, Exodi 23. Ecqs est ille angelus iuxta Cabalistas? dicūt alij quod Michaël, transponendo enim literas מלאכי fit Michaël: alij accipientes illum secundum artis Cabalisticæ modum, affirmant quòd sit Metattron, eo q; Deus aiebat, quoniam est nomen meū in illo. In Metattron aūt est nomen Sadai per numerum æqualem utriſq; dictionibus incluſum, quod mirifice amplectitur Gerundensis in loco ante citato. Cernitis iam duas Cabalæ symbolicas uias? Quin uultis quoque tertio literam uidere pro dictione reponi? Legite Esaiam capite 65. Benedicetur in Deo, Amen. Ecquis est iste Deus? Cabalistæ respondebunt, quod est ארני מלך נאמן, id est, Dominus rex fidelis, tris enim has dictiones per capita, tres literæ אמן notabunt, ut scripsit Racanat Exodi 15. Quarta species & tertia Cabalæ pars est commutatio literaria, ut dictio certis literis scripta symbolice designet

aliam

aliam dictionẽ per alias literas compositã, & fit per alphabeticariã reuolu tionẽ iuxta librũ creationis Abrahę uariationibus uiginti duabus, secun- dum q̃d ibi tot alphabeta legunt. Exẽplum præbet nobis Mazpaz nomẽ Dei, q̃d literis his quatuor conscribit מיעפז de quo Mirandulanus uester sic ait: Nomen Dei quatuor literarũ, quod est ex Mem, Zade, Pe & Zade regno Dauidis debet appropriari, cunq; illud in sacræ scripturę textu pla ne non legatur, cuius nam rogo esse symbolũ perhibebit? Respõdent Ca- balistæ, quod sit symbolũ atq; signaculũ Tetragrãmati ineffabilis, & pro- cedit ex alphabeto ultimo, quod est uigesimũ secũdum libri, qui nominat Sepher letzira, diciturq; Athbas, illic enim cõmutant Iod pro Mem, & He pro Tzade, & Vau pro Pe, ut sit Mazpaz Adonai Iod, He, Vau, He. Dixi modo ad artem pertinentia, quæ fit uel transuersis, uel transpositis, uel cõ- mutatis dictionibus, syllabis aut literis, secundũ quatuor rationes, quibus scripturarũ sensa ingeniose ac artificiose allegorizant. Nam de ijs quæ si- ne arte cõstant, & sola traditione fiunt Atechna, satis superq; uos feci cer- tiores, quanq; ante ipsi ambo, quæ uestra professio est, haud parũ multam de illis cognitionẽ proprio studio adepti estis, quo scilicet modo simpli- cia de cõpositis, & superiora de inferioribus abstrahant, ac fere omnia in mundũ intelligibilẽ, aut super supremũ & incõparabilẽ referantur. Pos- sunt & pietatis argumenta nonnulla sæpe nobis legendo sanctas literas in mentẽ uenire, quæ ad diuinorũ admirationẽ primũ, ac etiam tum in amo- rem eorum nos alliciant, nec tamẽ certa quauis arte tradi queant, ut quod Gabriel fortiore sit uirtute quã Michaël, quoniam de eo legitur in Danie- le: Duplex uirtus uolando uolans. De Michaël autem solum quod uenit in adiutorium, quare inter intelligentias Gabriël philosophice uirtus re- putatur intellectus agẽtis, & Michaël uirtus intellectus passibilis. Ita scri- bit Rabi Leui Ben Gersom, qui à Latinis nominatur Magister Leo de Ba nolis. Plurimũ conferre mihi uidetur, Philolaus inquit, ad artem Cabali- sticam optime Simõ, id quod tu Atechnon appellas, nisi enim habeantur in manibus reuelata maiorũ, quę recte quidẽ sub artem cadere non putas, esset omnis quantũcunq; temeraria omnibus cõcessa exponendi licentia, & uertẽdi sacrã scripturã, quorsum quisq; uellet, quẽadmodũ accepimus uulgarios quosdã Sophistas agere, ut hac ætate uideant suis syllogismis il la sanctissima diuini spiritus oracula prope in publicũ contẽptum addu- xisse. Nunc autẽ quando adreuelata sunt, ut arbitror, applicando uniuer- sa, ducitur quædam linea, quam ultra citraq; nequit consistere rectum, ut quæ artis sint, opera pessimorum hominum non uergãt ad inertiã. Tum Simon, Aperte uera prædicas, inquit, fere nanq; est aliud nihil, quod plus errãter ad sensa cuiusq; retorqueat quã oracula, tametsi non id semper ma- litia fit, sed plus sæpe ignorãtia, quis em̃ dedita opera piaculũ in sacra com mitteret? Ita Saul quondam uerbi ambiguitate deceptus errauit ab oracu

lo, cum

lo, cum promisisset Deus Exodi 17. אמחה את זכר עמלק id est, Delebo memoriã Amalek, credẽs si mares abstulisset satisfieri præcepto, quoniã זכר masculum significaret. Deus autem magis deleri memoriam Amalek per hoc uocabulum זכר uoluit, quod memoriã quoq; designat. Nõdum enim erat scripturæ distinctio per puncta & accentus, quæ ab annis Ezræ primum cœpit. Ergo זכר sine punctis & memoriam & masculum enuncians Sauli occasionem dedit ruinæ. Ad hæc Marranus, Contigt & Italis & Græcis simile de uerbo φως quod & hominem significat & lumẽ. Vnde quondam Saturnaliorum cultores amphibologia decepti hominem aliquem quotannis Saturno immolarũt, cum æque sacrificium illud iuxta oraculum accensis luminibus fieri potuisset ut placaretur Saturnus. Sic enim gens illa tam stulta postremũ Hercule magistro resipuit, Et miserandum est etiam ætate nostra quantum stolidi homines & superbi quidam Sophistæ imperitia linguarum errent, quod esset tamen ferendum, nisi se non errasse contẽderent, & monstrantibus uiam non etiam usq; ad internitionẽ inuiderent. Sed ô noster dux artem Cabalisticã cuius exordiũ inchoasti prosequere plenius. Tum Simon, Artẽ hanc rebus cõstare tribus, inquit, peritiorũ ut diximus opinio est. Primũ numerorũ supputatione, quæ גימטריא id est, Geometria nominatur, quasi terrestriũ characterum inuicem numeralis dimensio, quæ tamen pendeat ab Arithmetica illa ob abstractã sui simplicitatẽ nullis sensibus tractabili, & ideo ne nouitiorum quidẽ artificio rudi subiecta. Potius igitur nuncupata est prima pars Geometria quam Arithmetica, quamuis utrunq; reuera unum & idem in hac arte ualeat. Deinde transmutantur quandoq; syllabæ ut sit & transmutata dictio, aut conuertitur uerbũ simpliciter. Secundo quod litera ponitur pro dictione, & appellatur Notariacũ ab apicibus notariorũ, quoniã ibi quelibet litera in culmine notatur, ut sit alicuius integri uocabuli signum. Tertio consistit hæc ars in literarũ mutatione, cum altera pro altera ingeniose locat, & appellatur cõmutatio, quo factũ est ut Rabi Ioseph Minor Salemitanus libros de hac arte à se cõscriptos Hortũ nominauerit, id est, גגת propter ternas huius dictionis literas, quarum singulæ singulas portiones artis Cabalisticæ designant. Nam Gimel significat גימטריא Nun נוטריקון Thau תמורה Vt sint partes totius artificij hæ גמטריא Id est, Arithmetica, ניטריקון Id est, Notariacum, quasi notatorium, & תמורה Id est, Commutatio elementorum. Huic titulo allegat author uersum Salomonis capite sexto Canticorum: Descendi in hortum nucis. Pro prima itaque parte exordiar ab eo quod est principium. Et scribitur in Zacharia quod dominus Tetragrammatus erit אחר Id est, unus & nomen eius אחר id est, unum, forte multo uerius Dominus Deus erit Aleph, id est, principium, ut uos Græcè dicitis Alpha & O, & חר Id est unum, ut qui sit principium unius. Ipse nanque supra omnem unitatem, &

omnis

omnis unitatis sempiterna origo est. Et forte non dicitur unum sicut non dicitur ens, quoniam est supra omne ens à quo emanat quicquid est. Vnde à contemplantissimis nominatur אין id est, nõ ens, ut legitur Exodi 17. חיש יהוה בקרבנו אם אין Id est, Num est ens Adonai inter nos an nõ ens? Legitur autem in libro de Via fidei & expiationis, quod sit utrunque חיש ואין id est, Ens & non ens, quoniam ea quæ sunt, & ea quæ non sunt, ex ipso sunt, & post ipsum sunt. Ita quoq; non unũ est, quoniam omnis unitatis causa est, & unitas post ipsum est, & nihil eorum est tam quæ post ipsum sunt quàm quæ non sunt, ut in libro Speculationis Rabi Hamai qui post multa sic ait שבלם נאצלים מאחריתו וחוא אינו דומה לאחר Id est, Quod omnia ea deriuantur ab unitate sua, & ipse nõ est similis ipsi uni. Neq; id solum nostri fatent uerumetiã asseuerant Marrane uestri pariter quos esse sapientissimos probatis. Dionysius enim Areopagita in libro de Mystica theologia eidem sententiæ de Deo subscripsit his uerbis, ὅτι ἀριθμός ἐστιν ὅτι τάξις, ὅτι ἶσον, ὅτι ἄνισον, ὅτι ἕνωσις, id est, Deus neq; numerus est, neq; ordo, neq; unũ, neq; unitas. Quid tãdem est? Respondit Hieroni Simonides, quanto magis cogito tãto minus intelligo. Et mihi accidit simile, cum exactis omnibus creatis ascendero supra omne ens, non inuenio aliud quàm infinitum pelagus nihilitudinis, & fontẽ omnis entitatis ex abysso tenebrarũ manantẽ perenniter. O altitudo, O profunditas, O nostra infirmitas. At satis uideri debet id nos de illo nosse quod ipse nobis de se reuelauit, quia sit principiũ, hoc est Aleph, & Tetragrãmaton quod per Aleph significat, notatq; essentiã diuinã, nihil utiq; aliud quàm חריה uidelicet est, quod certe propemodum erit idem cũ essentia יהוה Nam propter æqualem ualorẽ scriptura utrũq; coniũxit tanquã eius qui est primus & ultimus, Exodi 9. הנה יד יהוה חריה id est, Ecce manus Tetragrãmati hoiah, quasi est scilicet finis operũ & miraculorũ Dei, ut patet in decẽ plagis Ægypti. Nã alibi ea dictio sic nõ inuenitur. Indicat aũt Salomonis Trecẽsis testimonio in stantẽ essentiã. Quod uero Tetragrammaton à Iod cœpit, plane nostri causa factum est, ut agnoscamus ipsum esse punctũ infinitũ, & omnis numeri, hoc est rei cuiuscũq; complementũ. Iod enim decẽ significat. Et in resolutione nominis Tetragrãmati est litera decima sic ייחוה יחו יה Vbi post Tetragrammaton reperitur יחו quod est symbolũ ipsius Ehieh, hoc est entis per æqualitatẽ numeri. Et nihilo quoq; minus significat essentiã creatoris, ut Exod. 3. Ehieh misit me ad uos, nõ illa quæ immanet sed quæ fluit extra. Est enim sigillum Dei יהו quo Ehieh sigillauit mũdum, & dicitur אמת id est, uerũ, quippe quod in se ipsum arithmetice multiplicãdo nascit. Tum sequit יה nomen essentiæ meriti ac retributionis, ut in Psalmis, Si iniqtates obseruaueris Iah. Tria igitur nomina essentialia in Tetragrammato cernitis. Ineffabile notat essentiam primam. Ehieh essentiam in rebus, & Iah essentiam in meritis, & prędicantur in eo quod quid est. Idq́ue appellatur מה Id est, quid.

Nam Tetragrammaton יהוה אהיה אשר per æqualitatem numeri significat מה utrunq; enim continet 45. Cumque dixisset Moyses, Quid nomen eius quid dicam? respondebatur ei, Ehieh. Deinde cõsidera diligenter Spiritus sancti uerba quæ haud frustra ponuntur in eodem Exodi 3. לי מה שמו מה id est, Mihi quid nomen eius quid? Et uidete literas terminales eorum, habebitisq; qua triliterum ineffabile יהוה cuius principiũ est Ehieh. Medium Iah. Finis infinitudo. Partes enim eius sunt יהי quas diuidemus in tria interualla. Primum est י Secundum יה Tertium יהי Omnia ad esse ac essentiam deseruientia. De Iah legitur Exodi. 15. Fortitudo mea & laus Iah. De ויהי eodem in loco, Et factus est mihi in salutem. De יהי Genesis primo, Fiat lux. Hęc ambo uerba nouissima plurimum ad mundi opificium & rerum existentiam contulerunt, יהי אור ויהי אור Fiat lux, & facta est lux. Et erat uesper, & erat mane, Fiat firmamentum, & sit distinctio, & factum est ita. Congregentur aquę, & factum est ita. Germinet terra, & factum est ita. Producat terra, & factum est ita. Fiant luminaria, & factum est ita. Semper addito eo, & factum est uesper & factum est mane. His omnibus, ut re uera sint, deprehendimus inesse seminaliter & occultè nomen ineffabile. Solum uero Elohim, id est Deus, in illis sex diebus expressum cernimus. Sed cum iam mundus appareret esse perfectus, postq; uaria & admiranda diuinissimarum uirtutũ opera consummata, tandem pro merito triumphus esset celebrandus, & festus dies indicendus, ecce cum Elohim Tetragrammatus rex regum & Dominus dominantium incesit, & dictum est tum primum, Istæ sunt generationes cœli & terræ quando creatæ sunt in die quo fecit Tetragrammatus Elohim cœlum & terram, Hic Tetragrammaton publice auribus omnium creaturarum primo intonuit, quo intelligimus clementiam Dei cum iustitia, nam in quocunque loco sacræ scripturæ Tetragrãmaton sibi iungit Elohim, ibi proprietatem animaduertimus clementiæ simul & iustitiæ. Componitur quandoque cum ארני ut in oratione Habakuk, Tetragrammatus Adonai fortitudo mea, & nos sic legendo, uirtutem Tetragrammati descendere intelligimus ad ipsum Adonai prolatum. Sin ordine conuerso reperitur Adonai Tetragrammatus, ut Geneseos 15. Adonai Tetragrammate quid dabis mihi? tum mente concipimus quòd numerationes, hoc est diuinæ proprietates ab inferiore ad superius ascendentes, supremam lucem apprehendant. Fit & quandoque ut reperiatur iunctum nomen El Psalmo 118. El Tetragrammatus & illuxit nobis, & significat clementiam. Haud absimiliter cum additur Elohim & dicitur sic, El Elohim Tetragrammatus locutus est & uocauit terram Psalmo quinquagesimo, tum denotat nomen ineffabile gratia & seueritate uestitum. Aliquando legitur idq́ue tantum in prophetis & Hagiographis, Tetragrammatus Sabbaoth, Psalmo 46. Tetragrammatus Sabbaoth nobiscum, susceptor

sceptor noster Deus Iacob. Insinuatqúe hoc modo proprietatem iudicij. Atq; ideo Prophetę isto more increpãdo ad seueritatẽ utũtur. De huiusce modi explanationib. perquirere latius poteritis in lib. Portæ lucis, & multo latissime in libro Portarũ iusticiæ Rabi Ioseph Carnitolis. Adhuc & de tredecim eiusdem Tetragrãmati proprietatibus, quas Legislator Moyses inuocauit Exodi 34. in hanc sententiã: Tetragrãmate Domine Deus misericors & gratiose, longanimis, multæ clemẽtiæ, & uerus, custodiens misericordiã in millia, tollens iniquitatẽ, pertransiens scelus atq; peccatum, & innocens nõ innocentabitur, uisitans iniquitatem patrũ super filios, & super filiorũ filios in tertiã & quartam progeniem. Vos hic appello uos optimi uiri, hoc enim dicere libet certe sine falso, quoniã multis & studijs & uerbis esset opus ei qui cũcta nominis Tetragrãmati mysteria publicare uellet, cuius ne finis quidẽ ullus reperit unquã, sicut nec substantiæ Dei. Obmisso itaq; nomine proprio essentiæ diuinæ, ostendam deriuata numero pauca. Sic enim fieri cõsueuit, ut pro grammaticorum decreto appellatiua de proprijs formemus. Sunt aũt hæc אל אלהים אלוה quorũ unũquodq; originem suam ex ineffabili Tetragrammato sortitũ est, quod literas continet quatuor, ecce quatuor, & designat 26. ecce uiginti & sex, quæ omnia sunt unum Dei symbolum, ecce unum. Iunge singula uidelicet quatuor, uiginti sex, & unũ, & fit אל cui si addideritis terminationẽ Tetragrãmati יה nascetur Eloha. Nunc de Elohim sic dicitur, quòd eius Mem nõ est rei significatio, sed grãmatica inflexio, quod inde apparet. Nam si per affixum aut regimen consequentiæ legendũ illud fuerit, haud dubiũ quin Mem litera carebit, ergo si principio Tetragrãmati Iah ordine conuerso El addideritis, mox fit Elohi, & assumendo declinationem grammaticã, quæ est Mem, in fine pronunciabitur Elohim, quod & sæpe per literas ineffabilis scribitur, & Elohim nihilominus punctatur. Est autem in Cabala frequẽs ordinis conuersi usus, & magna eius uirtus uirtutisqúe laus, cum quoquomodo syllabæ transponantur, quod absq; diminutione tamen eædem manent litetæ, licet sæpe non eędem significationes, cuius rei Abraham in lib. Ietzira meminit cum ait, זכר ונקבה באמש ונקבה זכר באשם, id est, Marem & fœminam, Marem in Emes, & fœminã in Esem, ubi transpositio literarum, rei quoq; mutationem indicat. Verbi causa לא & אל, id est, Deus, & non, Quod cum aliãs frequenti sit in more, tamen hoc est uehementer admirabile in hoc nomine ineffabili, quod eius literæ quantũcunq; hac illacq; peruertantur, semper unam & eandem rem significant, uidelicet esse ac essentiam Dei qui dixit, Ego Tetragrãmatus, & nõ mutor. Quod isto uobis usu erit manifestius. Resoluatur Tetragrammaton nomen in duodecim uariationes, nec enim poterimus ultra proficisci, tunc quicquid inuentũ fuerit nulli alij nisi essentiæ deseruiet, cuius symbola sunt hęc יהוה יהוה יהוה חוהי הויה הוהי והיה היהי יהיה היהי יהוה. Duodecim igitur ista

nomina, unum nomen apud Cabalistas censentur, tanquã uniusrei significatiuum, quanquã sunt duodecim expositoria, quorũ singulis applicant de sacra scriptura unam clausulam, quæ illud apte pernotariacum referat, nõ expositionis, sed memoraculi tantũ loco, ne subeat eius obliuio, ut si dicerem, Attende & audi Israel hodie, quod legitur Deuteron. 27. Hebraice sic חסכת ושמע ישראל היום horum quatuor uerborũ capita notabitis, & facient חויה quod nomen est essentiæ atque resolutio Tetragrammati, pariter de cæteris fiant cætera. Sed maneamus tantisper in prima Cabalæ specie, dũ adhuc quædã cognitu necessaria uiderimus. Iam enim quod dixi, de secunda parte sumendum fuit, aggrediamur aũt hanc artem si uultis membratim cæsimq;, modo ne diu in unoquoq; immoremur, ut diurna opera cum die transeat. Quin id quod prius tetigi, nunc iterum breuiuscule citabo, ut firmius hæreat, quòd Deus ante creationẽ ineffabilis, in creatione nominatus est Elohim, & post creationẽ habitans in mundo tanquã in templo suo dicitur אדני Adonai. Vnde illud legitur Psalmo 11. Tetragrammatus in templo sancto suo, Tetragrãmatus in cœlis thronus eius, qui dominatur in operibus suis. Nam ipse est, ut scriptura dicit Deuteronomij 10. Dij deorum & Domini dominorũ El magnus, quare templum Cabalistice nota est Adonai & conuersa uice per æqualitatẽ numeri. Perin de atq; in Adonai ארני tanquã in suo היכל, id est, templo adorandus sit ineffabilis Tetragrammatus, & Deus in Deo amandus, iuxta triplicem mundum, Hieremiæ 7. Templum Domini, templum Domini, templum Domini. Restat aliud nomen appellatiuum שדי, id est, Sadai, Exodi 6. Ego Tetragrammatus, & apparui Abraham, Ishac & Iacob per El Sadai, & nomen meum Tetragrammaton non feci scire eis, ubi solum hoc appellatur nomen suum quod est ineffabile, quia hoc tantũ est summo Deo proprium, quatenus ipse est nihil eorũ quæ sunt, sed supra omnia est, non habens respectum extra se. Cætera sunt etiã aliarum proprietatum & relationum appellatiua, ut Sadai, quod Latini uerterunt dicẽtes Omnipotẽs, sed aptius Hebraicè significatur Sibi sufficiens, se contentus, & nullius indigens, quod Græci rectius αὐτάρκης interpretantur. Nam ש, id est, quòd, & די sufficit uel satis est grammaticè dicimus. Cæterum si audieritis solitarie in sacris uocari שם, id est, nomen, confestim Tetragrãmati uobis in mentem ueniat, quod κατ' ἐξοχὴν & hyperbolicè nomen dicitur super omne nomen quantumuis in sermone quotidiano rei omnis sit quæ habeat existentiam. Sadai aũt quoniam non est ei opus alterius adiutorio, ideo patribus in El Sadai hoc est in forti qui se ipso contentus sit Tetragrammatus apparuit, ut qui per se sufficiat miracula & prodigia facere, non autem fecit illos scire quod nomen Tetragrammaton sit illud nomen in quo possit homo tãquã cooperator & delegatus à Deo efficere miracula, de hoc apertius in Capnione de Verbo Mirifico. Est præterea ipsius Sadai ministra-

torius

torius spiritus Metattron per æqualitatem numeri sic nominatus, qui dux & monstrator uiarum esse perhibetur, quod postea, si me cõmonueritis, tractabimus apertius. Accedit aliud nomen Sabbaoth, quod Hebraicè sic legitur צבאות & ita dicuntur exercitus, quorum primus est intelligentiarum omnino separatarum & angelorum. Secundus motorum orbium & assistentium uirtutum. Tertius animarum corpora informãtium, & non inuenitur nisi post nomen Dei. Vnde tripliciter quoque legitur Sanctus Sanctus Sanctus Tetragrammatus Sabbaoth. Isaiæ sexto ac alijs in locis similiter. Omnis igitur primæ partis Cabalæ status, qua procedat institutione, audiuistis. Nam cum totus in sacrorum uerborum commutatione consistat, & quælibet uerba bifariam alterentur, necessario fatebimur ei parti duas subesse species, alteram quæ sit syllabarum aut dictionum transpositio, alteram numerorum æqualitas. Vt si uerbi causa legero Isaię quadragesimo אלה ברא Id est, Quis hæc creauit? & Cabalistice transponam duo hæc, conuertamqúe in אלהים tum actu redibit exordium Geneseos ברא אלהים pro מי אלה ברא ut stet sententia, quis hęc creauit? Deus creauit. Et Ezechiel sedit ad fluuium Chobar, Id est, ad influentiam cherub. transponatur enim כובר & fit ברוב Et Noh e inuenit gratiã. Gen. 6. conuertendo enim נח fit חן Similia cuncta eueniunt per metathesim propter literarum primariam confusionem quæ in igneo globo apparuerat, ut licuerit quasi de chao literas educere atque eas hinc & inde legere, prorsus rursus ita primæ partis species prima consummatur. Nunc ipse mecum constitui accessu membri alterius de parte prima nonnihil exempli gratia monstrare, ut pernoscatis rem liquidius & firmius quoq; memoriã teneatis. Legitur de Ishac & Rebecca 25. Geneseos ותהר רבקה אשת id est, & concepit Rebecca uxor sua. Ex quo diuinare commodũ nobis conceditur, quidnam Rebecca conceperit? Quin certe ut uerba indicant cõcepit Rebecca אשתו Vos autem cõsiderate uiri doctissimi ecquid sit אשתו in hac primæ partis secunda specie per גימטריא id est, numerorũ cõmensurationem, reperietis iuxta æqualitatẽ numeri significare אש וקש id est, Ignem & stipulam, utrunq; enim in se continet septingenta & septẽ, concepit ergo Rebecca ignem & stipulam quod sacra comprobãt eloquia, teste Abdia, qui ait, Et erit domus Iacob ignis, & domus Esau stipula. Similiter quando audimus legem fuisse latam in sapiẽtia חכמה, uideamus quę sit illa sapientia, quæ ad legem ferendam congruat. Et certe sunt edicta & interdicta, iussiones & prohibitiones. Symbolum autem est חכמה, id est, Sapientia omnium mandatorum Dei, cum enim quatuor illius uocabuli elementa de propriis scripturis pronunciaueritis, הי וה מה יה, conflabitur ex eis numerus sescentorum & tredecim mãdatorum Dei quæ doctores nostri תרי"ג appellant. Ad summum in hoc genere speculationis primo legis characteres elementa & literas in confuso fuisse repositas, & hac

atq; illac legibiles, memoratu dignum erit. Secundo nullis accentibus aut punctis distinctas. Tertio singulas alphabeti literas primordiales certum significare numerum, etiã quinq; terminales, quas longe post ille prudens Ezra simul cum punctis adinuenit. Nam primitiuæ sunt duæ ac uiginti, quibus solis ab initio scriptura omnis depicta extitit, quas usq; ad hæc tempora Cabalistæ locant & dislocant pro cuiusuis iucundæ contemplationis amœnitate. Vltimo est nobis intentanda uniuersalis hæc meta, quod tametsi Cabalistæ sit officium, aliud legere ac aliud intelligere, tamen inuiolabiliter istum quisq; obseruet canonem, in bonis bona, in malis mala, ne albo nigrũ applicet, aut diem nocti. Tum Marranus. Id genus artis, inquit, haud secus cogitauero quàm si quis Dorotheum aliquem appellauerit pro Theodoro, aut pro Nicodemo Dęmonicum, siue pro Demophilo Philodemum. Sicut Græci dicere solent σωματόφιλων καὶ φιλοσώματον. Ad hæc Simon ait, Certe id quod dicis nonnihil quadrat, sed exempla enumerando admodum breui fatigaberis propter aliarum linguarum inopiam, quæ ad Hebręam tanquam omnium linguarũ fontem cõparatę, pauperes sunt, et egestatis suæ impatientes, ut quæ & reliquarũ nationũ asciscãt idiomata. Nec enim plenũ numerũ accipiunt, nec compositionem utilem admittũt. Quapropter ars ista in alterius gentis sermonem traduci minime potest. Quod nisi uos pariter Hebraice peritos nossem, frustra hæc de Cabala quãtumlibet paucula uobiscum egissem, aut iam acturus essem. Sed propere, accedamus ad secũdam huius institutionis partem, quæ נוטריקון dicitur, id est, notariacum, quod est conuẽtum quoddam clam receptum inter Cabalistas, ut literæ singulariæ sine coagmentis syllabarum certa uerba designent, quemadmodum notarijs & actuarijs est in more, & quondam belli ductum furtiua scripta literis unicis incondite repositis arcana mentis protulerunt. Est adeo Probi grammatici commentarius, ut scribit Aulus Gellius, satis curiose factus de occulta literarum significatione: haud aliter forte in huius artificij prosecutione fit, quàm si qui paciscantur inter se Iod literam, propter indiuisibilis puncti figuram ineffabile Tetragrammaton, quod uulgo Dominũ interpretamur notare. Sicut & illud ipsum propter tres עליו נות, id est, summitates in decem numerationibus, quæ sunt una & eadem עטרה, id est, unum diadema tribus punctis signare solent. Aiunt enim Cabalistæ בי לסוד זה בותביו השם היודין בזה יְיָ, id est, Quod ad mysterium hoc scribunt nomen tribus Iod, uti hoc יְיָ, Vbi unicũ quatriliterum tribus unicis literis conscribitur, quod usu quotidiano approbatur. Fuit & quondam in diebus Antiochi Eupatoris, Iudas Mattathię filius, bellator nobilis, & dux belli pro legibus, templo, ciuitate, patria & ciuibus Iudæorum acerrimus, contra quos cũ iam Aotiochus & illius omnis exercitus irruerẽt, dedit Iudas angelo monitus cõmilitonibus suis, ceu belli tesseram hoc nobile signum מִכָּבִי, ut se quatuor his literis fortiter in

pugna

pugna exhortarentur, promittens quod futurum esset signum uictoriæ Dei, quod Iudæorum milites animo læto in uim magnæ consolationis acceperunt, & sub eo signaculo ualide pugnantes interfecerũt in castris Antiochi uirorum quatuordecim millia, & ingentem numerũ elephantorum, cum ijs qui superpositi fuerant. Quo factum est ut princeps belli Iudas sic antea dictus, deinceps ab omnibus Machabai cognominaretur, eò quod hi quatuor characteres syllabice ita sonarent. Cumq; tanta eius signi uirtute tot se crederent prœliorum uictores fuisse, admirati sunt tribuni militum & sapientes in Israël, rogãtes Iudam quonam modo tot triumphi sub hoc eis dato signo contigissent? & respondit Iudas Machabæus, in isto signo præsentiam esse Dei omnipotẽtis ineffabilis. Ostenditq; illa uerba Moysi Exodi 15. dicentis מי כמוך באלים יהוה id est, Quis sic ut tu in fortibus Tetragrammate. Hi nanq; quatuor characteres hæc uerba designant tanquam eorum initia, ubi Iod significare nomen Tetragrammaton plane deprehenditur, ac esse reuera מ כ ב י diuini nominis 72. literarum per æqualitatem numeri memorabile symbolum. Et commoti qui erant de Iudæ exercitu iterum pugnantes prostrauerunt, non minus triginta quinq; millia, ut scripta indicãt, præsentia Dei mirifice delectati, & patria uoce omnipotentem Dominũ Tetragrãmaton benedicentes. Hinc ergo intelligitis uerbum quoddam totum, per unam posse literam significari, uel si ea demum stet singulariter, uel uerbum quodlibet aliud collectiuè perficiat. Sicut tota dictio fertur integram pariter orationem notare, ut Danielis quinto מנא תקל פרסין, id est, Numerauit, ponderatum est, diuisum est. Quæ quidem hoc illi Nabuchadnezer repræsentarunt, Numerauit Deus regnum tuum, & consummauit illud. Ponderatum est in statera, & inuentum est deficiens. Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Aut igit̃ una dictio per literas disperſa plures efficit, aut multæ dictiones per certas earum literas retractæ unam colligunt, hinc ex multis unum & ex uno multa. Quod neutiquam mirum esse ostendit duorum monosyllaborum frequens usus, ut aiunt Maronem scripsisse in carminibus. Est et non cuncti monosyllaba nota frequentant, ijs demptis nihil est hominũ, quod sermo uolutet, ergo tota ferme omnium hominum colloquia, est & non, significant. Quamobrem in hac arte quis dubitare uelit una litera dictionem integram, & una dictione orationem extensam, atq; uersa uice similiter una oratione dictionem aliquam electam & intentatã notari posse. Vnde oritur occulta quædam & admirabilis epistolarũ technologia, quã sæpe imitatus ego, in grauibus periculis, & summo rerum discrimine lingua Germanica, per epistolam scripsi, quæ à Latino uiro in Thuscia uel Ethruria cognosci desiderabã, & conuerso more scripsi Latine, quod Alemanum hominem Latinitatis imperitum scire uolui. Accipiatis hoc uelim quicquid tamen illud est grato animo & sensibus imis res est non para-

ua diligenter reponatis. Vsu autẽ nobis ueniunt si rite operemur huiusce generis literæ quatrifariam, aut enim sumuntur ab initio uerbi ad aliquid aliud significãdum, ut in exorsu Geneseos חשמים יומ חששי ויכלו, id est, Dies sextus, & perfecti sunt cœli, ecce Tetragrammaton, aut à fine cuiuscunque, ut Psal. id est, לא בן חרשעים quæ transpositæ faciunt אמן id est, Amen. Hoc nanq; intelligi uoluit, Non sic impĩj, quoniã non dicẽt amen, idcirco in Gehennam mittentur: aut sunt quæ se offerant singillatim quælibet per integram dictionẽ una comprehensæ, ut Psal. 3. Multi insurgunt aduersum me. Qui sunt isti multi? Respondent Cabalistæ רבים sunt Romani, Babylonĩj, Iones, Medi: aut postremũ nõ relatiuè ad aliorũ uerborũ cõstitutionẽ destinãtur, sed earũ quælibet secundũ suæ proprietatis significationẽ sumitur, ut quãdo duorũ seculorũ mentio fit, futurũ seculũ Iod litera significat, & litera he seculũ præsens, uidelicet istũ mundũ, Geneſis 2. Istæ sunt generationes cœli & terræ בה בראם, id est, in he creauit ea. Nimirũ extrema scilicet hæc de literis consideratio, ad substantiã characteris attinet quo ad se, at nequaquã ad accidẽtalem relationẽ uti superiores tres, quantũ ad aliud. Sic enim iam hac destinatione significãt, uel iuxta grãmaticã institutionẽ res ipsas, positione prima oblatas, uel numeros arithmetica disciplina ordinatos, uel nõnullas rationes uerbis Magistrorũ nostrorum applicatas, uel deniq; omnem creaturã à prima causa profectã, & rursus in primã causam reducibilem. De primitiua positione literarũ ita monstrãt, q; Aleph sit uia seu institutio. Vnde Iob 33. Docebo, id est, instituam te sapientiã. Beth, domus, Psalmo 23. Habitabo in domo Domini, Gimel, retributio, Psalmo 116. Quia Dominus retribuit tibi. Daleth, ostiũ, fores uel ianua, Geneſis 19. Et propeerant, ut frangerent ostium. He, ecce, Genesis 47. Ecce uobis semina. Vau, uncinus retortus, Exodi 26. Quarũ erunt capita aurea. Sdain, arma, 3. Reg. 22. Et arma lauerũt iuxta uerbũ Domini. Heth, terror, Iob 7. Terrebis me per somnia. Teth, declinatio, per metathesim thet, Prouerb. 4. Ne declines ad dexteram & ad siniſtrã. Iod, confessio laudis, Geneſis 49. Laudabũt te fratres tui. Caph, uola, Ecclesiastis 4. Melius uola plena requie. Lamed, doctrina, Psalm. 143. Doce me facere uoluntatẽ tuam. Mem, aquæ, Esaiæ 55. Omnes sitientes uenite ad aquas. Nun, filiatio, Esaiæ 14. Filium & nepotem. Samech, appositio, Deuter. 34. Quia imposuit, hoc est, apposuit Moyses manus suas super eum. Ain, oculus, Exodi 21. Oculum pro oculo. Pe, os, Exodi. 4. Quis posuit os homini. Tzade, latera, Ezodi 25. Sex calami egredient̃ de lateribus eius. Kuph, reuolutio uel circuitus, Exodi 34. Redeũte anni tẽpore, id est, circuitu anni. Res, egestas, Prouerb. 10. Pauor pauperum egestas eorũ. Alĩj tamen hæreditatẽ interpretant̃. Sin, dens, Iob 4. Et dentes catulorũ cõtriti sunt. Thau, signum, Ezechielis 9. Signa Thau super frontes uirorum. Ista est literarum grãmatica expositio, quomodo solẽt rebus quibuslibet nomina impone-

re, uel

re, uel primitiua uel deriuatiua. Nihil ut arbitror, ab altiore speculatione alienũ, si quis figuratæ locutionis studiosus extiterit. Tũ Philolaus: Nos, inquit, oportet, ut cõijcio, senes elementarios fore, quibus denuo ferula sit opus. Nam interim multo studio ad alphabetum redacti sumus. Et Marranus: Certe repuerascimus, hæc est Philolae palingenesia tua illa Pythagorica. Quib. Simon: Nolite, inquit, respuere, magna profecto res est, & digna philosophis, si Platoni uestro creditis, minimeq; ridicula, ut in Cratylo Socrati uisum erat, cognoscere literas, non enim habemus quicquã, inquit, illo melius, quo de ueritate primorũ nominũ iudicemus, ἐπείπερ συλλαβαῖς τε καὶ γράμμασιν ἡ μίμησις τυγχάνει οὖσα τῆς οὐσίας, ὀρθότατόν ἐστι διελέσθαι τὰ στοιχεῖα πρῶτον, id est, quandoquidẽ syllabis & literis imitatio fit essentiæ rectissimum est discernere elementa primum. Vnde puto dicta sunt elementa quasi hylementa, hoc est, materialia, ex quibus minimis maxima fiunt, ut est illud Hesiodi, Si paruum paruo superaddas, & simul omne componas, magnus fors tandem fiet aceruus. Prouehere Simon, Philolaus ait, omnia enim uere dicis, nos hoc sermone cum tua uenia iocati simus. Tum ille, Ad disciplinæ arithmeticæ numeros trãsibo, qui literis Hebraicis designant̃. Nec enim est ulla in orbis terrarũ spacio alia lingua, cuius literæ quoslibet numeros tam perfecte ostendant. Conati sunt tamen nouicij Græcorum Iudæos imitari, ut & similiter alphabeto suo numeros exponerent. Sed erat necesse duas sibi figuras intercalare, tam sexti quàm nonagesimi, quæ quidem figuræ literaliter ex ordine alphabeti non sunt. Schemata enim duo hæc, ϛ ϙ figmenta sunt hominum nouorum imitãdi studio ductorum, cui rei testes Homericos libros citamus. Sane Romani paucos numeros literis explicant, de qua re Priscianũ Cæsariensem legistis olim ad Symmachum de numeris, ponderibus & mensuris scribentem. Faciamus itaq; numerorum quatuor gradus, quorũ primus est digitorum, secũdus denariorum, tertius centenariorum, quartus millenariorum. Primus gradus alphabeti figuris notatur ab Aleph ad Teth. Suntq; signacula nouem, singillatim numeros nouem referentia, ut אב גד הו זחט, id est, unum, duo, tria, quatuor, quinq;, sex, septem, octo, nouem. Secundus denariorum ordo, nouẽ quoq; continet alphabeti figuras יב למ נס עפצ, id est, decem, uiginti, triginta, quadraginta, quinquaginta, saxaginta, septuaginta, octoginta, nonaginta. Tertius gradus centenariorum, habet similiter nouem characteres, ק ר ש ת ד ם ן ת צ, id est, Centũ, ducenta, trecenta, quadringenta, quingenta, sexingenta, septingenta, octingenta, noningenta. Quartus gradus, est millenariorum, in quo reuertendum est ad priorum numerorũ figuras, quanquam esse debent, statura grãdiores, ita ut dicat̃ magnũ Aleph, quasi aleph latũ, & pronunciatur per patha secundũ a Italicũ. Sic beth magnum quod duo millia significat. Inde usque ad nouem millia, demum Iod magnũ decem millia, quo in ordine quidã pro statura solent figuras apicibus

notare.

notare. Deinceps non figuris utuntur, sed uerbis רבו רבותים, id est, mille millia, bis mille millia, & reliqua. Viam istam alphabeti numerorum, maximopere sunt amplexi Cabalistæ, qui dicũt annorum duo millia, initium præcessisse, antequam hic mundus fieret. Eò quòd ante ראשית, id est, initiũ scriptura ponit Beth magnum dicens, בראשית Ita sapientes nostri exponunt eum locum Prouerb. 8. Dominus possedit me initio uiarũ suarum, antequam quicquam faceret extunc. Quicquid uero millia transgreditur, infiniti loco habetur. Nam finis numerorum in sacris millia sunt, ut cum uellet Dauid infinitatem precij ostendere Psalmo 119. dixit: Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti, hoc est, sine numero. Tertiam nunc speciem substantiæ literarum breuissime recensеamus, quæ ad aliquas Magistrorũ Nostrorũ intentiones referunt, ut aleph beth illis significat prudentiam, & gimel daleth remunerationẽ pauperum, & Mem, id est, Meamar uidelicet sermonem apertũ, & sermonẽ occultũ, & sic de alijs, quæ paulo inferius recitabimus, Thalmudicis tamen usu frequentiora. Quarta earum literarũ species cõsistit in rebus conditis atq; creatis omnibus, maxime quidem utilis Cabalæ studiosis, quo facilius creaturas reuocare iu creatorẽ possint, id quippe quod illius disciplinæ maximum est & singulare studiũ. Literas igitur in suum quasq; ordinem locabo, ut elementa singula singulariter cognoscatis, atq; ut sic incipiam. Ab aleph usque ad Iod ordines siue chori angelorum significantur, quos intelligẽtias separatas & formas liberales incorporeas, & insensibiles philosophi appellant, progressas & deriuatas à uirtute Dei, qui formam non habet, neq; imaginem neq; similitudinẽ. Dixit enim Esaiæ 40. Cui assimilauistis me, & adæquabor. Et paulo ante: Cui ergo similem fecistis Deũ? aut quã imaginem disponetis ei? Cæterũ mansio ista nominat, עולם המלאכים id est, seculum angelorũ, siue mundus angelicus. Deinde à litera Caph ad literã zade, cœlorũ ordines designãtur, qui Dei creatoris uirtute donati ab angelorũ influxu dispensantur, & uocatur עולם הגלגלים id est, seculum orbium seu sphærarũ. Porro à zade ad Thau, interueniunt quatuor elementa cum suis formis, & simul omnia mista, tam uiuentia q̃ nõ uiuentia, quæ Dei uirtute pendent, quibus influit esse & uiuere, ut est in Esaia: Creans cœlos & extendens eos, firmans terrã & quæ germinãt ex ea, dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam, seu ambulantibus in ea. Diriguntur autem ab influentijs angelorum & sphærarum, atq; totum id uocatur עולם חיסורות id est, seculum elementorũ, & in eo est homo qui appellatur עולם הקטן id est, seculum paruũ, quod Græci dicunt μικρόκοσμος, hoc est, minor mundus, seu rectius paruus mundus. Nam in homine ipso relucent omnium creaturarum proprietates summarum & infimarum. Hæc forte utilius memoriæ repetemus, si quorum nam literæ singulæ perhibeantur esse symbola demonstrabimus, rem sane iucundam, & antiquissimis

mis authoribus celebratam, ne sint futuri aliquando, qui hanc artem, ut tenuem ac ieiunam cauillentur. Est igitur Aleph nota summarum & altissimarum rerum, quæ primo effluxu diuinæ bonitatis subsistunt, utputa angeli, qui dicuntur חיות הקדש haioth, id est animalia sanctuarij, uel potius uitæ absque medio subter Deum. Hi angeli uirtute Dei, proxime inferiores purgant, illuminant & perficiũt, quæ communi uocabulo, illorum dicitur influentia Beth secunda litera secundum significat ab ipso Deo gradum angelorum, qui dicuntur אופנים Ophanim, id est, formæ seu rotę, ac secundo loco deriuantur à Dei uirtute per intelligentiam priorem, & ipsi à Deo quoque inferioribus influunt. Dixere simul etiam sapientes, quod Beth sit nota sapientiæ. Gimel repræsentat ex essentijs superioribus angelos, qui dicuntur אראלים Aralim, id est, angeli magni, fortes & robusti, qui descendunt ordine tertio à diuinæ maiestatis bonitate, illuminãturq; uirtute Dei per intelligentiam secundam, & ipsi pariter inferioribus influunt. Daleth symbolum est emanationis quartæ apud superos eorũ qui dicuntur חשמלים Hasmallim, & in uirtute Dei per medium intelligentię tertiæ influũtur, & illa uirtute inferioribus influunt. He litera designat entia superiora quintæ ab ipso Deo emanationis, quæ sunt שרפים Id est, Seraphim, & influuntur de uirtute Dei per medium intelligentiæ quartæ, ac eadem uirtute inferioribus influunt. Vau notat essentiam supernorũ emanationis sextæ, qui dicuntur מלאכים Mallachim, id est, angeli, & influuntur de uirtute Dei per medium intelligentiæ quintæ, ac eadem uirtute inferioribus influunt. Zain signaculum est spirituum beatorum superiorum emanationis septimæ, qui nominant̃ אלהים Elohim, id est, dij, & influuntur de Dei uirtute, per sexti ordinis angelos, ac eadem uirtute inferioribus influunt. Heth signũ est superorũ emanationis octauæ, & sunt angeli qui uocantur בני אלהים Bne Elohim, id est, filij Deorum, de uirtute El per angelos septimi ordinis infulsi, ac eadem Dei uirtute inferioribus influentes. Teth nota est angelorũ emanationis nonę, qui uocant̃ כרובים Cherubim, & influunt̃ de uirtute Dei per mediũ intelligẽtiæ octaui ordinis, & eadem uirtute inferiorib. influũt. Iod litera decima significat essentiam intelligentiarum emanationis decimæ, appellantur autem אישים, Isim nobiles & patricij, suntq; omnibus hierarchijs inferiores, & Dei uirtute illustrantur per nonum chorum, eademq; uirtute influunt filijs hominũ cognitionem & scientiam rerũ mirificamq; industriam. Vnde dicunt̃ qui tali sunt prędi ti facultate filij איש Id est, homines nobilis intelligentiæ de quibus Psalmo 49. Quicq; terrigenæ & filij hominum, quod proprie sic legitur, tam filij plebei quàm filij patricij, quasi diceretur, tam aggrestes quam nobiles. Eam denominationem ab hoc intelligentiarum ordine sumimus nos ipsi. Est enim in nobis intellectus agens summa pars animæ quam Aristoteles νοῦν, hoc est mentem appellat, quæ nobis sola deforis aduenit. Inde proce-

dunt

dunt uisiones prophetice ac omnia magna & sancta, uocatur autem שכל הפועל quo finitur mundus angelicus. Sequitur Caph, ea litera designat primum mobile ab ipso El Sadai tanquã à causa prima immediate, licet per rationalis uitæ spiritum cõmunicatiuè motum, qui est angelus Metattron, & dicitur intellectus agens mundi sensibilis per penetrationẽ formarũ inferioribus omnib. uiã præbens, quare influit uirtute diuina in omne quod est mobile. Chaph finalis, significat, girum stellarum fixarum, quæ sphęra octaua nominat quantũ ad nos, sed quo ad superiora est orbis secũdus in duodecim zodiaci signa diuisus, quæ nos מזלות appellamus, influiturq; de uirtute Dei per mediũ intelligentiæ ipsius Caph, similiterq; inferioribus influit. Lamed est signũ primæ sphæræ planetarum, & dicũtur לבת quasi ambulones, quos Latini errones appellant, instar Græcorũ, qui ob id eos asserunt esse πλανήτας. Diciturq; orbis septimus Saturno attributus, quem שבתאי nuncupamus, influit & influitur. Mem apertum notat sphærã Iouis, qui à nobis צדק nominatur, & à uirtute Dei per medium intelligentiæ superioris influitur, eademq; uirtute inferioribus influit. Mem clausum est symbolum sphæræ Martis, quem appellamus מאדים orbis quinti, & uirtute Dei creatoris influitur per angelum proxime superiorẽ, & eadem uirtute inferioribus influit. Nun significat luminare maius, quod uocat שמש id est, Sol, & eius sphæra dicit orbis חמה influitq; à Deo per mediũ intelligẽtiæ sextæ, qua & influit in inferiora. Nun finale sphęrã indicat Veneris, quæ à nobis uocatur נוגה Noga, & Dei uirtute constat, influitq; mediante intelligentia septima. Samech est symbolum cancellarij, qui dicitur כוכב Cochab, & Latinè Mercurius, influitur aũt uirtute Dei à superioribus, eademq; uirtute inferioribus influit. Ain est nota sphæræ Lunæ, quæ à nobis dicitur ירח Iareah, & apparet quasi oculus siniſter mũdi. Estq; inter astrifera ultimus orbium, & propter albedinem quandoq; nominat לבנה Cuncta hæc facultati astrologicæ committimus. Pe significat animam intellectualem, singularem & uniuersalem, & dirigitur ab intelligẽtijs separatis quib. infunditur à Deo tam in sphæris q̃ in stellis, & in omnibus animatis superioribus & inferioribus sphærarũ & elementorum. Pe finale denotat spiritus animales, qui diriguntur ab intelligentijs superioribus de uirtute atq; mãdato Dei. Zade symbolizat materiam tam cœlorum quæ est intelligibilis, quàm elementorũ quæ est sensibilis, omniumq; mistorũ. Diriguntur aũt uirtute diuina per intelligentias separatas, & per formas proprias. Zade finale monstrat elementorum formas, quæ sunt ignis aër aqua terra. Et reguntur diuina uirtute per angelos, qui dicuntur אישים Isim, & uirtute cœlorum, & uirtute materiæ primæ, quæ est fons & origo cunctorum elementorum. Kuph est symbolum inanimatorũ & mineralium, & eorum quę dicunt elementata & mista. Diriguntur aũt uirtute diuina per sphæras cœlestes & intelligentias separatas, quæ uocant אישים isim.

Et in-

Et influunt inferioribus in regione quatuor elementorum. Res significat omnia uegetantia fructus & fruges ac terræ nascentia, influunturq; uirtute Dei à corporibus cœlestibus & intelligentijs separatis nomine אישים itēq; complexionibus elementorum. Sin designat omnia sensitiua tam reptibilia terræ ac progressiua quàm aquarū pisces & aëris uolucres simul, & quæcunq; irrationalia uitalem motū habentia quæ uirtute Dei reguntur à corporibus cœlestibus & intelligētijs, quas uocamus אישים & complexionibus elementorum. Thau est symbolum hominis naturæ humanæ, quæ est perfectio & finis omnium creaturarū, dirigiturq; à Deo complexionibus ac qualitatibus elementorum iuxta influentias cœlorū & per officia peculiaria intelligentiarum separatarum אישים Isim, qui sunt angelicæ cōditionis, & sicut sunt finis ac consummatio in mundo angelorū, ita est homo finis & perfectio creaturarum in mundo elementorum, quin potius in mundo uniuersorū, constitutus est enim ex duobus mundis, sicut scriptum est: Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ & spirauit in faciem eius spiraculum uitæ. Tractantur hæc uberius à nostris maioribus quorum posteris nobis clare apparet erga sacras literas ardentissimus amor, qui de omnibus etiam minutissimis rationem reddere studuerunt. Verbi causa, De Aleph scriptum est in lib. חבחיר id est, de Candore, ubi sedit Rabi Amorai & disputauit, quare Aleph ponatur in capite alphabeti? & respondetur, qnia fuit ante omnia, quinetiã ante legē, quod de Rabi Rahumai eius libri authore commemorat Mnahen Racanat in distinctione Geneseos prima. Iterū autē quam ob rem proxime sequatur Beth, certe quia fuit legis initium. Et quare Gimel non sit nominatum gidel, cū in sacris literis præponatur גרל & sequat גמל Gen. 21. ubi scribitur ויגרל חילר ויגמק Talia & his paria scrutari certe nō sunt dedignati sapientes uiri. Quanquam sunt etiam aliquo numero qui breuitatis causa, reddere aliquorum rationes ptætergressi, tantū scripsere quæ simpliciter ad rem attinent, quoniã semper ad sublimiora omni diligentia & studio conati sunt properare, ut Rabi Iacob Cohen in lib. cui titulus est מירוש חשם הקרוש id est, expositio nominis sancti. Nã de alphabeto strictim sic dicit, Aleph אויר Beth חיים Gimel שלים Daleth חבמה He ראיה Vau שמיעה Zain מלאכה Lamed עישר Caph משכב Iod לעיטה Teth שיחה Heth חיחח Mem מים Nun חלוב Samech רוח Ain שחוק Pe ורע Zade הרחור Kuph שינה Res חן Sin אש Thau ממשלה ac si ea enumerasset ijs uerbis, Aura, uita, pax, sapiētia, uisus, auditus, odoratus, locutio, infusio, cubatio, opes, negociū, aquæ, meatus, spiritus, risus, semen, suspitio, sopor, gratia, ignis, potestas. Hæc & eiuscemodi reliqua quæ audistis ex patrum monumentis quātum potui breuissime decerpsi, ut uobis uel aliquā degustationem literariæ professionis exhiberem. Scripsit enim de ijs non negligenter insignis author Rabi Akiba, quem imitati sunt ex nostris homines literatissi-

mi, quos multò digna mur honore. Dixerunt enim, quod in expoſitione alphabeti latēt multi ſenſus. Et Rabi Abraham Aben Ezra de hoc in libro qui præſcribitur סוד התורה, id eſt, de Myſterio legis ita inquit רחאמת בי טוב הוא למשכיל שילמד מואת החכמה id eſt, Et uerum eſt quod bonum ſit hoc, ut intelligatur, quia diſcitur ex eis ſapientia. Non ut omni tamen uitæ noſtræ tēpore in literatoria laboremus arte, ait ipſe, ut dies ac noctes in uoluminibus Rabi Iuda torqueamur, qui primus fertur Hebræis grammaticus eſſe, uel in illis uiginti libris, quos de inſtitutione literaria Marinus cōpoſuit, uel quos Samuel Nagid eadē de re duos & uiginti edidit. Hucuſq; Abraham Aben Ezra, nec fruſtra ſenſit ita homo prudentiſsimus & literarū peritiſsimus, ad maiora enim & altiora nati ſumus. Dixi modo, quę ad ſubſtantiā literæ pertinent conſiderationes quatuor, nunc mea opinione terminandum eſt id quod de accidentali relatione literarum agere dudum cœpimus, & נוטריקון, id eſt, notaria con appellatur, qua in parte id conſideramus, quæ litera quam dictionem ſignificet. Habet aūt tres quoque ſpecies. Cum enim ſignaculum aliquod ab initio dictionis accipitur, & ut fieri ſolet apicibus in ſublimi notatur, iam ראשתיבה id eſt, caput dictionis nominatur, atq; de more ita ſcribitur ר׳ת. Quando item ſumitur à termino & fine uerbi alicuius propoſiti, tūc סוף תתיבה, id eſt, finis dictionis cognominatur, quod conſueuerunt figurare hoc modo ס׳ת. Sin autem à ſingulis uerbi cuiuslibet literis notæ ſingulæ deducūtur, id tunc generali uocabulo notaria con appellamus. Ad hęc Philolaus ait: O noſter Simon, quàm ſunt hęc externis hominib. arcana & recondita. Tū ille: Multo forte occultiora, inquit, oſtendam uobis in hac tertia Cabalæ parte, quæ תמורה nominatur, ubi mutua fit literę pro litera poſitio, & toties fit quoties alphabeta permutātur. Permutantur aūt iuxta numerū literarū bis & uigeſies, quia uiginti duas legimus Iudæorū literas, ſemperq; binis quibusq; literis coniugatis licebit alteram ſumere pro altera, & ea combinatio dicit יצירה ut ſi ex iſtis ſex literis alphabeti Latini a b c d e f cōtinuo binas & binas coniugauero, quatenus ſub iugo primo ſint a b, ſub ſecundo c d, ſub tertio e f, uelimq; per epiſtolam huius artis peritum aliquem hortari, ut ſupplicaturus principi, cadat ante pedes eius Sic ſcribo, dbcf, quod ille intelliget Cade, ita & de alijs. Totum hoc opificium euenit ex alphabeticaria reuolutione, ut ſuccedat mutuo litera pro litera proprio ſibi iugo cōbinata, ſcilicet uiciſsim a pro b, & b pro a, ſimiliter c pro d, & d pro c, itemq; e pro f, & f pro e. Quod facilius in Hebraicis nullo quidē obſtante procedit, quia uoces quas Latini uocales nominant, non ſunt in ordinem alphabeti Iudæorum repoſitæ. Priſca igitur ætate motus inde pater noſter Abraham dixit, ut in libri Ietzira cap. 2. legitur. Aleph cum omnibus, & omnia cum aleph, haud ſecus atq; Beth cum omnibus, & omnia cum beth, & ita de ſingulis. Quare, ut exemplo id fiat manifeſtius, uiginti duo alphabeta producam in

medium,

medium, quæ in eodem creationis uolumine Abraham scitè admodum & utiliter ordinauit.

אל בת גש רר חק וצ ום חע טס יג במ
אב גת רש הר וק וצ הם טע וס בג למ
אג רת חש ור וק חצ טם יע בס לג במ
אר בג תת ומ ור חק טצ ים בע לס מג
את בר ות וש חר טס יצ כם לע מס גג
אי בח גר ות חש טר יק בץ לם מע גס
או בו גת חת טש יר בק לצ מם גע רס
את בו גי רת טת יש בר לק מצ גם סע
אט בח גו רו ית בש לר מק גצ סם חע
אי בט גח רז חר בת לש מר גק סצ עם
אב בי גט רח חז לת מש גר סק עצ רם
אל בב גי רט חח וז מת גש סר עק פצ
אמ בל גב רי חס וח גת סש ער פק וצ
אג במ גל רב הי רס וח סת עש פר צק
אס בג גמ רל חב וי ז ט עת פש צר חק
אע בס גג רמ חל וכ וי חט תָּ צש קר
אם בע גס רג חמ ול זכ חי טת קש צר
אצ בם גע רס הנ ומ ול הב טי קת רֹשׁ
אק בצ גם רע חס נג זמ חל טך רת יש
אר בק גצ רם הע וס זג חמ טל יכ שת
אש כר גק רצ הם וע וס הג טמ ול בת
את בש גר רק חצ רם וע חס טג ימ כל

Elementorum hęc uiginti duorum commistio nequaquam erit rustice ac indocte intelligenda, omnia enim spiritus sunt. Sic in libro Ietzira scribitur: Et sculpsit cum illo spiritu Deus uiginti duas literas, tres matres, septem duplices, & duodecim simplices, & quælibet illarum est spiritus, ad contemplandum itaq; spiritualiter ingenti cum gaudio, nobis tradita hęc sunt, non ad obloquendum, non ad irridendum, sed pia fide mysteria scripturarum amplexandum. Credentes enim literis, facilius altiora speculamur, & abscondita confidimus in literis reperire posse, quasi Dei sermonem in medio caliginis, qui dixit ad Moysen: Ecce, ego uenio ad te in densa nube, ut audiat populus cum loquar tecum, quin etiam בך id est, uiginti duabus credent in perpetuum. Oportet nanq; Cabalistam non aniliter sed fortiter credere, & quæ sunt patrum mandata literis, singulari amore, ac animo iucundo, lætoq; recipere cum gaudio & fiducia, ut Psal. 70. Exultent & lætentur בך Id est, uiginti duabus qui quærunt te: Nam duas & uiginti literas scitote fundamẽta esse mundi & legis, ut copiose in libro tractatur Horti nucis secũdo, quẽ uel legistis uel legitis. Tum Philolaus, Certe ait tales libros nec legi nec uidi unq;, qui etiã non parua usq; huc o-

pera ubi nam laterent scrutatus sum. Et Marranus. Nescio, inquit, quo pacto illiusmodi librorũ tanta Iudæis parsimonia sit, ut ne amico quidẽ eos liberaliter cedãt, aut quocunq; tamẽ ære uendãt. Tunc Simon, Statutũ nobis est, inquit, arcana legis non dari peregrinis sed לירעץ חכם Id est, Cõsiliario sapienti. Nõ domestico etiam consiliario tantũ, nec sapienti modo, sed simul cõsiliario sapiẽti, qui non sit extraneus, & non sit indoctus. Nec id ægreferatis uos obsecro. Sæpe nanq; imminentis periculi causa in tam diuturna dispersione cõstitutis nobis conuẽtus patrum solicitus prouide statuit בדת שהוא ברח ממה שנפל בו באחרונה id est, Ea lege ut ipse fugeret ab eo, in q̃d cecidit posterius, Moyse nostro Ægyptio authore, qui causas enumerat, & recitat euenta in cap. 61. lib. 1. Perplexorũ. Sed spero uos hæc & alia nostræ gentis boni consulere, quare ista disputatione dimissa partẽ artis Cabalisticæ tertiã prosequar. Accepistis de combinationibus literarũ ducentis & quadraginta duabus permutationes coniugationum ducẽtas triginta unã, pręter Alphabetũ uulgo consuetũ, cuius tamẽ binas quasq; suo ordine literas pariter etiam cõnectere ad mutuas uicissitudines solẽt. Rem uulgo exilẽ ac forte prima specie imperitis contẽptam, sed quę tamẽ ueniat plurimũ exaltanda hominibus. Vt legit̃ Psal. 12. ברם ולות לבני אדם Id est, Exaltãdo despectiões filijs hominũ. Ad q̃d ibi citat Rabi Salomõ id q̃d dicit̃ à Psalm. Lapidẽ quẽ reprobauerũt ædificãtes, factus est in caput anguli. Vos equidẽ oro haud negligenter considerare quod non frustra scriptũ est ברם nam de גמטריא Cabalisticè significat ducẽta & quadraginta duo, tot em̃ sunt cũctæ superius descriptæ cõbinationes, & ex illis unã & triginta ducẽtasq; uariationes decẽti honore ueneremini. Omnia em̃ ex illis oriunt̃ quę sunt, & quæ dicunt̃, de ijs nanq; Ianuis quas appellãt, pater noster Abrahã ut est in libro Ietzira dixit ונמצא כל הדבור וכל היצור יוצא מהן Id est, Et existit omne dictũ & omne creatũ ꝓgrediẽs ex illis, quæ quidẽ nobis illorũ adminiculo facile possumus in nostrã ordinare salutẽ, quoniã reducendi sumus per omniũ rerũ creaturarũ cõsiderationẽ in unius creatoris pro humana uirili cognitionẽ, quæ est salus nostra & uita æterna, hoc fit à Deo per nomẽ suũ rursus in deũ. Ipse est ipsemet nomẽ suũ quatriliterũ in secula seculorũ semper benedictũ, q̃d ostenderat Psaltes cũ aiebat: Et cognoscẽt q̃d tu es nomẽ tuum Tegrãmaton solum tibi supremũ super omnẽ terrã. Idcirco solũ hoc nomen dicit̃ Sẽhamaphores, id est, nomẽ expositoriũ essentiæ Dei. Cuius experimentũ sumitur de prima huius artificij parte. Aliud est Dei nomen in istius locum succedens, quod duodecim literis scribit̃, eiusq; ratio de secunda parte recipiet̃. Aliud præterea nomen est, quod in hac Cabalæ tertia parte cõmodissime tractat̃. Nomen 42. characterũ. Non quod unius nominis una prolatio quadraginta duabus literis constet. Notum enim est apud quẽlibet intelligentẽ, ut docet Moyses Maimoni, qnod unum nomen inueniri nequeat

ri nequeat usquam tot literis scriptũ. Sed plura sunt nomina inter se & in se ipsa cõplexa, ex multis literis aggregata, quæ ducãt Cabalistam per quasdã rationes occultas ad ueritatẽ cognitionis Dei Tetragrãmati יוד ה וו ה quod similiter arithmetice 42. significat. Huiusmodi 42. characteres per talia nomina sic coniuncti dicunt̃ unũ nomen, eo quod finaliter solum unam rem significant: quemadmodũ econtrario alia nomina cõposita & collectiua sæpe cõpluria sunt unicè significãtia. Potuit igitur in præsentiarũ contingere, quod ratio illa qua intellectus noster duceret̃ in Deum nequiuerit, nisi multis & literis & uerbis explicari. Nec id mirũ, quoniã per multos et diuersos riuulos solẽt ingeniosi opifices scaturiginẽ inuestigare. Ita de fontis sui abysso emanare fecit Deus cũctas res, & ad infinitã uoraginẽ refluere להוציא דבר במאמר ומאמר בדבר עד להעמיד כל הדברים במעין הש השלהבת והשלהבת במאמר במעין אין חקר ואין מספר לאורה המ העלמת בתוספת החשך המסותרת בכלל ארבעים ושתים אותיות. Hæc sunt uerba contemplantissimi doctoris Hamai in libro העיון, id est, Speculationis, ad quæ utiliter allegat ipse ספר מעין החכמה id est, librum Fontis sapientiæ, quanquam uir tam integer testimonio non eguisset. Iam tentabo si ea Latine interpretari ualeam, ita saltem ne quid sententia detrimenti patiatur. Vt produceret, inquit, rem in uerbo, & uerbum in re, quousque restitueret omnes res in fontem resplendentiæ, & resplendentiam in uerbum, tanquã fontem, cuius nec terminus sit, nec numerus, ad lucem inaccessibilem agmento tenebrarum reconditam in uniuerso quadraginta duarum literarum, hucusq; Hamai. Appellant aũt hoc tam uenerandũ & colendum nomen duabus & quadraginta literis designatum præstantissimi sapientum, quorum memoria in benedictione est, קדוש ומקודש, id est, sanctum & sanctificatum. Ideoq; per alphabeticæ reuolutionis commistionem rudibus & indignis occultatum, atq; tantum sanctis contemplatiuam uitam agentibus ex alphabeticaria combinatione per Hieremiam est reuelatum, qui sæpe legere solebat in libro Ietzira, ut reperitur scriptum בספר בטחון id est, in libro de Spe, cuius author est Rabi Iuda, qui composuit illum. Cumq; Hieremias librum Ietzira multum & sæpe nocturna uersaret manu atq; diurna, uenisse ad eum בת קול, id est, filia uocis dicitur, quæ iuberet illum tribus annis uolumini eidem insudare. Post itaq; annorum trium finem quando iam ei placuit characterum coniugatio & tractatus, ut operaretur in eis, mox sibi atq; sodalibus creatur homo nouus, & in ipsius fronte scriptum erat יהוה אלהים אמת, id est, Tetragrãmatus Deus uerus, tum sentiens ille homo nuper creatus scripturam in fronte, haud ultra remoratus est, quin subito citata manu primam dimoueret ac adimeret literam in אמת, quæ est Aleph. Ita manebat reliquum his uerbis יהוה אלהים מת, id est, Tetragrammatus Deus mortuus. Ob quam rem Hieremias indignatione perculsus scidit uestimenta sua, & dixit ei: Quare tu deponis Aleph

ab Emeth, qui respondit, quoniam defecerunt ubiq; à fidelitate creatoris, qui uos creauit ad imaginem & similitudinē suam. Dixit Hieremias: Quomodo igitur apprehendamus eū? Respondit ille בתבו האלפבביתוה למפרע באוהו העפר הנזרק בבונות לבבכם id est, Scribite alphabeta ad spacium in hunc puluerem dispersum, iuxta intelligentias cordium uestrorum. Et fecerunt ita. Et factus est ille homo in horum conspectu puluis & cinis, atque sic disparuit. Quare Hieremias se tunc ab ipso Deo uirtutes & potestates alphabetorū & elementariarum commutationū recepisse asserebat, nam dispositionē cōiugationis de libro creationis ante nouerat. Inde ad posteros alphabeticaria hæc Cabala, id est, receptio transmigrauit, per quam arcana diuinorum maxima panduntur. Cum enim per omnes literarū combinationes nomen illud magnum & pro uiribus maximis extollēdum ab ultimo ad primum circumduxerimus, tum se nobis diuina eius notitia liberaliter ostendet, ac uoluntati nostræ suas facultates offeret, clementerq; subijciet, si nos inuenerit dignos, atq; animi puritate, fidei synceritate, spei firmitudine, amoris ardore præditos & munitos. Noluerunt enim patres nostri, ut Rabi Tarphon, Rabi Moyses Ægyptius, & Rabi Hamai, cæteriq; scripserunt, secūdum præcepta Magistrorū Nostrorum illud nomen cuiquam mortali ostendere, nisi admodum digno. Sic enim dixerūt, quod non tradatur nisi humili, & ei qui stat in dimidio dierum suorum, nō iracundo, nec ebrioso, nec prauis morib. fœdato, sed uiro pacifico, & qui suauiter loquatur cum creaturis, & qui custodiat illud cū munditia, talis enim dilectus est sursum & circa nos desideratus deorsum, & timor eius cadit super creaturas. Vt uero nomen illud uobis patefaciam more Cabalistarum, primo partiar 42. literas in septē uerba, deinde quodlibet uerbum in duas dictiunculas, quarum singulæ contineant iuxta idioma linguæ Hebraicæ ternas literas. Facta igitur multiplicatione arithmetica dicendo sexies septem, erūt quadraginta duo scilicet, literarum eius nominis collectio uniuersa, quam inspectioni oculorum uestrorum hoc charagmate subijcio sic שגת במא שגתתבע מיתאצב ימיפתא צתגהפץ תגתצמא צאצפפש Equidē hoc in uersu dum quotasquasq; literas comprehendero, confestim mihi altera pars dictionis unius è septem quæuis disyllaba nascitur. Vna enim quæq; huius tam preciosi nominis dictio sex constare characteribus dignoscitur, tamen Hebraicis tantum, non autē alterius linguæ. Nam Latinè pluribus erit opus, ut Sagathbama, Sagaththechaz, Miathazab, Iemibatha, Zethaghaphaz, Thegazama, Naazpapas, quæ in antiquorum uoluminibus inueniuntur usq; hodiernum in diem Romano sermone peregrina & incognita, sed nō idcirco despicienda quod dura sunt & barbara. Nemo enim tam lippis oculis in aspectu sacrorum utatur, ut recondita cōtemnat, nemo auribus in audiendo diuina tantas delicias indulgeat, ut solum ea uenerétur, ea laudet, ea sequatur, quæ sensibus sint iucunda, oculis amœna tactu mol-

ctu mollia, & uoculatione blãda. Sed spiritalia capessat magis q̃ corporalia, & constantia magis quàm leuia, uera q̃ magis q̃ fucata. Enimuero sæpe aspera & horrida præcedent Dei præsentiam. Recordamini quæ contigerunt Eliæ prophetæ, cum in monte Dei Horeb intra cauernas & in specu lateret, nonne dictum erat ei sic: Ecce Tetragrammatus incedit, & flatus grandis atq; fortis subuertens montes, & discindẽs ac eõterens petras ante Tetragrammaton, non in flatu Tetragrammatus, sed post flatum commotio, & non in commotione Tetragrammatus, sed post commotionem ignis, Non in igne Tetragrammatus, sed post ignem uox submissa tenuis, & in illa uoce locuta est ad eum gloria Tetragrammati, quę nominat כבוד. Ita uos post desertum horridum & senticosum, post montẽ & petras, post flatum & terræmotum, post ignem, post uocem in ipso cauernarũ & specuum uestibulo dimissa occupationum secularium multitudine, audietis gloriam Dei ad uos loquentẽ: Quid uobis hic? Pergite ultra, ut extat enarratum 3. Regum 19. Igitur non hic standum est, sed reuertendum nobis cum Eliha propheta in uiam nostram per desertum, hoc est, per has hispidas barbaricarũ connexionum reuolutiones & perplexas uepres in uiam sacrę atq; canonicæ scripturæ, uiam uere nostram, quæ est ueritas eloquiorum Dei, ut ungamus regem in Syria, qui ab unctione dicitur Messiha. Tantis per nanq; per coniugationes duorum & uiginti alphabetorum ambulabimus, dum ad supremum atq; primum alphabetum uigilanti sollicitudine ac indefessa diligentia uentũ fuerit. Oportet enim nos artificiose per singulas combinationes tam diu discurrere quousque uox Dei pateat, & apertus se nobis offerat sacratissimarum scripturarum textus. Illa nempe uox Dei, omnibus alphabetis à primo ad ultimum, uidelicet uigesimum secundum, uirtutem suam & ualorem largiter impluit, ut combinationes aliquanto maiorem efficaciam quæ reputantur, non significatiuę, quàm nomina primario significatu præstẽt, ueluti radius solis fortius quidem urit quàm sol ipse unde manauit. Hinc illud extat Mirãdulani Comitis in Conclusionibus, ubi sic ait: Quælibet uox uirtutem habet in Magia in quantum Dei uoce formatur. Præsentis ergo nominis quadraginta duarum literarum uirtus, operatio, uigor, efficatia, complementum, & perfectio, à Dei uoce pendet, quam intendimus per omnes omnium alphabetorũ connexiones & retia uenari, donec septem nomina quadraginta duabus literis comprehensa usquam in scriptura sacra cõperire queamus. Verbi causa. Si quærant ex primo & uigesimo alphabeto, similiter septem uerba, quæ possint uel ullius diuinæ scripturæ uersus esse symbola, reponantur mihi salua, ut sunt memorata superius. Itidem ex ipso & uigesimo, adhuc autem & decimo nono & eodem modo deinceps omnia percurrendo usq; ad primum, quod à suo exordio, ceu reliqua nomen accepit ut diceretur אלבת, id est, Albath, cuius ex combinatione hoc mutuemur exem-

plum תרל גנב תרל לאק גבל בקג בנב צלב קלר וצק לרי קנג קבק צצת quod simul etiam est nomen diuinum quadraginta duarum literarũ ex primo alphabeto libri Ietzira permutato receptum. Sola nanq; permutata, & trãsposita pater noster Abraham in eo creationis lib. posuit, cũ non dubitaret alioqui uulgarij alphabeti rectũ ordinẽ cunctis esse notũ. Solent autem & hunc pari modo cõbinare dicentes אב גר ut Rab Hamai docuit in libro illo de Speculatione, nomenq; describit quadraginta duarum literarũ, etiam ex eadẽ sua cõbinatione productũ sic אקבתטש אקבבבבו טנבשות נטנהבש ובקפהו בקפוטש ושוההא quod similiter, ut cætera Deum benedictũ iuxta suam proprietatem symbolice significat. Sicut enim quatriliterum ineffabile notat Deũ ut est super omne esse, & Ehieh repręsentat Deum, ut est in omni esse, & Adonai Deum, ut est omnium dominator, & Sadai, ut nullius eget, ita pari modo 42. literarũ siue recipiatur ex transpositis seu rectis combinationibus quodlibet designat Deum, quatenus est creator cœli & terræ, uisibilium omnium & inuisibilium. Quamobrẽ ista uiginti tria nomina diuina, quorum quoduis quadraginta duabus figuris pingitur, singula secundum uiginti trium alphabetorum ordines dicuntur è duobus sacræ scripturæ primis uersibus: In principio creauit Deus cœlum & terram, terra aũt erat inanis & uacua. Incipiendo à prima litera Beth, & in ultima Beth litera terminando, quæ cum sic Hebraicè legũtur, ut sunt à spiritu sancto dictatæ, quadraginta duas figuras absoluunt, semper ponentibus nobis literam pro litera sub uno & eodem combinationis iugo. Inueniuntur & alij Cabalistæ sublimius speculantes, qui transcendunt creationem & creaturas, & in sola deitatis emanatione persistũt, quam sancte per nomen sanctum 12. characterum, & per nomẽ 42. literarum dignissimis, & Deo deuotis hominibus sub fido silentio largiũtur receptũ & scriptum בספר אגרת הסודות, Id est, in libro epistolæ secretorum, ubi ad quæstionem Antonini Romani de sacrosanctis nominib. respõdit Rab Hakados, quod ex Tetragrãmato fluit nomen 12. literarũ אב בן ורוח הקדש, id est, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ex quo deriuat̃ nomẽ quadraginta duarum literarũ, quod ita pronunciat̃, אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה id est, pater Deus, filius Deus, Spiritus sanctus Deus, tres in uno, & unus in tribus. O quãta est hęc altitudo, quãta profunditas, quæ sola fide apprehenditur. Tum Philolaus. Quantæ uero Simon, inquit, tibi agẽdæ sunt gratiæ, qui omnia nobis tam dilucide atq; clare ostendis, si modo quicquam in hac arte clarum esse potest, ac non potius maxima pars horum inuolucris reclusa, & fugere ad salices uisa. Et Marranus. Tace obsecro Philolae inquit, Sine hunc progredi, an non uides? uesper ingruit, & hic quasi diurnum pactus est. Porro tu perpetuo loquere Simon quicquid rerum erit. Tum ille: Compleui artem totam & edocui, nisi sunt quæ particulatim restare putetis de quibusdam nominibus Dei, & angelorum

lorum & uirtutum, & cõsecratis sigillis, quorum ui ac potestate facturos se multi multa promiserunt, quæ uulgo admiranda uideantur. Et Marranus: Obliuio forte te cepit, inquit, quod de nomine duodecim literarum quoq; dicturus eras, quamuis secundæ partis materiã esse affirmares, quæ iam præterijt. Tum Simõ: Parum est quod de illo exponam, nisi q̃d postquam crebro & frequenti prauorum hominum usu passim uilescebat nomen Tetragrammaton antea cum tanta cura & solicitudine, cum tanta reuerentia, & tam prudenti moderamine idoneis & electis tantum sacerdotibus septimo quoq; anno traditum, ut discerent per illud populo benedicere in sanctuario, tunc ad maiestatem huius nominis cõseruandam prohibitũ fuit sacerdotibus eo imprecari, solisq; summis põtificibus quotannis permissa erat eius pronunciatio in diebus ieiuniorum & propiciationis. Quare illius loco cæteris substituerunt nomen duodecim literarum, quod esset aliquanto sacratius quã nomen Adonai, & tamen ineffabili Tetragrammato longe minus diuinum quo sacerdotes in benedictionibus uterentur. Cõsueuit autem quatuor his literis ח ק ב ח cum apicibus in capite cuiuslibet notariace signatis cõscribi, & ita pronunciari חסרוש ברוך הוא id est, Sanctus benedictus ipse. Per quod benedictionem à Deo Numeri sexto mandatam posterius super populum pro Tetragrammato ita proferebant, Benedicat te sanctus benedictus ipse, & custodiat te: Ostendat sanctus benedictus ipse faciem suam tibi, & misereatur tui. Leuet sanctus benedictus ipse faciem suam ad te, & ponat tibi pacem. Quo in loco Salomon Trecensis Commentator sacræ scripturæ ordinarius sic scribit לכך הכהנים פורסיכם כפיהם לרמז ח ק ב ח עומד אחרינו שנ׳ חנח זה עומד אחר כתלינו משגיח מן החלונות מבין אצבעות של כהנים id est, Itaq; sacerdotes distẽdunt manus suas dicẽdo, sanctus benedictus ipse stat post nos, sicut scriptum est: En ipse stat post parietem nostrum, animaduertens de fenestris inter digitos sacerdotum. Sic in uetusti codicis mẽbrana scriptũ teneo, quamuis impressa quædã uolumina chartacea uerbis istis careant. Firmissime uero credunt nostri, & nullatenus dubitant hac forma expressam benedictionem tantæ prosperitatis esse causam, quantæ fuisset si nomen Tetragrãmaton, quod nunc Adonai pronũciant, in istis imprecationibus permaneret. Mutatio enim hæc facta est ad honorem Tetragrãmati, ne totiens iteratum, neglectui tandem subiaceret, quod Deus Optimus Maximus omnium maxime auertat. Habetis omnem hortum Cabalisticum, id est, גנת tribus areolis distinctũ, quæ sunt Geometria, Notariacõ, thmura, & radicibus, herbis, floribus infinitis excrescentem cum omni ornatu suo ad unum hortulanum respicientem, qui rigat, plantat, & incrementum dat Deus Optimus Maximus, incõprehensibilis, ineffabilis, innominabilis, cui est quoq; nomen incõprehensibile, ineffabile, innominabile Tetragrãmaton, ex quo fluit & deriuatur omne quod est in sacris sacrum.

crum. Reliqua enim si qua inueniuntur rerum diuinarum symbola, notæ, sacramenta, signa, profecto ex hoc ipso ducunt originem. Verbi causa בורר significat יהוה אחד Deus unus, per primã huius artis partẽ גימטריא operando arithmetice ut supra explanatũ est, illud idẽ tamen nomen בורר symbolice repręsentat integrũ ipsum nomẽ Tetragrãmaton per secũdam Cabalæ partẽ, ut scribit Ioseph Bar Abrahã ciuis præfecturæ Salemitanæ in secundo uolumine Horti nucis his uerbis ה׳ תמורתה ב׳ ובן ה׳ תמורתה ה׳ ובן ה׳ תמורתה ו׳ id est, Iod cõmutatio eius Caph, & sic He cõmutatio eius Vau, & sic Vau cõmutatio eius Sdain, quo animaduertimus Deũ in essentia sua unũ esse uniſſimũ, quo nihil est unius, quanq̃ multa secundũ alias relationes dicuntur de ipso, propter quæ uocatus est Elohim Kadosim, id est, Dñi sancti, Iosue ultimo, & Elohim Haiim, id est, dñi uiui, Deuteron. 5. Et Malachiæ 1. de se ipso loquitur sic. ואם אדונים אני איה מוראי Id est, Et si Dñi ego, ubi est timor meus, quo in loco se Deus pluratiue appellat Dños. Iuxta immanentiam ergo unus est, iuxta egressiones autẽ plures, qui dixit, Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostrã. Non quod linguæ sanctæ mos fuerit ut in summa cõstituti maiestate de seipsis pluratiue loquerentur, ut Rab Saadia scribit in libro אמונות Id est, credulitatũ. Hoc enim tenue argumentũ est, quoniã subito post ipse singulariter loquitur ita, Faciã ei adiutoriũ simile sibi. Hanc unitatẽ & hanc pluralitatẽ in diuinis non inuiti admittũt Cabalistę diuersis rationibus, unde asserũt tres primas numerationes Cabalisticas כתר חכמה אינה unam esse summi regis coronã, ut scribit Rab Asse in lib. יחוד singulari unionum seu collectorum. Cernitis hoc exemplo quod omnibus Cabalæ partibus ultro citro promiscue utimur uidelicet uniuersa literarũ syllabarũ & dictionum metathesi, deinde numerali supputatione, notatione capitali, & cõmutatione literali cum singulis speciebus quas priori sermone patefeci. Sic eã transponimus nomen Tetragrãmaton ut sit Va & la, oriaturq̃ חויה Id est, essentia, quæ omnium rerum prima est, à qua sunt omnia entia uera & bona. Vnde Ehieh Adonai significat Arithmetice tantundem quod Elohim, cuius summa 86. Sicut & מה nota est ipsius Elohim, si sic extẽdatur מם הא hoc est, פו Id est, 86. Et בר nomen Tetragrãmaton, quia sit 26. quod si extendatur בת ור facit 112. & designat Tetragrammaton Elohim, hoc est, dominus Deus. De quo primum scribitur, Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creatæ sunt in die quo fecit Tetragrammatus Elohim terram & cœlum. Est autẽ nominis Tetragrãmati principiũ Iah. Et ipsius Elohim mediũ Iah, & finis Ehieh Iah. Quod totũ est pfectio ipsius חויה id est, essentię, q̃d significat הו id est, ipsum, & יה esse diuinum. Vnde quotidiano tritũ est usu, ut ipsum esse dicatur aliquid diuinũ necessariũ & incorruptibile. Omne quippe q̃d est quãdo est huius gratia necesse est esse, nec tũc cõtingit nõ esse. Virtus itaq̃ illius essentię ducebatur

batur in operationē per Verbū Dei, qui dixit יהי id est, fit, quo dicto creatæ sunt in una summa Ideæ uniuersæ ac uirtutes intellectuales absolutissimæ per hoc quod ipse mandauit sic, Fiat lux, & mox facta est lux. Quam uniuersitatem secuta est angelorū ad ministeria deputatorū natura, quando dixit ויהי בן Id est, & factum est ita, quod principem & sacerdotē magnum designat, qui nominatur Michaël, lucidum argumentum angelicæ conditionis, quod ex unitate & numero centenario constituitur. Vnde putant primo die Ideas extra causam primam esse productas & formas absolutissimas quo ad esse & operari. Die aūt secundo hinc angelos esse creatos. Non enim in primo die aiebat ויהי בן Id est, factum est ita, sed in die secundo, cum firmamentum fieret cœli iuxta Rabi Eliæzer de luce uestimenti eius creati. Decē enim uestibus iudutus erat Deus quando mūdum creauit, ut dicunt Cabalistæ, ac de ultimi uestimenti sui luce sumpsit & creauit cœlos, nō quidē sensibiles, sed illos inuisibiles & intellectuales חיות רוחניות id est, entitates spirituales, de quib. Psaltes ait: Cœli enarrāt gloriā Dei, ubi non scribitur שמים Id est, Cœli qui sunt orbiculares, quod memorabiliter notauit Rabi Ama in lib. Reconditorum, psalmi 19. Sed השמים quib. additur articulus ha, ut in summario argumento Geneseos legitur, In principio creauit Deus Hasamaim, id est cœlos illos eximios, illos famigeratos, illos admirabiles, nunquā uisos nec mortalib. oculis uidendos. Alij nanq; cœli qui nō scribuntur per ha articulum sunt quidem firmamentū, sed tamen uocantur nomine cœli quare scriptū est, & uocauit Deus firmamentum cœlos, & dicitur ipsius cœli firmamentum inuisibilis inquā, quod appellatur Cœli cœlorū, unde sequitur ita, Fiant luminaria in firmamēto cœli. Nimirū illa extensio in modū pellis tanquā literis inscripta luminaribus & stellis propter localem expasionē dicit Rakia, quod nos à firmitudine firmamentū appellamus. Nā cœlū inuisibile nō egebat luminaribus, quoniā per se spiritualiter est illustre ac mentaliter à prima causa illuminat. Ideo nominant intelligentiæ separatæ, de quib. ait author causarū, Omnis intelligentia plena est fomis quæ dū intelligit dicit audire & loqui, quare Moyses ait, Audite cœli quæ loquar. Et Dauid, Cœli enarrāt gloriā Dei. Et Deus apud Oseā, Exaudiam cœlos, & isti exaudient terrā. Vnde lumen propheticū descendit quod dicit אספקל ריא שאינה מאירה id est, uisio illuminans, quæ fuit Moysi, nā aliorum prophetarum uisio erat אספקלריא שאינה מאירה id est, nō illuminās, & ea dicit terra, nō nihil mētionis in primo sermone de ijs habitū est. Equidem mihi recte uideor credere ob id sapiētes nostros dixisse, Aspectus Moysi sicut aspectus solis, & aspectus Iosuę sicut aspectus Lunæ. In creatione igit sensibilium utitur Deus hoc symbolo intelligibiliū ויהי בן ut designet ministeriū angelorum rebus naturalibus concreatū sub nomine cōmuni Michaël tanq; speciei angelicæ appellatiuo, quæ per eā orationem ויהי בן in sequentib. quinq; dierum operibus recita-

recitatam iuxta primã Cabalisticæ artis partẽ æqualitate numeri symbolice significat, per quod instituimur quòd omnes angeli sunt eiusdem speciei, singula porro corpora siue cœlestia seu terrena proprios habẽt rectores uirtutũ ac præfectos operationum, tam ea quæ sunt rationalia, ut cœli, stellæ, homines, quàm quæ irrationalia ut bestiæ ac elementa. Philosophis nempe tũ primũ Peripateticis id probat, quod cœlum quodlibet sphæricum præter formã suam essentialem habeat assistentem intelligentiã orbis sui motricẽ, quę uocat angelus, eo quod ad hoc officiũ missa, intelligens et uolens cõplet iussa creatoris, tanquam inter Deũ & naturã uirtus media à qua fiunt operationes in rebus quas natura earũ uel non faceret, uel non sic faceret, quas alij prouenire dicũt à proprietate occulta & alij quia tale. Motus enim cœlorum & stellarũ quanquã naturaliter est circularis, tamen ab oriente moueri ad occidentẽ uel econuerso non naturæ est sed uoluntatis. At habet liberam uoluntatẽ angelus, natura uero certum solum modo instinctum coartatur, unde semper agit eodem modo. Angeli autẽ non mouent orbes semper eodem modo. Quo fit ut non semper modo fiant mutationes horum inferiorum. Maximam nanq; uim ac potestatem angelica exercet conditio in res corporeas, quapropter intellectus agens à quo influunt formæ, nominatur angelus, teste Rabi Moyse Maimoni & appellatur שרר של עולם Id est, præfectus uniuersitati, ut dixerunt sapientes nostri, uocaturq; Metattron, à quo quidem gubernantur omnes uirtutes singulares humanæ, animales & naturales quæ pariter angeli dicũtur, eorum est multitudo quo ad nos infinita, sed quo ad creatorem certa terminata et finita. Cuius rei Bresith Raba meminit, ubi legitur quòd creator quotidie creat cœtũ angelorum, quos alij uocant formas, quòd sint substantiæ formales quib. tota sphæra generabilium & corruptibiliũ absq; numero plena est. Haud secus atq; uester quoq; recepit Hesiodus, in operibus enim & diebus sic ait τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπὶ χθόνι πολυβοτείρῃ ἀθάνατοι Διὸς φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων οἱ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας καὶ σχέτλια ἔργα. ἠέρα εἰματόεντες ἐπ' αἶαν. Id est, Ter enim decem mille sunt super terra multos pascente immortales Iouis, custodes mortalium hominum, qui utique obseruant & iustitias & miseranda facta, aërem induti ubiq; euntes super terrã. Quorum instar in homine duas uolũtatis potentias nominãt duos angelos יצר טוב ויצר רע Id est, authorem boni & authorem mali, ut in מורש הנחומא legitur, quem citat Rabi Asse in sua collectura. Eiuscemodi autem Hesiodios custodes corporico assistentes Latini spiritus nuncupant, eorum quisquis solicitudini negociorum inferiorum destinatus fuerit Mamona seu Mamon dicitur, quem Græcè dæmona seu dæmon uocant, non utique in malam partem. Sane aliud quidem est dæmon aliud dæmonium, quod à nobis putatur diuinitatis extenuatiuum esse, quapropter diminutiuè à diuinis excluditur, quanquã plane fateor Homero & uetustissimis scriptorib.

alium

alium eius uocabuli usum fuisse, quorum multi de Socratis dæmonio laudanda & ueneranda prædicarunt, quod Apuleius de Deo Socratis interpretatus est. Quod autem Latini uocarunt spiritus instar uentorum, à nobis originem sumpsit, qui eosdem רוחות appellamus. De quibus Rabi Tedacus Leui in lib. de decẽ numerationib. post explanatos quatuor uentos, aquilonarẽ, meridionalem, orientalẽ, & occidentalem, tandem sic scribit ולאלו ארבע רוחות ארבע מלאכים ברא רממונין עליהין ביומה ובלילה, id est, Et illis quatuor uentis, creauit quatuor angelos, qui præfecti sunt super eos in die & in nocte. Deinde sequit̃ eodẽ authore, quod Michael qui est de parte clementiæ ac miserationum constituitur Mamona, id est, præfectus super uentum occidentalem usq; ad dimidium diei, & usq; ad noctem. Regitq; uentum orientalem Raphael, qui similiter est de parte clemẽtiæ. Tum Gabriel in uirtute iudicij & seueritatis præfectus est cum uento boreali super dimidium noctis & duas mensuras mundi. Noriel uero præsidet Austro. Hucusque Tedacus Leui. Cæterum plures illi sub se species habent, quas liber סודות arcanorum continet, & in Porta Lucis ita legitur כי מן הארץ ועד הרקיע אין שם מקום פנוי אלא הכל מלא המונים מהם טהורים מהם בעלי חסד ורחמים ויש למטה כמה בריאות טמאות מזוקות פנוי אלא הכל המונים מהם לשלות מהם למלחמה מהם לטובה מהם לר ומקטרגית וכלם עומדים ופורחי אבאויר ואין מן הארץ ועד הרקיע מקום לרעה מהם לחיים מהם למות וכל זה במדור התחתון שאנו בו id est, Quod à terra usq; ad firmamentũ nõ ibi locus uacuus, sed omne plenũ formis, ex illis puræ, ex illis capaces gratiæ ac miserationũ, & sunt inferius multæ effigies fœdæ, noxiæ, tentatrices, & omnes cõmorantes & uolantes in aëre. Et nõ à terra usq; ad firmamentũ locus uacuus, quin totũ sint species, ex ijs ad pacẽ, ex ijs ad bellum, ex ijs ad bonũ, ex ijs ad malum, ex ijs ad uitam, ex ijs ad mortẽ. Et omne id in habitatione inferiori in qua nos sumus, hæc Ioseph Castiliensis. Sed absit à sancto proposito nostro, ut multa de squalentibus & turpissimis dæmonib. illis humani generis hostibus, quæ dicũtur contrariæ fortitudines disputare pergamus, uel qui superiorem regionem peruagari putant̃, ignei, uel qui propinquo nobis aëre oberrãt, uel qui terreni terrestria territãt, uel qui lacus & fluuios habitãt, ac sæpe ipsum mare quatiunt, uel qui sub terra illos quãdoq; inuadunt, qui puteos effodiunt & metalla, itẽ hiatus terræ prouocant, flãmiuomos uentos agitãt, & fundamenta concutiunt, extremũ, qui omnia lucis ac splendoris fugiunt imperscrutabiles & penitus tenebricosi, qui nõ modo genus humanũ, uerũ etiam bruta uexãt, sermones suos absq; sonitu ingerẽtes. Aduersus quorũ machinationes sunt ex nostris qui multa se arbitrant̃ expertos, ac nõ dubitant̃ & bonos spiritus mulcẽdo attrahere, & malignos oppositis passionib. propulsare, sacris & diuinis ritè nominib, ac characterib. suffulti. Iubent hominem futuris periculis exponendũ recipere membranã tenuissimã, quæ di

citur uirginea tanquam syncera, munda & immaculata, ut præsagiat actoris puritatẽ, tum deinde hos characteras inscribere sic צמרכה at extra in hispidi ore folij parte signa quoq; hęc בוווו qua ligatura firmissime sperantem in Deũ uniuersitatis creatorem præcipiũt nullas formidare peruersorum hominũ machinationes. Id ita pandunt mysteriũ, sunt enim symbola primorũ quinq; uersuum Geneseos, tã capita quàm termini iuxta secũdam Cabalisticæ artis partẽ. Scripsit quondam de physicis ligaturis Costa Ben Lucares nõ physicas tamen experientia, ut opinãtur probatas, qui ait, Auricularis digitus abortiui, si mulieris collo suspendatur, nõ cõcipiet dum collo hærebit: at nũc uerba, quib. creator omnipotens fecit cœlum & terram alligata, nũ putauerit, inquiunt, aliquis nihil posse? sane multum profecto credunt meæ sectæ homines magno magistro Rabi Asse, qui scripsit in ספר היחיר quod uolens petere ac impetrare optata, conuertat se ad clementiã & miserationes Dei utẽdo ijs characteribus אנקתם פסתם פספסים דיו נסים quæ inueniuntur esse digna sacræ scripturæ memoracula, cuiusmodi habent̃ & alia compluria, quibus ferme omnes Cabalistarum libri sunt referti. Student quoq; alij è diuinis literis sigilla illustria fabricare, quę contra hominũ aduersas ualetudines & reliquas molestias ualeant diuturno usu probata. Veluti est illud uerbi causa, quod Rab Hama in libro Speculationis ex quatuor non magicis, sed solennibus & communibus sacris nominibus cõposuit, quin potius cõpositum à patribus recepit יהוה אדני ייאי אחיה Est autem ייאי Cabalistice idem quod El. Accipiunt igitur eius scientiæ artifices primum characterem primi nominis, & primum secundi, & primum tertij, & primũ quarti, fitq; sigillum primum יאיא. Deinde operãtur pari modo circa secundas quatuor nominũ sacratissimorũ literas & oritur הדיה Tertium sigillum ita conficiunt, tertias quasq; literas coniungunt & nascitur ונאי Postremum eodem more copulant ultima, et exurgit quartum sigillum quod est הייה. Horũ quatuor sigillorũ intentio est יהוה אלהינו יהוה אחד, id est, Dominus Deus noster Dominus unus, et hęc inquiũt, esto quatuor simul iunctorũ sigillorũ superscriptio. Demum in membranæ tergo depingunt אראריתא quod interpretant̃ sic אחד ראש אחד ותו ראש ייהודו תמורתו אחד, id est, Vnum, principium unitatis suæ, principium singularitatis suæ, uicissitudo sua, unum. Et intelligitur uicissitudo hæc literaria secundum tertiam Cabalæ partem. Stant itaq; cũ sigillis & inscriptionibus coram altissimo mente Deo deuota, & quã libeat benedictionẽ de illis decem octo benedictionibus, aut in alijs iustis precibus contentã postulauerint, infallibiliter se impetrare sperãt, omnemq; uel cœlitus imminentem sæpe sortẽ frangere, uel Adrastiã, Id est, diuinarũ legum ineuitabilem potestatẽ orationibus sacrorũ uerborũ mitigare posse confidunt. Nam haud modo characteribus & figuris, uerumetiã uerbis & carminibus bene initiatũ Cabalistã putant quæuis tum quàm sint admiranda

efficere,

efficere, quod & uestri quidã posse fieri confitentur. Plotinus enim de dubijs animæ libri secundi cap. 35. enumerat quatuor quibus mirabilis insit uirtus scilicet, qualitates specierum occultas, & figuras, & cõcentus, & uota. Porphyrius etiam & Iamblicus aiunt per Deum proprie, perq; bonos angelos aduersus infimos spiritus imperiũ nos habere, nec inuenit ullum in orbis terrarum ambitu genus hominũ quod in hanc sententiam facilius eat quàm ut fama est diuiniores Christiani, qui nominibus & figuris dæmonia ejiciunt, & manus supra ægros imponunt, & bene habent, & mortifera sanant, & miracula consimilia operãtur. Sed, ut afferentibus illis uera loquar, omnia ea fidei potius tribuũt, quanq; & orationibus nõnullam esse insitã potestatẽ opinant. Dicunt enim atq; credunt q; oratio fidei saluabit infirmũ, neq; aliter idonei Cabalistę sentiũt, qui pariter affirmãt operationes miraculosas ex solo Deo, & ab hominis fide pendere. Mendaces igit & stultos esse illos pronunciãt qui soli figuræ, soli scripturæ, solis lineamẽtis, solis uocibus aëre fracto natis, tantã miraculorũ uim & potestatem cõcedant, ut testat Rabi Moyses Ægyptius in libri perplexorũ primi cap. 72. Ad hæc nõ solũ, inquit Philolaus, Hebræorũ Cabalistæ sed etiam Græcorũ præstãtissimi multũ signaculis & sigillis fidei tribuerũt. Antiochus enim cognomento Soter, cũ esset in expeditione contra Galatas uiros fortes & militũ innnumerabili concursu munitos prælio difficilimũ commissurus, quando iam ut de eo Lucianus scribit πάνυ πονηρὰς ἐλπίδας noctu uidit per somnium assistere sibi Alexandrum, iubereq;, ut militibus suis ante pugnã pro bellica tessera signaculum quoddã sanitatis ediceret, per quod sibi cõtingere uictoriã pollicebat. Id erat eiusmodi quo in uestibus insignirentur, ut idem Samosatensis de compellationis errore notauit τριπλοῦν τρίγωνον δι' ἀλλήλων τὸ πεντάγραμμον Id est, Triplex triangulus inter se quinquilinearis. Antiochus aũt signo eo leuato, mirabilem aduersum Galatas nactus est uictoriã. Ego ipse profecto illud pentagoni symbolũ sępe in Antiochi argẽtea moneta percussum uidi, quod resolutũ in lineas ostendit uocabulum ὑγίεια, id est sanitas. An non in rem erit, Marranus inquit, id quod magno Constantino quondã Dei signum, ut tunc appellabãt crucem, in ipsa meridiei hora corã omni exercitu superne apparuit Latinis literis inscriptũ sic: In hoc uince. Et uicit quidem Constantinus eodẽ signaculo, atq; tunc plausu populi Romanorum Imperator lectus ac salutatus, omniũq; Imperatorũ inuictissimus fuit cognominatus. Quantũ igitur ualuerũt sigilla & signacula, testes erũt summi uiri, Iudæis Machabæus, Grę cis Antiochus, Romanis Constantinus. Nec te fallit Simon, quod de Christianis paulo ante locutus es. Nam ea gente nihil sub hoc seculo est in opificio signorũ, characterũ & uocũ admirabilius, qui figura crucis & nomine Iesu sistunt maria, uentos mitigãt, fulmina repellũt. Est præterea charactereillo & effigie crucis nihil etiã fortius, & in periculis nihil magis salu-

tiferū, quanq̄ non aliam, ut liberè fatear, ob rem, niſi quod ueri ſaluatoris ſymbolū extāt, ſicut uobis Dei ſymbolū eſt nomē illud Tetragrāmaton. Quodq̄ Cabaliſtæ poſſunt in nomine ineffabili cum nuper à te mōſtratis ſigillis & charagmatis, id multo ualidiore modo poſſunt fideles Chriſtiani per nomen Ieſu effabile cū proprio ſignaculo crucis, cū ſe arbitrētur nomen Tetragrammaton longe rectius pronunciare in nomine יהשוה ueri Meſsihæ, ad hoc citant id quod in Midras Thillim ueſtri ſcripſerunt אמר ר׳ יהושעה בן. לוי בשם ר׳ מנחם בן יאיר מפני מה מהפללין ישוראל בשולם חזה ראינן נעזין על ידי שאינן יורעין בשם המפורש, id eſt, Dixit Rabi Ioſue filius Leui allegādo magiſtrū Pinthes filiū Iair. Propter quid orāt Iſraël in mūdo iſto, & non exaudiunt. Propterea quod non nouerūt Semhamaphores, id eſt, nomē Tetragrāmaton, hæc ibi. Tum Simon. Fortaſſe tu, ſed quid uerbis? certe hāc figuram crucis ſapiētiores Cabaliſtæ ad lignū Ænei ſerpentis in deſerto erectū referre uolunt, licet ualde ſilenter & occulte, idq̄ per גימטריא, id eſt, per æqualitatē numeri. Horū nanq̄ צלם, id eſt, crucis & עץ, id eſt, ligni, characteres, utrinq̄ centū & quinquaginta ſymbolizant, quare facilis de altero ad alterū fit tranſitus, de cruce ad lignū, & de ligno ad crucē. Sed digito cōpeſco labellū. Tēporis anguſtia coartat optimi amici, ut minus q̄ uolui dixerim, & me fruſtor tamē ægre meo gaudio illo excreſcēti de ornamento & dignitate orationis ueſtræ, cū in tam denſa nocte, quādo cubandū eſt defecero, qui non tanquā Sophiſtæ uulgari nugatorio & exili ſermone, neq̄ gladiatorio certamine uerborū, aut contentione opinionū hactenus mecū diſputatis, ſed accurata & acuta dicendi ratione, ſententijs rei, de qua agit, aptis & accommodatis, ut optarē maiora nobis dierū ſpacia cōcedi. Nemo enim de arte Cabaliſtica paruo momēto ſatis dicere poteſt, tātæ ſunt res, tā altæ, tā innumeræ, tam diſcriminoſæ, ut oporteat ſummis ingenij uiribus niti quēlibet eius cauſæ auidū & ſtudioſum. Et circūſpicere non modo qua induſtria ſit addiſcenda, ſed etiam quo ſit periculo moderāda & exercēda. Nā cū ea ſcientia ſit & rerū ſpiritualium & ſpiritualis, nec poſsit homo facile de ſpiritibus afferre iudiciū, is etiā cui eſt inter angelos & dæmones iudicandi cōceſſa poteſtas qualibet diſcreta pēſiculatione, uel uſq̄ ad ęquatā regulam, profecto nō ſine multa utiq̄ formidine, ac niſi purgatis ante moribus iſti facultati, & iſti exercitio recte incūbitur, ne Balam prophetæ ſortē patiamur, ne uiuentiū matrē imitemur, ne ſub figura lucis tenebras ſequamur. Metuite uobis ab iſtis fulmine deiectis ſpiritibus, & ſæuiſsimis hoſtibus noſtris, atq̄ credite mihi, ferūt inter nos mortales, ut angeli, ſic diaboli uexilla quiq̄ ſua. In exercitu Dei quatuor anteſignani מיכאל גבריאל אוריעל רפאל, id eſt, Michael, Gabriel, Vriel, Raphael, inſtar elementorū quatuor, ſecū dū quatuor ſitus, aut iuxta quatuor numerationes ſpirituales, ut quōdā filij Iſrael quatuor uexillis pſi ciſcebant, Numeri ſecundo, Ad orientē Iudas, ad meridiē Ruben, ad occi-

dentem

dentẽ Ephraim, & Dan ad aquilonẽ. In exercitu pariter Satanæ latissima gerũt signiferi ultores uela סמאל עואל מהואל, id est, Samael, Azazel, Azael, Mahazael, de quib. Mnahẽ Racanat Leuitici 16. & in lib. 1. Pentateuchi sermonẽ tractat, quo in loco & Thargũ Ionathã ipse super Genesim allegat. Deinde adhuc magnæ crebrescunt turmæ dæmoniorũ & legiones tartari profugæ, ac fugitiuæ omnes portionẽ suam habentes in capro emissario, q̃ propter eorũ fœditatẽ & horrorẽ hic recensere omittam, quanq̃ multa pars in sacra scriptura cõprehendunt. Sed cũ prouerbio Cabalistarũ dicẽdi finẽ nũc facio המשכיל יבין, id est, prudens intelliget, si etiã hoc addidero, quod sicut Michael הרא חכהן חגרול, id est, ille sacerdos magnus, sacrificãs in mũdo superiori, animas hominũ immaculatas Deo benedicto præsentat, immundas aũt & uitijs oneratas ad diabolum mittit: ita pontifex in mundo inferiori, ut scriptũ est in Leuitico, iubetur animalia munda & insontia offerre Deo, criminibus autem & noxarum mole onerata, tradere Sathanæ, quod & Cabalistæ sedulo approbant, dicentes, כי כל העניינים התחהונים חכם מנגדיים לעליונים וכפי חעשורת למטה כי נעשה למעלה, id est, Quod omnes res inferiores, sunt repræsentatiuæ superiorũ, & uti fit inferius, sic agit superius. Portendũt hæc aliquid & uirtutibus debitũ & uitijs, ut cauendũ cuiq̃ sit quo uiuat & quo moriat modo. Tota nanq̃ philosophia nostra hęc est, ut bene uiuẽdo, bene moriamur, ne forte sua portio futuri simus tartaro, & ultricib. Furijs omni frustrata spe, atq̃ tũ eueniat malo male. Nũc quod ualde discrutiat puto discedendũ nobis esse, quãdo à mane ad noctẽ supra q̃ decuit multiloquus uobiscũ fabulor. Nã ut de me humaniter coniecturã facio, ita nõ indigne de uobis iudico, q̃ dormitũ sopor abire solicitat. Tũ illi: Diuellimur adeo moleste, inquiũt, abste Simon, optãtes perpetuo te audire, quamobrẽ de multiloquio ne uerbũ quidẽ. At q̃ ita iubes morẽ tibi gerimus & abimus, redituri ad te in crastinũ, nisi tibi incõmodũ est. Ad hęc Simõ ait, Nequeo cęlare amicos uos, q̃d mecũ cõstituerim. Cras ad longinqua migrabo, uocatus nuptiarũ causa, q̃m patruus uxorẽ Ratisponę duxit, q̃ res bene uortat. Tũ Philolaus: Vrgerẽ, inqt, totis uirib. ut maneres, nisi nõ æquũ esset, qn haud modo nobis, fateor, nati sumus, partẽ nostri, amicis suo iure locamus. Igit gratias tibi agẽtes, fausta precamur itineri tuo tuisq̃. Hic Marranus una mœrore tactus: Vade, inqt, sinistris auib., pspere, feliciterq̃ amicissime Simon, atq̃ uirorũ optime. Interea finẽ nũdinarum Francofordiensiũ expectare cogimur, ut cũ mercatorib. nostratibus àb hoc emporio in patriã quisq̃ suã tutius remeare queamus. Tũ Simon de more gentilitio, inqt: Pax uobis. Ad q̃d ambo isti. Vale aiũt, I decus, I nostrũ. Habes sanctissime LEO DECIMAE à Capnione humili seruo tuo, breui cõpẽdio recitatas in symbolica Pythagorę philosophia, & Cabalę sapiẽtia ueterũ opiniones atq̃ sentẽtias, exigui licet numeri, tñ q̃ studiosis multo amplio cogitãdi ac inuestigãdi an

ſam præbeant. De quibus ego mediocris ingenĩ & minutæ prudẽtiæ homo nihil iudicare auſim, nec ſane iudicauero. Sed totũ hunc librũ tuæ ſubĩcio authoritati, cuius in arbitrium collata eſt totius mundi cenſura, ut quæ diſpliceant reĩcias, & tum lætabor cætera placuiſſe. Conatum hunc certe meum, quem & noſtri & Reipublicæ cauſa ſuſcepiſſe me potes exiſtimare, uideri tibi nõ plane improbũ confido, tum quod aliena meo labore noſtris pateant, tũ quod hoc Semeſtri legẽdis illis id quinquenne bellũ, quod aduerſum me hoſtes mei te ſciente gerunt, ſi omnino nequibat uitari at leuare ſtuduerim, tũ deniq, ut & meorũ eſſet apud te aliquid, quo ſit beneuolentior memoria noſtri tua, quoties paternũ erga me animũ tuum frãgere ac auertere inimici moliuntur. Nõ enim intermittũt, ſcio, quotidie ſuſurris attentare pias aures tuas, modo per proxenetas cõducticios, modo per epiſtolas, ut quas ad te proxime 14. Calend. Octob. ex Agrippina Colonia datas nuper legi, quarũ ſimul cũ falſa delatione titulus etiã mentĩ authorem, Non enim tã colenda Colonia, tã eius ueneranda Vniuerſitas, ſed particularitas & quædã inimicorũ ſingularia colluuio, minimaq; pars ciuitatis & ea inſanior, hoc facinus fecit, ut tuæ Sanctitati affirmarent, q̃ uera nõ ſunt, idq; cõtra Inhibitiones apoſtolicas, & contra mandatã Cæſaris pacẽ. Vides etiã quanta in eiſdem literis audacia tanquã Solonianas tibi leges præſcribere, fontẽq; iuris docere præſumant, qua oporteat uia in iudicio ad nutum & uoluntatẽ eorum procedere, ut facilius me ſordibus uincant, quaſi nõ iam certa toti ferme orbi habeat innocentia mea. Vnde adduci nõ poſſum, ut ſuſpicer iſtis te fidem habere, qui deſpecta Inhibitione Apoſtolica, & cõtemptis cenſuris tuis, cq; minime obſeruato iuris tramite libellũ meum lite pendẽte cõbuſſerunt. Credes uero potius grauiorib. uiris Alemanię ſuperioris omni exceptione maioribus, quod nullũ ſcãdalum poſui, nullam ruinæ occaſionẽ parauí corã ulla plebe Germanorũ, qui mihi eiuſdem linguæ ſocietate iũcti ſunt, in qua lingua iſtis Belgis ignota Cõſiliũ meũ illud Camerariũ cũ plana eius declaratione uno cõtextu certe, ut decebat, edidi, ac ſecure quidem credere potes, eoq; firmius quo de mea innocẽtia, pietate, fide, integritateq; à plurib. illuſtriſsimis latiſsimarũ terrarũ noſtræ nationis regnatoribus, Magiſtratibus, populisq; Germanorũ, & ſanctiſsimis Dioceſiũ noſtrarũ Epiſcopis, oppidis & ciuitatib. ferme triennio ante per literas obſignatas, & fide dignas factus es certior. Extãt penes te ab inuictiſſimo Rom. electo Imp. Maximiliano Maximo Leoni tibi, & à reuerẽdiſſimo Cardinali dño meo Gurcenſi pro mea innocentia terq; quaterq; oblata teſtimonia. Dederũt & poſt Epiſcopos illuſtriſsimi prouinciarũ pręſides, atq; duces nobiliſsimo ſanguine prognati. Electores Imperĩ Fridericus Saxonię, & Ludouicus Bauarię Interrex, & dux Vuirtẽbergẽſis & Marchio Badẽſis princeps, & ſtrenuiſsimus Magiſter ordinis Teutonicorũ. Et é regione horũ reuerẽdi, ac Deo amabiles Germanię põtifices, Epiſcopꝰ Vormacienſis

macienſis, Epiſcopus Argentinẽſis, Epiſcopus Conſtãtienſis, qui me ouẽ ſuã paſtor agnoſcit, & Epiſcopus Spirẽſis, ille à tua Sanctitate huic liti datus iudex, qui authoritate tua functus, de conſilio peritorum pro mea & ſcriptorum meorum innocentia diffinitiuam tulit ſententiam. Cũ illis dederunt pariter quinquaginta tria Sueuię oppida, omnes officioſiſsimi, fortiſsimi, & integerrimi uiri, commẽdatitias epiſtolas, & literas rectæ fidei, probitatiſq; meæ indemnitatiſq; teſtes. Addunt illorum teſtificationi robur & pondus inſigni doctrina & grauitate prælati eccleſiæ, quos Reuerendiſsimis cauſę noſtrę iudicib. Grimano & Anconitano Cardinalibus, orthodoxæ fidei columnis tãquam periſtylia iũxiſti ſenatorios aſſeſſores, mundi lumina. Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinũ Generales, & eorũ Procuratores, Sapientiæ Romanæ Magiſtratus, Pœnitentiarij, & alij theologiæ atq; iuris lectiſsimi Doctores, pro ſuis ſingulorũ dignitatib. in hiſtoria de temporib. meis nominandi, qui tot ſeſsionibuss publicis in tuę Maieſtatis domeſtico ſacrario quam Capellam Pontificiam uocãt habitis, ſemper agente rem meã, ut omnia ſolet fideliter oratore iuriſperitiſsimo Ioanne Vanderbico tam equeſtris ordinis nobili uiro quàm in cauſarũ patrocinijs diſputatore acerrimo, & eodem Procuratore meo, tãdem in ultima ſeſsione cauſa plene cognita per ſententias ſcriptis editas, decreuerunt me ab hac perſecutione iniurioſa liberandum eſſe ac abſoluendũ. Nec ulli dubium quin diffinitiua quoq; paris oraculi ſententia reuerendiſs. Iudicum, ut debuerat ſecuta fuiſſet, niſi tunc mandatũ de ſubſedendo abſte, ut dicebant accuſatores, impetraſſent. Eorum omniũ quos iam citauimus, undequaq; teſtimonia & uota ſi recordaberis, & acta iudiciorũ, ſi corã te legi curabis, plane inuenies me ab omni delatorum inſimulatione prorſus alienũ. Aſsilit huic meæ puritati tota ferme urbs Romana, & cunctarũ nationum omnes doctiſsimi, quorum ego decretales quotidie literas accipio, etiam à finib. orbis, cõfirmantes me nullis hominib. ſcandalo fuiſſe unq;, ſcriptis meis, quin me potius ędificare in dies, plantareq; uarijs linguis eccleſiã Spiritui ſancto, qui per diuerſitatem linguarũ cunctarum, gentes in unitate fidei cõgregauit. Animaduertunt nimirũ quod ego primus omnium Grę-ca in Germaniã reduxi. & primus omniũ eccleſiæ uniuerſali artem & ſtudia ſermonis Hebraici condonaui atq; tradidi, quare ſpero me non fruſtra ſperare poſteritatem eccleſiaſticam meritis meis futuram non ingratã, teq; præſentem Beatiſs. Leo Pont. Maxime rerum magis, quàm uerborũ æſtimatorem pro tot & tam duris laboribus meis in orthodoxã fidem beneficij loco collatis, pacem mihi, & animi tranquillitatem iuſte redditurũ. Sin me uero cupias in hac uita malorum perſecutioni perpetuo ſubiacere, uehementer gaudebo uideri dignus, qui tantas pro Chriſto noſtro iniurias patiar.

LIBRORVM DE ARTE CABALISTICA FINIS.

EPI-

EPISTOLAM HANC, OPERVM OCCVPATIONE NEGLE-
ctam, cum disputationi in Astrologiam præponi debuisset, hîc ap-
posuimus, ne lector careret, quod ad eos libros legen-
dos, illum instructiorem reddere posset.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA
ueritatis amatoribus.

AMatores ueritatis gaudete, necnon qui illustrandæ illius, atque amplificandæ desiderio insudatis, exhilarate animos: en prodeunt in publicum disputationes Ioannis Pici Mirãdulæ, aduersus Astrologos, & Pici illius, cuius mẽtis sublimitatẽ, cuius doctrinam omnigenam, iam penè totus terrarũ orbis obstupuit, disputationes (inquã) quę ueritatis osores atq; oppugnatores dolere, & qui emungendæ pecuniæ gratia, Astrologicæ uanitati impendunt operã, aut eiulare atq; dirumpi cogent, aut errorẽ deserere. Nec solidam minuat lętitiã, quòd ille morte nobis immatura, sibi tarda, uocatus ad Deũ, libros hosce nec extrema lima terserit atq; expolliuerit, nec ultimum qui totius operis futurus erat epilogus, ad eandem ab incude perduxerit, id fortè deest ad operis exuberantius ornamentum, non ad lectorum perfectum emolumentum, & quanquã sanè aliâs uanitatum hæc, & superstitionum omnium arbor, ab Prophetarum oraculis sit explosa & detestata, ab nostris Theologis Philosophisq;, tum Gręcis tum Latinis, tum Barbaris expilata frõdibus, exibilata, atque etiam securibus, uel aliqua ex parte percussa, sit item ab Imperatorijs legibus Pontificijsq; sanctionibus, radicitus eruta & loco mota, humana tamen curiositate, sæpius reportata est, in pristinamq; foueam replantata, adminiculata & roborata, ita ut nũquam in totũ eliminata, & ad internitionem usq; ualidissimis rationis instrumẽtis perducta fuerit: modo Picus noster, infaustam arborem, à radice ad truncum, à trunco ad ramos, à ramis ad folia, torrentissimo igni ueræ Philosophiæ ueræq; Theologię, proprijsq; incomparabilis illius ingenij inuentis, & meditatis, exussit penitus, atq; redegit in cinerem, quem adeò rapidissimo flatu eloquentiæ dispersit, ut cuicunq; illius fautori prouectoriq; (nisi idem mentis emotæ fuerit) super illius exitio, præ dolore conclamandũ sit, uel abiecta spretaq; uanitate, præ gaudio exultandum. Eia igitur literati homines, nationum omnium, his rationibus animum armate, his fulcite testimonijs, cum humanis tum diuinis, quibus ueluti bipennibus ponderosissimis, ac facibus ignitis excisæ, atq; extinctæ arboris germina (si qua forte intra terræ uiscera delitescentia, malè culti agri uitio repullularent) elidite, conterite, conuellite, exterminate.

BLASIVS

BLASIVS, BONACVRSIVS,

Hieronymo Beniuenio amico suo dilectissimo. S.

DOuerebbono Certamente Gierolamo dilettissimo tuti li studiosi de nostri tempi, & quelli che per lo aduenire saranno, piangere di continuo la immatura morte di quello admirando giouane Giouanni Pico Principe Mirandolano, considerato per le eccellente & molte sue uirtu quanta grande perdita habbino fatta, respetto massime allo utile che della uita sua posseuano sperare & prometterssi, la qual perdita è stata non solo cõmune à quelli che delle cose philosophice, & delle Platonice massime sono desiderosi, ma etiam a tutti li amatori & professori della scrittura sacra, hauendo lui gia con piu eccellentissime opere, lequali non haueua anchora dato in luce, sodisfatto in gran parte a quelli primi, et cercãdo hora con somma utilita et gloria della Christiana relligione sodisfare a questi secõdi, ad che si opposse la inopinatà & lagrimabil morte sua, laquale, credo pero che li studiosi & literati sopradetti, soporti no patiẽtemẽte, cõsiderato che lo Omnipotẽte Dio nõ opera cosa alcuna, se non con grandissimo mysterio et diuina prouidentia, laqual credo habbi di presente messo in animo à questi nostri impressori, di publicare mediante larte loro, lo eruditio & elegãte cõmento del prefato Principe sopra una tua dotta & leggiadra Cãzone, fatta & cõposta dello Amore diuino secõdo la mente & openione de Platonici, accioche anchora quẽsto nõ resti insieme cõ molte altre opere sue negletto & in obliuione delli huomini, & che tutti e litterati & amatori del nome suo habbino cõmodita di poterlo godere, pigliã done quel frutto, che delle altre opere sue, nõ prodotte in luce, prẽdere nõ possano. Hauẽdo io dunq; apresso di me uno trasunto di detta Canzone & cõmento, & essendone con grande instantia richiesto da alcuni nostri impressori, sono stato alquãto sospeso, se lo douesse concedere, ò nò. Da luna parte mi ritineua el sapere io quãto fussi alieno dalla mẽte tua, & da quella dello auttore, la publicatione di tale opera, per le cagione da te intese. Dallaltra mi incitaua la instantia di essi impressori, e' l desiderio di molti, & la utilita & commodo che a me pareua che di tale publicatione douessi resultare. Il per che uinto ultimamente da cõforti et prieghi delli amici, ho uoluto piu tosto con quel che mio carico apresso di te, fare copia di questo mio trasunto, anchora che fuora della tua uolunta, alli impressori predetti, che ritenẽdolo, de fraudare el desiderio di molti, pẽsando massimamẽte douere essere tãto piu escusabile la mia colpa, quãto è men graue loffesa priuata che la publica, perche questa oltre al ben cõmune, ha anchora per fine el bene priuato dellamico. Cõciossi a che hauẽdo io notitia di piu trasunti di detta opera, liquali in uarij luoghi & per mano di molti disseminati si leggono, iudicauo al tutto impossibile che la non fussi uno giorno per el medesimo modo publicata, il che bisognaua fussi cõ molto maggiore dispiacere tuo & di tutti li amatori delle cose del Cõte, respetto allo essere tali trasunti imperfetti & ripieni di molti errori, de quali io credo che questa mia copia sia, se nõ in tutto, al manco per la maggior parte, purgata. Et se pur tu in questo riconosci alcuna mia colpa, scusimi apresso di te & della felice memoria dello auttore di esso Commento, oltre allo amore che freno, ò legge nõ conosce, tutti quelli che le leggeranno, per ilquale, se il iudicio non mi inganna, loro potranno facilmente conoscere che hauendo esso Conte hauuto ad scriuere dellamore Chistianamente, come era sua intentione, lo harebbe fatto con tanta piu felicita, quanto la dottrina ueramente diuina, supera & eccelle quella di Platone, & di tutti li altri Philosophi. Vale.

HIERONYMVS BENIVENIVS

ciuis Florentinus,

ad Lectorem.

GIouanni Pico Principe Mirandolano, huomo ueramente da ogni parte admirabile, leggendo, come accade fra gli amici, una mia Canzona, nellaquale muitato dalla amenissima lettione delli eruditi commentarij del nostro Marsilio Ficino sopra el conuiuio di Platone, io haueuo in pochi uersi ristretto quello che Marsilio in molte charte elegãtissimamente descriue, li piacq; di illustrarla con una non manco dotta & elegante, che copiosa interpretatione, mosso nõ tanto, come io credo da e meriti della cosa, quanto da una tenera & singular affetione che lui sopra ogni creduita, hebbe sempre à me & alle cose mie. Ma perche nel ritrattare dipoi essa Canzona & cõmento, sendo gia in parte mancato quello spirito & feruore che haueo condotto & me ad comporla, & lui ad interpretarla, naeq; nelli animi nostri qualche ombra di dubitatione se era conueniente à uno professore della legge di Christo, uolendo lui trattare di Amore, massime celeste, & diuino, tratarne come Platonico, & non come christiano, pensamo che fussi bene sospendere la publicatione di tale opera, almeno fino ad tanto, che noi uedessimo se lei per qualche reformatione potessi di Platonica diuentare Christiana. Allaquale deliberatione succesSe poco di poi la immatura & sopra ogni altre calamità di questi tempi damnosa & lagrimabil morte di esso Giouanni Pico, per la inopinata superuenientia dellaquale, quasi come senza alcuno senso & pieno di confusione & fastidio delle cose del mondo rimanendo, pensai di lasciar essa canzona & commento insieme con molti altri mia uersi in arbitrio della poluere, & di suplimerla per sempre, laqual cosa per benche da me sia fino ad questi tempi stata osseruata, ha niente dimeno potuto piu lo studio & desiderio di altri in tirare ad luce questa tale opera, che lo scrupolo & la diligentia mia in riternerla. Intanto che essendo lei gia uenuta in potesta di alcuni piu curiosi, per indulgentia & permissione di quelli, appresso de quali era insieme con li altri libri & commentarij di esso Giouanni Pico la originale sua bozza, fu prima data in mano a questi nostri impressori, & da loro messa in opera, che io ad pena ne ha uessi notitia. Allaquale cosa nõ potẽdo io honestamente resistere, & da altra parte nõ riconoscendo lei, cioè nella publicatione di tale opera alcuna mia colpe, pensai, come si dice, lasciar le andare, ad beneficio di natura. Cõfidãdomi massime nella prudẽtia & bonta & dottrina di quelli, che ad cosi fare mi hãno persuaso, ben priego hora chi legge che in tutti quelli luoghi doue essa Cãzona ò uero Cõmento, seguitando la dottrina di Platone si parte in qualcũq; modo dalla uerita Christiana, possa piu in lui lautorita di Christo & de sui santi, oltre alle ragioni inrefragabili de nostri Theologi, massime dello angelico dottore, S. Thomaso de Aquino in cõtrario addotte, che la oppenione di uno huom gentile, escusãdo l' error nostro, se errore pero chiamare si puo, el recitare semplicemẽte & sanza alcuna approbatione la openione daltri, anchora che non uera, escusandolo, dico con la inscrittione ò uero titolo prepostò à essa Canzona & cõmento, per ilquale apertamente si dice noi uoler trattare di Amore, non secondo la uerita catholica, ma secondo la mente & oppenione de Platonici. Nella essequutione dellaqual cosa se bene oltre allo error predetto, se error è, ne possino essere anchora molti altri. Questo bene però & questa utilita non li puo esser tolta, che li studiosi di Platone & della sua dottrina attentamente leggendo, troueranno in esso cõmento molti lumi, mediante e quali possa locchio della loro intentione piu facilmente & forse con altro sguardo penetrare alle intime medolle di alcuni piu remoti sensi duno tanto Philosopho.

COMMENTO DELLO ILLVSTRISSIMO SIGNOR Conte Ioanni Pico Mirandolano sopra una Canzona de Amore, cõposta da Girolamo Beniuieni Cittadino Fiorentino, secondo la mente & oppenione de Platonici.

Che ogni cosa creata ha lo essere in tre modi, Causale, Formale, & Participato.

CAPITOLO PRIMO.

POngono Eplatonici per loro dogma & principal fondamento, ogni cosa creata hauere lessere suo in tre modi, li quali benche da diuersi diuersamente sieno nominati, tuttauia concorrono ad uno medesimo senso, & possonsi da noi per hora cosi nominare. Essere causale, Essere formale, Essere participato. Laqual distintione per piu termini non si puo significare, ma fia per essempio manifestissima. Nel Sole Secondo e Philosophi non è calore, peroche el calore è qualita elemẽtare & non di natura celeste, tuttauia el sole è causa & fõte dogni calore. El fuoco è caldo & è caldo per sua natura & per la sua forma propria. Vno legno nõ è perse caldo, ma ben puo dalfuoco essere riscaldato, partici pãdo da lui la predetta qualita. Dunq; questa cosa chiamata ca lore, ha nel sole essere causale. Nel fuoco essere formale. Nel le gno, ò altra simil materia, essere participato. Di questi tre modi desser, el piu nobile et el piu perfetto è lo essere causale, & pero e Platonici, o ogni perfettione che in Dio essere si cõcede, uoglio ino sia in lui secondo questo modo di essere, & per questo di ranno che in Dio non è cosa alcuna, ma che eglie cagione di tut te le cose. Similmente che in Dio non è intelletto, ma che lui è fonte & principio dogni intelletto, liquali detti per non essere inteso el loro fondamento, danno à Platonici moderni non po ca molestia, & à me ricorda che gia uno gran Platonico mi disse marauigliarsi molto duno detto di Plotino, doue dice che Dio nulla intende ne conosce, ma forse è piu da marauigliarsi come lui non intenda, per qual modo uuol Plotino che Dio nõ intenda, che non è altro se non che lui uuole che questa perfet tione dello intendere sia in Dio secondo quello essere causale et non secondo quel formale, il che non è negare lo intendere di Dio, ma attribuirgne ne secondo uno piu perfetto & eccellente modo, il che essere cosi, si puo diqui manifestamente compren dere che Dionysio Areopagita principe de Theologi christia ni, il quale uuole che Dio non solamente, se, ma anchora ogni cosa minima & particolare conosca, usa pero el medesimo mo do di parlare che usa Plotino, dicendo. Dio non essere natura intellettuale, ò intelligente, ma sopra ogni intelletto & cognitio ne ineffabilmente eleuato. E adunq; da notare diligentemente questa distintione, pero che & noi spesso luseremo, & alla intel igentia delle cose Platonice porge grandissimo lume.

Che tutte le creature sono distinte in tre gradi.

CAPITOLO. II.

DIstinguono e Platonici ogni creatura in tre gradi, de quali sono dua estremi. Sotto luno si comprende ogni creatura corporale & uisibile, come è el Cielo, li elementi, le piante, li animali, & ogni cosa delli elementi composta. Sotto laltro sintende ogni creatura intuisibile & non solamente incorporea, ma etiam da ogni corpo in tutto libera & separata, laqual si chiama propriamente natura intellettuale, & da nostri Theologi è detta natura Angelica. Nel mezzo di questi dua estremi è una natura media, laqual ben che sia incor porea, intuisibile, immortale, nõ dimeno è motrice de corpi, & al ligata a questo ministerio, et questa si chiama anima rationale, nela quale alla angelica è sottoposta, & preposta alla corpora le, soggetta a quella, & patrona di questa. Sopra questi tre gra di è esso Dio auttore & principio di ogni creatura, laquale om ne in suo fonte ha la diuinita essere causale, & da lui mediata mente procedendo nella natura angelica ha el secondo essere, cioè, formale. Vltimamente nellanima rationale reluce dalla na tura Angelica à lei participata, pero dicono e Platonici essa di uinità in tre nature consistere, cioè in Dio, nello Angelo, & nel lanima rationale, sotto allaquale nessima natura si puo attribuĩ re questo nome diuino, se non abusiuamente. Di queste nature si potrebbe fare piu esplicata mentione & diuisione piu dearticu lata, diuidendo e corpi in diuerse nature, & similmẽte le anime, dichiarando quale si chiamano animali, et quali animati & nõ animali, & perche el mondo da Platone nel Timeo è chiama to animale animato, ma questa discussione riserberenno a pro prij luoghi, & qui solo basti quello che alla cognitione del trattato di amore è necessario.

Come e Platonici prouono Dì non si potere multiplicare, ma essere uno solo Dio principio & causa dogni altra diuinita.

CAPITOLO. III.

DI queste tre nature, cioe. Dio, La natura angelica, & la nautra rationale. La prima, cioe, Dio nõ potere esse re multiplicata, ma essere uno solo Dio pricipio & cau sa dogni altra diuinita, prouano E platonici & peripa thetici, & li nostri Theologi per euidentissime ragione, le quali in questo luogho sarieno superflue ad recitare. Dellal tra natura, cioè angelica & intellettuale è discordia tra Platonici. Alcuni, come è Proclo, Hermya, Syriano, & molti altri, pongono fra Dio et lanima rationale grande numero di creatu re, lequali chiamano parte intelligibili, & parte intellettuali, liquali termini qualche uolta confonde Platone, come nel Phe done doue dellanima parla Plotino, Porphyrio, & commune mente e piu perfetti Platonici pongono fra dio & lanima del mondo una creatura sola, laquale chiamano figluolo di Dio, perche da Dio è immediatamente prodotta. La prima openio ne è piu conforme à Dionysio areopagita, Et à Theologi chri stiani, liquali pongono uno numero di Angeli quasi infinito. La seconda è piu Philosophica & piu conforme ad Aristo tile & à Platone, & da tutti e peripathetici & migliori Platoni ci seguitata. Et pero noi hauendo proposto di parlare quel lo che crediamo essere commune sententia di Platone & di A ristotile, lasciata la prima, benche sola per se uera, seguiteren no questa seconda uia.

Che Dio produsse ab eterno una sola creatura incorporea, & intellettuale, tanto perfetta quanto essere poteua.

CAPITOLO. IIII.

SEguendo adunque noi la openione di Plotino, non solo da migliori Platonici, ma anchora da Aristotile, & da tutti li Arabi, & massime da Auicẽna seguitata. Dico che Dio ab eterno produsse una cratura di natura incorporea & intellettuale, tanto perfetta quanto è posibile che sia una co sa creata, & pero oltre ad lei niente altro produsse, imperoche da una causa perfettissima non puo procedere se non uno ef fetto perfettissimo, & quello che è perfettissimo, non puo essere piu che uno, come, uerbi gratia, el colore perfettissimo fra tutti e colori non puo essere piu che uno, perche fussono dua, ò piu, forza sarebbe che luno di loro fusii piu, ò manco perfetto dellaltro, altrimenti sarebbe luno quel medesimo che laltro, & cosi non sarebbono piu, ma uno. Quello adunque che sara manco perfetto dellaltro, non sara perfetissimo. Similmente se Dio hauessi prodotto oltre ad questa mente unaltra creatura,

non sarebbe

non sarrebbe stata perfettissima, perche sarrebbe stata manco perfetta di quella. Questa ragione sono io usato di addurre ad cõfirmatione di questa openione, & par mi piu efficace di quella che usa Auicenna, laquale si fonda sopra questo principio. che da una causa inquãto è una, nõ puo procedere piu che uno effetto, ma essendo introdotte quã queste materie, solo per intelligẽtia di quello che è nostro principale proposito, non è da immorare in loro con piu essatta essaminatione. Questo basti ad sapere che secondo questi philosophi, da Dio immediatamente non prouiene altra creatura che questa primamente, dico immediatamente, perche anchora dogni effetto che poi, & questa mẽte & ogni altra causa secõda produce, si dice Dio essere causa, ma mediata & remota. Questa prima mente creata, da Platone, & cosi dalli antichi philosophi, Mercurio trimegista, & Zoroastre, è chiamato hora figluolo de Dio, hora mente, hora Sapientia, hora ragione diuina. il che anchora interpretono alchuni, uerbo. Et habbi ciascuno diligente aduertentia di nõ credere che questo sia quello che de nostri Theologi e detto figluolo di Dio. imperoche noi intendiamo per il figluolo di Dio una medesima essentia col padre à lui in ogni cosa equale, creatore finalmente & non creatura, me debbesi comparare quello che Platonici chiamano figluolo di Dio, al primo & piu nobile angelo da Dio prodotto.

Di due modi di essere, Ideale, & Formale.

CAPITOLO. V.

PEr dichiaratione adunque di quello che seguirà, è da sapere che ogni causa che con arte con intelletto opera qualche effeto, ha prima in se la forma di quella cosa che uuole produrre, come uno architetto ha in se, & nell'anima sua la forma dello edificio che uuol fabricare, & riguardando ad quella come allo essempio, ad imitatione di quello produce & compone l' opera sua. Questa tal forma chiamano e Platonici Idea, & essemplare, & uogliono che quella forma dello edificio che a lartefice nella mente sua, habbia essere piu perfetto & piu uero, che lo edificio poi da esso artefice prodotto in materia cõueniẽte cioè di pietre, legni, ò altra cosa simile. Quello primo essere, chiamano essere ideale, ò uero intelligibile. Laltro chiamano essere materiale & sensibile, cosi se uno artefice adifica una casa, diranno essere dua case, una intelligibile, che ha lartifice nella mente, Vnaltra sensibile, che è quella che da esso artifice è cõposta, ò di marmo, ò di pietre, ò di altro, esprimendo quanto puo in quella materia la forma che in se ha concetta, & questo è quello che il nostro poẽta Dante tocca in una sua canzona, doue dice. Poi chi pinge figura, se non pue essere, lei, non la puo porre. Dicono adunq; e Platonici che benche Dio producessi una sola creatura, non dimeno produsse ogni cosa, perche in quella produsse le idee, & le forme di tutti le cose. E adũque in quella mente la idea del Sole, della Luna, & delli huomini, di tutti li animali, delle piante, delle pietre, delli elementi, & uniuersalmente dogni creatura, essendo la idea, del Sole piu uero sole che esso Sole sensibile, & cosi di ciascuna altra creatura, non solo segue che lui habbia ogni cosa prodotta, ma che lhabbi prodotta uel piu uero & piu perfetto modo di essere che possimo hauere, cioè uel loro essere ideale & intelligibile, & per questo chiamano questa mente mondo intelligibile.

Come questo mondo ab eterno fussi causato & prodotto da quella prima mente, et come el sia animato di anima perfettissima sopra ogni altra anima.

CAPITOLO. VI.

DA questa mente uogliono esser causato questo mondo sensibile, ilquale e una imagine & uno simulachro di quello intelligibile, & essendo lo essemplare, ad imitatione del quale fabricato questo perfettissimo fra tutte la cose create, segu ta che questo, sia anchora tanto perfetto quanto la sua natura patisse pero concioscia che ogni cosa animata sia piu perfetta che le manimate, & piu quelle che hanno anima rationale & intelligente, che le animate di anima irrationale, e necessario concedere che il mondo sia animato di anima perfettissima sopra tutte laltre anime. Questa e la prima anima rationale, laquale, quantunq; incorporea sia & immateriale, non dimeno e alligata à questo ministerio di reggere & muouere la natura corporale. pero non e cosi dal corpo libera & separata, come quella mente dallaquale ab eterno fu prodotta questa anima cosi come essa mente da Dio, & di qui si trahe euidentissimo argomento, che secondo Platone, non puo el mondo non essere eterno, come etiam consentano tutti e platonici. Pero cheessendo lanima del mondo eterna, & non potendo lei esser sanza el corpo, come loro uogliono, bisognia anchora che questo corpo mondano fussi ab eterno et cosi el moto celeste. perche lanima secondo e platonici, non puo essere & nõ muouere. Habbiamo ditto tutti e platonici conuenire in questo, che il mondo sia eterno, peroche & Attico, & Plutarco, & l. altri che uogliono che questo ordine presente del mondo habbi principio, nõ uogliono peroche inanzi a questo nulla altro fussi che Dio, come pone la nostra catholica chiesa, ma credono inãzi à questo ordinato moto del cielo, & presente dispositione delle cose mondane essere stato uno inordinato moto & tumultuario, retto da una anima informe & praua, & cosi cõcederebbono essere stati infiniti mondi, per che infinite uolte el mondo e suto dalla confusione del chaos in ordine redotto, & infinite uolte e in quello ritornato, ad che pare cõcordi la openione de Talmutisti, liquali domandano che faceua Dio ab eterno, & rispondono che creaua mondi, & poi li guastaua, quãtunq; seguẽdo la openione de Cabalisti alle loro parole si possa dare piu uero et piu conueniente senso. Questa openione attribuisse Aristotile à Platone, & pero qualche uolta dice che lui solo fa el tempo di nuouo, qualche uolta, come nel xii. della Methaphisica, confessa secondo Platone el moto essere stato eterno.

Come le tre predette nature, Dio, la natura angelica & la natura rationale, sono significate per questi tre nomi, Celio, Gioue & Saturno. & quello che per loro sintenda.

CAPITOLO. VII.

QVeste tre prime nature cioe Dio. Quella prima mente, & lanima del mondo, dalli antichi theologi de gẽtili, che sotto uelamenti poẽtici copriuano e loro mesterij sono denotate per questi tre nomi. Celio, Saturno, & Gioue. Celio e esso Dio che produce la prima mente ditta Saturno, & da Saturno e generato Gioue, che e lanima de mondo, & perche talhora si truouano questi tre nomi confusi cioe che il primo sara chiamato Gioue, & lanima del mondo Saturno, & quella mente Gioue, Dichiareremmo il fundamento & la ragione di questi nomi, laquale intesa, cõprehẽderemo che tutta quella uarieta & mutationi lequali paiano ad placito & licentiosamente fatte, procedono concordemente da uno medesimo fondamẽto. Dicono adunq; che questo nome Celio, e significatiuo dogni cosa prima. & eccellẽte sopra laltre, come el primo cielo che e il firmamẽto e primo supereminente è tutte le cose corporali. Saturno e significatiuo della natura intellettuale laquale solo attẽde et e uolta allo intẽdere & cõtẽplare. Gioue e significatiuo della uita attiua, laquale cõsiste nel reggere, administrare, & muouere con lo imperio suo le cose à se sogiette & inferiori. Queste dua proprieta si truouano ne pianeti da e medesimi nomi significati, cioe Saturno & Gioue, perche come loro dicono, Saturno fa li huomini contemplatiui, Gioue dà loro principati, gouerni, & administratione di popoli. & perche la uita contemplatiua e circa le cose superiori à chi contempla, &

lattiua circa le cose inferiori, lequali da chi e loro superiore sono rette & gouernate. per questo ogni natura per quanto in qualche modo si conuerte alle cose inferiori ad se, assimiglia al la uita attiua. Persupposta adunq; la dichiaratione di questi tre nomi, habbiamo ad considerare la proprieta di quelle tre nature, & sara chiaro & aperto quale nome, & per qual cagione si conuenga à ciascuna di quelle.

De la uariatione di questi tre nomi, Celio, Saturno, & Gioue. & perche & come si cõuenghi no à le tre sopradette nature.

CAPITOLO. VIII.

NEl primo, cioe Dio non si puo intendere che lui contempli, perche questa e proprieta di creatura intelletuale, de la quale esso dio e principio & causa, pero non si puo chiamare Saturno, ma solo di lui sintende questo, cioe lo essere principio dogni cosa, nel qual e intelleto sincludono due cose. La prima e la supereminentia & eccellentia sua, laquale ha ogni causa sopra el suo effetto, & per questo e chiamato Celio. La seconda e la produttione di quello che da lui procede, nella quale sintende conuersione alle cose à lui inferiori, mentre quel'e produce, il che di sopra dicemmo essere similitudine di uita attiua, & per questo in qualche modo se li conuiene el nome di Gioue, massime con adittione di somma perfettione, comme dicendo. Gioue ottimo massimo. Alla prima mente angelica conuengono piu nomi, perche e meno semplice che Dio, & piu diuersita in lei si uede. Et prima e da sapere che ogni creatura e composta di dua nature. Luna delle quali si chiama potentia o uero natura informe. Laltra atto o uero forma, et Platone nel Philebo chiama la prima infinito. & la secõda termine & fine. & da Auicebrone & molti altri sono chiamate, materia & forma. & quantunq; infra philosophi sia differentia di openione, se questa materia informe e in tutte le creature una medesima, & duna medesima ragione, o pure diuersamente in diuersi gradi di nature si truoui, nõdimeno tutti in quæsto conuengono, che ogni cosa che e mezza fra Dio & la materia, prima e mista di atto & di potentia, & questo ci basta, ne importa al proposito nostro per qual modo si sia o sintẽda essere questa, o mistione, o compositione. E adunq; per simil modo questa prima mente composta di queste dua parti et ogni imperfettione che e in lei, ui e per respetto di quella parte detta potentia, come per laltra ogni perfettione. In questa mente si possono cõsiderare tre operatiõi. Vna circa le cose à se superiori. Laltra circa se stessa. Laterza circa le cose à se inferiori. La prima non e altro che conuertirsi ad contemplare el padre suo. Et similmente la seconda non e altro che il conoscere se stessa. Lultima e uolgersi alla produttione & cura di questo mondo sensibile ilquale come di sopra dicemmo, e da quella prodotto. Queste tre operationi sintendono per que modo procedere da quella mente, che per merito di quella parte chiamata atto che e in lei, si riuolge in uerso el padre, per il merito dellaltra detta potentia condescende allo opificio delle cose inferiori, per il merito delluna & della altra in se stessa si ferma, Per le due prime operationi si chiamera Saturno, perche luna & laltra e contemplatione, per la terza Gioue, Et perche questo atto di produrre le cose mondane, gli conuiene per quella natura detta potentia, quella parte in lei principalmente si chiamera Gioue, il che e da osseruare per quello che nel seconao libro diremmo esponendo quello che sieno li orti di Gioue. Per il medesimo fondamento lanima del mondo, inquanto o se stessa, o le cose à se superiori contempla, si puo chiamare Saturno. In quanto e occupata al mouimento & al gouerno de corpi & attioni mondane, si chiama Gioue, Et perche a lei principalmente si conuiene questa operatione del gouerno delmondo corporale, come à quella mente si conuiene principalmente el contemplare, pero assolutamente si chiame Gioue, cosi come quella mente Saturno, benche quella mente ogni uolta che di lei si parla come di opifice del mondo, sempre si chiama Gioue, per la ragione disopra detta, questa e la uera proprieta di questi nomi.

Della compositione, diuisione, & ordine di questo mõdo sensibile, & la ragione per che se dice essere diuiso à tre figluoli di Saturno.

CAPITOLO. IX.

ADunque questo mondo prodotto da quella mente adimagine del mondo intelligibile in lei prodotto dal primo padre, composto come ciascuno animale della anima sua & del suo corpo. El corpo mondano e tutto questo che à gliocchi nostri appare fatto, come nel Timeo si scriue, di quatro elementi, Fuoco, Acqua, Aria, & Terra. Et per uera intelligentia di questo, e da ricordarsi del fondamento da noi posto nel primo capitolo di questo trattato, cioe che ogni cosa ha tre esseri, Causale, Formale & Participato, come in esso capitolo dichiarammo. Bisogna adunque che anchora questi quattro elementi habbino triplice modo die essere, El primo, cioe lo essere causale, hanno ne corpi celesti, perche la sostantia di quelli corpi, non e composta di questo Fuoco, Aria, Acqua, & Terra, che sono dalla Luna in giu, communemente chiamati elementi, ma in se si contienne tutti, come ogni causa contiene el suo effetto, per essere ne celesti corpi uirtu productiua de corpi inferiori, ne per modo alcuno si puo intendere che il corpo del cielo sia una sostantie mista de questi elementi, come sono li altri corpi misti apresso di noi, peroche seguirebbe oltre alle altre ragioni da altri adotte, che prima fussi facta questa parte del mondo dalla Luna in giu, che la parte superiore celeste, perche prima sintende lesser delli elementi in se semplici, & poi per loro cõcorso causarsi quello che di loro e misto. Hanno adunq; li elemẽti nel Cielo esser causale, come Platone uuole, et nõ esser formale, come rettamente Aristotile niega, & di questo altroue piu largamente parlarẽmo. Hãno elloro essere formale della Luna fino alla terra, & ilterzo essere, cioe participato imperfetto & diminuto, hãno nelle parte sotterrane, et che questo sia el uero, cioe che nelle uiscere della terra si truoui fuoco, aria, & acqua, lo demonstra la esperientia, & li philosophi naturali lo pruouono, & li antichi theologi lo confermono, disegnando quelli enigmaticamente per li quattro fiumi infernali. Acheronte, Cocyto, Styge & Phlegetonte. Possiamo adunque diuidere el corpo mondano in tre parti, Celeste, Mondana, & Infernale, usando questi dua secondi nomi, secondo el commune uso diparlare, usurpato etiamdio dalli antichi, che e di chiamare questa parte dalla Luna in giu propriamente mõdo, onde Giouãni euãgelista parlãdo delle anima che da Dio ne corpi sinfondano, dice, ogni anima che uiene in questo mondo, & cosi in molti altri luoghi anchora si truoua osseruato. Similmente questa parte sotterranea chiamano inferno, deputata per luogo di supplicio alle anime nocẽti. Di qui si puo intẽdere per qual cagione e ditto da Poëti el regno di Saturno à tre suoi figluoli essere diuiso, à Gioue, Neptuno, & Plutone, che non denota altro se non la triplice uariatione di questo mondo corporale, & quãto al corpo per il modo ditto, & quanto anchora alla nima mondana secondo che noi intendiamo queste tre parti essere animate. El regno di Saturno e il mondo intelligibile & essemplare di questo, il quale mentre di Saturno rimane, cioe mẽtre rimane nel suo essere ideale & intelligibile, rimane uno & indiuiso, & consequentemente piu fermo & piu potente, ma poi che alle mani de figluoli e peruenuto, cioe che e transmutato à questo essere corporole, & da loro in tre parti e diuiso per la uariatione di quello triplice essere de corpi, diuiene piu infermo &

mo & meno potente assai che non era prima, degenerando dal primo quanto degenera ogni cosa corporea dalle spirituali. Di cono la prima parte, cioe la celeste essere suta di Gioue, Lultima & piu infima, di Plutone & quella del mezzo di Neptuno. Et perche questa parte e quella doue principalmente si fa ogni generatione & corruttione, pero e significata da Theologi per lacqua & per il mare che e in continuo fluſſo & refluſſo, onde, & da Eraclito, questo continuo moto delle cose generabili & corruttibili e assomigliato al moto di uno rapidissimo torrēte, per questo dicono e Poëti à Neptuno essere tocco el regno del mare, & per Neptuno e Theologi de gētili ne loro mysterij intendano quella potentia, o uero deita che e preside della generatione, ne per questo pero habbianno ad intendere essere tre anime diuerse, lequali informino & reghino queste tre parti del mondo, imperoche essendo el mondo uno, debba hauere anchora una sola anima, Laquale inquāto anima & uiuifica le parti del mondo sotterranee, si chiama Plutone, inquanto uiuifica le parti che sono sotto la Luna, si chiama Neptuno, inquāto uiuifica le celesti si chiame Gioue, & pero dice Platone nel Philebo che per Gioue sintende una anima regia, cioe quella parte dellanima del mondo che e la principale, & regge & domina alle altre. Et benche da altri altrimenti sia fatta questa diuisione in questi tre figlioli di Saturno, ho uoluto solamente recitare quella che e opinione mia propria, & che io essistimo essere piu uera, pretermettendo le esposituoni da Græci addotte, dellequali altroue farēmo piu integra essaminatione, & ad piu perfetta cognitione delle cose dette, cioe della natura de corpi celesti & mondani & elementali, ho ad ricordare che secondo e piu de Platonici e corpi celesti sono composti di materia & di forma, come li altri corpi, benche di materia piu perfetta & daltra natura.

Che le anime dele otto sphere celeste insieme con lanima del mondo sono le noue Muse.

CAPITOLO. X.

DOppo lanima del mondo pongono e Platonici molte altre anima rationali, fra lequali ne sono otto principali, che sono lanima delle sphere celeste, lequali secondo li antichi nō sono piu che otto, cioe sette pianetti, & la sphera stellata. Queste sono le nouo Muse tanto da Poëti celebrate, fra lequali e la prima Callyope, che e luniuersale anima del mondo, & laltre otto per ordine sono distribuite ciascuna alla sua sphera.

De lanima uniuersale del mondo, & di tutte le altre anime rationali, & della conuenientia che ha lhuomo con tutte le parti del mondo.

CAPITOLO. XI.

SCriue Platone nel Timeo che nel medesimo uaso, & de medesimi elementi fabrico el fattore del mondo lanima mondana & tutte laltre anime rationali, fra lequali, come luniuersale anima del mondo e la piu perfetta, cosi la nostra e lultima & la manco perfetta, delle parti dellaquale noterēmo una sōmaria diuisione. La natura delhuomo quasi uīcolo & nodo del mondo, e collocata nel grado mezzo dello uniuerso, & come ogni mezzo participa de li estremi, cosi lhuomo per diuerse sue parti cō tutte le parti del mōdo ha cōmunione, & cōueniētia, per laqual cagione si suole chiamare Microcosmo, cioe picol mondo. Nel mondo prima ueggiamo essere la natura corporale, & questa e duplice, una eterne, che e la sostātia de cieli, laltra corruttibile, quali sono li elementi, & ogni natura di quelli composta, come le pietre, metalli & simili cose: poi sono le piāte: & sopra questi nel terzo grado li animali bruti, nel quarto li animali rationali: nel quinto le mente angeliche, sopra lequali e esso Dio fonte & principio dogni essere creato. Similmente nelhuomo sono due corpi, come nel nostro concilio prouerrēmo, Vno eterno chiamato da Platonici Vehiculo celeste, ilquale lanima rationale e immediate uiuificato, laltro corruttibile noi ueggiamo con gliocchi corporali composto di quattro elementi, poi e in lui la uegetatiua per laquale questo corrotti bile corpo si genera, si nutrisce, & cresce, & quello eterno uiue di perpetua uita. Tertio uie la parte sensitiua & motiua, per laquale ha conuenientia con li animali irrationali. Quarto uie la parte rationale, quale e propria delhuomo & delli animali rationali, & da peripatheci latini e creduta essere lultima & la piu nobil parte dellanima nostra, non ostante che sopra essa sia la parte, intellettuale & angelica, perlaquale lhuomo cosi conuiene con li Angeli come per la parte sensitiua conuiene con le bestie. Elsommo di questa parte intellettiua le chiamano e Platonici unita dellanima, & uogliono, sia quella per laquale lhuomo immediatamente con Dio si congiunge, & quasi con lui conuiene, come per la parte uegetatiua conuiene con le piante. Di queste parti dellanima quali sieno immortali et quali mortali e fra Platonici discordia. Proclo & Porphyrio uogliono che solo la parte rationale sia immortale, & tutte laltre corruttibili. Zenocrate & Speusippo uogliono che oltre ad questa la parte sensitiua anchora sia immortale. Numenio & Plotino aggiugnendo à queste anchora la parte uegetatiua, concludono ogni anima essere immortale.

Delle Idee, & de loro triplice essere.

CAPITOLO. XII. ET VLTIMO DEL PRIMO LIBRO.

LA materia delle Idee da Platonici celebrata fra tutte le questioni di philosophia e per aduentura la piu utile & la piu dificile & noi, perche da quella depende el conoscere delli angeli, & dellanima nostra, & del anima celeste, nel nostro concilio, & nel commento sopra el conuiuio di Platone essattamente ne parleremmo. dellaquella materia perche e Platonici greci, dico quelli che alle nostre mani sono peruenuti, ossecuramente & breuemente ne parlano, nō sara forse lopera nostra inutile alli studiosi delle cose Platonice, se per quāto fa al proposito nostro, noterēmo di loro certi cōpendiosi detti, prima facciamo fine al presente libro introduttiuo al sequente trattato di amore. Douemo adūq; ricordarci del primo fundamento da noi posto nel primo capitolo, cioe come ogni cosa ha triplice modo di essere, causale, & formale, & participato. Bisogna adunq; che il simile sia delle Idee, lequali in Dio harāno essere causale, nello Angelo formale, nellanima rationale, participato. In Dio adunque secondo Platonici non sono idee, ma lui e causa & principio di tutte le idee, lequalli lui primamente produce nella natura angelica, come etiamdio chiaramente nelli oracoli de Caldei si truoua scritto, & da esso angelo ne fatta participe lanima rationale, pero lanima nostra quando si uolge alla parte sua intellettuele & angelica, e da quella illuminata, participando le uere forme delle cose lequali cosi come nello intelletto si chiamano Idee, cosi poi nellanima si chiamano ragione & non Idee, & in questo sono differente lanime de corpi corruttibile, come le nostre, & de alcuni demoni, secondo Platonici, dalle anime celeste, perche le celeste per la administratione del corpo non si partono pero dalla parte intellettuale, ma ad lei sempre conuerse & cōgiunte insieme essercitano luno & laltro officio, & del contemplare, & del gouernare e corpi, & per questo diranno e Platonici che corpi ascendano ad loro, & non loro descendano à corpi. Laltre addotte alla cura de corpi caduci & terreni occupate in questo si priuano della contemplatione intellettuale, & mendicano la scientia delle cose da sensi, alliquali al tutto sono inclinate, & pero sempre di molti errori & opinioni false sono piene dallaqual prigione & miseria uedremo di sotto essere potissimo

mezzo à liberarne la uia amatoria, laquale mediante la bellezza delle cose corporee & sensibile eccita nellanima memoria delle parti intellettuali, & cagione che ad quella riuolgendosi dalla terrena uita, ueramente sogno di ombra, come scriue Pindaro, ella eterna trasferendosi, & dal foco amoroso quasi purgata in angelica forma, come noi nellopera sequente dichiararemmo, felicemente si trasformi.

SEGVITA EL SECONDO LIBRO DELLO ILLVstrissimo. S. conte Ioanni Pico Mirandolano sopra la predetta cãzona, che ogni uolta chel nome delle cosa proposta e ambigua, si debba prima presuppore quello che per tal nome si significhi.

CAPITOLO. PRIMO

DIce Platone in piu luogi, et doppo lui Aristotile, & uniuersalmente tutte le schole de Philosophi, che nel principio del trattare dogni materia si debbe presupporre quello che significa el nome dell cosa dellaqual si ha ad disputare, Et per essecutione di questo ci comandano che ogni uolta che tale nome equiuoco, cioe significatiuo di diuerse cose & uarie, dobbiamo distinguere essi significati, & dichiarare per quale principalmente intendiamo di usare esso nome, peroche altrimenti e sempre ogni disputatione confusa, inordinata, & uana, ne daltronde procedeuano li errori di quelli Sophisti, liquali intanti sua dialogi riprehende Platone, se non dal nõ sapere questa regola di distinguere e termini equiuoci & ambigui, dallaquale regola uuole Eudemo essere stato el primo inuentore Platone pero chi sanza logica, nellaqualle il predetto modo simpara alle cose de Philosophi, & massime de Platonici ha posto o uero pone mano, e forza che & se stesso & qualunq; altro che a sua detti porge gli orecchi empia di errori infiniti, & digrandissima cõfusione. Essendo adunq; questo nome, Amore, come nel sequente capitolo uedrẽmo, commune ad significare diuerse cose, e necessario prima che di amore parliammo, dichiarare quello che per questo nome sintenda, escludendo ogni altra cosa che questo importare potessi.

Di questo uocabulo Amore, et di diuersi suoi significati.

CAPITOLO. II.

COsi come le uirtu cognoscitiue dellanima si riuolgono circa el uero & el falso, cosi le uirtu desiderative circa il bene & il male, La uirtu che conosce assente à quello che iudica essere uero, dissente da quello che iudica essere falso, quello assentire si chiama da philosophi affirmatione, quello dissentire si chiama negatione. Similmente la uirtu dellanima che desidera à quello che se li appresenta con faccia di buono, ad quello sinclina, & da quello che con faccia di male se li demostra, fugge & si ritrahe, quella inclinatione si chiama amore. quella fuga & quello ritrarsi si chiama odio. Questo e il piu largo & piu commune significato di questo uocabulo di Amore, che si possa intendere. Sotto questo sono molte specie le quali si uerificano secõdo la diuersita de beni, ne liquali el desiderio nostro sinclina, come, uerbi gratia, se questo Amore e circa la roba, & massime se e inordinato, si chiamera, auaritia, se circa honori, ambitione. similmẽte se fia circa Dio o alcuno superiore à noi, si chiamera pieta. Se circa à uno equale, amicitia. Escludẽdo adũq; questo, & tutti li altri significati, noi habbiano ad intẽdere quello solo che e desiderio di possedere quello ò che e, ò à noi pare che sia bello, et cosi nel cõuiuio di Platone e diffinito, amore e desiderio di bellezza, & come dicẽdo el Poëta, appresso de Greci sintende Homero appresso li nostri Vergilio per la loro eccellẽtia fra tutti e Poëti, cosi dicẽdo Amore assolutamẽte, sintẽde amore di bellezza. certo come di quello che eccelle et supera ciascuno desiderio dogni altra cosa creata. questo similmẽte si osserua nella lingua latina, nellaquale bẽ che propriamente si dica el tale ama Dio, el tale el fratello, el tale e danari. tuttauia dicẽdo assolutamẽte el tale ama, sintẽde lui essere preso da questo desiderio di bellezza dalcuno. il che uulgarmẽte si dice essere inamorato. Et per che fra tutti e desiderij damore, questo desiderio di bellezza e il piu uehemente, onde & Platone dice nel Phedro, che amore e detto da questo uocabolo Romis, che appresso de greci significa quello che apresso del nostro uulgare, fortezza, & uehemẽtia. Per questo ogni uolta che noi uogliano significare qualche altro amore et desiderio essere uehemente, lo denotiamo per questo nome, come si dice el tale essere inamorato delle lettere, el tale delle arme, & cosi delle altre cose, & Platone nel cõuiuio & nel Phedro, & el Poëta nostro nella presente cãzona parlono di quello amore, del quale chi e preso, uolgarmẽte si dice essere inamorato, il che nõ e altro che desiderio di possedere & di fruire la bellezza di altrui di che si cõclude che el amore col quale Dio ama le creature, et quello che propriamẽte si chiama amicitia, et molti altri simili, sono diuersi da questo amore di che si parla, et per hora basti dire questo, che sẽdo amore del quale si parla, desiderio di possedere la bellezza daltrui, nõ essendo in dio desiderio di cosa alcũa fuora di lui come quello che e in tutto perfettissimo, & nessuna cosa li mãca, nõ potrebbe piu à lui repugnare questo amore. imperoche quello cõ ilquale lui ama le creature nasce ad põto da opposita cagione. In quello, colui che ama ha bisogno della cosa amata, & riceue da lei, cioe dallo amato, la perfettione sua, in questo, cioe amore diuino, lo amato ha bisogno de lo amãte, & chiama da, & nõ riceue. Similmẽte quello amore che amicitia si chiama ha opposita proprieta allamore nostro. Nella amicitia e sempre necessaria la reciprocatiõe, cioe che luno amico pil medesimo modo & per la medesima cagione ami laltro, & cosi e cõuerso, come Platone dice in molti luoghi, il che nõ e necessario nellamore nostro, imperoche colui che ama puo essere nõ bello, & cõseguentemente non atto ad muouere lo amato ad mutuo desiderio della sua bellezza. Amore adunq; delquale noi habbiamo ad parlare sipuo cosi definire, come anchora Platone il definisce, desiderio di bellezza, desiderio, ui si pone come natura generica & commune, per laquale amore conuiene con tutti li altri desiderij, come lhuomo inquanto e glie animale, conuiene con tutte le fiere, poi ui si aggiunge de bellezza, che specifica la natura propria di amore, & lo distingue da ogni altro desiderio, come per lo essere rationale, & mortale si dinstingue lhuomo dagli altri animali. Se adunque conosceremo perfettamente le parti di questa definitione, conosceremo perfettamente amore. Et cominciando dala prima dico che desiderio non e altro che una inclinatione & impeto di colui che desidera in quello che o e ueramente, o lui estima à se essere conueniente, & quella tal cosa si chiama bene, pero lo oggietto del desiderio e il bene o uero, o apparẽte, & come poi si truouono diuerse specie di beni, cosi nascono diuerse specie di desiderij, come nel proposito nostro, amore, che e una specie di desiderio, & circa una specie di bene che si chiama bello, di che si conclude che il bello dal buono e differente, come una specie dal suo genere, & non come cosa estrinseca da una intrinseca. Puosi diuidere el desiderio per sua prima diuisione in desiderio naturale, & desiderio con cognitione. Et per piena intelligentia che cosa e desiderio naturale, è da intendere che essendolo oggietto del desiderio el bene, & hauendo ogni creatura qualche perfettione à se propria per participatione della

bonta diuina, dallaquale cioe che processe, come scriue Moyse, fu grãdemẽte buono, bisogna che habbia uno certo fine, nel qua se quel grado, di che lei e capace di felicita, ritruoua, & in quel lo naturalmente si diriza & uolga, come ogni cosa graue al suo centro. Questa inclinatione nelle creature che non hanno cognitione, si chiamo desiderio naturale, grande testimonio della prouidentia diuina, dalaquale sono state queste tali creature al suo fine dirizate, come la saetta del sagittario al suo berzaglio, ilquale non e dalla saetta conosciuto, ma da colui che con occhio di sapientissima prouidentia uerso quello la muoue. Di questo desiderio e desiderato Dio da tutte le creature, peroche essendo ogni bene particulare uno uestigio & una participatione del primo bene, che e esso Dio, in ogni bene che si desidera, lui e el primo desiderato. Non e altro el bene delle pietre & delle piante se non quello di che loro sono capace di participare della bonta diuina, & secondo che una natura e capace di participare piu o meno, cosi e ordinata o ad piu, o ad meno nobile fine, pero el fine di tutte le creature e uno, cioe fruire, Dio, per il modo à loro possibile, & gustare quanto piu possono della dolcezza della sua bonta, ma secondo e poterne conseguitare piu o meno sono diuersificati e fini, & di qui puoi intendere come dio e quel bene del quale dice Aristotile nel principio della ethica. che tutte le cose lo desiderano, & per quello che e ditto si puo conoscere in che modo lo desiderio anchora che non conoscinto, & in che modo non desiderino cosa à loro impossibile, & quanto sia lontana dal uero la espositione di coloro che hanno altrimenti in quel passo interpretato Aristotile, per euidentissime ragioni altroue dichiarerẽmo, con questo naturale desiderio uolgendosi ad lui, ogni creatura lo lauda & adora, come cantano li propheti hebrei, & ad lui quasi supplicando tutti si uoltano & offeriscono, come scriue el gran platonico Theodoro.

Del desiderio in commune, & come quanto e per se, sempre sia uolto al bene.

CAPITOLO. III.

LAltra spetie di desiderio non e se non circa le cose conosciute da chi desidera, & e dalla natura instituto che à ogni uirtu conoscente sia cõgiunta una uirtu appetitiua laqual quello che la conosce ne iudica essere bene, ama & abbraccia, quello che iudica essere male, odia & refiuta. lei inquãto e per sua natura, e sempre uolta al bene, ne mai fu alcuno che desiderassi di essere misero, ma perche la uirtu che conosce spesso nel iudicare singanna, & iudica esser bene quello che inuerita e male aduiene che qualche uolta dalla uirtu appetitiua quale per se e cieca & non conosce, e desiderato il male, & da lunc anto si puo dire che uolontariamente il faccia, perche à lei nessuno puo fare uiolentia, dallaltro si puo dire che non uolontariamente, perche lo fa ingãnata dal iudicio della compagna, perche lei per se mai desiderarebbe il male. Questo intẽde Platone nel Timeo quãdo dice che nessuno uolontariamẽte pecca.

Che el conoscere le cose, e uno possederle,

CAPITOLO. IIII.

COnsegue à ogni uirtu desideratiua una proprieta commune, & e che sempre chi desidera in parte possiede la cosa desiderata, & in parte no, & se della possessione di quella fussi in tutto priuata, mai la desiderarebbe. il che per dua modi si uerifica, El primo e perche come nel precedente capitolo dicẽmo, non si desidera la cosa se non poi che e conosciuta, & da philosophi e sottilmente dichiarato, come el cose e uno possederle, onde segue el detto uulgato di Aristotile, chalanima nostra e ogni cosa perche ogni cosa conosce, et appresso ad Asaph. poeta hebreo dice, Dio tutte le cose sono mia, per che tutte le conosco, benche, come fra il suo conoscere & il nostro e differentia grandissima, cosi fia parimente nel possedere L altro modo e che sempre fra chi desidera & la cosa desiderata cõuenientia & similitudine, gode, & cõseruasi ogni cosa per quello che à lei per cognatione di natura e piu conforme, per quello che glie dissimile & contrario, si attrista & si corrompe pero infra dissimili non cade amore, & la repugnantia di dua nature opposite non e altro che uno odio naturale, come lodio non e altro che una repugnantia con cognitione. Di questo euidentemente segue essere necessario che la natura del desiderato inqualche modo si truoui nel desiderante, perche altrimẽti fra loro non sarebbe similitudine, & che imperfettamente seli truoui, perche uano saria cercare quello che in tutto si possiede.

Che à diuerse nature conoscente, sono annesse diuerse nature appetitiue.

CAPITOLO. V.

COme el desiderio in commune segue la cognitione in cõmune, cosi à diuerse nature conoscente sono annesse diuerse nature appetitiue, & quanto per hora basta. Si possson le uirtu cognitiue in tre gradi distinguere, insenso, ragione, & intelletto, allequali simulmente conseguono tre gradi di natura desideratiua che si potranno chiamare appetito electione, & uolunta. Lappetito segue il senso, la elettione, la ragione, la uolunta, lo intelletto. Lappetito nelli animali brutti, la elettione nelli huoi, & in ogni altra creatura che si truoua mezza fra noi & li angeli, la uolunta nelli angeli, & cosi come il senso non conosce se non le cose corporali & sensibili, cosi lo appetito non desidera se non le cose corporali & sensibili & come lo intelletto angelico solo alla contẽplatione delli spirituali cõceti inteso et uolto, ne alle cose materiali sinclinase nõ quãto loro gia dalla materia assolute et sciolte, immateriale & spirituale diuengono, cosi la uolonta loro solo de beni intemporali & spirituali si pasce, la natura rationale posta fra questi dua come uno mezzo fra li estremi, hora à luna parte, cioe al senso inclinata, hora allaltra, cioe allo intelletto eleuandosi, alli desiderij delluna & dellaltra per propria ellettione puo accostarsi. Di tutte le supradette cose si puo concludere che ogni uolta che la cosa desiderata cosa corporea & sensibile, bisogna che il desiderio di quella sia, o appetito che segua il senso, o elettione di ragione inclinata alsenso, ogni uolta che le cosa spirituale & incorporea, conuien che sia, o uolonta intellettiua le & angelica, o elettione di ragione alla sublimita dello intelletto assumtta, & eleuata. Visto adunque Amore essere desiderio, & dichiarato che cosa e desiderio, per conoscere che desiderio e Amore, seglie, o sensitiuo, orationale, o intellettiuo, che tanto e a dire quanto desiderio bestiale, o humano, angelico, bisogna uedere che cosa sia bellezza che e loggietto del desiderio, il che conosciuto, harẽmo della definitione di Amore, & consequentemente dilui assoluta cognitione.

Della bellezza commune.

CAPITOLO. VI.

QVesto uocabolo bellezza si puo pigliare secondo una larga & commune significatione, & puosi pigliare propriamente. Secondo el primo modo, ogni uolta che piu cose diuerse concorrono ad constitutione duna terza, laquale nasca dalla debita mistione & temperamento fatto di quelle cose uarie, quello decore & quella Harmonia & quella temperantia che resulta di quella proportionata commistione, si chiama bellezza. Et concioßia che ogni cosa creata sia composta & sia con tanta debita ragione, & proportione composta quanto possibil sia alla natura di quella cosa puossi secondo modo predetto chiamare bella ciascuna cosa creata, non essendo essa bellezza altro che quello temperamento ilquale e causa che quelle nature, benche diuerse & uarie, pur

conuengano & concordano insieme ad comporre una natura & Secõdo questa ragione nessuna cosa semplice puo essere bella, di che segue che in Dio non sia bellezza. Dopo Dio comincia la bellezza, per che cõmincia la contrarieta senza laquale nõ puo essere alcuna cosa creata, ma sarebbe solo esso Dio, ne basta questa contrarieta & discordia di diuerse nature ad constituire la creatura, se per debito temperamento non diuenta & la contrarieta unita, & la discordia, concorde, il che si puo per uera definitione assegnare di essa bellezza, cioe che non sia altro che una amica inimicitia, & una concorde discordia. Per questo diceua Heraclito, la guerra & la concordia essere padre & genetrice delle cose, & apresso à Homero, chi maladice la contentione, e detto hauere bestemiato la natura. Ma piu perfettamente parlo Empedocle ponendo nõ la discordia per se, ma insieme con la concordia essere principio de le cose intẽdẽdo per la discordia la uarieta delle nature di che loro si compongono, & per la concordia, la unione di quelle, & pero solo in Dio diceua non essere discordia, perche in lui non e unione di diuerse nature, anzie e essa unità semplice senza compositione alcuna, & perche in essa constitutione della creatura e necessario che e lunione superi la cõtrarieta, altrimẽti la cosa si risoluerebbe, perche da loro insieme si separerebbano sua principij, pero e detto da Poeti che Venere ama Marte, perche quel la bellezza laquale si chiama Venere, come noi di sotto diremo, non sta sanza quella cõtrarietà, & che Venere domi et mitighi Marte, non per altro si dice, se non perche quel temperamento mitiga, rafrena, & retunde la pugna & lodio che e fra quelle nature contrarie. Simelmente appresso delli antichi Astrologi, la oppenione de quali segue Platone & Aristotile, & secondo che scriue Alleßandro Hißpano, anchora Moyse, Venere fu posta in mezzo del cielo appresso ad Marte, adioche hauesi ad domare limpeto di quello il quale e di sua natura corrottiuo & distruttiuo, cosi come anchora Gioue la malitia di Saturno. Et se sempre Marte fussi sostoposto à Venere, cioe la contrarieta de principij componenti à loro debiti temperamenti, nessuna cosa mai si corromperebbe.

Della bellezza propriamente presa.

CAPITOLO. VII.

Questa e la larga & commune significatione di bellezza, nellaquale significatione communica con lei questo uocabolo Harmonia, onde si dice Dio con musico & harmoniaco temperamento hauere composto tutto il mondo, ma cosi come Harmonia cõmunemente si puo piglia re per il debito temperamento dogni cosa composta, propriamente, significa solo el tẽperamẽto di piu uoce cõueniente insieme à una melodia, cosi bẽche, bellezza si possa dire dogni cosa debitamẽte composta, tuttauia il suo proprio significato e solamente alle cose uisibili, cosi come Harmonia alle cose audibili, & questa bellezza e quella, el desiderio dellaquale e chiamato Amore & pero da una sola potentia conoscitiua nasce Amore cioe dal uiso, come e da Museo, & da Propertio, & uniuersalmenti da tutti e Poeti & Greci & Latini fu sempre celebrato, & muouesi per questo Plotino ad credere che Eros, che in greco significa Amore, si deriui da questa dittione Oraßis, che significa uisione, ma direbbe uno se bellezza e solo nelle cose che il uiso cõprẽde, come si puo attribuere elle idee che e natura al tutto inuisibile? Per dichiaratione di questo dubio, dalquale depende il fondamento di questa materia, e da notare che sono dua uisi, luno corporale, laltro incorporale, El primo e quello che communemente si chiama uiso, elquale dice Aristotile essere da noi amato sopra tutti li altri sensi. Laltro e quella potentia dellanima, per laquale nel penultimo capitolo del primo libro fu detto noi hauere conuenientia con li Angeli. Questa potentia da tutti e Platonici e chiamata uiso, ne questo uiso corporale e altro che una imagine di quello, & Aristotile nella Bthica sua, & in molti altri luoghi dice nõ hauere altra proportione lo inteletto allanima che il uiso al corpo. Onde & Palla de per laquale e significato la intellettuale sapientia, per tutto apresso ad Homero della bellezza delli occhi si uãta, cõ questo uiso uidde Moyse, uidde Paulo, uiddono molti altri eletti la faccia di Dio, & questo e quello che nostri Theologi chiamano la cognitione intellettuale, cognitione intuitiua, con questo uiso Giouãni euangelista dice, e giuste hauere ad uedere el sommo Dio, & questa essere tutta la mercede nostra.

Che le bellezze prepriamente prese sono due cioe bellezza corporale, & bellezza intelligibile.

CAPITOLO. VIII.

Essendo adunq; bellezza nelle cose uisibili, & essẽdo dua uisi, luno corporale, laltro incorporale, saranno anchora dua obietti uisibili, & cõsequentemente dua bellezze, & queste sono le dua Venere da Platone celebrate, & dal Poeta nostro, cioe la bellezza corporale & sensibile, ditta Venere uolgare. et la bellezza intelligibile che e in esse Idee, laquale come disopra dimostramo e obietto dello intelletto come e colorî del uiso, & chiamasi Venere celeste, di che seguita che essendo Amore appetito di bellezza, che cosi come sono dua bellezze, sieno anchora necessariamẽte dua Amori, uolgare et celeste, et cosi come quello la uolgare & sensibile, cosi questo la celeste & intelligibile bellezza desidera. Pero disse Platone nel conuiuio, che quante Venere sono, tãti sono necessariamẽte li Amorî

Per quale cagione si dica Venere, cioe la bellezza essere madre di Amore.

CAPITOLO. IX.

Eadunq; Venere non potentia alcuna dellanima, ma essa bellezza dallaquale essendo generato Amore, meritamente e ditta madre di quello, imperoche la bellezza e causa dello Amore, non come principio prodottiuo di esso atto, che e amare, ma come obietto, perche secondo Platonici, delli atti dellanima nostra essa anima e causa effettiua, et li obietti sono come materia, circa laquale lanima produce quelli atti, uenẽdo per questa ragione la bellezza ad essere causa materiale dello Amore e detta Venere essere sua madre, perche da Philosophi la causa materiale si assomiglia alla madre, come la efficiente al padre.

Breue Epilogo di Venere, di amore, & delle Idee.

CAPITOLO. X.

Sara adunque Venere essa bellezza laquale genera lo Amore, genera quella celeste et ideale, lo amore celeste ilquale si diffinira cosi. Amore celeste e desiderio intellettuale dî Ideale bellezza. Disopra e dichiarato che cosa e desiderio, & che cosa e appetito intellettuale. Delle Idee si parlo nel quinto capitolo del prî libro, lequali per dire breuemente non sono altro che forme essemplare delle nature delle cose, & di esse e pieno ogni intelletto, & per quelle intende, dellequali si scriue nel libro delle cause, che ogni intelligentia e piena diforme, & fu nel ultimo capitolo del primo libro demõstrato essere queste forme chiamate Idee in esso Dio, come in suo fonte & principio, et essere essentialmente nella mente angelica, nellaquale prima mente sono prodotte da esso dio, ultimamente per participatione nellanima rationale, laquale, cosi come participa la sofiãtia de lo intelletto, cosi participa esse idee, & consequentemente la bellezza di quelle. di che possiamo concludere, lo Amore della bellezza dellanima essere non gia amore celeste perfettamente, ma perfetta & propinqua imagine di quello, ma il primo & el piu uero iui essere doue si truoua appetito della

ideale

ideale bellezza il che e di necessita nella prima mête, laquale sensa mezzo, Dio della bellezza delle Idee ueste & adorna.

Del nascimentō di Amore, & quello che si intenda per li orti di Gioue, per Poro, & per Penia, & per e natali di Venere.

CAPITOLO. XI.

Dice Platone, Amore esser nato nelli orti di Gioue, ne natali di Venere, essendosi Poro accompagnato con Penia, & essendo tutti li Dij nel conuito posti ad mensa, & esso Poro figluolo del consiglio inebriato di nectare. E adunq; da presuppore prima esso Dio esser increato & creatore dogni cosa. Di poi habbiammo ad intēdere quella natura informe, laquale da esso Dio formata, fa lamente angelica, come disopra fu detto. la forma che Dio da alla mête angelica, non e altro che esse idee, laquale come dicēmo e la prima bellezza. Descendono adunque esse idee nello angelo da Dio, & perche ogni cosa allontanandosi dal suo principio & fonte, & mescolandosi à natura contraria, diuenta piu imperfetta, pero esse idee allongandosi da Dio loro fonte & principio, & coniungendosi à quella natura informe diuersa in tutto & aliena dalla sua forma, e necessario che diuentino imperfette. Ha adunq; langelo alhora in se la bellezza delle idee, ma imperfetta, & dalla opacita della sua sostātia ottenebrata, di che e necessario che in lui segua desiderio di hauere la perfettione di quelle, il quale desiderio essendo desiderio di bellezza, e quello desiderio che da noi e chiamato Amore. ilquale non nascerebbe se, ò le Idee non fussino nello angelo, ò se uifussino perfette, perche come nel quarto Capitolo di questo libro dichiaramo, la cosa desiderata, parte si possiede, parte no, & se lamante fussi in tutto primo della cosa amata, non sarebbe tra loro similitudine al cuna, il che e causa dello Amore. Nasce adūque questo amore quando Porò che significa copia, cioe laffluentia di esse Idee, si mischia con quella natura informe chiamata Penia, perche e pouera & mēdica, essendo dogni essere & dogni atto priuata, ne e proprio Penia lessentia di quella natura informe, ma e la indigentia & la imperfettione di quella. Essa natura informe dichiaramo nello ottauo Capitolo del primo libro essere chiamata Gioue, & perche ragione in quello luogho e chiamata Orti di Gioue, cioe, perche in quella sono piantate le Idee, non altrimenti che li arbori in uno orto, & di qui nasce che essa mête angelica adornata gia di esse Idee, dalli antichi fu chiamata Paradiso, che e uocabolo græco & significa quel che e appresso di noi giardino, & coloro che tutti sono nella uita intellettuale & eleuati gia sopra la natura humana simili fatti alli angeli, si nutriscono del contemplare, furono detti essere in Paradiso, al laqual uita contemplatiua & felicità eterna essortandoci Zoroastre esclama, cerca cerca el paradiso. laqual dittione di poi da nostri Theologi e stata transferita ad significare etiam esso luogo corporale, cioe el supremo cielo che e stāza & habitatione delle anime beate, la beatitudine delle quali consiste in esso contemplare, & nella perfettione dello intelletto, come Platone nel Philebo, & nello Epinomide apertamente dice. Sono adunq; li orti di Gioue quella essentia informe. & in essa della perfettione delle Idee che e esso Porò mista con la imperfettione di esse, & indigentia dello essere perfette, laqual nasce dalla imperfetta natura di quella essentia, nacque Amore, cioe desiderio della perfettione di quella, ne prima nacque amore, che ne natali di Venere, cioe nō prima che la ideale bellezza, benche imperfetta nascessi nella mente angelica. Et tanto e adire ne natali di Venere, quanto se dicessi essendo quasi Venere imperfetta & diferente dalla perfetta bellezza, come uno fanciullo in fasce da esso adulto & gia peruenuto alla eta perfetta, & ne natali di Venere tutti li Dij erono posti ad mensa, per questo e da ricordarsi di quello che fu detto nel sesto capitolo del primo libro, che ogni cosa oltre al suo essere naturale, ha uno altro essere detto ideale, secōdo ilquale fu prodotto da Dio nella prima mente, pero per Saturno si puo intendere & interpretare & Saturno pianeta, & la idea di Saturno & similmente di tutti li altri. Quiui per li dei habbiamo ad intendere le idee di tutti li dei, & in questo segue Platone el modo di parlare di Parmenide pythagorico, il quale chiama sempre esse idee Dij, li Dij adunque sono esse idee, lequali precedono essa Venere, impero che lei e quello decore & quella gratia che resulta della uarietà di quelle idee, & dicesi che erano al conuito & ad mensa, per che el loro padre alhora le pascea di ambrosia, & di nectare. Per intelligentia dellaqual cosa e da sapere che li antichi theologi de gentili come scriue Hesiodo, et Aristotile conferma, dicono tutte quelle cose che dio cibo al la sua mensa di nectare & ambrosia, essere eterne, & laltre che non sono eterne, non essere state à quello conuito. Essendo adunq; le idee della mente angelica, & prime & ueramente eterne. per questo Platone uuole, loro esser state à quello conuito celeste, doue di ambrosia & di nectare furono pasciute, il che anchora piu espresse. dicendo che esso Porò, che e laffluentia uniuersale di eē idee si era di Nectare inebriato, et pero quā tunq; iui fussino le Idee dellaltre cose, nondimeno non dice che le fussino al conuito accettate, perche à loro non fu concesso il dono della immortalita. Credo essere sufficientemente dichiarato come Amore nacque nelli orti di Gioue, del congresso di Porò & di Penia, ne natali di Venere, nel conuito, essendo li Dij posti ad mensa & cibandosi.

Per qual cagione sia posto da Orpheo Amore nel seno di Chaos.

CAPITOLO. XII.

Per le cose di sopra dichiarate e manifesto perche da Orpheo e posto amore nel seno del chaos ināzi à tutti li altri Dij, perche Chaos nō significa altro che la materia piena di tutte le forme, ma confusa & imperfetta, quando adunq; la mente angelica era gia piena di tutte le Idee, ma anchora imperfette, & quasi indistinte & confuse, si potea chiamare chaos nel quale nacque amore, cioe desiderio della perfettione di quelle.

A quale nature, & per qual cagiōne si conuēga el nome del Circolo.

CAPITOLO. XIII.

Desidera adunq; esso angelo fare quelle, cioe esse Idee perfette, & e ragioneuole che la perfettione loro nasca da opposita cagione à quella dalla quale nasce la loro imperfettione da due cause. Luna e allontanarsi dal fonte & principio suo, laltra e coniungersi à natura dissimile & contraria. Dunq; nascera la loro perfettione & dal remouersi & dal separarsi da quella natura dissimile, & ritornādo donde in prīma erano processe al suo principio, secondo la loro possibilita interamente riunirsi, pero amore, cioe il desiderio di acquistare questa bellezza perfettamente commoue & stimola langelica mente ad conuertirsi uerso Dio, & ad coniungersi quanto piu puo con quello, perche ciascuna cosa intanto la sua perfettione acquista, inquanto al suo principio si coniunge, & questo e il primo circolo, cioe la mente angelica, che dalla indiuisibile unita di Dio procedendo per circolare moto de intrinseca intelligentia, ad quella perfettamente ritorna, & ogni natura laquale e atta ad fare questo si chiama circolo, perche la figura circolare ad quello medesimo punto onde in prima comincia, ritorna. Et questa proprieta si truoua solamente in due nature, nelangelica, & nella rationale, & per questa medesima cagione queste due nature solo sono capace di felicità, perche la felicità non e altro che pernenire al suo summo bene & ultimo fine, & quel medesimo e ultimo fine dogni cosa che e suo primo principio. Adunque quelle nature che possono al

no al suo primo principio ritornare, possono anchora conseguire la felicita, & tali solamente sono le sostantie immortali perche la natura corporea & materiale, non ha, come conceda no tutti philosophi peripathetici & platonici, questa potentia che loro chiamano reflessiua, mediante laquale possino ò in se stesse, ò alloro principio riuolgersi. dunque solamente della loro causa procedono & participano quello bene che dalla loro causa e loro communicato. ilquale bene non lo potẽdo loro riunire al suo principio, non puo conseguire assoluta perfettione, ma el bene loro sempre rimane imperfetto, pero non hanno felicità, ò lhanno si imperfetta che non si puo propriamente chiamare felicità. Essendo adunque due sole nature, cioe langelica & la rationale che possino ritornare al suo principio, solo queste due si possono chiamare circoli, & debbonsi chiamare circoli intelligibili, perche sono immateriali, similmente ne corpi secondo li nostri Theologi, sono dua circoli imagine & simulachro di quelli, cioe el decimo cielo che e circolo corporale, & immobile, imagine del circolo intelligibile, che e la mente angelica, laltro circolo e el corpo celeste mobile, imagine del circolo, che e lanima rationale. Del primo e platonici non fanno mẽtione, & direbbono forse la natura angelica essendo in tutto separata & diuersa dalla natura corporale, ne hauendo à quella respetto ò habitudine alcuna, non essere representata per alcuna cosa corporale. Del secõdo, Platone nel Timeo fa espressa mentione, monstrando come tutti e circoli del corpo celeste mobile, che si diuide secondo lui nella sphera nõ erratica, & ne sette pianeti, e simulachro di altretanti circoli immateriali, chel sono nellanima rationale. Alcuni attribuiscono à esso Dio e nome del circolo, & pare oppenio ne delli antichi Theologi gentili, che lo chiamano Cielo, quasi che lui sia una sphera cõprendente in se tutte le cose, cosi come comprende in se lultimo Cielo tutte le cose corporali, ne e in conueniente secondo una ragione el nome del circolo esserli proprio, & secõdo unaltra repugnarli. Intendendo adunque, come disopra esponauamo, per circolo, una natura che da uno punto indiuisibile cominciando, al medesimo ritorna, repugna in tutto à esso Dio, ilquale in questo modo non e circolo, per che non ha principio dalltronde, ma e esso punto indiuisibile dalquale cominciono & al quale ritornono tutti e circoli, si che quanto ad questa proprietà, repugna el circolo à esso Dio, per che non ha principio ne fine. Repugna anchora elle cose materiali, perche, benche comincino da uno principio, non possono ritornare ad quello, resta che sia proprio della mente & dellanima. Secondo molte altre proprietà conuiene à Dio prima perche e la piu perfetta figura di tutte latre, come e esso dio di tutte le cose, & solo à questa figura del circolo nõ si puo adgiugnere, il che dimõstra lei essere assolutamẽte perfetta oltre ad questo glie unaltra ragione laquale io credo essere potissima, & questa e che lultima sphera e luogo dogni cosa locata, il che prouono e Platonici sottilmente di esso Dio, dichiarando, come infra li altri fa Porphyrio, non essere lanima nel corpo, come pare à uolgari, il che anchora Platone nota nel Timeo, ma per opposito essere esso corpo nellanima, & per lamedesima ragione essa anima nella mente angelica, & essa mente angelica in esso dio ultimo luogo di tutti e luoghi, il che ne mysterij delli Hebrei si puo comprendere, liquali fra piu sacrati nomi di Dio pongono questo, cioe Luogo, & cosi nelle sacre littere molte uolte chiamato. Sara adunque per questa ragione, ad sufficiente dichiaratione dellaquale sarieno necessarie piu parole, ma sarebbe fuora di proposito nostra, & cosi per le preallegate chiamato Dio circolo, il che meritamente osseruato nella Theologia delli Smaelliti da Parmenide, no, anchora che molti lo credano, ma noi a troue prouerẽmo quello che da lui e chiamato sphera intelligibile, non essere esso Dio ma el mõdo intelligibile da Dio immediatamente prodotto.

Breue epilogo del nascimento de Amore.

CAPITOLO. XIIII.

EPilogando adunq; breuemente, dico che ne natali di Venere, cioe quando prima la bellezza delle Idee discese nella mente angelica, essendo essa mente nuouamẽte nata, cioe anchora non adulta, cioe essendo anchora quella bellezza imperfetta, nacque Amore, cioe nacque nello angelo desiderio di hauere quella bellezza perfettamente, liquale gia in qualche modo hauena, & da questo amore stimulato si conuerse ad Dio, & da lui riceue la perfettione di quella bellezza ideale, laquale poi che in se hebbe perfetta gia fu in lui Venere adulta, & alla sua perfettione peruenuta.

Delle tre gratie seguace di Venere, & de loro nomi.

CAPITOLO. XV.

DIcono e Poeti hauere questa Venere per sua seguace & quasi ancille le gratie, e nomi delle quali suonano in uolgare Viridita, Letitia, & Splendore, le quali tre gratie non sono altro che tre proprieta consequente quella bellezza ideale. Prima lo essere uerde, non e altro che permanere & durare la cosa nel suo essere integra & sanza labefattione alcuna, ne per altro si chiama la giouanezza uerde, se non perche allhora lhuomo da lo essere suo integro & perfetto, ilquale del suo uigore & sua integrita con gli anni sempre poi piu & piu perdendo uiene ad annullarsi i tutto, & cõciosia che ogni cosa composta tanto duri nel suo essere, quanto dura quella proportione debita che unisce le parti sua ad unione diquella, ne sia Venere altro che questa proportione, meritamente essa Viridita non e altro che una proprieta consequente à essa Venere. Et pero doue e la prima & uera Venere, cioe nel mõdo ideale, ui si truoua anchora la uera uiridita, per essere ogni natura intelligibile, intrasmutabile dalla integrita dello essere suo, & in tutto insenescibile, laqual proprietà in tanto deriua alle cose sensibili in quanto essa Venere possono participare, perche men tre in loro dura quella proportione in tãto durano & si mantengono uerde, laltre due proprietà della ideale bellezza e lo illustrare lo intelletto & muouere la uolonta à desiderio di se, empiendo quella quando e posseduta di ineffabile letitia. Et perche esso essere, & quella durebilita & permanentia non e atto reflessiuo, pero una delle gratie e dipinta col uolto uerso noi, come procedente & non ritornante. Laltre due, perche apartengono allo intelletto & alla uolonta, la operatione delle quali e reflessiua, pero sono dipinte col uolto in la, come di chi ritorna, imperoche le cose sono dette uenire ad noi dalli Dij, & da noi alli Dij ritornare.

Del nascimento di Venere da Peoti sotto fabolare uelamento descripto.

CAPITOLO. XVI.

DIcendo Platone Amore essere nato ne natali di Venere, e necessario à questo luogo intendere come nascesse essa Venere. Platone nel conuiuio non dice altro se non che la fu figluola di Celio, el modo come di lui nascessi dichiarano li antichi Theologi de gentili sotto fabolare uelamẽto, dicendo che Saturno tagliò e testicoli à Celio suo padre, & gitto gli in mare, & che del seme di quelli nacque Venere. Per dichiaratione di questo mysterio e prima da presupponere che la materia, cioe quella natura informe dellaquale habbiamo detto essere cõposta ogni creatura, e da Theologi molte uolte significata per lacqua per essere lacqua in cõtinuo fluxo et facilmẽte receptiua dogni forma, lũgo sarebbe se io uolessi addurre tutti e luoghi, et dello sacra scriptura Mosayca et Euãgelica & delle

& delle sacre lettere de Gentili, oue da loro per lacqua e signi ficata questa natura, questo solo uoglio adiũgere che per respet to che questa natura informe prima si truoua nello Angelo co me in quello che e prima creatura, pero essi Angeli sono per questo nome delle acque significati, ne altro e da mtẽdere per le acque che sono sopra e cieli, delle quali dice Dauid, che esse lau dano cõtinuamente Dio, se non esse mẽte Angeliche, il che cõ sente essere cosi Origene Adamãtino, & sono infra Platonici alcuni che uogliono nõ essere altro quello Oceano che da Ho mero e chiamato padre delli Dij & delli huomini, che quella mente Angelica, laquale di sopra dichiaramo essere principio & fonte dogni altra creatura che dopo lei si truoui, per questo da Georgio genusto approbatissimo Platonico e chiamata questa prima mente Neptuno, come quella che e dominatrice di tutte lacque, cioe di tutte laltre mẽte, & Angeliche & huma ne. Queste sono quelle acque, questo e quel fonte uiuo, delquale chi bee, mai piu nõ ha sete. Queste sono lacque & e mari sopra liquali, come dice Dauid, Dio ha fondato luniuerso mondo.

Exposition della fabula di Saturno.

CAPITOLO. XVII.

Dopo questa cognitione da sapere per quale cagione e detto da Poeti che Saturno castrassi Celio suo padre fu dichiarato nella prima parte dellopera presente, come esso Dio, ilquale e detto Celio, secondo Platonici, pro duceua el primo Angelo, ilquale loro chiamano mente diuina & li Poeti Saturno, & fu dichiarato che esso Dio non pro dusse altra creatura che questa, dallaquale poi era prodotto il resto del mondo. Se adunque colui che rimane sterile, ne puo piu generare, meritamẽte si puo chiamare castrato, perche poi che e creata la prima mente Angelica per essere in lei commu nicato cio che dal primo Dio si puo communicare, & talmente commnicato che lui non rimane piu prodottiuo di cosa alcu na, non e sanza gran ragione detto da Poeti Saturno castrare Celio suo padre. Castra adunque Saturno Celio, ma Gioue nõ castra Saturno, ma ben lo prima del regno, perche poi che essa mente ha prodotta lanima del mondo, che e Gioue, non rima ne sterile come fa Celio prodotto Saturno, ma produce dopo quella tutti e cieli & li elementi, & lanime rationali, ma per che la administratione di queste cose mondane si fa mediante el cielo & di essa anima rationale, che muouano insieme che cose inferiore, essendo, come di sopra dichiaramo, essa anima mon dana principio dogni moto, & quella mente in tutto immobile dicesi da Poeti Saturno essere legato come quello che non si muoue, & limperio & administratione del mõdo essere appres so di Gioue, ilquale pero non gouernerebbe bene el mondo, se non fussi adiutato da consigli del uechio padre, cioe che lanima non muouerebbe ordinatamente el Cielo, ne rettamente dispor rebbe laltre cose non fussi participe della sapientia paterna in tellettuale, come da Platone nelle leggie pienamente dichia rato à chi con sana mẽte le legge, peroche le sue parole in quel lo luogo male intese, & à qualche Platonico, & à tutti e Mani chei furon cagione di grãdi errori. E adunque manifesto per qual cagione Saturno castri Celio, & Gioue leghi Saturno & tolghili limperio. Seguendo adunq; la esposition da noi ad dotta, habbiamo ad dire che tutto quello che cõmunica Celio à Saturno, cioe quella plenitudine delle idee laquale descende da Dio nella mente, sono e testicoli di Celio, peroche separati quelli da esso, rimane sterile & non e piu generatiuo, cascono questi testicoli nel mare, cioe nela natura informe Angelica, & come prima con quella si cõiungano nasce essa Venere, laquale come e detto, e quello decore, quello ornato, et quella gratia re sultãte dalla uarietà di quelle idee, & perche quelle idee nõ ha rebbono in se quella uarietà & distintione, se non fussino mis chiate à quella natura informe, ne sanza quella uarietà ui puo essere belezza, meritamente segue che Venere nõ potessi nasce re se non cadendo e testicoli di Celio nelle marittime acque.

Di Porò, & perche sia detto figluolo del con siglio.

CAPITOLO. XVIII.

Resta dichiarare per qual cagione e chiamato Porò figluolo del consiglio. Essendo adunq; Porò laffluentia di esse Idee proueniente dal uero Dio, e chiamato figluolo del cõsiglio da Platone, imitatore delle saere lettere del li Hebrei, nelle quali esso Dio e chiamato per il medesimo nome onde & Dionisio Areopagita dice Iesu Christo essere chiama to Angelo del consiglio, cioe nuntio di Dio, nõ intendendo per il consiglio altro che il primo padre Dio, il che imitando Auĩ cenna chiamò la prima causa, causa consigliatiua, il che e ad dimostrare che la mente non ha da se le Idee & la ragione del le cose, ma da esso Dio, ne e altro il consigliare uno se non dar li la notitia & la ragione di quello che ha ad fare. Hauẽdo ad unq; prodotto Dio la mente, laquale hauessi ad esser fabricatri ce di questo mondo uisibile, la consigliò, cioe admaestrò & in strusse dellopera che lei hauena ad fare, formando quella mẽ te della perfettissima Idea di questo artificio mondano.

In che modo si ha à intendere Amor essere el piu giouane, & el piu uechio di tutti gli Dei.

CAPITOLO. XIX.

Hauendo esposto le parole del nascimento di amore det te da Diotyma, & demonstrato le parole di Orpheo, ilquale dice Amore essere nato nel seno di Chaos inan zi à tutti li altri Dij, essere conforme al senso di Platone, resta ad dimostrare come anchora non repugna à quello che Aga thon dice, cioe Amore essere piu giouane che tutti li altri dei, il che pare manifestamente repugni à Orpheo, ilquale dice A more esser il piu antiquo che tutti li altri Dei. Per intelligentia adunq; della uera solutione e da ricordar si di quello che di so pra e detto, cioe che cosi come la casa ha dua esseri, uno nel la Idea sua nella mente dello artefice, laltro nella materia, co me sono le pietre, & legni, & simili cose, et quello primo si chia ma essere Ideale, & questo essere naturale, cosi e di tutte laltre cose lequali hãno in quella prima mẽte lo essere Ideale, & fuo ra di quella el loro essere naturale. Gioue adunq; et Saturno et cosi tutti li altri Dij si possono significare, & per la idea di Sa turno, & di Gioue, & cosi delli altri, & per esso Saturno & Gioue naturale & non ideale. Dico adunq; che el primo dio nello esser suo naturale & perfetto fu Amore, & prima di lui non fu alcuno altro Dio che hauessi lo essere naturale, cioe esse re perfetto, & lui fu cagione di darlo à tutti li altri dei, il che essere cosi, e manifesto per le cose sopra dette perche Amore nacque quando le idee discesono nella mente angelica, lequali idee essendo la sostantia di essa mente, nõ fu la sostantia di essa mente prima perfetta che loro fussino perfette, il che non fu se non dapoi che amore fu nato. Se adunque essa mente angeli ca nõ hebbe lo esser naturale perfetto prima che amore nasces si, & lui fu cagione di darglele inquanto per la conuersione fat ta da lui à Dio furono quelle idee perfette, molto maggiormen te si puo dire delli altri Dij, liquali sono posteriori di essa mẽte, cioe che amore fu prima che loro hauessino el suo essere natu rale perfetto, non ostante che loro fussino prima di lui secon do el loro essere ideale imperfetto, et per questo uiene ad essere piu giouane di tutti li altri & piu bello, perche esse idee imme diatamente furono congionte a quella natura informe, & lui nõ nacque in lei se non dapoi che la fu gia dalle Idee, bẽche im perfettamente, formata.

Come

Come sintenda el regno della necessita esse re stato inanzi al amore.

CAPITOLO. XX.

DEl medesimo fundamento si puo intendere facilmente quello che dice Agathone, cioè che il regno della necessita fu prima che il regno di amore. per intelligentia della qual cosa è da sapere che Platone nel Timeo chiama quella natura informe, necessita, & benche altroue per necessita intenda esso fato, nondimeno in questo luogho ha ad intendere la necessita secondo el primo modo, cioè per quella natura informe. E adunque da sapere che essendo ogni creatura composta di quelle dua nature dellequali luna è materiale & laltra formale, luna imperfetta et laltra cagione della perfettione, ogni uolta che luna di loro participa piu della natura dellaltra, si chiama essere soggietta à quella, & quellaltra predominare à lei, & per queste ragioni, perche nelle creature inferiori è piu della patre imperfetta che della perfetta, si dice in loro predominare la materia. Quando adunque le idee erano anchora imperfette & inordinate, perche quella natura informe & materiale è cagione dogni imperfettione, è detto da Theologi, allhora hauere regnato la necessita, & ogni imperfettione, come è detto, che nella creatura si truoua, procede da quella natura informe, per questo dice Agathone, che tutte le cose che delle idee si dicono che dinotino di loro qualche imperfettione, tutte accaddono regnante la necessita, cosi come tutte le perfettioni poi che amore comincio ad regnare, perche quando per amore si conuerse la mente in Dio, fu in lei perfetto quello che prima era imperfetto.

Per qual cagione si dica Venere imperare à tre fati.

CAPITOLO. XXI.

NOn sarà adunq; fuora di proposito esporre per qual cagione dica Orpheo Venere imperare à tutti è tre fati, il che solo da fundamenti di sopra dichiarati sara manifesto. Pongono, come altre uolte hauemo detto è platonici dua mondi, questo sensibile, & unaltro intelligibile essemplare di questo. In questo mondo ueggiamo grandissimo ordine, & ogni cosa concatenata insieme, & insieme dependente con amicheuol concorso alla constitutione di uno tutto. Questo ordine, questa serie di cause & di effetti, è chiamata da philosophi Fato, & essendo queste cose mondane imagine di quelle idee del mondo intelligibile, & dependenti da quelle, & à loro sottoposte. Seguita che lordine di queste dependa da lordine di quelle, ilquale ordine è chiamato Prouidentia, cosi come questo è chiamato fato, & pero è platonici pongono la prouidentia laquale consiste nellordine delle idee essere in quella prima mente, laquale prouidentia, cioè ilquale ordine dependa da esso Dio, come da quello che è ultimo fine di questo ordine, ne essa legge di prouidentia che ordina le cose nel suo fine altroue le diriza che ad conseguire quello ultimo & infinito bene. Se adunque Venere non è altro che lordine di quelle idee, dalquale dependo lordine mondano chiamato fato, seguità che Venere domini à esso fato, ilquale fato in tre parti è diuiso, & disegnato per è nomi delle tre parce, Cloto, Lachesis, & Atropos, perche quello che è unito nella prouidentia & misurato da una indiuisibile misura della eternita fatto gia nel fato tẽporale, si diuide in tre parti, cioè presente, preterito, & futuro, bẽche anchora altrimẽti si possa diuidere secõdo quelli tre regni diuisi à figlioli di Saturno, come da noi nel primo libro fu dichiarato. Altri uogliono che Atropos si attribuisca alla sphera nõ erratica, Cloto à sette pianeti, Lachesis alle cose dalla luna in giu, ma il trattare di questa materia richiede proprio et determinato luogo. Di qui si puo intẽdere che al fato nõ sono sottoposte se nõ le cose tẽporale, & queste sono quelle che sono corporee, et pero essẽdo lanima rationale incorporea nõ è sottoposta al fato, anzi domina à quello, ma bene è sottoposta alla prouidentia & serue à quella, ilqua le seruire è una uera libertà, pre che se la uolũta nostra obedisse alla legge della prouidẽtia è da lei guidata sapiẽtissimamẽte alla cõsecutiõe del suo desiderato fine, & ogni uolta che da questa seruitu si uuole liberare, si fa di libera ueramẽte serua, & fassi schiaua del fato, del quale prima era patrona, perche il deuiare dalla legge della prouidẽtia, nõ è altro che lasciare la ragione & seguitare il senso & lappetito irrationale, ilquale è sottoposto al fato per essere di natura corporeo, et pero chi à lui si sottopone, molto piu si fa seruo di colui di cui esse è seruo, ma di questo altra uolta parleremo.

Del Amore angelico & humano, & de loro obiecti.

CAPITOLO. XXII.

CRedo ad sufficientia essere detto di questo Amore celeste, & di Venere sua madre, uero è che se tutte le questioni che si potrieno muouere alla perfetta cognitione dello Idee uolessi in questo luogo essequire, sarebbe bisogno di piu lũgo trattato, ma in questo luogo sarebbe superfluo & altroue è nostra intentione parlarne copiosamente. Lasciãdo adũq; questa materia ad altro tempo, et espedito quello che dello Amore celeste & angelico era da intendere, passeremo ad dichiarare la natura di quello Amore che è propriamente una imagine di questo, cosi adũq; come dal cielo, cioè da Dio descendono nella mente angelica le idee, & per questo nasce in essa Amore di bellezza intellettuale, cosi da lamente angelica descendono nellanima rationale le medesime Idee, lequali sono tanto piu imperfette diquelle che sono nella mente angelica quanto lanima & la natura rationale è piu imperfetta dello Angelo & della natura intellettuale, di che mutano & natura & nome, come fu nel primo libro dichiarato. Quel medesimo adunque che di Saturno respetto à Celio fu detto, quel medesimo è di Gioue, respetto à Saturno. Et nota che Plotino nel suo libro di Amore non parla del primo Amore celeste, ma solo di questo, & similmente non parla di quella prima Venere, ma di questa seconda, cioè, non della bellezza della Idee descendente da Celio in Saturno, ma di quella che da Saturno discende in Gioue, cioè nellanima del mondo, il che lui manifestinamente dichiara, perche quella Venere celeste dellaquale lui parla non dice essere nata di Celio, come dice Platone, ma di Saturno, allaqual cosa chi non ponessi diligente attentione iudicherebbe Platone & Plotino in questo essere discordi, cosi come chi rettamente gli osserua conosce dalluno & dallaltro insieme hauersila totale cognitione & assoluta dello Amore celeste, perche da Platone è trattato di quello che è primo et uero Amore celeste, & da Plotino del secondo che è imagine di quello. Venere adunque madre di questo amore, nasce di Saturno, & si unisce con Gioue, cosi come quella prima nasce di Celio & si unisce con Saturno. & per quella ragione medesima per laqual uuole Plotino che le idee, che è la prima Venere, non sieno accidentale, ma sostantiale alla mente angelica, uuole etiamdio che queste ragioni specifiche che sono nellanima, come le idee nella mente, sieno sostantiali allanima, & per questo tale hora dira Plotino che Venere celeste è quella prima anima rationale, & diuina. Et per non dare occasione ad alcuno di errare, che per queste paroli si mouessi ad credere che la natura dellanima, in quãto natura di anima rationale, fussi Venere, soggiũge di sotto, che questa anima è chiamata Venere, inquanto in lei è uno certo splendide & speciosso amore, disegnando per questo quelle specifiche ragioni dellequali habbiamo parlato, ad che ritornãdo dico che cosi come quello primo amore che è nella mẽte si chiama angelico & diuino, cosi questaltro che è nellanima rationale si chiama amore humano, per che la natura rationale è la principale parte della natura de lhuomo.

Del

Del amore uolgare, & della bellezza sensibile, che è lo obietto suo.

CAPITOLO. XXIII.

HOra espedito quello che è necessario dello amore celeste & della imagine sua, passeremo ad trattare del lo amore uolgare, ilquale non è altro che appetio di bellezza sensibile per il senso del uiso, come puo essere chiaro per le cose sopradette. Questa bellezza, si come la intelligibile et come uniuersalmente ogni natura, ha tre modi di essere, cioè, Causale, Essentiale, ò uero Formale & Participato. la causa sua è il Cielo sensibile animato di quella uirtu chel muoue, cosi come la causa della bellezza & Venere intelligibile, era quel primo & uero Dio intelligibile. Questa uirtu motiua del Cielo, è la infima potentia dellanima celeste, secondo la qual potentia è congiunta al corpo del cielo, come è la uirtu nostra motiua & progressiua congiunta à muscoli & à nerui, liquali usa per instrumenti & organi ad essequire questa sua operatione che è il moto, cosi la uirtu motiua dellanima del cielo atto corpo & organo al moto celeste circolare & sempiterno, come è piedi sono atti al moto del caminare delli animali, mediante esso corpo del cielo transmuta questa materia inferiore & formala di tutte le forme che sono in lei non altrimenti che la mano dellartefice mediante el pennello forma la sua materia di questa ò di quella forma artificiale. La causa adunq; di questa Venere uolgare, che è la bellezza di queste forme materiali sensibili, è quella uirtu motiua dellanima celeste, & in quella ha essa Venere lo essere causale. Lo essere suo formale & essentiale è in essi colori dalla luce del sole uisibile illuminati, cosi come sono illuminate le Idee dalla luce di quel primo inuisibile sole. Lo essere suo participato è nella dispositione quantitatiua della cosa bella, cioè in essa figura che consiste in uno tale ordine delle parte, & questa si puo chiamare bellezza per participatione, perche come di sopra fu dichiarato. Bellezza è obietto motiuo del uiso, & non essendo questa quantita atta ad mouere el uiso se non inquanto à participe de colori & della luce, meritamente non ha per beneficio della propria natura di essere bellezza & procreatiua di amore, ma per participatione & merito di altri, che & per se & per la loro propria natura sono atti ad mouere eluiso et generare nellanimo di chi li uede Amore della cosa ueduta.

Seguita dello Amore celeste, humano, & bestiale.

CAPITOLO XXIIII.

AMore adunq; uolgare non è altro che desiderio di possedere questa tale bellezza, & come subito che la intelligibile bellezza, il che sono esse Idee, descendeua nello intelletto Angelico, nasceua nella uolonta dello Angelo desiderio di possedere quella bellezza, & per conseguire questo si sforzaua di accostarsi à quello, dalquale in lui era tal bellezza peruenta, cosi come prima la spetie & la imagine di questa bellezza sensibile peruiene allocchio, subito nasce nello appetito sensitiuo, ilquale, come di sopra dichiaramo, segue la cognitione del senso, cosi come la uolõta, la cognitione del lo intelletto, nasce dico uno desiderio di fruire pienamẽte quel la bellezza, & di qui possono nascere dua amori, dequali luno è bestiale, & laltro è humano & rationale, pero che questo nõ è dubbio, che hauendo pienamẽte ad seruire questa bellezza, bisogna unirsi ad quello che è principio & fonte suo, & dal quale prima procede, & se noi seguitiamo el iudicio del senso, ilquale seguitano è bruti & li animali irrationali, giudicheremo el fonte di questa bellezza essere in quello corpo materiale nel quale la ueggiamo posta, & di qui nascera in noi lappetito del coito, che nõ è altro se nõ congiungersi con quel corpo per il piu intimo modo che sia possibile, nellaquale materia el distenderssi piu longamente, è uno profanare e casti mysterij amorosi di Platone. Maritornando al proposito nostro, dico chel senso giudica quella bellezza hauere origine da quel corpo, et pero el fine dello Amore di tutti è bruti, è il coito, ma la ragione per opposito iudicio, conosce quello corpo materiale, non solo non essere fonte & principio di bellezza, ma essere natura in tutto diuersa et corrottiua di quella, et conosce che quanto piu da quello corpo si separa, & in se si considera, tanto piu ha della sua natura & propria dignita & presentia, & pero certo non debbe passare da quella specie riceuuta nelli occhi ad essocorpo, ma debbe depurare questa specie quãto piu puro se in lei uede rimasto qualche infettione di natura corporea & materiale. Et perche lhuomo si puo intendere & per lanima rationale posta nella sua natura perfetta. Et puosi anchora intẽdere per lanima rationale al corpo gia unita & alligata. Secõdo el primo modo Amore humano è propriamente quello che di sopra fu detto essere imagine dello Amore celeste. Secondo questo altro modo. Amore humano è questo del quale noi parliamo, cioè Amore di belleza sensibile, laquale dallanima è gia del corpo separata & fata di sensibile, quanto patisse la natura sua, intellettuale, & molti sono equali piu in su non ascendono, & questo cade nella piu parte de de glihuomini, alcuni piu perfetti ricordandosi duna bellezza piu perfetta, laqual gia uide lanima loro prima che nel corpo fussi immersa, si accendono alhora di uno desiderio incredibile di riuedere quella, & per conseguire questo intento, si separano quanto piu possono dal corpo, talmente che lanima nella sua pristina dignita ritorna, fatta in tutto patrona del corpo, ne à lui per alcuno modo soggietta, & alhora è lanima in quello amore ilquale è imagine dello amore celeste, & puosi chiamare questo amore di natura humana perfetta, & quellaltro Amore di natura humana caduca & qua si imperfetta. Da questo Amore, se poi di perfettione in perfettione si ua crescẽdo, giugne lhuomo ad tal grado che uniẽdo lanima sua in tutto con lo intelletto, è di huomo fatto Angelo, di quelloangelico Amore tutto infiammato, come una terra del dal fuoco accesa & in fiamma cõuersa, alla piu alta parte modo inferiore si lieua, cosi lui da tutte le sorde & macule del terreno corpo espurgato, & in fiamma spirituale dallamorosa potentia transformato, infino allo intelligibile cielo uolando, nelle braccia del primo padre felicemente si riposa.

In quale anime si truoui lamore uolgare, & in quale langelico, & perche le anime celeste sieno significate per Iano.

CAPITOLO XXV.

PEr questo che dello Amore uulgare habbiamo detto, segue necessariamente che solo in quelle anime possa cadere questo amore uolgare, le quali sono nella materia immerse, & dal corpo in qualche modo superate, ò alme no impedite, & finalmente in quelle anime che non sono libere dalle perturbationi delli affetti, ma sono alle passioni sotto poste, quale, secondo è Platonici, sono & le anime nostre & quelle de demoni, ò di tutti, come uogliono alcuni, ò delli inferiori & piu propinqui alla natura nostra. Nelle altre anime, come sono le nostre, è necessario che si truoui quello Amore angelico eternalmente, cosi come è eterno lo intelletto dellanima nostra, nondimeno pochi huomini lo usano, la memoria de quali quasi hauendo uolte lespalle allo intelletto, uolge gli occhi & li conuerte alle cose sensibili & alla cura del corpo. Et per piena intelligentia di questo passo è da intendere, che lanime celeste hanno in se tale perfettione, come dicono tutti e Platonici, che possono insieme satisfare alluno & allaltro loro officio, cioè, & reggere & administrare el corpo loro, & per questo non si spiccare dalla intelletuale contemplatione delle cose superiori, & queste anime furono da molti Poeti significate per Iano bifronte, perche come lui dalla anteriore & posteriore parte oculate, possono insieme & uedere le cose intelligibile & prouedere alle sensibili, ma laltre anime piu imperfette che non hanno gliocchi se nõ in una parte loro, è necessario che se le si uolgano conquella parte dallaquale sono oculate, al corpo, che laltra, che è sanza ochi rimanga uolta uerso intelleto, & cosi elle rimanghino priue della uisione

delle cose intellettuali. Similmente se esse conuertono gliocchi uerso lintelletto non possono prouedere piu al corpo, & è necessario che lascino la cura di quello, & per queste ragioni, queste anime allequali è forza per la cura del corpo lasciare el bene dello intelletto, la prouidentia diuina le ha alligate è corpi caduci & corrottibili, da quali solute, possino in breue tempo, se per loro non manca, alla loro intellettuale felicita ritornare, & le altre anime lequali non sono per la cura del corpo impedite dal bene dello intelletto ha essa prouidentia alligate à corpi eterni & incorrottibili. Di questo fondamento puoi trare la solutione duno argomento di Aristotile nel primo dellanima, doue dice, che se lo essere nel corpo è male del lanima, come Platone molte uolte dice, seguita che lanime celeste sieno piu infelice che le nostre, lequali qualche uolta si separano dal corpo. Et puoi trarne unaltro fondamento, che se noi poniamo tutti è demoni essere soggietti à passione, bisogna porli tutti essere mortali, pero la definitione di Apuleio, cioè che Demoni sieno di animo passibile ma eterni, si debbe intẽdere che loro sono eterni, perche le loro anime sono eterne, ma nõ che in loro nõ accaggia separatione dellanima dal corpo, come etiamdio accade in noi. Ritornando adunq; al proposito nostro, dico che lanime celeste lequali sono da Poeti per Iano disegnate, come quelle che del tempo, mediante el moto, sono principio, hanno & occhi da guardare quella bellezza Ideale nello intelletto laquale amono cõtinuamente, & hanno altri occhi da guardare le cose inferiori & sensibili, non per amare ò desiderare la loro bellezza, ma per communicare loro quella & farle di essa partecipe. Lanime nostre prima che al corpo sieno alligate, sono pel medesimo modo come quelle bifronte, cioè hanno dua facce, perche, come dice Platone nel Phedro, ogni anima, & intendesi dogni anima rationale constituta nella sua natura, ha cura di tutto luniuerso corporale. Hanno dunq; finalmente & lanime nostre prima che caggino in questo corpo terreno parimente dua faccie, cioè che insieme possono riguardare le cose intellettuali, & prouedere alle sensibili, ma quando nel corpo descendono, interuiene loro non altrimenti che se fussino per mezzo diuise, & delle due facce ne rimanessi loro una sola, et per questo ogni hora che quelluna faccia che è loro rimasa uolgono alla bellezza sensibile, riman'gono priue della uisione dellaltra, & di qui nasce che nessuno puo hauere insieme, & lo amore uolgare & quello celeste, & pero Zoroastre confortandone alla uisione di quella bellezza superna esclama, estendi gliocchi & dirizali in su, & di questo puo essere buon testimone che molti dalla medesima causa che gliha rapiti alla uisione della bellezza intellettuale, sono stati de loro occhi corporali con liquali si uede la bellezza sensibile, ecceccati. Questo significa la fabola di Tyresia da Callimaco decantata, ilquale per hauere uisto Pallade nuda che non significa altro che quella Ideale bellezza, dallaquale procene ogni sapientia syncera, & non uestita ò coperta dalla materia subito diuenne cieco, & dalla medesima Pallade fu fatto propheta, si che quella che gli chiuse gliocchi corporali, li aperse gliocchi dello intelletto con liquali non meno le future cose che le presenti uedere poteua. Homero da lombra di Achille, dallaquale fu affiato di quello poëtico furore che in se ogni intellettuale cõtemplatione contiene, fu anchora de gliocchi corporali ecceccato. Paulo apostolo non prima alterzo cielo eleuato, fu rapto, che dalla uisione delle cose diuine gliocchi suoi alle cose sensibili furono fatti ciechi, del cui rapto forse qualche uolta parleremo. Ma ritornando alla materia principale, dico che mẽtre lanima nostra è cõuersa alle cose sensibili, nõ puo fruire la uisione della bellezza intellettuale, & pero quãtumq; nello intelletto dellanima di ciascuno eternalmẽte uiua quello amore celeste, nondimeno soli coloro lo usono, che sono pochi, liquali rimossi in tutto dalla cura del corpo, possono insieme con Paulo dire, di non sapere, se essi sono nel corpo ò fuora di quello, alquale stato qualche uolta peruiene uno huomo, ma stati pocho, come quelli cha noi chiamiamo Estatici, della cagione di questa separatione, molte cose sarebbono da dire, lequali noi nel commento nostro sopra Platone uel conuiuio diffusamente diremo, pero che da altri che io habbia letto, non è anchora sotto scritto ad sufficientia.

Come in noi possino essere piu amori.

CAPITOLO. XXVI.

SAra adunq; in noi uno amore eterno & sostantiale, cioè quello che è nello intelletto, ilquale è Angelico non humano, poi nellanima nostra, laquale è per natura libera, & puossi uolgere & alla sensibile bellezza, & alla intelligibile, puo nascere tre amori, peroche ò amala bellezza sensibile, ò qulelaltra celeste, se la sensibile, ò quellaltra celeste, se la sensibile, ò desidera unirsi à quella corporalmente, & questo desiderio perche procede da irrationale giudicio, cioè da giudicare che quella bellezza nasca da quel lo corpo oue ella è posta, si chiama care che quel amore bestiale et irrationale, ò desidera unirsia quella conla mente, cioè seruando in se la specie & la imagine diquella, & con continui pensieri & fissa intẽtione dello animo unendo quella à se, & se alei quanto piu puo, & questo amore, perche nasceda rationale giudicio, cioè da conoscere quella bellezza, nõ solo non hauere origine da quello corpo materiale, anzi perdere della perfettione & dignita sua per essere con quello admista, laquale recupera quando per uirtu dellanima da quella materia è separata, si chiama amore humano & rationale, & la piu parte delli huomini circa questi dua amori si riuolgano, ma quelli, lo intelletto de quali da philosophico studio purificato & illuminato conosce questa bellezza sensibile essere imagine dunalira piu perfetta, lasciato lamore di questa, cominciono à desiderare di uedere quella celeste bellezza, & questo è quel terzo amore ilquale gia gusta in qualche parte quella bellezza celeste, hauendo di lei qualche memoria, & questi se in tal eleuatione di mente perseuerano, cõseguitano finalmente quello angelico & intellettuale amore, il quale, bene he prima in loro fussi, nondimeno come occupati ad altre cose, non sene accorgeuano, de quali si puo dire meritamente che la luce luceua nelle tenebre non la comprehẽdeuono, & di questo atto largamente parleremo nella esposi tione dela sesta stanza della presente canzona, alla enarratio ne de laquale passeremo, se prima haremo à chi legge ricordato chedella fabola di Aristophane posta nel conuiuio di Platone si puo hauere qualche lume per uno nostro detto nel secõdo capitolo di questo trattato. Et perche dal nostro Poeta non è tocco cosa alcuna pertinente à quella, non è nostro officio interpetrarla al presenta.

Seguita la Canzona.

CANZONA DAMORE COMPOSTA per Hieronymo Beniuieni Cittadino Fiorentino, secondo la mente & opinione de Platonici.

Stanza. I.

Amor dalle cui man sospes' el freno,
Del mio cor pende, & nel cui sacco regno
Nutrir non hebbe ad sdegno.
La fiamma che per lui gia in quel fu accesa
Muoue la lingua mia, sforza l' ingegno
Ad dir di lui, quel che lardente seno
Chiude, ma il cor uien meno
Et la lingua repugna, à tanta impresa.
Ne quel ch' en me puo dir nefar difesa,
Et pur conuien chel mio concetto esprima
Forza contro ad maggior forza non uale.
Ma perche al pigro ingegno amor quell' ale.
Promesso ha, con lequal nel cor mio inprima.
Discese, benche in cima.
Credo per mai partir dalle sue piume,

Fa nido, quanto ellume.
Del suo uiuo splendor fia al cor mio scorta
Spero aprir quelche di lui assoso hor porta.

Stanza. II.

Io dico com' amor dal diuin fonte
Dell' increato ben qua giu s'infonde
Quando in pria nato & donde
Muou' el ciel, l' alme informa, e' l mondo regge.
Come poi, ch' entro alli human cor s' asconde
Con qual & quanto al ferir dextr' & promte
Armi, è leuar la fronto
Da terra sforz' al ciel l' humana greg ge.
Com' arda, infiammi, aduampi, & con qual legge
Quest' al ciel uolga, & quello ad terra hor pieghi
Hor infra questi dua l' inclini & fermi.
Stanche mie rime & uoi languidi e' nfermi.
Versi, hor ch' en terra fia che per uoi preghi
Si che à piu giusti prieghi.
Del' infiammato cor s' melin' Apollo.
Troppo aspro giogo el collo
Preme, Amor le promesse penne hor porgi
All' alenferme, & il camin cieco scorgi.

Stanza. III.

Quando dal uero ciel conuerso scende
Nell' angelica mente el diuin sole,
Che la sua prima prole
Sotto le uiue frondi illustra e' nforma,
Lei chel suo primo ben ricerca & uuole
Per innato disio che quell' accende
In lui reflessa, prende
Virtu, chel ricco sen depinge & forma.
Quinc' el primo disio che lei trasforma
Al uiuo sol dell' increte luce
Mirabilmente alhor s' incende e' nfiamma.
Quell' ardor quell' incendio & quella fiamma,
Che dalla ossciura mente & dalla luce
Presa dal ciel, reluce
Nella angelica mente, e' l primo & uro
Amor, pio desidero
D' inopia nato, & di richezza alhora
Che di se il ciel facea, chi cypri honora.

Stanza. IIII.

Questi perche nell' amorose braccia
Della bella Cyprigna in prima nacque
Sempre seguir li piacque
Lardente sol di sua bellezza uiua.
Quinc' el primo disio che'n noi si giacque
Per lui di nuoua canape s' allaccia,
Che l' honorata traccia
Di lui seguendo, al primo ben n' adriua.
Da lui el foco, per cui da lui deriua
Cio ch' en lui uiue, in noi saccende, & doue
Arde morendo el cor, ardendo cresce.
Per lui el fonte immortal trabocca, ond' esce
Cio che poi el ciel qua giu formando moue,
Da lui conuerso pioue
Quel lume in noi, che sopr' aciel ci tira.
In noi per lui respira
Quel increato sol tanto splendore
Che l' alma infiamma in noi d' eterna amore.

Stanza. V.

Come del primo ben l' eterna mente
E, uiue, intende, intende, muoue & finge
L' alma spiega & depinge
Per lei quel sol ch' illustra' l diuin petto,
Quinci cio ch' el pio sen concepe & stringe
Diffunde, & cio che poi si muoue & sente
Per lei mirabilmente
Mosso, sente, uiue, opra ogni suo effetto.
Da lei come dal ciel nell' intelletto.
Nasce Vener qua giu, lacui bellezza
Splende in ciel, uiue in terra, el mondo adombra.
L' altra che dentr' al Sol, si specchia allombra
Di quel ch' al contemplar per lei s' aduezza,
Com' ogni sua richezza
Prende dal uiuo sol, ch' en lei refulge
Cosi sua luce indulge
A questa, & come amor celeste in lei
Pende, cose el uolgar segue costei.

Stanza. VI.

Quando formata in pria dal diuin uolto
Per descendere qua giu lalma si parte
Dalla piu eccelsa parte.
Ch' alberghi el sol nel cor human s' imprime.
Dou' esprimendo con mirabil arte
Quel ualor poi che da sua stella ha tolto
Et che nel grembro accolto
Viue di sua celeste spoglie prime,
Quanto nel seme human posson sue lime
Forma suo albergo in quel fabrica è stampa,
C' hor piu, hor men, repugna al diuin culto.
Indi qual' hor dal sol ch' en lei ne sculto
Scende nell' altrui cor l' infusa stampa
Seglie conforme aduampa.
L' alma, qual poi ch' ense l' alberga assai.
Piu bella à diuin rai
Di sua uirtu l' effinge, & di qui nasce
Ch' amando el cor d' un dolce error si pasce.

Stanza. VII.

Pasceesi el cor d' un dolce error l' amato
Obietto in se come in sua prol guardando,
Talhor poi reformando
Quell' al lume diuin che' n lui n' impresso.
Raro & celeste don, quinc' eleuando.
Di grado in grado se nell' increato
Sol torna, ond' e formato.
Ne quel che nell' amato obietto e' spresso.
Per tre fulgidi specchi un sol da esso
Volto diuin raccende ogni beltate.
Che la mente, lo spirto, e' l corpo adorna.
Quinci gliocchi & per gliocch' oue soggiorna.
L' altra fu' ancilla el cor le spoglie ornate
Prend' in lei reformate
Non pero espresse, indi di uarie & molte
Belta dal corpo sciolte,
Form' un concetto, in cui quel che natura.
Diuis' ha in tutti, in un pinge & figura.

Stanza. VIII.

Quinc' Amor l' alm' in quest' el cor delecta
In lui, com' in suo parto anchor uaneggia,
Che mentre el uer uagheggia
Come raggio di Sol sott' acqu' el uede,
Pur non so che diuin ch' en lui lampeggia
Benche adumbrat' el cor pietoso allecta
Da questa ad piu perfecta
Belta, ch' en cima à quel superba siede.
Iui non l' ombra pur ch' en terra fede
Del uero ben ne dia scorge, ma certo
Lume & del uero sol piu uer' effige.
Quinci mentr' el pio Cor l' alme uestige
Segue, entro alla sua ment' el ued' inserto.
Indi à piu chiaro apperto
Lum' appresso ad quel solsospeso uola,
Dalla cui uiua & sola
Luce informat' amando si fa bello
La mente, l' alma, e' l mondo & cio ch' en quello

Stanza. IX.

Canzon, io sento Amor chel fren raccoglie
Al temerario ardir chel cor mio sprona
Forse di là dal destinato corso.
Rafrena el uan disio, restring' el morso.
E casti orechi à quel ch' amor ragiona
Hor uolgi, se persona
Truoui che dal tu' amor sinform' et uesta
Non pur le frondi à questa
Del' tuo diuin thesor, ma' l frutto spiega
Agli altri basti lun, ma laltro niega.

FINIS.

COMMENTO PARTICOLARE.

LIBRO TERZO ET VLTIMO DEL medesimo signor Conte Ioanni Pico Mirandolano sopra la particolare espositione della sogietta Canzona de Hieronymo Benivieni.

A quali scientie si apartenga el trattare cosi de luno come dallaltro Amore celeste, & uolgare.

CAPITOLO PRIMO.

IL trattare delluno & dellaltro amore sapartiene à diuerse scientie. Dello amore uolgare, tratta el philosopho naturale & el philosopho morale. Dello amore diuino, tratta el theologo, & uolendo parlare ad modo de paripathetici, el Metaphisico. Parla delluno & dellaltro eccellentemente Salomone, del uolgare nello Ecclesiaste come naturale Philosopho, etne Proverbij come morale, del diuino & celesta nella sua Cantica, & pero dicono che fra tutti à cantici della scrittura sacra, questo è el piu sacro & el piu diuino. Di quæsti dua amori hanno trattato specificamente duo Poeti in lingua Toscana. Dello amore uolgare Guido caualcanti in una sua canzona. Dellaltro, cioè del celeste, el Poeta nostro nellopera præsente, nella quale quantunq; tratti delluno & dellaltro, nondimeno principalmente tratta del celeste, ne dellaltro parlase non inquanto è una debole imagine di quello.

Delle differentie che appaiono essere infra lo Authore della præsente Canzona, & Guido caualcanti.

CAPITOLO II.

AMor dalle cui man Sospes' el Freno, et dopo molti uersi sogiũge. muoue la lingua mia sforza L' ingegno. *Questo è el principio della presente Cãzona del Poeta nostro. Laltra da Guido cõposta, comincia* Dõna mi prega perch' io uoglia dire, *& dalli espositori sua è detto per quella Dõna intẽdersi amore, ne quali principij noto fra luno Poeta & laltro tre differẽtie. La prima che Guido dice che amore lo prega, & il nostro Poeta dice che amore lo sforza. La secõda che iui è chiamato amore per il proprio suo nome, il che nõ uolse fare Guido. La terza che quello lo figura per Dõna, & questo no, ma per lo usato nome di amore, che suona in nome di maschio, le qual differẽtie, ne da errore di alcuno di loro, ne da dioscorde openioni prouengono, ma luno et laltro cõuenientemẽte parla secõdo lanatura de lo amore soggietto del loro poema. Dissi nel capitolo precedente, da Guido essere trattato dello amore uolgare, & dal Poeta nostro, del celeste. Allo amore uolgare non debbe lanima rationale essere sottoposta, anzi dominare à quello, perche è collocato nello appetito sensitiuo inferiore & soggietto alla parte rationale dellanima, pero di lui parlando Guido dice* Che amor lo prega & nõ lo sforza, *per dichiarare che lo appetito de sensi non puo fare uiolentia alla ragione, come molti in escusatione de suoi uitij dicono non potere el consiglio della ragione humana resistere allo impeto della parte sensitiua laquale puo bene pregare la ragione & inuitarla & allettarla alle suo uoglie, allequali quando sono moderate, puo la ragione sanza errore condescendere & consentire, ma sforzare non la puo per modo alcuno, el contrario è dello amore celeste, ilquale essendo, come nel secondo trattato dichiaramo, posto nella parte intellettiua, debba meritamẽte la rationale, che glie inferiore, essere allei sotto posta, ne mai ritiene la natura inferiore la sua liberta se non quando della superiore a se è internamente serua, pero conuenientemente si sottopone el nostro Poeta alla uiolentia dello amor celeste, conoscendo in lei liberta grandissima. La ragione dellaltra diuersita, cioè che Guido non chiama amore per il suo nome proprio, è perche lo amore uulgare non è uero amore ma cosi come la sensibile bellezza non è uera bellezza ma immagine di quella, cosi è lui uno simolachro & una ombra dello amore celeste, ilquale solo propriamente si uendica et attribuisce el santissimo nome di Amore, ne allaltro conuiene per altro modo se non come si suole chiamare la statua di Hercole, Hercole, & lafaccia di Helena dipita ò sculta, Helena.*

Solutione dela terza diuersita.

CAPITOLO. III.

LA cagione della terza diuersita, cioè che da Guido, è amore significato per nome di femina, & dal Poeta nostro per nome di maschio, è perche lo amore uolgare al celeste ha proportione di cosa imperfetta ad cosa perfetta, et da pythagorici fu la natura imperfetta per la femina significata, & la perfetta per il maschio, ne resero di adgiugnere à questo che lamore uolgare, cioè della bellezza corporale, piu conuenientemente è circa le donne che circa maschi, el celeste per lo opposito, come ne la oratione di Pausania da Platone uel conuiuio è scripto, peroche el uolgare per essere passione dellanima sensitiua, è molto propinquo ad lasciarci precipitare al congresso del coito, per essere quella parte dellanima piu irrationale che rationale, al qual atto, quando pure dalla fraglita uinto lo huomo cade, meno inconueniente è nel sesso feminile che nellaltro, Lopposito è nello amore celeste, nel quale non è questo pericolo, ma tutto tende & si diriza al la bellezza spirituale dello animo & dello intellecto, la quale molto piu perfetta si truoua ne maschi che nelle donne, come dogni altra perfettione si uede, pero tutti colore che di questo amore sono stati accesi, hanno la maggiore parte amato qual che giouane di indole generosa, la cui uirtu è suta ad altri tanto piu grata, quanto piu quella è suta in uno bello corpo, & nõ si sono effeminati drieto à uno armento di meretrice, lequali non solo non inducono lhuomo ad grado alcuno di spirituale perfettione, ma come Cyrce, al tutto lo trasformano in bestia. Amaua di questo amore casto Socrate non solo Alcibiade, ma quasi tutti è piu ingegnosi & piu leggiadri della giouentu di Athene, cosi da Parmenide Zenone. Da Orpheo Museo. Da Theophrasto Nicomaco. Da Xenophonte Clinia fu amato, liquali tutti nõ desiderauonodi essegre con li loro amati alcuna cosa sozza, come si credono molti che con la misura de loro uituperosi desderij misurono è celesti pensieri di coloro, ma solo per ecciarsi dala bellezza corporale esteriore ad riguardare quella dellanima, dalla quale emanò & peruenne quella corporea, & essendo quella dellanima una participatione dellabellezza angelica surgẽdo piu in su eleuarsi ad uno piu sublime grado di contemplatione tanto che si peruenga al primo fonte di ogni bellezza, che è Dio. Questo è il frutto che cercaua Platone del amor suo, & non quello uituperoso che limputa Dicearco. Questo spesso conseguiua Socrate, ilquale piu uolte eccitato della belta di Phedro appresso alfiume Ilisso canto li altissimi mysterij de Theologia.

Dellordine

Dellordine posto dalla diuina sapientia nel le cose create.

CAPITOLO. IIII.

Stanza prima.

AMor dalle cui man sosp es' el freno. *Fra li altri ordini della diuina sapiẽtia posti nelle cose create si uede questo principale, che ogni natura inferiore, dalla superiore à se immediata è gouernata, & mentre che à quella obedisse, la inferiore da ogni male difesa à la sua determinata felicita sanza alcuno impedimento si cõduce, & se per troppo amare la propria liberta, & preporre una licentiosa uita alla piu utile, dalla obedientia della superiore natura, come uno fanciullo dal giogo del maestro si ribella, in doppia pena cade. La prima è che come naue dal nochiere abandonata, hora batte in questo scoglio, hora in quellaltro sanza speranza di porto. Laltra è che la perde lo imperio sopra laltre nature cosi allei sottoposte come lei era à quella dal laquale si rebella, il che acio che sia piu manifesto per essempli da sacri mysterij de Theologi repetiti dichiareremo. La natura irrationale è gouernata dalla prouidẽtia daltrui, & p la sua imperfettione nõ è atta al gouerno di alcũaltra crea per cosi come Dio p la sua ineffabile eccellẽtia à ogni cosa proue de, et lui della prouidẽtia di alcuno nõ ha bisogno. Tra Dio et li aĩali brutti, quasi dua extremi sono, la natura delli angeli, et la natura delle anime rationali, lequali è da altri sono gouernate et hãno altrisotto el loro gouerno. E primi Angeli da Dio immediatamente illuminati & quasi admaestrati admoniscono & consigliono li Angeli inferiori, come etiam dio in Dauid propheta si legge, et da Dionysio Argeopagita piu diffusamente è explicato. Lultimo ordine delli Angeli, & à noi immediati, da Platonici & Pythagorici chiamati Demoni, & dalli Hebrei Isim, che si deriua da Is. che significa huomo, quasi custodi & pastori delli huomini, è deputato al gouerno nostro cosi come noi al gouerno di tutta la natura irrationale, pero rettamente dice Dauid che li huomini sono poco diminuti dalla natura angelica, & che sotto è loro piedi sono posti li armenti, è pesci li uccelli & tutte le fiere irrationali, per lequali parole etiamdio è da notare come molto piu sono distãte le bestie dalla perfettione nostra, che noi dalla Angelica, il che significa dicendo, è bruti essere sotto e nostri piedi, & noi dalla dignita Angelica essere poco diminuti, dunq mẽtre che è primi Angeli si sottopongono algiogo della diuina potesta, & la loro propria dignita & imperio & auttorita sopra laltre creature ritengono, ma quando anchora per smisurato amore della propria excellentia ad spirano ad tale equalita di Dio che come lui sanza altro aiuto per le sue forze proprie si uogliono conseruare, nel quale errore, per il dono della gratia in cui per essere hora confirmati, cadere piu non possono, ma caddono g, a lucifero & suasequaci, alhora & dalla beatitudine sua sono al baratro di estrema miseria precipitati, et ogni imperio sopra le altre creature è lor tolto, come à lucifero aduenne, ilquale ueggendo hora noi dal suo imperio liberi & sciolti, inuidioso insidia ogni hora à nostri beni. Similmente infino che Adamo alla obedientia de sua superiori sottoposse, & dal diuino precetto & consiglio non si rebello, fu & felicissimo & dominatore di tutti glialtri animali, & luno & laltro alhora perdette, quando per cupidita di assomigliarsi per la scientia del bene & del male à esso dio, & quasi dal suo gouerno per questa uia come di quello piu bisogno non hauessi, liberarsi, gustando el uietato frutto deuiò dal diuino comandamento. Questo medesimo ordine si uede nel piccolo mondo, cioè nellanima nostra, nellaquale le inferiori potentie dalle superiore sono corrette & administrate, & mentre à loro credono, procedano sanza errore in ogni loro opera. Correge spesso la imaginatiua li errori de sensi exteriori, la ragione dallo intelletto è illuminata, ne mai in noi errore cade se non quando, ò la imaginatiua troppo proterua alla ragione non presta fede, ò la ragione dallo intelletto aduersa nelle sue proprie forze troppo si confida, parimente nelle potentie appetitiue è lo appetito sensitiuo dal rationale gouernato, & il rationale dallo intelletto, il che sotilmente tocca el nostro Poeta dicendo.* Amor dalle cui man sospes' el freno
del mio cor pende. *Dichiaramo nel secondo libro lamore celeste essere appetito intellettuale, pero in ogni anima bene composta debbe ogni altro appetito essere da quello gouernato, ilquale gouerno per il freno, imitando el parlare del Phedro, qui è denotato. Dice adunq; el suo core da amore esse refrenato, cioè ogni suo desiderio da quello dependere & dice* cuore *Perche comunemente, come da philosophi & anchora nelle sacre litere è osseruato, si attribuiscono le operationi delle potentie cognitiue dellanima al capo, & delle appetitiue al cuore.* et nel cui sacro regno. *Non puo uno huomo ilquale espetti da altri nuouo beneficio per migliore mezzo prouocare uerso di se la liberalita di quello, che mostrasi grato de beneficij in prima da lui riceuuti, pero el poeta nostro espettando damore soccorso alla presente impresa fa demonstratione di gratissimo animo, perochè lamoroso fiamma dallaquale è suto lo ingegno del poẽta alla superna intellettuale bellezza eleuato, ne quanto al principio ne quanto allo augmẽto suo, ò in suoi meriti, ò in sue forze referisce, ma humilẽte di lei chiamãdosi indegno nostra essere nata et nutrita in lui p clemẽtia di amore.* Ma ei cor uien meno. *Dimonstrato come per forza & comandamento di Amore lui è condotto ad questa impresa, nel resto di questa prima stanza, due cose dichiara, & per le sue forze non sperar potere reggere à tanto peso, & col soccorso di amore sperarne ogni desiderato effetto,* Et la lingua repugna tanta impresa. *La medesima imbecillita che fa la lingua inepta & insufficiente ministra à tanta impresa, la fa anchora impotente ad resistere, & repugnare à maggiore forza di chi la muoue ad parlare.*

Chel descendere di alcuna uirtu superiore in noi è uno tirare noi ad se.

CAPITOLO. V.

MAperch'al pigro ingegno amor quell' a le promesso ha, con le qual nel cor mio in prima discese. *Tocca el poeta in questa luogo uno solenne detto de Theologi & Metaphisici, il qual è, che ogni hora che si dice qualche uirtu superiore in noi descendere, non si debbe intendere che lei dalla sua sublimita scendendo si porga in luogo piu inferiore per coniungersi à noi, ma tira noi per la uirtu sua ad se, & il suo descendere ad noi è uno fare ascendere noi ad se, perche altrimenti di tale coniuntione ne resulterebbe imperfettione à quella uirtu, & non perfettione à chi la riceue, & quello che inganna le comune imaginatione de uolgari è el conceperssi la coniuntione delle cose spirituali essere simile à quella delle cose corporali lequali si coniungono per approsimatione di sito & di luogo, cosi etiamdio credono el lume intelletuale non si potere al lanima nostra coniungere, se quello, come habitante in luogo supperiore, non descende quasi di cielo in terra per copularsi ad noi, & questo significa el poeta nostro dicendo le medesime ale con lequali amore discese in lui, essere quelle con lequali spera eleuarsi alla sublime contemplatione de mysterij amorosi.* Benche incima credo per mai partire
delle sue piume fa nido. *Qui dimostra el poeta dua co*

se. La prima questo amore sotto la signoria del quale lui è uisso & uiue, esser quello amore celeste & non uolgare, dicẽdo quello essersi posto incima del suo core, significando per questo le inferiori, quali sono le sensitiue albergo dello amore uolgare. L'altra è che denota per essere in lui già gran tempo dimorato amore, & hauendo già nel suo core fatto suo albergo & nido, potere di lui fedelmente & con uerita parlare, come di cosa à se domestica & familiare.

CAPITOLO. VI.
Stanza seconda.

IO diro com' amor dal diuin fonte. In questa seconda stanza fa lo authore dua cose. La prima brevemente propone quello che lui ha ad dire di amore, poi quasi mosso dalla recente commemoratione della grandezza della materia, laquale lui propone di trattare, ritorna alla inuocatione, inuocando insieme con amore al suo aiuto Apollo di ce quanto alla prima parte. Io diro com' amor dal diuin fonte dell'increato ben qua giu s'infonde. Cioè dal fonte della bonta diuina primo principio, come habbiamo dichiarato, dogni bellezza, & consequentemente di amore che di lei nasce. s'infonde qua giu. Cioè nelli animi nostri nequali ultimamente si termina tale influsso. Dice oltre ad questo che dira, il che fa nella sequente stanza. Quando in pria nato & donde. Cioè come prima nacque nella mente angelica ne natali di Venere, cioè della ideale bellezza, dellaquale nel secondo libro tre cose principale furono dette. La prima che quel debito ordine di quelle idee ilquale noi prouiamo, per Venere denotarsi, è lordine della prouidentia dellaquale questo mondo inferiore è retto & gouernato. La seconda è che quello ideale splẽdore per liberale participatione della angelica mente allanima rationale è participato, dallaquale ultimamente gia per amorosa conuersione dalla mente perfetta sono mossi e corpi celesti. Di queste tre cose promette parlare el poeta, & pero dice che dira Quando in pria nato et donde muou' el ciel l'alme informa, e' l mõdo regge. Commeia dal moto del cielo che è lultimo effetto, & da quello ordinata mente ascende al primo che è reggere el mondo con la retta ragione della prouidentia, benche poi nello essequire la promessa dichiaratione tenga ordine retrogado, il che è fatto dal poeta per significare che quantunche nella inquisitione di alcuna uerita quando di lei ossuro lume & confusa cognitione ha intellecto, paia conueniente ordine & necessario, come Aristotile dichiara, procedere dalle cose inferiori, come piu propinque & piu note à noi, alle superiori, nondimeno dopo la gia trouata uerita chi hadi lei scientificamente, & come Platone per tutto osserua, diuinamente ad parlare debbe nel suo scriuere seruare lordine della natura delle cose stesse, cioè che cosi come dalle cose superiore emanano & prouengono le inferiori, cosi etiam dio dalla cognitione di quelle à la cognitione di queste con scientifico ordine si descenda. Di questi tre effetti uniuersalmente per tutta la canzona, secondo che il luogo richiede parla el poeta, & è da intendere amore essere cagione di questi effetti non effettiua, perche lui non è quello che produca le idee nella mente angelica, il che fa dio, ne che illustri lanima dello ideale splendore, che questo il fa la mente, ne che il cielo muoua, ilquale non ha altro motore che lanima propria, ma dicesi causa, perche dalle loro principali cause senza lui non seguirebbono e predetti effetti, perche se la mente à Dio & lanima alla mente non si conuertissi, della quale conuersione è causa amore, ne in quella idee, ne in questa quelle specifiche ragione descenderebbono, dallequali se lanima nõ fussi perfetta & illuminata, non sarebbe atta causa ad estrahere per il moto del cielo del seno della materia inferiore queste forme sensibili. Dichiarera adunq; el poeta come amore è cagione di questi effetti, poi ultimamente dira come sieno li huomini per uirtu dello amore celeste sforzati elcuarsi da terra, cioè dalle cose sensibili, al cielo, cioè al cose spirituali, & dira con qual legge et per qual modo hora uiua in noi quel celeste amore che al cielo ne uolge, hora quello uolgare che ad terra ne piega, hora in uno mezzo stato fra questi dua estremi ne ponga come & lui nelle ultime stanza tochera, & come da noi nel precedente libro fu diffusamente dichiarato. Et è da notare che sotto el celeste amore si comprendono il quinto & il sesto grado di amore: & sotto il uolgare, il primo secondo & terzo, & per lo stato di mezzo sintende il quarto grado, de quali non bisogna al presente parlare, perche nel principio della. V. VI. & VII stanza, doue il poeta ne parla diffusamente, ne tratteremo. Quanto alla seconda parte uno dubio è da dichiarare, per qual cagione sia dal poeta nostro in suo soccorso inuocato amore et Apollo, per il che è da sapere che à ciascuno che ha di qualche materia ad parlare sono necessarie due cose. Prima el concepere di quella la sua natura profondamẽte & secõdo le sue forze esse cõcetio con elegãte modo, ò scriuẽdo, ò parlãdo, di fuora esplicare. Per cõsequutione della prima è necessario nõ solo nella mẽte hauere di quella cosa bona cognitione, ma in quella al tuto trasformarsi, ne mai tratterabene uno mestio caso, chi prima lanimo proprio dẽtro di mestitia nõ ueste, et chi duno atto marziale, come e di una guerra fatta ha ad scriuere, nõ basta la semplice cognitione di quella, ma bisogna, uolẽdo quella col suo parlare effingere & esprimere, prima comporre se stesso dentro ad simile disposition, & cosi è in ogni altra materia, pero chi damore ha ad parlare, bisogna che in amore si trasformi, chi puo lacqua trasformare in fuoco, se non esso fuoco? chi puo noi in amore trasformare, se non esso amore? bisogna adunq;, à chi damore scriue, el soccorso di amore, poi che di lui non puo scriuere, chi prima lui non diuenta. Per consequutione della seconda è necessario lo adiuto di quello dalquale puo peruenire in noi el dono della eloquentia, & questo dalli antichi è attribuito alle Muse et ad Apollo. per questa cagione è adũq; dal poeta nostro inuocato Apollo & Amore, cosi come da chi di nozze ò di guerra scriue, oltre alla inuocatione delli dei donatori della eloquentia, è da questo inuocato Marte, & Hymeneo da quello, laqual cosa assai piu diffusamente nel primo libro della nostra poetica Thelogia dichiareremo, & quì basti nella præsente espositione quello che detto hauemo, adiungendoui anchora questo, che cosi come el concepere la cosa è prima che lo esplicarla, cosi anchora meritamente douea, come il Poeta nostro ha fatto, precedere la inuocatione di amore fatte ne la prima stanza, alla inuocatione di Apollo, il che fa hora nella seconda, ne sanza cagione è che la inuocatione di amore fu sola, & quella di Apollo non fu sanza accommodata replicatione ad giugnendo quella di amore, pero che ben si puo concepere duna cosa el uero & intenderla perfettamente, & di lei non parlare ne scriuere, ma non puo gia parlare di quella, ò scriuere bene, chi prima bene non la concepe & intende, pero non puo lo adiuto di amore & bene ficio suo in noi essere circa questo per se, sanza hauere seco insieme lo adiuto di Apollo, ne puo quello di Appllo per alcuno modo stare sanza lo adiouto di amore

CAPITOLO. VII.
Stanza terza.

QUando dal uero ciel conuerso scende. In questa terza stanza dichiara el poeta nostro elegantissimamẽte oue in prima nasce Amore, & come na-

me nasce, & quello che in fine è amore, & perche nel secondo libro fu da noi diffusamente di questa materia trattato, qui basterà la semplice esposizione delle parole. La summaria sententia di tutta stanza è questa, che quando da Dio descende nella mente dello angelo. prima prole, cioè prima creatura di Dio, la copia delle Idee, desiderando langelo la perfettione di quelle, à dio si riuolge & da lui conseguita piena possessione di quello che lui desidera, il che quanto piu pienamente ha in se, tanto piu lo ama ardentemente. Conclude in fine che quello desiderio ilquale dalla mente, inquanto è in se oscura, & dalle idee in lei riceuute, nasce, è quello amore del quale nella præsente stanza si parla. Dico adunq; quando dal uero ciel, cioè da Dio primo fra tutte le cose, come è il cielo fra tutte le corporale, & dice uero perche da è Pithagorici, & uniuersalmente dalli antichi theologi, sono le cose intelligibili & spirituali essistimate essere sole uere cose, & le cose sensibili essere imagine & ombra di quelle, & quasi da loro differenti come uno oro di archimia, che è fatto dallarte, ad imitatione del uero oro & naturale, & perche fra el Philosopho & il Sophista è la medesima differentia, impero che el Philosopho cerca el uero, el Sophista lo apparente, pero dicono li antichi Platonici essere lo opifice de le cose sensibili chiamato Sophista, ma per non dare materia ad alcuno & occasione di errare, è da notare che Dio non si chiama uero & intelligibile cielo, come quello che sia Idea di questo sensibile, perche come nel primo libro fu dichiarato, le Idee sono in quella prima mente da Dio prodotta, ma chiamasi Cielo per uia di similitudine & di traslatione, peroche come el cielo ilquale è una parte del mondo suprema contiene in se tutte laltre cose mondane & salua, cosi Dio nello infinito ambito della sua indiuisibile & semplicissima unità ogni cosa creata chiude & conserua Iscende el diuin sole, cioè la luce delle Idee emanante da Dio auttore dogni luce spirituale, come elsole celeste dogni luce sensibile, & dicesi scendere elsole doue scende la luce & la uirtu sua. nell'angelica mente, mente & intelletto è quel medesimo che, cioè ilqual sole illustra e'n forma, perche come di sopra fu dichiarato, quelle idee sono sostantiale forma dello Angelo, pero non bastiò dire illustra, il che solo dimostraua accidentale perfettione la sua prima prole, cioè langelo prima creatura di Dio sottole uiue frondi, cioè sotto lornamento di quelle idee, ilquale perche cagione sia per fronde dal Poeta significato sia chiaro à chi di quello si ricorderà che nel secondo libro fu ditto, & è che quella informe essentia dello Angelo è da Platone per li orti di Gioue significata, nella quale le Idee come sempre uerdi & frondosi arbori sono da Dio piantate, & dice uiue, per che uiua si chiama quella cosa, laquale ha in se intrinseco principio da essequire la sua operatione il che per largo uocabulo qualche uolta è chiamato moto intrinseco, di che segue che Langelo hauendo mediante quelle idee intrinseco principio in se da essequire lòperatione sua, che è lo intendere, meritamente si puo dire hauere la uita da quelle, uita per certo nobile & degna, dellaquale dice Dauid à Dio, dammi intelletto & uiuero, reputando qualunche sanza quella uiue essere piu morto che uiuo, & chi di quello participa, uiua di perfetta uita amabile & eterna, dellaquale quanto si puo in questo mondo gustano assai è philosophi contemplatiui. Volse oltra ad questo lo autore nostro dare lo epitheto della uita alle idee per seguire Giouanni euangelista, il quale uolendo significare cio che da Dio fu creato essere primastato in lui secõdo lo essere ideale disse, & tutte le cose fatte in lui, erano uita. Accordansi anchora à questo è sacri mysterij delli Hebrei, liquali alla seconda Sephiroth, cioè enumeratione che dal primo padre procede & è in se la prima ideale sapientia, attribuiscono il nome di uita. Lei chel suo primo ben ricerga et uole, la luce & riscalda, ma prima illumina & poi riscalda, & poi che ha riscaldato, piu che prima perfettamente illumina, perche quello che la riceue poi che è dal calore infiammato, piu simile fatto alle natura della luce, diuenta assai piu atto ad essere da lei informato; cosi adunq; descendẽdo la luce Ideale nella mente Angelica, prima la illumina, ma non perfettamente, ma poi che data le luce nasce in lei uno calore di ardentissima & inestinguibile sete di satiarsi al fonte del predetto lume portata da tale ardore, quasi uno carro difuoco al luogo adgiungne, doue per infinita liberalita del primo padre, cioè di esso Dio, in cui non alberga inuidia, tanto del desiato lume quasi nettare dolcissimo in lei trabocca, quanto lei è capace in riceuerne, & perche quanto piu di quello bee, tanto piu desidera, perche piu gusta la sua dolcezza, pero il poeta soggiũge. Quin c'el primo disio che lei trasforma, cioè di possedere quella bellezza ideale perfettamẽte ilquale disio, cioè ilquale amore trasforma lei amante nella cosa amata alhora, cioè quando dello splendore diuino piu in se riceue per maggiore approssimatione al uiuo sol dell' increata luce, cioe à esso Dio mirabilmente alhor s'incende e' nfiamma per innato disio. Dimanderebbe forse alcuno per quale cagione dica innato, concioscia che quello disio nasca in lei dalle idee riceuute, lequali non dase stessa possiede, ma peruengano in lei difuora. Acui cosi si debbe respondere, che non ostiante che daltronde riceua le idee, origine di questo desiderio, nondimeno non le riuece come cosa accidentale, ò distinta dalla sostantia sua, ma come atto suo primo intrinseco & sostantiale, & per denotare questo el poeta, & non dare occasione di errare credendo queste idee descendere nello Angelo come distinte & extrinseche dalla sua sostantia, disse innato, cioè naturale et non accidentale disio quell ardor quell' incendio et quella fiamma. Quello che quì el Poeta soggiugne nel secondo libro è ad sufficientia dichiarato cioè come el desiderio di possedere la ideale bellezza, ilquale nasce & dalla mente angelica in se oscura, & dalla luce prima, anchora in lei imperfetta riceuuta, è il primo amore che sia nel mondo & il piu uero, cosi come la bellezza da lui amata è la piu uera che pensare si possa, & è per le medesime cose disopra à dette chiaro come lui nasce d' inopia. cioè di pouerta. et di richezza è quali da Platone sono chiamati Penia & Porò, & similmẽte come nasce alhora che dise el ciel facea chi cypri honora, cioè quando dal cielo è prodotta Venere laquale in Cypri shonora. & nota che il poeta in questo luogo piu tosto ha uoluto con poètica leggiadria significare Porò & Penia ambe dua per nome di femina, cioè per richezza & per inopia, che seguendo le parole di Platone, luno per nome di femina & laltra per nome di maschio figurare, il che ha fatto perche la inopia & la richezza, cioè il possedere la cosa amata in qualche modo, & in qualche modo esserne priuato, non è principale & effettiua causa dello amore, laquale di sopra dicemo che pli padre si significatiua, ma sono quella specie di causa la quale da philosophi è detta sanza laquale non segue lo effetto, & per che questa dicono è Platonici ridursi alla specie & modo della causa materiale come meno principale & mendegna, laquale per la materia si significa, pero uolse el poeta & luno & laltro per nome di femina significare.

CAPITOLO. VIII. Stanza. iiij.

QVesti perche nell'amorose braccia. la perfetta cognitione dogni cosa consiste nello intendere & la natura sua propria & tutte le sue proprie

ta lequali conseguitano à quella, qualche uolta per la proprieta à noi note inuestighiamo la natura della cosa, & qualche uolta per opposito processo, dalla cognitione della natura in se si peruiene alla cognitione della natura in se si peruenie alla cognitione della proprietà, & questo modo è il piu perfetto ilquale in questo luogho ha seguito el Poeta nostro, imperoche dichiarato nella terza stanza la natura di amore, per quella nella presente dichiara la sua proprietà, & da quella assegna la ragione de piu degni effetti che amore operi in noi. Questi perche nell' amorose braccia assegna la prima proprieta di amore con la sua ragione, & è che essendo questo el primo & uero amore, & dal quale ogni altro amore depende, nato della ideale bellezza, laquale si chiama Cyprigna, cioè Venere per la cagione sopra detta, bisogna che ogni amori ad bellezza si uolga & in quella si dirizi, & pero non puo alcuno desiderio di cosa deforme & sozza attribuirsi el santissimo nome di amore. quinc' el Primo disio che' n noi si giacque. El secondo effetto di amore è questo che per lui si eccita in noi desiderio di quella belta celeste et intelligibile, laquale hauendo dimenticata lanima dal corpo oppressa, rimane in noi topito & adormentato ogni disio di quella, ma per amore di nuouo eccitato si sueglia & dalla bellezza sensibile de corpi a quella dellanima per honorata traccia guidandone ultimamente nel seno di essa diuinita primo fonte dogni bellezza ne conduce. da lui el foco. mirabili & secreti mysterij amorosi si contengono ne cinq; profsimi uersi sequenti, & principalmente doue lui dice accender si in noi el fuoco di amore, nel quale fuoco arde morendo el core, & ardendo di quello amore tuttauia cresce. Dissimula per certo sotto breuissime parole uno altissimo senso quale è questo. Quando lanima nostra è nello excercitio di qualche sua potentia ò uirtu piu efficacemente fissa, rimangono piu debole le operationi dellaltre, & quando ad una tutta si conuerte, laltre mancono in tutto eccepto quella nellaquale la uita dello animale consiste, il che fia per essempio piu chiaro se uno è fortemente fisso nella imaginatione, mancono le operationi delle uirtu sensitiue esteriori & uedesi per esperientia di alcuni, liquali mentre che nel pensiero duna cosa sono profondamente fissi, ne intendono chi loro parla, ne ueggono quello che di nanzi à gliocchi loro è posto, cosi chi è tutto alla parte rationale conuerso, pensa & intende con locchio puro della ragione sanza haueresseco in compagnia atto alcuno della imaginatiua, similmente chi allo essercitio della parte intellettuale peruiene, mancono in lui li atti & le operationi & della ragione & dogni altra uirtu inferiore cognoscitiua. Et perche come nel primo libro fu detto la parte rationale è propria delhuomo, & per la intellettuale communica con li angeli, questo tale non piu di humana uita, ma di angelica uiue, & morto nel mondo sensibile, nello intelligibile rinasce ad piu perfetta uita, el moto & la operatione è segno della uita, la priuatione di questi è segno della morte. Dunq; quando nel lo huomo alcuna operatione humana non appare, è ueramente morto quanto allo essere humano, & se da quello passa al lo essere intellettuale, è per morte di huomo in angelo trasformato, ne altrimenti si debbe intendere el detto de sapienti Cabalisti quando, ò Enoch in Matrathon angelo della diuinità, ò uniuersalmente alcuno altro huomo in angelo dicono trasformarsi, & perose el diuino & celeste amore, delquale lo autore parla, è desiderio intellettuale, come fu dichiarato nel secondo libro, ne ad tale essere si puo passare se prima quanto alla humana parte dellanima non si muore, meritamente dice el poeta che mentre el core, cioè lanima humana che nel core alberga, arde nello amoroso foco, muore per quello ardore, ma in quello morendo non mancha, anzi cresce. peroche da quel foco quasi santissimo holocausto tutta abrusiata sacrificata al primo padre fonto della bellezza per ineffabile gratia al tempio di Salomone dogni richezza spirituale ornato uero habitacolo della diuinità, felicemente si conduce, inestimabile dono di amore che fa li huomini equali alli angeli, admirabile uirtu che per la morte à noi dona la uita, & di qui puoi intendere con quanto misterio da Platone nel conuiuio & nella oratione di Phedro sia posto la fabula di Alceste & di Orpheo, dellaquale uadremo solo uno anagogico senso alla predetta nostro espositione conforme, per ilquale & la mente di Platone, & la profundita di questa materia perfettamente dichiaremo. Eadunque, Lintentione di Platone dimostrare come per alcuna uia non sia da sperare di potere aggiugnere alla fruitione della intellettuale bellezza, se prima in tutto le inferiori potentie abandonando la humana uita insieme con quelle non si abandona, ne ama perfettamente, cioè di amore non muore, dico di amore perfetto, perche quello amore del quale nel secondo libro dicemo essere imagine dello amore celestie, puo albergare anchora in chi è huomo, cõciosiache esso nella parte rationale dimori, ma di quello ilquale è puro & sinceramente intellettuale, lantichita & dignita delquale è iui da Phedro esposta, non puo uestirsi chi prima di questa uita non si spoglia, separando, non el corpo dellanima, ma lanima dal corpo, pero Alceste perfettamente amo, che alo amato per morto andare uolse, & morendo per amore, fu per la gratia delli Dij in uita reuocata, cioè in uita regenerata, non per corporale, ma per spirituale regeneratione, ma qualunq; crede, non si spiccando in tutto dal sensibile mondo, ma anchora in esso uiuendo, potere congiungersi alla perfetta sublimita ideale, obietto del nostro amore, erra grandemente, perche le idee in se & nello essere suo uero, non si possono uedere se non locchio della uirtu intellettuale, ilquale seco non patisse consortio di atto di inferiore uirtu, ma ogni hora che è eccitato, chi se li appropinqua, abrusia & consuma, & come uiuacissimo fuoco in se conuerte. nellaltre potentie inferiori, ò rationali, ò imaginarie ueggon si, non le idee in se, ma la loro imagine & similitudine tanto piu perfetta nella ragione detta intelletto posibile da peripathetici, che nella fantasia, ò uero imaginatiua, quanto quella è piu propinqua allo intelletto, & questo, ne piu leggiadramente, ne piu sottilmente, potea dichiarare Platone che per lo essempio dallu addotto di Orpheo, del quale dice che desiderãdo lui andare ad uedere la amata Euridice, non uolse andare ad quella per morte come molle & effeminato dalla musica sua, ma cercò modo di andraui uiuo, & pero dice Platone che non pote conseguire la uera Euridice, ma solo una ombra & uno phantasma di quella li fu demostrato, ne altrimenti aduiene à chi spera, non si spiccãdo dalla operatione della imaginatiua & dalla parte etiamdio rationale adgiugnere alla uera cognitione delle intellettuale idee, perche nõ loro inse & nello essere suo uero, ma qualche loro phãtasma & similitudine, ò nello intelletto posiibile, ò nella imaginatiua relucẽte uede. Questo senso, quantũq; & sottile & alto, nondimeno è tãto alla cosa cõforme, che marauiglia mi pare come ogni altro preso dale parole di Platone non lo habbi inteso, & testimone menè la cõscientia mia, che la prima uolta che mai el Simposio lessi, non prima hebbi finito di leggere le sue parole in quello luogo, che nella mente mi aparue questa uerita, laquale & nel cõmento nostro sopral conuiuio, & nella nostra poetica theologia, piu diffusamẽte dichiararemo. Questo nodo uoglio lasciare sciogliere à chi legge che quel medesimo serpente che priuò Orpheo di Euridice, linsegnò la musica, & prohibillo per propria morte racquistare lamata Euridice, ne piu oltre uoglio questo secreto scoprire, ma solo per piu sufficiente dichiaratione di questa materia è da sapere piu oltre, che qualche uolta si dice lanima essere separata dal corpo, ma non il corpo da lei, & questo è quãdo ciascuna delle potentie dellanima, eccepto quella che il

corpo

corpo nutrisce chiamata uegetatiua, è ligata & non opera & come se in tutto nō fusse, il che, come dicemo, accade quando la parte intellettuale & regina dellanima è in atto & opera, laquale per la sua dignita nō cōpatisce seco latto di alcuna altra potētia, eccepto quella della potētia nutritiua, le cui operationi per la grāde distātia sua da lei, non sono dallo atto di quella annullate in tutto, benche grandemēte debilitate, ma se molto si fortifica & si prolunga la operatione intellettuale, bisogna etiā dio che nō questa parte ultima uegetatiua lanima si separi talmente che & lei dal corpo & il corpo da lei sia separato. Puo adūq; per la prima morte, che è separatione solo dellanima dal corpo & non per lopposito, uedere lo amāte lamata Venere celeste & ad faccia ad faccia con lei ragionando della sua diuina imagine è suoi purificati occhi felicemēte pascere, ma chi piu intrinsecamēte anchora possedere la uuole, & nō contento del uederla & udirla essere degnato de suoi intimi amplessi et hanelanti basci, bisogna che p la seconda morte dal corpo per totale separatione si separi, & allhora non solamente uede & ode la celeste Venere, ma con nodo indissolubile à lei sabbraccia, & con basci luno nellaltro la propria anima trasfundendo, non tanto cambiono quelle quanto che si perfettamente insieme si unischano, che & ciascheduna di loro due anime & ambe due una sola anima chiamare si possono. & nota che la piu perfetta & intima unione che possa lamante hauere della celeste amata, si denota per la unione del bascio, perche ogni altro congresso, ò copula piu oltre usata nello amore corporale, non è licita per alcuno modo, ò per transumtione alcuna usare questo santo & sacratissimo amore. & perche è sapienti Cabalisti uogliono che molti delli antichi padri in tale ratto di intelletto sieno morti, troverrai appresso di loro essere morti di Binsica che in nostra lingua significa morte di bacio, il che dicono di Habraam, Isach, Iacob, Moyse, Aaron, Maria, & di alcuno altro, & chi el predetto nostro fundamento non intende, mai la loro intentione perfettamente intende, ne altro ne loro libri leggerai se non che Binsica, cioè morte di bacio, è quando lanima nel ratto intellettuale talmente alle cose separate si unisce, che dal corpo eleuata in tutto quello abandona, ma per che à semile morte tal nome si conuenga non è suto da altri per quanto io habbi letto infino ad hora esposte. Queste è quello che il diuino nostro Salomone nela sua cantica esclama Bacimi, co baci della sua bocca. Mostra nel primo uerso Salomone la intentione totale del libro, & lultimo fine del suo amore, ne piu oltre che al bacio uedreno mai andare ne Salomone, ne Platone, ne qualūq; altro di amore parāldo, del celeste ha ragionato. Da lui el foco per cui da lui deriua, cio chen lui uiue in noi si accēde, & doue arde morendo el cor ardendo cresce. *Habbiamo disopra dichiarato come el core nello amoroso foco ardendo more, & come per tale morte cresce ad piu sublime uita. La dichiaratione delaltra parte, cioè come per questo foco di amore deriui nelli altri cio che in lui uiue, haremo pienamente nella esspositione del prosimo testo.* Per lui el fonte immortal trabocca on de' sce cio che poi el ciel quagiu formando moue. *Per il fonte immortale intende Dio, & è nome attribuito à lui anchora dalli antichi cabalisti, & se amore non fusi, non descenderebbe da questo fonte la ineslimabile copia dalle uiue acque, lequali prima nella angelica mente riceuute, da quella poi pure per amore nellanima piouano, dallaquale per il moto de cieli si produce cio che nel sensibile mondo di nuouo appresso ad noi si genera, non riceuerebbe lo influsso della bonta diuina langelo, se ad lui non si conuertisi, ne si conuerte per altro che per amore, come disopra è detto, ne dello angelico lume participerebbe lanima, se parimente per amoroso desiderio ad lei non si conuertisi. Amore adunque è cagione della productiion è dogni cosa che da Dio procede, non per amore che in lui sia, intendendo per amore quello che Platone & il Poēta nōstro intende, perche in lui sarebbe imperfettione, ma per lo amore delle creature inuerso lui come habbiamo dichiarato, & per il modo detto.* Da lui deriua cio che in lui uiue. *Cioè cio che in quello uiue, & per dichiarare el Poēta che questo amore non è uno accidente, ne una qualità in quella mente, ma è à lei sostantiale, dice quello che è nella mente essere in esso amore, per li meriti del quale, & la perfettione delle idee in lei, & da qualla nellanima del mondo prouiene, & conseguene la produttione & lornato di cio che nel sensibil mondo si contiene. Quello che segue nella presente stanza è per le cose di sopra dette chiaro, ne ha bisogno di altra esposilione, perche assai apertamente, & nel primo & secondo libro, demonstramo qual sia quello amore eterno, del quale lanima nostra arde continuamente, quantunque à noi nel freddo della materia agghiacciati non peruenga alcuno senso di tale calore. Onde meritamēte insieme con Dauid ci possiamo cōdolere di cēdo, lacque sono intrate nello intimo dellanima nostra, et beato è chi puo dire, la grāde multitudine dellacque diquesto mio corporale abysso nō ha tuto spegnere in me lelfuoco del cele-*

CAPIT. IX. Stanza quinta. (ste amore.

COme dal primo ben l'eterna mente e, uiue, intende. *Nella presente stanza demostra el poēta come nasce Venere uolgare, cioè la sensibil bellezza, della qual materia, perche nel secondo libro sufficientemente ne habbiamo trattato, qui bastara una semplice esposilione delle parole dello auttore. Cosi adunque come la mente angelica da esso Dio ha la essere el uiuere, & lintendere, cosi lanima rationale, laquale da essa mente è prodotta, ha da lei lo intendere, el muouere, & el fingere. Perche lanima rationale intende se, & laltre cose incorporee, muoue le corporee che sono eterne, quali sono è cerchi celesti fabrica, & finge le corporee corottibile mediāte el moto de corpi eterni, perche mouendo loro, come lo auttore sogiunge, depinge nella materia inferiore quelle forme delle cose quali ha in se concette, & dalle quali forme, raggi dello intelligibile sole, è illuminata, & cosi come lei della Angelica mente le riceue, cosi etiamdio alla materia le communica, par tal modo adunque cio che essa in se contiene diffunde producendo ogni altra natura particolare che dopo lei si truoua, & perche da essa, cioè dallanima rationale è prodotta lanima sensitiua & motiua del corpo, & similmente la uegetatiua, come nel Timeo si pruoua, pero soggiūge el Poēta.* Et cio che poi si moue & sente per lei mirabilmēte mosso, sente, uiue, opra ogni suo effetto, *imperoche da lei tutte queste operationi. da questa adūque, cioe dellanima motrice de cieli chiamata Gioue nel Symposio da Platone nasce quagiu, cioè nella materia inferiore significata da Platone per Dione* Venere, *cioè la bellezza sensibile de corpi, come del cielo

la bellezza, il che nello opaco & adumbrato lume della notte non li è concesso, così uoleggendo in se la mente angelica la ideale bellezza, ma opaca & ombrosa, & non potendo quella nella notte della sua imperfettione, & nelle tenebre della sua natura se non debilmente uedere, perche come la luna per se non luce, così perse, se al primo padre non si conuerte, nessuna perfettione possiede, desidera con amoroso desiderio al paterno sole conuertirsi, & dal copioso lume di quello uestita, & la bellezza sua fare piu perfetta, & locchio suo intellettuale illustrare in tale forma che lamata bellezza pienamente godere potesse, così si conuerse & conuertendosi disse Dio sia fatta la luce, & fu fatta la luce, spirituale & intelligibile, che & il uolto della celeste Venere in se bellissimo rende, & allocchio della prima mente lo fa chiaramẽte essere uisibile, laquale ringratiando la liberalità paterna ad lui conuersa canta, segnato è sopra di noi el lume del tuo uolto. Tu se fonte della uera uita, & nel tuo lume noi uedremo lume. Non altrimenti nella bellezza sensibile due cose habbiamo ad considerare. La prima è lo obietto in se che si uede ilquale quanto al la prima sua sostãtia è quel medesimo nella mezza notte che nel mezzo giorno. L'altra è la luce diurna laquale à lui congiungendosi è à quello quasi come laĩa al corpo Hauendo presupposto questo, simagina el Poëta nostro che così come la prima parte della bellezza sensibile procede dalla prima parte della bellezza intelligibile, cioè le forme corporale da quelle forme ideale, così questa luce sensibile proceda & emani da quella luce intelligibile che sopra le Idee descende, laquale fu opinione de Theologi phenici, & da Iamblico poi & da Iuliano Platonici approbata, pero dice el Poëta L'altra che dentro al sol si specchia, cioè la celeste Venere, laquale continuamente nel diuin sole si specchia, & dice dentro al sole, per dimostrare che quella mente con tutto el suo sforzo à dio conuertendosi, à lui quanto piu puo intimamente si unisce, & dice che. Si specchia all'ombra di quel chal contemplar per lei s'aduezza. cioè allombra della essentia dello Angelo, laquale per la informita sua faccendo quel lume ideale alquanto opaco & tenebroso, è detto dal Poëta farli ombra. Et perche per quelle idee essa essentia dello Angelo diuenta intellettuale, per questo dice el Poëta, che lei mediante esse Venere Al contemplar s'aduezza. come di sopra fu pienamente dichiarato. come ogni sua ricchezza prende dal uiuo sol ch'en lei refulge, così come essa Venere celeste prehende ogni sua richezza, cioè di quello splendore diuino, dal uiuo sole, cioè da esso Dio. Così sua Luce indulge cioè dona, cõmunica & participa que la sua luce à questa, cioè alla bellezza sensibile, dallaquale non altrimenti nasce lamor uolgare, che da quella altra lamor celeste, & così come sempre quello la uolgare, così anchor questo la celeste uaggheggia, seguita & desidera, come disopra fu dichiarato, & pero soggiunge lo auttore nostro. Et come amor celeste In lei così sempre e'l uolgare pende in costei.

CAPITOLO. X. Stanza sexta.

QVando formata in pria dal diuin uolto. Prima che alla espositione di questa stanza descenda perche in lei si tratta come la particolare bellezza duno corpo ne lanimo daltrui accende foco di amore, non sara se non utile dare qualche lume & cognitione del la predetta bellezza de corpi. E adunque da considerare che nella bellezza de corpi che à noi nella luce del di si manifesta, dua cose appaiono à chi bene le considera. La prima è la material dispositione del corpo, laquale cõsiste nella debita quantita delle sua parti, & nella conueniente qualita. La quantita è, & nella grandezza de membri se ella è secondo la proportione del tutto conueniente, & nel sito loro. & distantia luno dellaltro. La qualita è nella figura & nel colore. La seconda è una certa qualita che per piu proprio nome che di gratia non si puo chiamare, laquale appare & resplende nelle cose belle, & pare à me che questa propriamente si attribuisca & si uendichi el noma di Venere, cioè di bellezza, peroche questa è quella sola che lamoroso foco nelli humani cori accende, & uogliono molti che questa tale qualita nasca & resulti dalla prima dispositione del corpo, cioè che dal sito, dalla figura & da colori de membri resulti nel tutto questa gratia, contro allaqual sententia al mio giudicio debba bastare la esperientia, perche molte uolte uedremo une corpo da ogni canto inaccusabile & perfettissimo in ogni sua parte quanto a tutte le conditioni predette, & nientedimeno el uedremo dogni gratia priuato, & così per loppposito si uedra qualche uolta in uno corpo, ilquale & nella figura & ne colori potrebbe essere assai meglio proportionato, apparire nondimeno mirabil gratia. Questo molto bene dichiara Catullo in uno suo epigramma doue dice.

,Quintia à molti par bella, agliocchi miei
,Candida, longa, retta, in se ciascuna.
,Parte di quest' esser confesi' in lei.
,Ma niego ben chel tutto accolto in una.
,Forma, bel sia, che'n si gran corpo un falso
,Fior non risplende pur di grati' alcuna.

Concede el Poeta in Quintia essere & la qualita del colore per li bianchezza, & della figura per essere diritta, & della quanita che ne formosi si richiede che è la grandezza, & nondimeno per nessuno modo concede potersi chiamare bella, perche li mancaua quella Venere & quella gratia dallaquale di sopra habbiamo detto, & laquale è alla bellezza corporale come nel sale à ogni uiuanda. Quale adunq; diremo essere la cagione che uno corpo sia di tal gratia dotato, & un altro priuo in tutto, diro quello che io per me ne penso, sottomettendo el mio giudicio à ogni migliore openione. Credo che da poi che tale effetto dal corpo non procede, necessariamente debba attribuire allaĩa, laquale quando in se è molto perfetta & lucida, credo che insino nel corpo terrestre qualche raggio del suo splendore transfonda, & in questo conuengono tutti li antichi philosophi & Theologi, che quando dal monte & dalla diuina uisione discese Moyse, era la sua faccia tanto illustre che gliocchi del popolo sopportare non lo potea uano. Onde era necessario che con la faccia uelata parlassi loro. Scriue Porphirio che ogni hora che lanima di Plotino inqualche sublime contemplatione si eleuaua, appariua nel uolto suo mirabile splendore. Et questo è quello che esso Plotino scriue, che mai niuno bello fu cattiuo, uuol Plotino questa belta, cioè questa tal gratia che spesso in uno corpo, & di statura, et di colore meno che mediocremẽte bello appare, essere segno certissimo della intrinseca perfettione dellanima del laqual perfettione parlãdo Salomone ne prouerbij dice. La sapiẽtia dello homo illumina la faccia sua, & credo questa sentẽtia essersi massimamẽte uerificata nelle tre obseruate charattere del sacro nome del protoplausto Adamo, et chi puo intẽdere questo secreto lo intẽda. Adgiũgerebbe a questo uno Platonico, che lanime che descẽdono dalla Sphera di Venere habbino oltre alle altre ad causare precipuamẽte ne loro corpi simile affetto. Quãdo formata in pria dal diuin uolto. Lordine delluniuerso è che dalle cose separate & intelligibili procedino le cose inferiori, & queste, quanto piu possono alle loro cause cõuertẽdosi, ad quelle ritornano, il che uoggo nella presente Canzona essere mirabilmente dal Poeta osseruato, ilquale hauẽdo di bellezza & di amore ad trattare, pri-

ma

ma dalla celeste bellezza & dal celeste amore incominciò, la natura origine & proprieta de quali nella terza & quarta stanza sufficientemente dichiarate, & nella quinta dapoi narrato, come da quella procedeua la bellezza sensibile, & lo amore di quella. Mostra hora nel resto della presente Canzona come dalla sensibile bellezza sascenda per ordinati gradi alla bellezza intelligibile, allaquale giunto, termina lo auttore lopera sua, come in quella, ad cui peruenendo, ogni amoroso desiderio terminare si debbe, ne piu sottile, ne piu ordinato, ne piu sufficiente modo puo obseruare ciascuno che di qualche materia ha trattare che questo, il quale ueggiamo essere suto nella presente canzona dal nostro Poëta osseruato, modo da pochi inteso et cognosciuto, et è quello che Platone nel Philebo chiama de ducere la unita in multitudine, & la multitudine nella sua unita redurre, & quello che bene questo ordine & modo sa osseruare, meritamente, come scriue Platone, el douiamo quasi come se uno Dio fussi, seguitare huomo certamente diuino & angelo terrestre, atto incompagnia delli altri angeli contemplatiui, per la scala di Iacob secondo la sua uolunta ascendere & descendere, & di questo ordine nel Commento sopra el Sympolio diffusamente tratteremo. Seguendo adunque lo auttore questo ordine nostra come per sei gredi da la materia le bellezza incominciando al primo fonte di quella lhuomo felicemente si conduce. Allanima à sensi conuersa prima per gliocchi se li representa la particolare belta di Alcibiade, di Phedro, ò di qualche altro corpo speciosso, ad quello sinclina & in quella forma particolare si diletta, & in essa fermandosi è nel primo & piu imperfetto & piu material grado, & di questo effetto assegna el poëta nel principio della presente stanza la cagione, cioè onde procede che uno piu presto à uno che à unaltro sia affettionato. El secondo Grado è quando lanima quella imagine per gliocchi riceuuta con la uirtu sua interiore, ma pur anchora materiale & phantastica in se riforma, & tanto piu perfetta fa quella quanto la fa piu spirituale, & quanto piu dalla materia separandola alla ideale bellezza, benche anchora da quella molto lontana la appropinqua. El terzo grado è quando lanima nostra col lume dello intelletto agente, quella forma riceuuta da ogni particularita separando, la natura propria della corporale bellezza in se cõsidera, ne piu al la propria imagine di uno solo corpo, ma alla uniuersale bellezza di tutti e corpi insieme si uolge. Questo è lultimo grado alquale peruenga lanima à sensi conuersa, imperoche quantunque in questo ultimo grado in se la bellezza riguardi, & non come nel grembo di materia alcuna ristretta, nondimeno da sensi & da phantasmi particulari tale cognitione riceue, & di qui nasce che qualunque alla cognitione della natura delle cose per questa sola uia peruiene, non puo perspicacemente & sanza uelo di grandissima ambiguita uederle, & hanno creduto & credono molti peripathetici & massime latini non potere lanima nostra unita al corpo ad piu perfetta cognitione ascendere, il che nel nostro concilio dimostremo dalla mente di Aristotile & quasi di tutti peripathetici Arabi & Greci essere grandemente alieno. El quarto grado è che lanima considerando la operatione sua uede se conoscere la natura della bellezza uniuersalmente, & non ristretta ad alcuna particolare, & conosce che ogni cosa che è nella materia fondata è particolare, di che conclude questa tale uniuersita, non dallo obietto esteriore sensibile, ma dallo intrinseco suo lume, & dalla sua uirtu procedere, & infra se stessa dice, se uelli adombrati specchi de phantasmati materiali per uigore della mia luce mi si representa questa bellezza, certo è ragioneuol cosa che nello specchio della mia sostantia dogni nube materiale spogliata riguardando, debba ogni simil cosa assai piu chiara mente uedere, & cosi in se conuersa uede la imagine della belta ideale à lei dallo intelletto participata, come fu nel secondo libro dichiarato, & questo è il quarto grado perfetto imagine dello amore celeste come di sopra fu detto. Di poi da se al proprio intelletto ascendendo, è nel quinto grado, doue la celeste Venere in propria forma, & non imaginaria, benche non pero con totale plenitudine della sua bellezza che in intelletto particolare non cape se li demostra, de laquale lanima auida & sitibunda cerca el proprio & particolare intelletto alla uniuersale & prima mente coniungere, prima infra tutte le creature & uniuersale albergo dello ideal bellezza. Et ad quella peruenendo laia grado in ordine se sto termina el suo camino, ne glie licito nel septimo, quasi sabbato del celeste amore, muouersi piu oltre, ma iui debbe come in suo fine à lato al primo padre fonte dogni bellezza felicemente riposarsi. Questa è la scala delli amorosi gradi per laquale alla uera integra & distinta cognitione di questa materia di amore si ascende. Questi gradi & come dalluno allaltro si ascenda, non so se, ò con piu leggiadria di uerso, ò con piu ordine & dottrina scriuere si possa, che si descriua el poëta nostro nella VI. VII. & VIII. stanza, ma prima che ad cio descenda, nel principio dela VI. assegna la ragione perche uno sia piu a lamore di questo che di quellaltro tirato, laqual ragione anchora che tutta si fondi sopra e principij delli antichi platonici, nondimeno apresso daltri non mi ricordo hauerla mai letta. Et per intelligentia di essa, è prima da sapere che secondo dicono e Platonici, fra le anime humane alcune sono di natura di Saturno, alcune di natura di Gioue, & cosi delli altri pianeti, & intendono per questo che una anima hara piu cognatione & piu cõformità con lanima del cielo di Saturno che con lanima del cielo di Gioue, & cosi per loppposito, che non è per altro se non per che questa anima è di talenatura & quella di tale, ne altra causa intrinseca sene ha ad assegnare di questo di che è estrinseca & effettiua causa colui che esse anime produce cioè Dio, delquale dice Platone nel Timeo, che alcune anime nella luna, alcune altre nelli altri pianeti & stelle che lui chiama instromẽti de tẽpo spargẽdo semina. Secondariamẽte da sapere che unendosi, come anchora nel primo libro fu detto essere mẽte de platonici, lanima immediatamẽte al uehiculo celeste, & mediãte quello al corpo terreno & corrottibile, uogliono alcuni, la opinione de quali segue in questo luogo lo auttore nostro, che lanima rationale descendo dalla sua stella, formi lei stessa quello corpo terrestre, ilquale lei di poi ha ad gouernare. Sopra ad questi principij fondandosi el Poëta, si imagina che nel uehiculo de lanima laqual descende, che è da lei con quella potentia uiuificato, con laquale poi forma el corpo terrestre, sia dalla sua stella infusa una uirtu formatrice del corpo corrottibile, & secondo che da altra ò altra stella descende, riceue uirtu diuersamente formatiua, e per questo dicono e phisionomi, el tale huomo hauere effigie Lunare, el tale Solare, el tale Martiale, el tale Venerea, el tale Giouiale, el tale Saturnina, el tale Mercuriale, & dalla effigie giudicano lanima di quello tale essere di simile di natura, il che è molto conuenente alla oppenione del Poëta nostro. Ma perche la materia inferiore non è sempre obediente à chi la forma & stampa, pero non puo esprimere sempre la uirtu dellanima nel corpo terreno la effigie che essa uorrebbe, onde nasce che essere posa sono dua giouiali che nella forma appariranno dissimili per che la materia della concettione delluno sara suta altrimenti disposta ad riceuere quella figura dellanima che quella dellaltro, pur nientedimeno quello che nelluno è perfetto, nellaltro come cosa incominciata & non assoluta. Vuole adunque el Poeta nostro che lo essere della figura di dua corpi dalla uirtu duna medesima stella formati generi fra loro per tale conformita intenso amore. Quãdo formata in

pria

pria dal diuin uolto. *ò immediatamente come uogliono e catholici, ò mediatamente secondo Platone.* Per descender qua giu l'alma si parte dalla piu eccelsa parte ch'alberghi el sol nel cor human s'imprime. *Perche il core è piu appropriata stanza alla anima, laquale per la natura sua è fonte di uita & di calore, & per il suo continuo moto ha con il cielo, onde lei descende, molta conformità.* Dalla piu eccelsa parte ch'alberghi el sole. *Cioè dal Cancro segno infra tutti e dodici segni del Zodiaco sopra questo nostro emisperio superiore piu eccelso, cioè piu eleuato, & è sententia de Platonici, liquali dicono lanima descendere per il Cancro, & ascendere per il Capricorno, & credo che il loro fondamento sia, perche il Cancro è casa de la luna, la cui uirtu massime domina sopra la parte uegetale uiuificatiua de corpi, & il Capricorno è casa di Saturno preposto alla contemplatione, allaquale lanima dal corpo sciolta, liberamente puo attendere.* Doue. *Cioè ne corpi humani terrestri.* El primendo. *Essa anima con mirabile arte, arte certo diuina & admirabile dalla uolunta paterna per la intellettuale sapientia & ragione della anima nella celeste natura infusa.* Quel ualor poi che da sua stella ha tolto, & che nel grembo accolto uiue di sua celeste spoglie prime. *Cioè quella uirtu formatrice del corpo elementare, laqual uiue di poi & si ferma nel grembo delle prime sue celeste spoglie, cioè del suo celeste uehiculo, & laqual dipoi esprimendo la figura in tale uirtu quasi seminale contenuta,* Quanto nel seme human possin sue lime, forma suo albergo in quel fabrica e stampa. *Cioè forma questo corpo organico sensibile nel quale in questo mondo lanima alberga in quello seme humano.* C'hor piu hor men repugna al diuin culto. *Come disopra fu dichiarato.* Indi. *Cioè da quel corpo di tale anima figurato.* Qual' hor dal sol. *Cioè dallo splendore di quella bellezza che in lei nè sculpto.* Scende nel l' altrui cor l' infusa stampa. *Della figura in se impressa, & uuol dire questo che ogni hora che quella tale effigie è uista da qualunch altro.* Se glie conforme. *Cioè se è figura prodotta da stelle conforme alla stella di colui che la riguarda.* Ad uampa l'alma. *Di quel tale di amoroso foco, & questo come di sopra mostramo à il primo grado.* Che poi ch'en sel'alberga assai piu bella a diuin rai di sua uirtu l' effinge. *Qui si contiene el secondo & terzo grado in distintamente. & è da aduertire che el Poëta nel fine della sesta stanza, & nel principio della. V I I perstringe & generalmente tocca lo escenso del primo grado al ultimo, accennando la loro distintione, ma non la esprimendo seguitando in questo lordine da philosophi, & massime da peripathetici nel prohemio della phisica di Aristotile instituto, cioè che la confusa & indistinta cognitione della cosa preceda la esplicatione di quella. come el nostro Poëta ha in questo luogo osseruato, ilquale poi che sotto implicato compendio della cognitione di questi gradi ne ha dato qualche lume, essequisse dipoi in quel luogo.* Per tre fulgidi specchi. *Distintamente quello che ne precedenti uersi breuemente toccando, promesse, ne fanza mysterio è che il poëta nostro insieme queste tre stanze in tal forma congiunga che el senso del fine della. V I. si finisca nel principio della. V I I. & el fine di quella nella principio della. V I I I. il che à chi piu oltre non considerassi, parrebbe forse contro alla regola della canzona, nellaquale pare conueniente cosa che ogni stanza per se habbi la sua sententia finita, come & nelle cinq prime, & nelle ultime osserua el poëta, ma ha uoluto per questo denotare che in nessuno grado procedente lultimo si debbe lhuomo fermare, ne preporselo per fine dello amore suo, ma debbe lun sempre hauere per scala del laltro. Non è laudabile delettarsi della forma dun bel giouane, se tu non usi questo come grado ad riguardare in te la proportione & conforme qualità di quella figura, etiam dio fuora di quello crasso & materiale corpo, quale prima lhai ueduta. Ne lo occupare la imaginatiua in considerare la figura dun corpo puo essere opera se non uana, se in quella ti fermi & non ladoperi per instromento ad contemplare con la ragione la uniuersal bellezza di tutti e corpi. Ne puo essere se non debile & inferma lanima che sempre sopra il corpo prostrata, mai in se non si diriza, & in se stessa riuolgendosi e sua thesori non riconosce, ma come dice Asaph, essendo in dignita & honore posta, non si conosce, & diuenta simile a bruti insipienti, che tal uirtu di potere in se ritornare non hanno. Ne in se, ò per se potra lanima sufficientemente possedere quel lume della bellezza, ilquale da se non ha, ma solo per dono & comunicatione di altrui, se ad colui non ritorna, ilquale ha fatto lei di essa bellezza participe, & dalquale essendo lui particulare fiume se la sua sete uorra in tutto estinguere, bisognera che al primo mare del la bellezza da esso fonte immediatamente emanante si conduca, imitando el poëta nostro ilquale cominciando nela. V I stanza ad disporre e gradi di questa scala, sopra laquale da terra al cielo si ascende, non prima à sua uersi pose fine, che al primo bene ti cõduse.* Dalla cui uiua & sola luce informato amando si fabellamente, l' alma el mondo & cioche e in quello *Però non sono in uerita nella presente Canzona piu che sette stanze, benche in ix. si diuida, perche di queste tre stanze nessuna per se e finita, ma di tutte insieme una risulta. Dunque nella sesta stanza perfetta si ferma el poëta, come ogni amante nel suo sesto grado, & essendo per procedere piu oltre, sente amore che raccoglie el freno, denotãdo per questo ad noi che à colui, el quale al sesto grado peruiene, non è licito caminare piu inanzi, perche quello è il termine dellamorosa uia, quantunque per uia dunaltro amore piu oltre si uada, & è quello amore col quale si ama Dio in se, & non quanto auttore della ideale bellezza, ma non conuiene con lo amore del quale al presente si parla, perche quello non è desiderio di bellezza, laquale in Dio, secondo Platonici per la sua simplicità non si truoua, come ne primi libri fu dichiarato. Hora ritornando alla esposition del testo, dice el poëta comprendendo insieme il secondo & terzo grado* Che poi che l'alma alberga in se *la figura per gliocchi riceuuta.* Assai piu bella a diuin rai di sua uirtu. *cioè della uirtu phantastica, ò uero cogitatiua, & della uirtu rationale* La effinge *fabrica et forma* Et di qui nasce ch'amando el cor dun dolce error si pasce. *Qui dimostra lo auttore come per le sue parole si puo intendere per qual cagione aduenga che molte uolte & quasi sempre lo amato pare allo amante piu bello assai che in se non è, il che procede per che lo amante riguarda lo amato nella imagine che di lui ha lanima in se fabricata, & fatta tanto piu bella quanto piu dalla materia principio dogni deformita la ha separata, anchora che oltre ad questo che quella figura che lanima ha in se formata assai piu che la sua estrinseca spetie bella si demostra per essere in uerita piu bella, ci si adgiunge che essendo questa generata & fatta dallanima, lanima in lei come in sua cosa piu si diletta, & piu anchora lastima, che essa in se & nello essere suo proprio non è, & perosoggiunge lo auttore.* Pascesi el cor dũ dolce error, l'amato obietto si in se com' in sua prole guardando, *cioè come in sua opera & sua creatura da lei fatta & generata.* Tal'hor poi reformando. *Qui mostra lo auttore come del quarto grado à lultimo si adgiunge pretermettẽdo la esplicita dichiaratione de mezza, cioè del quinto & sesto grado, liquali nõdimeno accenna*

cenna doue dice Di grado in grado, et per li quali à lulti mo grado si peruiene. Dice adunque che thalor lanima reformà quella spetie uniuersale Al lume diuino che in lei ne e impresso cioè al lume della belta ideale ad lei participata Raro & celeste dono, ueramente raro et celeste, perche pochi sono quelli che ad questo grado peruẽghino, & questi sono molto perfetti, ma sono si rari, che come disopra dicemo, molti giudicorono essere impossibile alhuomo di giũgere ad questo grado, & pero rettamente disse, Raro & celeste dono. Quinci cioè dalla reformatione detta che è quarto grado Eleuando di grado in grado se, cioè dal quinto grado el che è el proprio particolare intelletto al sesto grado della coniunctione col primo et uniuersale intelletto Nello increato sole cioè ad esso Dio ritorna onde formato ne equel che nello amato obietto e espresso. dal quale dio, benche per molti mezzi, come lui immediatamente soggiunge, è formato quello lume di bellezza che nel corpo amato appare, peroche uno Solo, cioè uno sol lume che da esso uolto diuino emana, passando quasi per tre specchi, la mente, cioè langelica natura, lo spirto, cioè la natura rationale, & el corpo, cioè el sensibile mondo, adorna ogni bellezza. Quinci gliocchi. Hora el Poëta nostro ordinatamente è sopra detti sei gradi esplica & dichiara, de quali assai distintamente uel principio della sesta stanza parlamo. Dice adunque incominciando dal primo & piu infimo grado, che quinci, cioè dal corpo Gliocchi rice uon leornate spoglie, di quello, cioè le spetie della bellezza decisa da quel corpo, il che come disopra dicemo, è il primo grado & il piu materiale, poi soggiunge. Et per Gli occhi oue soggiorna, doue dichiara come questa spetie dello obietto à gliocchi peruenuta, passa dalla uirtu uisiua di gliocchi, che è senso esteriore, alla uirtu imaginatiua, che è senso interiore, laquale imaginatiua lui chiama L altra sua ancilla, cioè del core, intendendo per il core la sostantia della ala rationale, alla quale seruono & ministrano le potentie sensitiue, cosi interiore, come esteriore, come tutti e philosophi concordemente dichiarano. Hora essendo quelle spoglie, cioè quelle spetie della imaginatiua concette, dice el poëta che sono da lei Talhor poi reformate non pero espresse, Pero che la imaginatiua, come piu alta & piu nobil potentia, del senso di fuori fa quella spetie piu spirituale, & consequentemente piu la spicca & separa dalla deformità della materia, laquale seco non patisce la forma della uera Venere, ma non puo pero anchora per essere lei pura potentia materiale & organica, redurre quella spetie ad perfetta immaterialità. Pero dice che le reforma, ma non le esprime, & questo è el secondo grado, elquale quantunq; sia amore di particulare corpo, nondimeno non ama quella particulare bellezza piu in quella crassa & corpulenta persona, ma in quella imagine che gia nellanima sua di lui ha formata & come questo grado è piu che el primo perfetto, cosi anchora è piu felice, perche non meno gode lamante nella absentia sua che nella presentia, sempre lo ha seco, sempre el uede, sempre lo ode, & con lui familiarmente à tutte lhore conuersa, chi è nel primo grado, tanto è felice quanto lo amato li è presente, conditione ad ogni modo assai migliore che quello furore bestiale & non amore, il cui bene non puo se non per piccol tempo durare, ne dise altro che longissima amaritudine & grandissima penitentia lasciare, il che douerebbe per certo essere à ciascuno sufficiente stimolo à farlo da questa effecranda uolupta rimuouere & confestinatissimo corso ad quello celeste amore properare, oue nessuno uestigio di miseria, ma ogni plenitudine di felicita si truoua ne debba allettare ueruno ad questa misera uolupta lo essere stati molti & per prudentia & per dottrina celebratissimi huomini da quella presi, anzi questo debba essere à ciascuno in uece & luogo di ragione efficacissima ad mostrare che quello si debba in tutto con ogni ingegno fugire. Imperoche se questo male è si pestifero & uenenoso chel li habbia in si perfette & si forte animie potuto generare egritudine quasi incurabile, debbe ciascuno indubitamente persuaderssi chenella sua habbia ad partorire letale al tutto & morti fero morbo, di che meritamẽte si puo concludere qualũq; in tale precipitio ruina, di se medesimo & de sua mali cõposti pensieri do Dio corretiua & paterna punitione, dalli huomini forse nõ meno cõpassione che biasmo riportare. Hora ritornando alle parole del Poëta poi che del primo & secondo grado ha parlato uenendo al terzo dice. Indi di uarie & molte belta dal corpo sciolte forma uno concetto, in cui, quelche natura diuiso ha in tutti, in uno pinge & figura, & è che lanima surgenda sopra el primo & secondo grado, luno & laltro de quali particolarmente la bellezza considerando dalla materia nõ si spoglia, in uniuersale concetto, essa natura in se considera, & multitudine di tutti e particulari corpi begli, nella unita della bellezza in se reduce, il che è propriamente di quello il quale di giu in su ascende, cioè di quello che la moltitudine nella sua unita riduce, come di sopra fu detto. Quinci amor L'alma, in questo el cor diletta, in lei com'in suo parto anchor uaneggia che mẽtre el uero uãgheggia come raggio di sol sott'acqual uede In questa uniuersal cognitione lanima come in cosa da lei fabricata si diletta come anchora poco inanzi dicemo, & in lei illume della uera bellezza, come lume di sol sotto acqua uede, el fonte dellume è il cielo, & da quello allacqua per dua gradi mezzi si peruiene, per il fuoco & per laria, nõ altrimenti da Dio primo cielo intelligibile, fonte del lume della bellezza per due gradi mezzi dello intellettuale ideale, & della ragione allanima participata quasi per il mezzo dellaria & del fuoco nella spetie uniuersale dasensi astratta come in acqua el lume della uera bellezza resplende. Pur non soche di uin ch'en lui lampeggia, benche adombrat'el cor pietoso allecta da questa ad piu perfetta belta ch'en cima ad quel superba siede. Questo è lo ascenso del terzo grado al quarto, cioè alle idee allanima participate, nella quale non è piu ombra di bellezza, ma si uede la belta uera, benche nõ essentiale, ma participata Quinci mentre'l pio cor lalme uestige segue entro alla sua mente ued' inserto. Questo è lo ascenso del quarto grado alquinto, cioè al proprio particolare intelletto dellanima, il che dichiara dicendo Entro alle sua mente el ued' inserto. Soggiunge di poi Indi ad piu chiaro & aperto lum' apresso ad quel sol sospeso uola. Et è lo ascenso dal quinto grado al sesto, nel quale el proprio particolare intelletto con la uniuersale, et prima mente assai piu della nostra aperta et chiara coniunge, laqualmente imediata è prossima à Dio primo & intelligibile sole, & pero disse Adpresso ad quel sol sospeso uola dalla cui uiua & sola luce, come la mente, lalma, & il mondo si faccia bello, assai disopra è dimostrato.

CAPITOLO XI. Stanza nona.

CAnzon, io sento amore chel fren raccoglie. Fu openione delli antichi theologi non si douere temerariamente publicare le cose diuine & li secreti mysterij, se non quanto di sopra nera permesso, pero finge el poëta se quasi come apparechiato ad ragionare piu oltre essere da amore ritratto, & da lui esserli comandato che al uolgo solo la corteccia de mysterij amorosi dimostri, riserbando la midolla del uero senso alli intelletti piu eleuati & piu perfetti, regola osseruata de qualunq; delle cose diuine appresso alli antichi hauerito. Scriue Origene Iesu Christo hauere reuelato molti mysterij ad esscepoli, liquali loro nõ uogliono scriuere, ma solo ad bocca à chi à loro ne pareua degno li communicauano, & questo cõferma Dionysio areopagita hauere poi osseruato esacerdoti nostri e quali per succes-

sione

sione luno dallaltro riceueuano la intelligentia da quelli secreti, liquali non era lecito à scriuere, & Dionysio à Timotheo esponendo de nomi di Dio & della gerarchia angelica & ecclesiastica, molti profondi sensi gli comanda che tenga el libro nacoso et non gli comunichi se non apochi che di tale cognitione sono degni. Questo ordine apresso li antichi Hebrei fu santissimamente osseruato, & per questo la loro scientia nellaquale la espositione delli abstrusi & absconditi mysterij delle leggi si contiene Cabala si chiama, che significa recettione, perche non per scritto, ma per successione ad bocca luno dallaltro la riceuano, scientia certo diuina & degna di nō partecipare se non con pochi, fondamento grandissimo della fede nostra, el desiderio dellaquale mi mosse allo assiduo studio della Hebraica & Caldaica lingua, senza lequali è al tutto impossibile peruenire alla cognitione di quella. quāto fussi el medesimo stilo da Pythagorici osseruato dire nō bisogna, & fanne piena fede la epistola di Lyside ad Hyparco, ne per altra ragione haueano li Aegyptij dauanti à loro templi scolpito le Sphynge, se nō per dichiarare che le cose diuine, quando pure si scriuano, si debbano sotto Enigmatici uelamenti coprire, come & il poēta nostro nella presente canzona hauer fatto, secondo le forze nostre habbiamo dichiarato, & il simile essere suto dalli altri cosi græci come latini poēti osseruato, nel lib. della nostra poētica philosophia dichiararemo.

HIERONYMO BENIVIENI A LVCA DELLA ROBBIA. SALVTE.

Assai mera per certo hauere una uolta, & forse ancora temerariamente, permesso che di tutti gli amorosi miei uersi solo quelli in publico comparissino.

Che al dolce suon della celeste lyra
Cantando amor souente.
Lalma al suo primo ben conuerte & tira,

Senza che hora cosi dalle amoreuoli tue persuasioni inuitato, & dalli errori della mia adolescentia admunito, io hauessi di nuouo affaticare la mente di chi legge con la esplanatione delle ineptie di quella, cioè dessa mia adolescentia. Delle quali ineptie, ineptie ueramente puerile, perche poi che à Dio piacque di illustrare in qualche modo col lume della sua gratia le tenebre della mia cecita, io ho sempre reputato & reputo nō piccola parte la sequēte Buccolica, doueuo et non immeritamente fare quando lecito stato mi fussi, cosi di questa, come io gia feci di quelle, cioè desse mie ineptie puerile, uno sacrificio à Vulcano. Ma perche questo per lessere stata gia piu uolte impressa, & in molte copie & uarij luoghi dissemināta, era & è impossibile con tanta piu mia satisfattione, cedo hora à esse tue amoreuoli persuasioni, quanto essendomi tolta la faculta di poterla supprimere à ognihora, piu mi stimola la memoria di alcuni suoi concetti, casti certo, ma si poco per lo ardore di quella eta cautamente tessuti, che come male intesi possono essere stati, cosi anchora quando altrimenti la uerita de loro sensi non si scoprissi, potrebono essere ad alcuno piu debile occasione di qualche scandalo. Perche quello tanto che per introdutione di chi legge fu da noi posto in el prossimo & per insino da principio publicato Proœmio dessa nostra Buccolica non apre, come la esperientia mi ha mostro, & non scuopre in tanto la uia che basti à penetrare alla uerita, dessi nostri male in quella adumbrati concetti.

Hauendo io adunq; per rimedio di questo cosi da te & dallo stimolo della memoria predetta eccitato aggiunti ad quello che in esso proēmio si dice, alcuni altri alquanto piu larghi & espediti argomenti, & quelli in e loro luoghi per piu chiarezza & commodo di chi legge distribuendo, datone à ciascuna Egloga el suo me piaciuto, poi che cosi anchora à te piace, permettere che lei, cioè essa nostra Buccolica, cosi come el la è hora istrutta & accompagnata unaltra uolta in publico cōparisca, accio che mediāte questi tali argomēti cosi posti & distribuiti possa ciascuno, che ò per lo adrieto leggendo fussi in qualche sinistra oppenione caduto, resurgere, ò che in futuro leggessi facilmente & sanza alcuna offensione à el uero senso dessi nostri concetti penetrare, non ostante el uelo delle troppo certo in qualche luogho tenere & licentiose parole, sotto el cōtesto dellequali lui, cioè esso senso anchora che per se puro, quasi casta matrona in ueste & habito meretricio puo & non immeritamēte essere per insino à qui stato à gliochi tuoi & di qualunche altro suspetto. Priego dunq; hora chi legge, che per sua cautela & per mia satisfattione non li incresca prima che alla lettione di qualunche desse Egloge descenda, leggere lo argomento à lei immediate preposto, accioche mediante e moniti & la memoria di quello alla intima pura & nuda uerita dessi nostri concetti penetrando, & se da ogni occasione di scandalo, & me da ogni colpa, liberi & assoluta, imparando & se non per li utili documenti desse nostre Egloge che sono pochi, el bene che si debba in questa uita felicemente cercare, almanco per li errori & per li inganni dessa mia adolescētia in loro descritti, che sono molti, quello che si debba sapientemente fugire. Vale.

ELEGIA IOANNIS PICI MIrandulæ adolescentis Egregij ad Florentiam, in laudē Hieronymi Benieniij eius ciuis, qui nuper adolescēs & ipse Buccolicum carmen ediderat.

Tuetor io Tyrrhena tibi Florentia lætor
Clamet io Pean quisquis amicus adest.
Quale decus, quæ fama tibi, quæ gloria surgit
Tolle caput, libycas tolle superba iubas.
Ille tuos agros intra & tua mœnia natus,
Atq; arui liquidas inter adultus aquas.
Cui cum diuinum sit sacro in pectore numen
Quam bene de sacro nomine nomen habet.
Ille inquam plausu iam cœpit ubiq; frequenti
Iam cœpit multo non sine honore legi.
Sicelis ausonias illius musa per urbes
Fert celebrem magna candida laude pedem.
Autorem patriæ quisquis legit inuidet illi
Atq; optat patriæ nomina tanta suæ.
Gaude gaude iterum tanto insignita decore,
Et uati applaudas terra beata tuo.
Cinge coronatos uernanti flore capillos
Conueniunt titulo Florida serta tuo.
Vndiq; achemenio spargantur compita costo.
Et per odoratas lilia multa uias.
En stirps in nostras Beniuennia protulit auras
Hetruscum docto qui gerat ora senem.
Ponite auernales iam gens hetrusca cupressus
Quos rapta immiti funere Laura dedit.
Pellantur queruli fletus, en Laura reuixit,
Spirat & argutum nouit ut ante loqui.
Quin solito nitet illa magis, maiorq; priori
Nescio quæ culto gratia ab ore uenit.
Reddidit hanc nobis laus uestræ Hieronymus urbis
Et dedit infernos posse iterare lacus.
At certè (procul hinc liuor inique facessas)
Nunc grauiore sonat grandius illa Chely.
Dij superi, sublime adeo modulatur ut æqua
Sit iam Romano thusca loquela sono.
Nec tamen ille Euros frondosus iactat inanes,
Plusquàm promittit fronte recessus habet.
Quid referam quàm lenis eat, quàm carmina plano
In numeros currant ordine iuncta suos,
Sic memini me sæpe sacros uidisse liquores
Profluere imbriferi uis ubi nulla noui.

Sed

Sed quis miretur meditata in carmine tantum
Cultus, cum pariter non meditata canat?
Quis non hunc iuret Phœbum modo pendeat arcus,
Cornua sint Bromium quis neget esse deum?
Auditu hunc quoties cithara cantare recurua
Abduxit sensus protinus ille meos.
Et quid non possent digiti mulcere loquentes?
Sisteret his rapidi flumina magna padi.
Phœbeos medio firmaret in æthere currus,
Lunares pictos sisteret axe boues.
Terribilem sæuis Martem reuocaret ab armis,
Leniret ditem falciferumq; senem.
Et quas non potuit quondam rhodepius Orpheus
Flectere strymonidas flecteret ipse murus.

SEGVITA LA MEDESIMA ELEGIA MA TRADOTTA DI Latino in lingua Florentina.

GOdi Firenze, & ciascun cor che meco
Ama'l tuo ben, iuochi & chiam' apollo
Et d' untanto tuo honor s' allegri hor teco
D'un tanto honor, di quanto esser satollo
Ben puo'l tuo fier Leone, alza la fronte,
Alza superb' el tuo crinito collo.
Quanto ben questo tuo nuouo Phaetonte
Questo tuo nuouo sol nato & nutrito
Nel tuo pio seno dentr' al tu' orizonte.
Quanto ben dico, poi che'nse scolpito
Porta'l lume diuin, da sacro nome
Ha parimente el suo nome sortito.
Questo, questo di ch'io, che cosi come.
Non senza gratia, non senza frequentia
Cosi non senz' honore delle sue chiome
Si legge ogn' hor non pur inte Florentia
Ma fuor di te, onde la Ciciliana
Sua musa tanto con la sua presentia
Fa lieto quanto Italia s' allontana.
Italia che'n ciascun suo luogho pende
Dal dolce suon della sua uoce piana.
Et chi d' un tanto autor la patria intende
Non senz' inuidia alla sua patria brama
Vn tanto honor, e'n dolce zelo s' accende.
Godi, & ciascun chel tuo ben cerca & ama
Teco ò beata patria al tuo poëta
Applauda alla tua gloria, alla tua fama.
Cingi di uaghi fior l'honesta & lieta
Fronte ch'un tant'honor ben si conuiene
Firenz' al nome tuo, ne'l ciel tel uieta.
Sien per te le tue strad' ornate & piene
Di costo orientale, di bianchi gigli
Di ros' in testimon d'un tanto bene.
Ecco infra tuoi piu car' & grati figli
Nato è Firenz'in te colui che solo.
Se stesso, el dotto tuo uecchio simigli.
El dotto uecchio tuo che col suo uolo
Couersi e suoi, con la sua gloria estese
Gia l' al' insin da luno à laltro polo,
Onde pian gendo poi l' antiche offese.
Le sue colpe, gl' inganni el uan dolore
Che nutria el foco, nde'l suo cor s' accese.
Del primo giouenil su' anticho errore
Spera trouare pieta non che perdono
Doue sia chi per prou' intenda amore.
Hor se ben morte un si felice suono
Spense Firenz' in te, pon fine al pianto
Poi chel ciel' ha parat' un maggior dono.
Ecco hor' ecco colui che tu gia tanto
Morto lassa pian gesti, in uita torna
Et ben conoscer puoi la uoce e'l canto.
La uoce e'l canto, in cui lieto soggiorna
Bella gratia & amor, onde procede
L'honor, che luna & laltra fronte adorna.
Questo ti rende, largisce & cede
Hieronimo corona, honor & gloria
Di te Firenze, onde'l tuo nome eccede.
Et certo (ilch' hor sia senza memoria
Non pur senza presentia ò inuidia detto
Di te & d'ogni tua cieca uittoria)
Non men graue, men dolce, & men perfetto
El suon di questa, che di quella lyra
Ch'orno gia del tuo uecchio el sacro petto,
Ah con quai uoce, & con quai note spira
Certo con tali, ch'alla Romana lingua
Per lui l' Ethrusca & con par' ale aspira.
Et s' ingegno è, che ben pesi & distingua.
Vedra come non pur difior & fronde
Exorna uno tanto ben, nutrica e'npingua,
Che maggior e'liheſor, che si nasconde
Dentro à lor uago sen, che quel che fuori
Exposto in fronte, à nostri occhi risponde.
Che dirio io de gli altri frutti & fiori
Di questa pianta, & quanto dolcemente
Corrino i uersi suoi graui & sonori,
Corrin certo cosi, come souente
Vidi in terra dal ciel gia cader pioggia
Senza alcun uento piu quietamente.
Ma chi doue l'ingegno el tempo poggia
Conceper dentro à se puo marauiglia
Dicio che nel suo sacro petto alloggia
Quando quel che nel tempo, ò el cor consiglia
Ma che subito nato & fuor sospinto
Se, l'opre sue & null'altro somiglia?
Fa chel suo petto sia fregiato & cinto
D'un inflexibil arco ò el capo adorno
D'un nuouo serto in dua corna distinto,
Chi non dira uedendo lareo intorno
Alle sue spalle che lui Phebo sia
O Baccho, atteso luno & laltro corno?
Quante uolte cantar la sua Thalia
Sentimo al suon dell' honorata cetra
Tanto à se trasse gia lanima mia.
Et che non puo e far? Che non impetra
La uoce, el canto suo? Chel Po farebbe
Fermar non ch' altro com' immobil petra.
Questo à uaghi corsier del Sol, porrebe
Fren co suoi uersi, e'l carro della luna
Per lui in mezzo del Ciel fermo starebbe.
Marte al suo canto resistenz' alcuna
Far non porria, & placido & benigno
Saturno ell Re dell' infima lacuna
Farebbe, & quelle che da piu maligno
Spirito mosse fermar non poteo
Gia col suo dolce canto el thracio cygno
Fermar credo faria sto nuouo Orpheo,

BASILEAE PER HEINRI
CVM PETRI. AN-
NO M. D. LVII.



Pio Mirandola Concordia
1346758